SC.15.P1.6.

ARA 259

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS,
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iuſſu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

cum ſelectiſſimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS VIGESIMUSQUINTUS
complectens ACTUS APOSTOLORUM, & EPIST. B. PAULI APOST. ad Romanos.



VENETIIS
MDCCLVI.

Excuderunt {MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTUS
APOSTOLORUM.

HIC liber Actuum Apoſtolorum a Luca Evangeliſta conſcriptus; eſt velut continuatio quædam Evangelii. Unde ab Oecumenio Evangelium Spiritus Sancti *merito appellatur. Nam quæ Spiritus Sanctus per Apoſtolos geſſit, Eccleſiæ naſcentis exordia, atque illius magna per triginta fere annos incrementa, hoc in libro mira brevitate & perſpicuitate deſcribuntur. In eo promiſſiones Chriſti impletas legimus, Aſcenſionem eius in Cælum, Spiritus Sancti illapſum, quo Eccleſia formata eſt, & quaſi animata, tot mirabiles qui ex illa Spiritus Sancti effuſione conſecuti ſunt effectus, Evangelii tot pene orbe noto prædicationem, invictam Apoſtolorum fortitudinem, portenta fere innumerabilia & miracula, complures Petri & Pauli ſermones, horum varias perſecutiones: tametſi de Petro pauca, & de aliis Apoſtolis pauciora ſcripſit Lucas. Sed nobis cogitandum reliquit eadem, aut conſimilia, ab aliis Apoſtolis toto orbe diſperſis facta eſſe miracula, iiſdem laboribus eos eſſe defunctos, eaſdem ſubiiſſe perſecutiones. Nam ſacrorum ſcriptorum calamum ſic divina regebat providentia, ut ea tantum ſcriberent, quæ ad fidem Chriſtianam alendam & roborandam erant neceſſaria: ne ſacrorum librorum multitudo de eorum pretio & auctoritate quicquam detraheret. Hinc Lucas aliorum Apoſtolorum acta, quibus non interfuit, quæque ab iiſdem Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis conſcripta fuerant, non mandavit litteris. Petri hiſtoriam tantummodo delibavit; Paulum Romam uſque deduxit; quæ ſunt ſecuta, ſilentio prætermittens. Ex iis tamen quæ hoc in libro ſunt ſimplici & candido, ſed eleganti ſty-*

lo enarrata, de reliquis quæ ſcripta non fuerunt, facile eſt iudicium; atque ea ſufficere viſa ſunt ſinceris & bonæ fidei hominibus omnino perſuadendis, ac de Chriſtianæ Religionis veritate convincendis; Traditio ipſa & viva vox, Scripturarum ſupplet ſilentium.

Hic liber octo & viginti capita complectitur. In primo Aſcenſionem Domini in Cælum, Mathiæ in locum Iudæ electionem cum omnibus circumſtantiis commemorat. In ſecundo Eccleſiæ ipſius quaſi partum deſcribit Evangeliſta, tamquam ex utero Synagogæ, in quo hactenus delituerat. Tum uſque ad caput decimum, Eccleſiæ velut incunabula, ac prima illius incrementa, & quaſi infantiam in urbe Ieroſolyma mentis oculis ſubiicit. Deinde Evangelii propagationem in Iudæam & Samariam, populis antea inimicis, in eamdem fidem coadunatis, ac tandem Chriſtianam Religionem longe lateque diffuſam in Romani Imperii provincias, Pauli imprimis geſta & varias perſecutiones ſacer Scriptor proſequitur. Quo maior rerum geſtarum ab Apoſtolis lux accedat, operæ pretium fuerit ſingulis tempus adſcribere, quod ex Chronico Canone Hiſtoriæ Apoſtolicæ Pezronii Abbatis nondum editæ mutuabimur: quæ omnia in Hiſtoria Apoſtolica idoneis probat teſtimoniis.

CA-

Google

CAPUT PRIMUM.

Ieſu promittens Apoſtolis Spiritum ſanctum, dicit non eſſe ipſorum ſcire ſecreta rerum futurarum tempora: & poſt ipſius in cælum aſcenſum dicitur ab Angelis ſimiliter venturus: nomina Apoſtolorum: oratio Petri de uno in locum Iudæ proditoris ſufficiendo; ubi præmiſſis precibus eligitur ſorte Mathias.

1. PRIMUM quidem ſermonem feci de omnibus, o Theo-
phile, quæ cœpit Ieſus facere, & docere, 2. uſque in
diem, qua præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum,
quos elegit, aſſumptus eſt: 3. quibus & præbuit ſeip-
ſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis,
per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno
Dei. 4. *Et conveſcens, (*a*) præcepit eis ab Ieroſoly-
mis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, (*b*) quam audi-
ſtis (inquit) per os meum: 5. quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos
autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. 6. Igitur qui
convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc re-
ſtitues regnum Iſrael? 7. Dixit autem eis: Non eſt veſtrum noſſe tempora
vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: 8. (*c*) ſed accipietis vir-
tutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieru-
ſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ. 9. Et
cum hæc dixiſſet, videntibus illis, elevatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab
oculis eorum. 10. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo
viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, 11. qui & dixerunt: Viri Ga-
lilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt a vo-
bis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. 12.
Tunc reverſi ſunt Ieroſolymam, a monte qui vocatur Oliveti, qui eſt iux-
ta Ieruſalem, ſabbati habens iter. 13. Et cum introiſſent in cœnaculum,
aſcenderunt ubi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philip-
pus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon
Zelotes, & Iudas Iacobi: 14. hi omnes erant perſeverantes unanimiter in
oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius. 15. In
diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (* erat autem turba
hominum ſimul, fere centum viginti.) 16. Viri fratres, oportet impleri
Scripturam, (*d*) quam prædixit Spiritus ſanctus per os David de Iuda,
(*e*) qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum: 17. qui connume-
ratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii huius. 18. (*f*) Et hic
quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius:
& diffuſa ſunt omnia viſcera eius. 19. Et notum factum eſt omnibus ha-
bitantibus Ieruſalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Hacelda-
ma, hoc eſt, ager ſanguinis. 20. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum:

Digitized by Google

(*g*) † Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: (*h*) & epiſcopatum eius accipiat alter. 21. Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Ieſus, 22. incipiens a baptiſmate Ioannis uſque in diem qua aſſumptus eſt a nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri unum ex iſtis. 23. Et ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Mathiam. 24. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum, 25. accipere locum miniſterii huius, & apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Iudas ut abiret in locum ſuum. 26. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.

(a) Luc. xxiv. 49. Ioan. xiv. 26. (b) Matth. xiv. 11. Mar. i. 8. Luc. iii. 16. Ioan. i. 26. (c) Inf. ii. 2. Luc. xxiv. 48. (d) Pſal. xl. 9. (e) Ioan. xiii. 18. (f) Matt. xxvii. 7. (g) Pſal. lxviii. 26. (h) Pſal. cviii. 8.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 4. *Et conveſcens præcepit eis*. Cave legas *converſans* pro *conveſcens*.

Verſ. 15. *Erat autem turba hominum ſimul*. Correctores non probarunt illam quorundam emendationem qui pro *hominum* ſcripſerunt *nominum*, tametſi *nominum* ſit Græce.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 20. F*iat commoratio eorum deſerta*. Alii libri cum Miſſali Romano in feſto S. Matthiæ conformiter Græco, & Syro legunt ſingulari numero *eius*: pluralis numerus eſt in Pſalmis.

NOTATIONES.

Verſ. 4. E*T conveſcens præcepit eis, ab Ieroſolymis ne diſcederent*. Id quod nos *conveſcens* legimus, quidam *converſans* legendum putat: quod συναυλιζόμενος, ſive ut quidam codices habent, una littera exempta, συναλιζόμενος ſit, *conveniens*, ſive *congregans* aut *coniungens* ſe, cum eis videlicet converſans: συναυλίζεσθαι, *converſari* ὁμολογουμένως ſignificat: ſed συναλίζεσθαι, quod hic in omnibus noſtris Græcis antigraphis eſt, non ſolum *congregare*, *coniungere*, aut *convenire*, verum etiam συνεσθίειν *conveſci* denotat. Sic namque, conveſci inquam, vocem iſtam hoc loco a ſe lectam Græci tractatores Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius ſunt interpretati συναλιζόμενοι; ait inter eos Theophylactus: τουτέστι, κοινωνῶν ἁλῶν καὶ κοινωνῶν τραπέζης, hoc eſt, „ communi utens ſale, communique utens menſa, " Præterea qui Acta Apoſtolorum in Syricam transfudit linguam: *Et cum ediſſet cum eis panem* vertit. Quare quod uno conſenſu habent Latini codices *conveſcens* rectum germanumque Interpretis eſſe cenſendum eſt: id quod legunt D. Hieronymus Hedibiæ quæſtioni 7. reſpondens, Beda, Auctor Gloſſæ, Lyranus, Richelius Apoſtolorum Acta enarrantes.

V. 15. *Erat autem turba hominum ſimul, fere centum viginti*. Multorum ſententia eſt pro *hominum*, *nominum* legendum eſſe; nempe correctorum imperitia, hoc cum illo commutatum fuiſſe. Græci enim libri ὀνομάτων *nominum* conſtanter habent, quibus non ea eſt ὀνομάτων cum ἀνθρώπων affinitas, quæ Latinis *hominum* cum *nominum*. Huius ſententiæ eſt Epanorthotes noſter: „ Item 6. *Turba hominum ſimul*; Græcus *nominum*; puto vitioſe *n*, mutatum in *h* ut pro *nominum* dicatur *hominum*. " Nicolaus Zegerus *nominum* etiam in textum Teſtamenti a ſe caſtigati retulit. Manuſcriptum unum, Germani latum ſignarunt Pariſienſes, atque ex iis alii *nominum* legere: verum id eiuſmodi eſſe comperi, ut ei ſoli fidendum haud facile ſit. Nullum vero alium codicem, ſive inter noſtros, ſive ab aliis annotatum conſentire invenimus: *hominum* omnes ſcribunt. Auctor Gloſſæ ad hæc, Carenſis, & Richelius, ut alios prætercam, manifeſte *hominum* legunt. Quare ex Latinorum librorum concordia quidam Gagneius nominatim *hominum* ab Interprete verſum eſſe, ut clarior eſſet oratio, exiſtimant. Certe qui Apoſtolorum Acta ex lingua Græca in Syriacam olim tranſtulit, ita vertit: *Erat autem illic turba hominum*. Plene autem Latineque redderetur, quomodo Theophylacti interpres reddidit: *Et erat ſimul numerus capitum*.

COM-

COMMENTARIA

S A.

ACtus Apostolorum. Syr. *Hiſtoria Apoſtolorum*. Narrantur quidem; & alia, ſed præcipue quæ per Apoſtolos, & in primis Paulum ſunt geſta.

V. 1. Sermonem feci. Evangelium intelligit. Syr. *librum ſcripſi*. De omnibus: non omnia, ſed ex omnibus præcipua quædam.

V. 2. Praecipiens, id eſt ubi mandata dediſſet. Per Spiritum sanctum. Poteſt cum præcedentibus & cum ſequentibus iungi. Utrumque certe factum per Spiritum ſanctum, id eſt Spiritus ſancti ductu & inſtinctu.

V. 3. In multis argumentis, id eſt per multa argumenta; ſcilicet confirmans ſuam reſurrectionem.

V. 4. Per os meum. Græ. & Syr. *ex me*.

V. 5. Baptizabimini, ſcilicet purgandi erant, & perficiendi adventu Spiritus ſancti.

V. 6. Si; pro, num. Israel: dativus eſt.

V. 7. Momenta. Græc. καιροὺς, ſcilicet rei gerendæ opportunitates.

V. 8. Virtutem, id eſt robur. Eritis, ſcilicet vos, & ſucceſſores veſtri: ſic enim dictum, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*: Auguſt. epiſt. LXXX.

V. 9. Suscepit, id eſt ſubduxit.

V. 10. Intuerentur, ſcilicet intentis ſeu defixis oculis, Græc. enim ἀτενίζοντες. Viri, id eſt Angeli virorum ſpecie.

V. 12. Iter, ſcilicet unum milliare, etſi quidam duo putent. Syr. *diſtans ab ea circiter ſeptem ſtadiis*. Faciunt quidem octo unum miliare.

✠ *V.* 13. Coenaculum, ſcilicet partem domus ſuperiorem. Græ. ὑπερῷον. Manebant. Syr. *degebant*. Alphaei, ſcilicet filius. Iacobi, id eſt frater. Uterque enim Alphæi filius.

V. 14. Fratribus, id eſt cognatis. Eius, ſcilicet Ieſu.

V. 15. Petrus, ſcilicet ut Eccleſiæ caput & Paſtor, ut notat Chryſoſt. Fratrum. Græc. μαθητῶν, id eſt *diſcipulorum*. Hominum. Græc. *nominum* (homines enim nominatim recenſentur) ſic Apoc. III. Syr. *hominum*.

V. 19. Oportet. Græc. ἔδει, id eſt *oportuit*, ſeu *oportebat*.

V. 17. In nobis. Græc. *nobiſcum*. Et sortitus est sortem, id eſt cui contigit partem habere.

V. 18. Possedit, id eſt fecit poſſideri Græc. & Syr. *acquiſivit*, eodem ſenſu. Iniquitatis, id eſt iniqui operis. Suspensus. Græc. *pronus factus*, ſcilicet ita ſolent ſuſpenſi. Syr. *cadens in faciem ſuam humi*. Diffusa, id eſt effuſa.

V. 19. Notum, ſcilicet totum Iudææ factum. Lingua, ſcilicet Syriaca; hac enim Iudæi tunc utebantur. Hacel, id eſt *Ager*. Syr. חקל. Dama, id eſt *ſanguinis*. Syr. דמא.

V. 20. Scriptum, &c. coniungendum cum *oportet impleri Scripturam*, &c. Commoratio, id eſt habitatio. Eorum. Gr. & Syr. *eius*.

V. 21. Congregati; pro converſati. Intravit et exivit, id eſt *verſatus eſt*, Heb.

V. 23. Barsabas. Non eſt iſte *Barnabas*, de quo cap. IV. etſi quidam eumdem putent.

V. 25. Locum. Græc. *ſortem*. Praevaricatus est, id eſt per prævaricationem excidit. Syr. *diſceſſit*. Locum suum, id eſt ſibi deſtinatum, ſeu convenientem, ſcilicet infernum.

V. 26. Sortes. Forte, ut fit, ſcriptis nominibus utriuſque in charta, & alicubi incluſis, deinde extracto altero. Sors. Dionyſius Areopagita donum quoddam putat fuiſſe, ſed quale fuerit non explicat. Annumeratus. Græc. *ſuffragiis additus*, ſcilicet poſt ſortem.

E S T I I.

Verſ. 1. DE omnibus, o Theophile, quae coepit Iesus facere et docere, usque in diem, &c. Senſus eſſe videtur, De omnibus quæ Ieſus fecit & docuit: ſcilicet a tempore, quo cœpit facere & docere, uſque in diem aſcenſionis eius in cælum. Dicit autem *de omnibus* quamvis ſine dubio multa Chriſti facta & dicta ſint ab eo prætermiſſa, quæ alii Evangeliſtæ tradiderunt, aut omnino a nemine ſcripta ſunt; quia multa & varia de Chriſti factis & doctrina fuerat illo libro complexus, quæ ſuo quodam modo dici poſſunt omnia; vel certe, quia ſcripſerat omnia, quæ ſibi propoſita habebat ad ſcribendum; vel omnia quæ merito poſſent ſufficere. Sic Lucæ primo: *Viſum eſt mihi aſſecuto omnia*. Vide eius loci annotationes.

V. 2. Usque in diem, qua praecipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. Dubium

quo

quo pertineat illud, *per Spiritum ſanctum*, num ad *præcipiens*, an ad *elegit*, an vero ad *aſſumptus eſt*. Eraſmus vertit in hunc modum: Ad eum uſque diem, quo poſtquam impertitus in hoc ipſum Spiritum ſanctum, mandata dediſſet, quos delegerat, Apoſtolis, ſurſum aſſumptus eſt. At difficile eſt græca ad hunc ſenſum inflectere. Sic enim habent ad verbum: *uſque quo die præcipiens* (vel, *præcepto dato*, eſt enim participium præteriti temporis ἐντειλάμενος) *Apoſtolis per Spiritum ſanctum quos elegit, aſſumptus eſt* Sane contextus viam permittit, ut alio referatur, quam ad *præcipiens*. Senſus autem non incommodus eſt: Chriſtum Apoſtolis, quos elegit ad opus propagationis fidei, præcepta dediſſe per Spiritum ſanctum ad hoc ipſum opus pertinentia. Quæ præcepta partim indicat ipſe Lucas capite ultimo ſui evangelii, & plenius hoc I. capit. Actorum repetit; partim autem atque expreſſius habentur Matt. ultim. & Marci ultim. Quomodo autem præcepit per Spiritum ſanctum niſi quia Chriſtus omnia opera ſua, maxime ad ſanctificationem noſtram ſpectantia, feciſſe dicitur per Spiritum ſanctum, utpote omnis ſanctificationis auctorem. Sic enim Hebræorum IX. dicitur per Spiritum ſanctum obtuliſſe ſemetipſum Deo. In hunc fere ſenſum exponit Chryſoſtomus, quem citat Eraſmus in annotation. Similiter de Chriſto dicitur, quod baptizabit in Spiritu ſancto. Item: *In Spiritu Dei eiicio dæmonia. Et unctus Spiritu ſancto. Spiritus Domini ſuper me*, &c.

V. 3. LOQUENS DE REGNO DEI. Græce καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ; id eſt, *Et dicens ea, quæ de regno Dei*, id eſt pertinentia ad eccleſiam, quæ eſt regnum Dei. Quæ ſcriptura ſic ſecundum græcum expenſa, maniſeſtius facit pro traditionibus non ſcriptis. PER DIES QUADRAGINTA APPARENS EIS. Non quod ſingulis diebus apparuit eis, ſed quia intra tempus quadraginta dierum, frequenter ſe eis videndum exhibuerit.

V. 4. ET CONVESCENS. Valla & Eraſmus converſationem vel congregationem in unum locum hac voce ſignificari putant, ſed cum noſtro interprete conſentit Chryſoſt. & Oecumenius. Vide Gaignæum, qui vocis ἔτυμον & ſignificatum exponit. Vide etiam Lexicon Græcum in ἁλίζω & συναλίζω. QUAM AUDISTIS, inquit, PER OS MEUM. Græce tantum eſt: ἣν ἠκούσατέ μου, id eſt *quam*, ſive *de qua audiſtis ex me*. Recte tamen explendi ſenſus cauſa interpres interpoſuit, *inquit*.

V. 5. VOS AUTEM BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO NON POST MULTOS HOS DIES. Baptiſmus Spiritus ſancti videtur generaliter comprehendere, & baptiſmum aquæ a Chriſto inſtitutum, & Confirmationis Sacramentum, & utriuſque effectum, etiam ubi Sacramentum non adeſt. Nam in baptiſmo Chriſti baptizatur Spiritu ſancto propriiſſime, iuxta illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*. Quia in eo ſic aqua abluimur, ut etiam abunde in eo Spiritus ſanctus in nos effundatur. De quo & Ioannes Baptiſta: *Ille baptizabit vos in Spiritu ſancto*. Et in confirmatione, ut patet ex hoc loco, quia Apoſtoli affectum confirmationis, id eſt robur Spiritus ſancti acceperunt. Idemque intelligendum in omnibus, qui hoc Sacramentum cum eius effectu ſuſcipiunt: cuius Sacramenti res, ſine Sacramento præceſſit in Apoſtolis. Item Actor. XI. Centurioni, eiuſque familiæ, qui ante baptiſmum acceperant Spiritum ſanctum, hoc idem tribuit, dicens, ſe recordatum illius ſententiæ: *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem*, &c. Nec ſola confirmatio, qua vel Apoſtoli, ſuper eos apparentibus linguis igneis, confirmati ſunt; vel ceteri fideles per Sacramentum manus impoſitionis confirmantur, baptiſmus eſt in igne; ſed etiam ipſum baptiſmi Sacramentum; quod Apocalyp. XV. ſignificatur per mare vitreum mixtum igne. Vide eius loci annotat. Itaque baptizare Spiritu ſancto, eſt tingere, perſundere Spiritu ſancto, ſive id fiat baptiſmi Sacramento, ſive confirmationis, ſive extra Sacramentum, ut factum in Apoſtolis. Ceterum locus hic intelligendus eſt de confirmatione Apoſtolorum per Spiritum ſanctum facta in die Pentecoſtes. Erant enim Apoſtoli iam ante baptizati, quia ad baptizandos alios deputati Ioan. III. & IV. & XIII. *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*, &c. Item quod de deſcenſu Spiritus ſancti in Cornelium, & ſocios eius, ſicut & in ipſos initio; dicit recordatum ſe verbi Domini ſicut dicebat: *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto*. Quæritur, quomodo non eſt ſignificatus hic Chriſti baptiſmus, cum Matt. III. Ioannes ſimili ſententia dixerit de Chriſti baptiſmo: *Ego quidem baptizo vos in aqua. Qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni?* Dicendum utrumque eſſe baptiſmum in Spiritu ſancto, tam Sacramentum baptiſmi, quam confirmationem; & ita recte de utroque dictum,

quod

Digitized by Google

quod per ipſum Chriſtus baptizet in Spiritu ſancto. Ideo autem confirmatio baptiſmi nomen accipit, quia eſt quoddam baptiſmi complementum, ut patet ex decreto Melchiadis Papæ. Sicut porro hinc non ſequitur Apoſtolos non fuiſſe baptizatos baptiſmo Ioannis, (nam quidam eorum fuerunt diſcipuli Ioannis, & proinde ab eo baptizati) ita nec ſequitur eos non fuiſſe antea baptizatos baptiſmo Chriſti in aqua. Tantum enim opponit baptiſmum Ioannis, qui tantum erat in aqua, baptiſmo ſuo, qui eſt Spiritus ſancti, promittens hunc baptiſmum ſuis Apoſtolis, dicendo; *Vos autem baptizabimini*, &c. Quæritur tamen an Apoſtoli fuerint ante baptizati Spiritu ſancto? Nam ex his verbis videtur quod non. Si enim antea baptizati fuerant Spiritu ſancto, quomodo id eis nunc, quaſi novum promittitur? Hinc videri poſſet, quod baptiſmus Chriſti, quem dedit ante paſſionem, non erat baptiſmus in Spiritu ſancto, ſed tantum in aqua. Vide noſtra in quartum diſtinctione tertia & annot. Matthæi III.

V. 10. ECCE DUO VIRI. Angeli aſſumpta ſpecie virorum. Sic Euchariſtia panis vocatur.

V. 11. HIC IESUS QUI ASSUMPTUS EST A VOBIS IN CAELUM. Quomodo aſſumptus eſt, cum propria virtute aſcenderit? Vide annot. Marci ult. *Sic veniet quemadmodum vidiſtis*; id eſt, in forma humana deſcendet iudicare vivos & mortuos, ſicut in ea aſcendit.

V. 14. CUM MULIERIBUS, ET MARIA MATRE IESU. Non quod Maria non fuerit mulier, quod evangelica & apoſtolica ſcripta toties affirmant; ſed quia non vulgaris mulier; verum, ut ita dicam, pluſquam mulier. Senſus enim eſt: Cum mulieribus, inter quas prima & præcipua erat mater Ieſu. Simili modo dicitur, Marci ult. *Dicite diſcipulis eius & Petro*. ET FRATRIBUS EIUS. Igitur credunt in eum fratres eius, de quibus Ioan. VII. dictum erat: *Neque enim fratres eius credebant in eum*. Vide eius loci annot. Item de fratribus Domini, vide commentarium I. Corinth. IX. Inter Apoſtolos erant duo, Iacobus & Iudas. Ergo adhuc addens; *Et fratribus eius*, ſignificat præterea fuiſſe duos ut minimum. Alii plures enumerant.

V. 15. FERE CENTUM VIGINTI. De myſterio huius numeri, vide Hieron. in epiſtola ad Paulinum de libris ſcripturæ. Centum viginti, inquit, ab uno uſque ad quindecim paulatim & per incrementa ſurgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in pſalterio myſtice continentur. Eam rem declarat Brito ille expoſitor prologorum Hieron. in Biblia, excuſus cum Lyrano.

V. 17. ET SORTITUS EST SORTEM MINISTERII HUIUS; id eſt, ſortito accepit hoc miniſterium. Sic autem loquitur Scriptura, non quia Chriſtus ſortium interventu Iudam ac ceteros Apoſtolos elegit; ſed, quia ſicut ſors non reſpicit meritum perſonæ; ita Chriſtus Apoſtolos elegit; non quia præ ceteris digni erant & idonei ad hoc munus, ſed ex beneplacito voluntatis ſuæ; qua etiam eoſdem quos elegit, procedente tempore idoneus facere voluit. Unde in evangelio Marci tertio: *Vocavit ad ſe, quos voluit ipſe*.

V. 18. ET HIC QUIDEM POSSEDIT AGRUM DE MERCEDE INIQUITATIS. Græce, ἐκτήσατο, quod etiam verti poteſt, comparavit. Dicitur autem Iudas vel comparaſſe, vel poſſediſſe agrum pretio ſanguinis, quod hic vocatur merces iniquitatis; quia argenteis illis triginta, quos ille retulit & in templo proiecit, ager comparatus eſt, ut Matthæus teſtatur; velut ſi dicatur domus alicuius, quæ pecunia ab illo relicta empta eſt, licet ille vivens id non mandaverit vel cogitaverit. Quamquam intelligi etiam poteſt, quod Iudas homo ſceleratus avarus iam ante cogitaverit, vel etiam paſtus fuerit de agro ſibi comparando ex illo pretio ſanguinis: quod tamen non perfecerit præ animi dolore, quem ob ſceleris magnitudinem, remordens conſcientia attulerat. Huc reſpicit Auguſt. quando dicit in Tract. de 4. feria cap. III. Iudam ex pretio ſanguinis Chriſti emiſſe & comparaſſe ſibi agrum figuli. Quod intelligendum ſicut hic locus. Unde & ait Iudam voluiſſe partem aliquam habere in ſæculo. Et addit: Quam nec ipſam poſſedit, quia ſceleris tanti ſibi conſcius collum ſibi alligavit, &c. ET SUSPENSUS CREPUIT MEDIUS. Ambroſ. Lib. I. de fide cap. IX. Legit: Et in faciem proſtratus, crepuit medius. Græce ad verbum: Et pronus ſeu præceps factus, crepuit medius. De huius loci intellectu, vide Ianſen. cap. CXL. in concord.

Digitized by Google

Vide etiam lexicon græcum in vocabulo *κτῆμα*. Et diffusa sunt omnia viscera eius. De avaro homine dicitur Eccleſiaſt. x. *In vita ſua proiecit intima ſua*. Vide ibi Ianſenium.

V. 19. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Totum hoc parentheticum eſſe videtur, videlicet ſcriptum ex perſona auctoris libri, qui in media oratione Petri, per occaſionem verborum eius de Iuda & agro, hæc interſerit. Et ita ceſſat difficultas, quomodo Petrus dicat *lingua eorum*. Item quomodo dicat appellatum *Haceldama*, cum non ſit veriſimile, tam cito poſt factum invaluiſſe cognominationem agri, ſed paulatim & progreſſu temporis, ut fieri ſolet in huiuſmodi. Idque etiam ſignificatur Matt. xxvii. quando dicit agrum ſic vocatum, uſque in hodiernum diem, id eſt uſque ad id tempus, quo Matthæus evangelium ſcribebat. Nam & illud, quod ibidem dicuntur principes ſacerdotum, inito conſilio emiſſe ex triginta argenteis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum, non exiſtimandum eſt, ſtatim ab illis factum fuiſſe, ſed poſtea opportuno tempore. Vide eius loci annotat. & ibidem Ianſenium & Heſſelium.

V. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea. Pro *eorum* in quibuſdam codd. MSS. eſt *eius*, conſentientibus etiam Græcis & Syris, & textu venerabilis Bedæ. Veriſimile eſt pro *eius* irrepſiſſe *eorum* ex conſuetudine legendi verſum hunc in Pſal. lxviii. ex quo deſumptus eſt. Ibi enim ſic habetur: *Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet*. At Petrus ad Iudam peculiariter accommodavit, quod in Pſalmo generaliter dictum eſt in Iudæos Chriſti perſecutores. Et Episcopatum eius accipiat alter. *Epiſcopatum*, id eſt prælaturam in eccleſia Dei. Epiſcopatum autem intellige, vel quem habuit (fuit enim Apoſtolus licet incomplete; quia ante paſſionem tantum inſtituti erant legati ad prædicandum domui Iſrael, non omnibus gentibus) vel quem erat accepturus, niſi tanto ſcelere ſe contaminaſſet. Erat enim, ſicut ceteri undecim, auditurus a Domino: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos*. Et: *Euntes docete omnes gentes, & prædicate evangelium omni creaturæ*. Ordinem Epiſcopalem Iudas non habuit. Hic enim Apoſtolis collatus eſt poſt reſurrectionem Domini. Sacerdos quidem inſtitutus eſt Iudas in cœna Domini cum ceteris Apoſtolis, ſed poteſtatem remittendi peccata, quæ data eſt poſt reſurrectionem, numquam habuit. Hoc quidem ſingulariter quaſi de uno dicitur in Pſalmo, ſed ita ut in uno plures etiam intelligantur. Quod inde perſpicitur, quia tres præcedentes verſiculi, quorum primus: *Locuti ſunt adverſum me*, &c. de pluribus loquuntur; & maledictiones, quæ multæ ibi recitantur quaſi in unum, hoc verſiculo demum concluduntur; *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala adverſus animam meam*.

V. 21. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati. Congregationem intelligit non præſentem, in qua Petrus hæc loquebatur, ſed converſationem eum Apoſtolis ab initio, in qua Chriſtus cœperat colligere diſcipulos. Quem ſenſum clarius expreſſit Eraſmus, dum pro *congregati* vertit *verſati*. In omni tempore, quo intravit et exivit inter nos. Intrare & exire, pro eo quod eſt continuo converſari, phraſis eſt hebræa.

V. 22. Testem resurrectionis nobiscum fieri unum ex istis. Præcipua cura erat Apoſtolis, ut reſurrectionem Chriſti bene teſtatam facerent apud eos, quibus prædicabant evangelium Chriſti; tum quia Iudæi infideles hanc præcipue in dubium vocabant; tum quia reſurrectionis Chriſti certa probatio maximam fidem prædicationi Apoſtolorum conciliabat; tum denique quia reſurrectio Chriſti ſpes noſtra eſt. Si enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus; utique beata reſurrectione, de qua diſſerit Apoſtolus Paulus I. Cor. xv. Nam quo caput præceſſit, eo ſpes vocatur & corporis. Ob hanc cauſam etiam Paulo tamquam gentium apoſtolo, ne quid minus haberet a duodecim Apoſtolis teſtibus oculatis, neque teſtimonium eius tamquam auriti teſtis minoris fieret, viſus eſt Chriſtus redivivus in carne: I. Corinth. ix. & xv. Ex hoc loco conſtat, Matthiam & Barſabam fuiſſe ex his Chriſti diſcipulis, qui

Digitized by Google

qui cum duodecim converſati ſunt toto eo tempore, quo Chriſtus cum illis egit; nimirum a baptiſmo Ioannis uſque ad aſcenſionem eius in cælum; & proinde falſam eſſe eorum ſuſpicionem, qui cenſent omnes ſeptuaginta diſcipulos Chriſti ab eo receſſiſſe, poſt ſermonem illum Ioan. vi. Ceterum qui viderant Chriſtum redivivum a morte, non tantum verbo prædicationis perhibebant teſtimonium reſurrectionis Chriſti, verum etiam miraculis in ſupplemen tam firmiſſimæ probationis; ne forte quis infidelis dicere poſſet eos fallere, aut falſos fuiſſe, objecto per illuſionem oculis ipſorum phantaſtico corpore, aut non vere humano. Hinc Marcus dicit capit. ultim. Apoſtolos prædicaſſe Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Sic Petrus capite ſequenti cum dixiſſet: *Hunc Ieſum reſuſcitavit Deus: cujus omnes nos teſtes ſumus:* ſubiungit confirmationem ex dono linguarum, accepto per Spiritum ſanctum. Et capite tertio: *Cuius nos teſtes ſumus, & in fide nominis eius hunc*, &c. Et capite quarto: *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti:* quia per miracula.

V. 23. Et statuerunt duos. Aug. Lib. I. contra Felicem Manichæum cap. iv. legit: *Et ſtatuit duos*, videlicet Petrus. Quæ lectio facit ad auctoritatem Petri. Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus. Quidam dicunt hunc Ioſeph non ob aliud reiectum ab apoſtolatu, quam quia conſanguineus erat Chriſto, ne videretur conſanguinitatis habita ratio in eius electione. Sed hoc non recte dici videtur tum quia non electione, ſed forte diremta eſt paritas inter duos. Quis autem dicat, quid Deus in directione fortium ſpectaverit, ut non ſuper Ioſeph, ſed ſuper Matthiam fors caderet? tum quia inter Apoſtolos Domini duo erant eius conſanguinei, qui & fratres Domini dicuntur, nempe Iacobus minor frater Domini, & frater eius Iudas Thaddæus. Proinde ſatius eſt præſentis rei cauſam ignorare, quam curioſe ſcrutari. Rectius dixeris, ideo forte Matthiam prælatum, quia a Domino, qui corda novit omnium, ut in ſua oratione dicit Petrus, agnoſcabatur magis ad apoſtolicam functionem idoneus. Item non conſtat eum fuiſſe Chriſto conſanguineum. Nam Ioſeph, qui Matt. xiii. numeratur inter fratres Domini, ab hoc diverſum eſſe inde colligitur, quod ille græce ἰωσῆς, hic vero ἰωσὴφ dicitur. Heſſelius tamen ſcribens in Matt. decim. fratrem fuiſſe putat: item cum Lucas tam diligenter eum deſcribat, tribuens ei duo nomina & unum cognomen, certe non omiſiſſet & hoc addere, quod frater Domini fuerit, ſi id verum eſſet. Denique diverſus hic eſt ab Ioſeph, qui dictus eſt Barnabas, de quo in fine capit. quarti. Vide annotat. eius loci. Ac rurſum alius hic ab illo, qui Actor. xv. Iudas cognomento Barſabas dicitur. De hoc etiam vide Euſebium Libr. III. capite xxxiii. & Martyrol. Roman. Iulii xx. Qui cognominatus est iustus. Græce non eſt δίκαιος, ſed ἰοῦστος. Ita ad Col. iv. *Ieſus qui dicitur Iuſtus*, Græce ἰοῦστος. Videtur tamen ex latino acceptum, ſicut σουδάριον, πραιτώριον, & ſimilia. Vide comment. Col. iv. Et Mathiam. De Mathia extra hunc locum nihil legimus in Scriptura ſacra. Duo autem in eius doctrina memorabilia; alterum ex Dionyſio Alexand. alterum ex Clemente: vide apud Galenum, Catech. cxxxvi.

V. 26. Et dederunt sortes eis. Non ſine electione proceſſit aſſumptio Matthiæ ad apoſtolatum. Nam per electionem factum eſt, ut duo ex toto numero fratrum ſtatuerentur, qui cum viderentur pares, eſſe, ventum ad ſortitionem. Igitur electio duos invenit pares, quos ſortitio diſcrevit. Non videtur ergo verum quod quidam dicunt, ideo Apoſtolos hic uſos ſortibus, quod nondum accepiſſent Spiritum ſanctum: poſtea vero accepto Spiritu ſancto electione conſtituiſſe ſeptem diaconos. Nam & hic uſi ſunt electione, & illic non Apoſtoli elegerunt, ſed a multitudine electos ipſi approbarunt, & per manus impoſitionem diaconos inſtituerunt. Adde præterea, quod Apoſtoli, qui habebant gratiam operandi miracula, poterant confidentius uti forte cum oratione ad Deum; quod ſcirent ſe eſſe exaudiendos. Si enim ad miracula certi erant de aſſiſtentia divina; cur non etiam ad ſortem ut per eam Deus oſtenderet, utrum ex duobus vellet eſſe Apoſtolum? Sed tamen ſicut miracula non faciebant Apoſtoli, niſi urgente manifeſta utilitate; ita nec ſortem adhibuerunt, niſi quadam neceſſitate adducti. Quomodo vero

Digitized by Google

ſors iſta facta fuerit non omnino certum eſt. Dionyſius Areop. capite v. Hierarch. eccleſ. part. III. per ſortem iſtam intelligit divinum quoddam munus, quod illi pontificum choro, eum, qui divino iudicio, delectuque eſſet renunciatus, indicaret, id eſt oſtenſionem aliquam divinitus factam. Sunt qui putent divinitus radium lucis ſuper Mathiam apparuiſſe. Verum longe ſimplicior & receptior intelligentia eſt, ut ſortem intelligamus eam, qua in ſortiendo homines uti ſulent, & quæ tunc temporis in uſu erat apud Iudæos. Atque hinc colligitur ſortium uſum, præveniendo ius canonicum, licitum eſſe etiam in deſignandis epiſcopis, aut præfectis: ſi modo illi, de quibus eſt quæſtio, digni ſint, & ita pares ut humanitus non appareat inter eos differentia. Sic Auguſtinus epiſtola CLXXX. ſuadet mittendam ſortem inter presbyteros tempore perſecutionis, quando unus populo neceſſarius eſt, ut reliqui fugere poſſint, quando non conſtat quis inter eos fortior ſit ad ſubeundum martyrium. Atque hæc ſors proprie diviſoria fuit, ad hoc ordinata, ut duorum æqualium alter eſſet Apoſtolus. Fuit tamen etiam conſultoria, ſed licita, quatenus Deum orabant ut ſortem dirigeret in eum, qui dignior eſſet. Quod ſine dubio licitum eſt in tali caſu. Quæritur, cur illam paritatem Apoſtoli non dirimerunt ſuffragiis? Si dicas ſuffragiis inventos fuiſſe pares; cur Petrus tamquam illius collegii decanus & caput paritatem illam ſuo ſuffragio non diremit? Videtur dicendum quod Apoſtoli, atque etiam ipſe Petrus Apoſtolorum collegio præſidens iudicaverunt eos pares, ita ut humanitus non invenirent, quo alterum alteri præferrent: idcoque arbitrati ſunt ſibi recurrendum ad ſortes. Et ita factum ut etiam Mathias, more ceterorum Apoſtolorum, divinitus fuerit electus ad apoſtolatum, & non ſuffragiis humanis. ET CECIDIT SORS SUPER MATHIAM. Aliter ſupra dictum fuerat de Iudada: *Et ſortitus eſt ſortem miniſterii huius*. Phraſes enim diverſæ ſunt. Hoc loco ſignificatur ſortito proprie dicta. Eam enim plane ſignificant hæc verba: *Et dederunt*, &c. Illic ſermo eſt de electione, qua Chriſtus apoſtolos elegit, ſola uſus voluntate ſua ad eligendum; & ob eam cauſam ſic loquitur Scriptura: *Sortitus eſt ſortem*, &c. Forte etiam ideo ſic loquitur, quia Levitarum miniſteria diſtributa erant per ſortes, ut habetur I. Paral. XXIII. Unde etiam Zacharias S. Ioannis Baptiſtæ pater ſorte exiiſſe dicitur, ut incenſum poneret: Luc. I. Vide ibid. annot.

MARIANAE.

LUCAS Evangeliſta haud dubium Acta Apoſtolorum Græce ſcripſit, Romæ comes individuus Pauli Apoſtoli. Ex actionibus tamen eius non pauca prætermiſit; quo conſilio, incertum. Neque ultra biennium Romæ commorantis Pauli, hoc eſt, quartum Neronis annum proceſſit. Narratio hiſtorica & ſimplex, ſed ſimul animi languoribus, quippe medicus, ſalutarem affert medicinam. In Latinum ſermonem Hieronymus vertit, uti ipſemet teſtatur ad Domnionem & Rogatianum.

Verſ. I. PRIMUM QUIDEM SERMONEM FECI. Ac ſi dicat, In primo ſermone & libro, ſcilicet Evangelio quod ſcripſi, egi de iis quæ Ieſus fecit & docuit. DE OMNIBUS. Diſtributio accommoda, ſcilicet quæ opus erat, quæ erant ad ſalutem neceſſaria. Sic Auguſtin. de Corrept. & gratia, cap. XIV. intelligit illud I. ad Timotheum II. 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, id eſt prædeſtinatos. Et illud Luc. XI. 42. *Decimatis omne olus*, ſcilicet quod habetis. Et illud I. ad Corinth. X. 35. *omnibus placeo*, ſcilicet bonis fidelibus. Alioqui multa alia fecit Chriſtus, quæ non ſunt ſcripta: Ioan. XX. 21. THEOPHILE. De hoc viro, initio Evangelii Lucæ dictum eſt. Fuit ſane vir primarius, cui Lucas utrumque librum dicavit, Evangelium & Acta. Sive ut Epiphanius ait Hær. LI. forſitan eſt nomen appellativum, & ſignificat ſcripſiſſe omni diligenti Deum.

V. 2. QUA PRAECIPIENS, qua die cum præcepiſſet Apoſtolis. PER SPIRITUM SANCTUM. Caſſianus VII. Lib. de Incarnatione putat eſſe hyperbaton, neque hoc iungendum cum *aſſumptus eſt*, ut Neſtorius iungebat, ex eo contendens Chriſtum non eſſe Deum, qui aliena ope eguiſſet. Sed iungendum ait cum verbo, *quos elegit per Spiritum ſanctum*. Addo, neque cum verbo *præcipiens* iungi debere.

V. 3. IN MULTIS ARGUMENTIS, ſuæ re-

reſurrectionis certis ſignis & teſtimoniis (id *τεκμήριον* eſt) apparens eis.

V. 4. UT CONVESCENS. Hinc quidam deſumpium putant, Chriſtum in meridie ad cælos aſcendiſſe. Quod Proſper in Lib. Sententiarum ex Auguſtino certe tradit cap. CCIII. Valla *converſans* legendum putat; recte, ſi Græce eſſet *συναυλιζόμενος*. Nam *συναλιζόμενος*, dictum *a ſale*, inter alia *communi menſa uti* ſignificat; ſicque Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus & Syriacus interpretantur. AB IEROSOLYMIS NE DISCEDERENT. Nempe ſuos milites nolebat in aciem prodire inermes. Ergo Ieroſolyma Apoſtolos exire vetat uſque ad Spiritus ſancti adventum. Quod vero addunt quidam ex Thraſcæ traditione apud Euſebium Lib. V. Hiſt. cap. XVIII. vetitum inde diſcedere ante duodecim annos a Chriſti aſcenſione, id nos refutavimus in Diſput. pro Iacobi Apoſt. adventu in Hiſpaniam, cap. VI.

V. 6. IOANNES QUIDEM BAPTIZAVIT AQUA. Hoc & aliis multis locis iiſdem verbis diſcrimen aſſignatur inter utrumque baptiſma, Ioannis & Chriſti. VOS AUTEM BAPTIZABIMINI. Iam erant baptizati, ut diximus Ioannis IV. 2. ideo exponunt, *perfundemini Spiritu ſancto*. Recte, niſi hic conſtitueretur diſcrimen inter utrumque baptiſma, quare utroque loco *baptizandi* vox proprie ſumenda videtur. Quid autem, ſi futurum *baptizabimini* ſumamus pro præterito *baptizati eſtis Spiritu ſancto*, & cum Gotth. ſuppleamus *quem accepturi eſtis* NON POST MULTOS HOS DIES.

V. 8. USQUE AD ULTIMUM TERRAE. Corrigit eorum errorem, qui putabant veniſſe Chriſtum, ut Iudæos ſolum redimeret.

V. 9. VIDENTIBUS ILLIS ELEVATUS EST. Loco unde ſublatus eſt, manſere impreſſa Chriſti veſtigia, quæ neque infideles iniecta, neque fideles ſumpta inde terra pietatis ergo hactenus deleverunt. Sulpicius Severus Lib. II. Hiſt. Paulinus ad Severum epiſt. XI. Aſcendit autem verſa ad Occaſum facie, quomodo fuiſſe in cruce Sedulius Lib. IV. ait illis verbis:

> *Quatuor inde plagas quadrati colligit orbe.*

Ita Septemtrionem ad dexteram habuit, ad lævam Auſtrum.

V. 10. EUNTEM ILLUM. Gotth. *eunte illo*. Sic Græce, *πορευομένου αὐτοῦ*: ſic Syr. ſed perinde eſt. ECCE DUO VIRI. Angeli humana ſpecie.

V. 12. SABBATI HABENS ITER. Duo milliaria licebat ſabbato conficere, id ſpatium montem inter Oliveti & Ieruſalem erat.

V. 14. PERSEVERANTES UNANIMITER. Optima diſpoſitio, concordia & oratio, ad accipiendum Spiritum ſanctum.

V. 15. TURBA HOMINUM. Quidam Latini codices antiqui habent *nominum*, ut eſt Græce. Sed per *nomina*, homines intelligunt.

V. 17. CONNUMERATUS ERAT IN NOBIS. Græc. *nobiſcum*.

V. 18. SUSPENSUS CREPUIT. In Græc. *πρηνής*, id eſt *pronus crepuit*. Ex Papiæ auctoritate, Oecumenius hic & Euthymius Matth. XXVI. narrant Iudam rupto laqueo Chriſto ſupervixiſſe, inflato tamen corpore, atque ita ut eum ſe non poſſet movere curru fuerit diſcerptus. An hæc fabulæ ſunt? Verius credam e laqueo pronum decidiſſe, caſu crepuiſſe. Auguſtinus quidem quæſt. XCIV. inter Quæſt. in nov. Teſtam. Iudam ſupervixiſſe Chriſto ait, aiunt & hi Auctores. Ex arbore ſe ſuſpendiſſe creditur. Ex qua arbore? ex ficu ait Iuvencus, ſequitur Beda de Locis ſanctis, cap. IV. extareque ſuo tempore Ieroſolymæ eam ficum. Vulgus inter nos ex ſambuco ſentit, ſcilicet Romæ canes quotannis ex ſambuco pendere faciebant. Plinius Lib. XXIX. cap. IV. ſupplicium, quod Gallis Senonibus in Capitolium repentibus non latraſſent. Et eſt ea arbor ſuſpendio apta ob duritiem, de quo Plin. Lib. XVI. cap. XXXIV. tum quia infrugifera, eoque inter infelices arbores, quas noxiorum ſupplicio deſtinabant. Illud Livii Lib. I. notum eſt: *Caput obnubito, infelici arbore ſuſpendito*.

V. 21. INTRAVIT ET EXIVIT; pro, converſatus eſt nobiſcum. Frequens in Sacris loquendi modus.

V. 23. STATUERUNT DUOS. Nempe delectos ex omnibus, & digniores. BARSABAS, id eſt *filius Sabæ:* cognomen, ut *Bariona*. COGNOMINATUS EST IUSTUS. Vir ſanctus. Quo indicatur, non ſemper ſanctiores eſſe ad gubernacula aptiores; nam ſors illi non obvenit.

V. 26. DEDERUNT SORTES. Per *ſortes* Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. cap. V. intel-

telligit nutus & ſignum divinum, quo intelligerenr uter aſſumendus eſſet. Alii veras ſortes putant, quæ ſunt in triplici genere. Conſultivæ, & hæ reprobantur. Diviſivæ, eum diviſæ hereditatis, quæ pars euique heredi contingat, ſorti committitur; quæ licita eſt. Eſt præterea ſors Electiva, quæ temeraria videtur, ſorti relinquere, quis præficiendus ſit, quod iudicio & prudentia fieri poteſt & debet: ſic paſſim reiicitur. Ego tamen, G eum electione ſors iungatur, non improbo; ut ſi eligantur duo aut tres digniores, aur in petirione Sacerdotii aliqui paria ſuffragia ferant, reliqua ſorti committere non improbem. Quare quod Beda hie & Abulenſis in Ioſue cap. VII. quæſt. XLI. has ſortes, Apoſtolorum imperſectioni tribuunt, non laudo; cum ante ſortes præceſſerit duorum electio. Verum de Sortibus S. Thomas II. 2. quæſt. XCV. art. VIII. An *Matthias* fuerit *Zachæus*, dixi Lucæ XIX. 2.

MENOCHII.

Verſ. 1. PRIMUM: τὸν πρῶτον. Nomen eſt, non adverbium, ut indicar articulus. SERMONEM FECI: in Evangelio a me ſcripto. Syrus vertit, *librum ſcripſi*. DE OMNIBUS; de præcipuis Chriſti myſteriis, quantum ſcilicer ſufficiebat ad Chriſti fidem conciliandam, & ad eius doctrinam, vitamque explicandam. O THEOPHILE. Vide dicta Luc. 1. 3.

V. 2. USQUE IN DIEM, QUA PRAECIPIENS. Græce eſt aoriſtus ἐντειλάμενος, id eſt *cum præcepiſſet*, poſt præceptionem enim aſſumptus eſt. Illud autem præceptum potiſſimum intelligit, quod habemus Marci ultimo XV. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium*, &c. APOSTOLIS PER SPIRITUM SANCTUM; quaſi dicat, Præcipiens Apoſtolis, qui a Chriſto vocati, electi, & deſignati ad Apoſtolarum per inſtinctum Spiritus ſancti, paulo poſt ab eodem Spiritu in Pentecoſte re ipſa auctorandi, & conſecrandi erant Apoſtoli. Poteſt etiam membrum hoc, *per Spiritum ſanctum*, referri ad verbum *elegit*, ut ſignificaretur ſpirituali non humano motu electos eſſe. Vel tandem referri poteſt eum Chryſoſtomo ad *præcepit*, ur ſignificetur Chriſti præcepta fuiſſe ſancta, & ſpiritualia, & ex inſtinctu Spiritus ſancti profecta, quem ſibi habuit ſemper aſſiſtentem, & inhabitantem, immo comitem, & cooperatorem, unde ait Chriſtus Ioan. VI. 64. *verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*. QUOS ELEGIT: quos elegerat, nimirum Matth. X. 1. & 2. ASSUMPTUS EST. Vide dicta Marci XVI. 19.

V. 3. QUIBUS: Apoſtolis. PRAEBUIT, &c. παρέστησεν, id eſt exhibuit ex morte redivivum. IN MULTIS ARGUMENTIS, id eſt per multa argumenta confirmans, nimirum reſurrectionem ſuam. Talia argumenta fuerunt tot Chriſti apparitiones, manducationes, locutiones, cicatrices, &c. PER DIES QUADRAGINTA: non continue, ſed per vices, & interpolate. LOQUENS DE REGNO DEI: del prædicatione, & doctrina Evangelica; de ſtatu, ac purgatione Eccleſiæ; de futura beatitudine, de gratia, Sacramentis, aliiſque mediis ad illam perveniendi; hæc enim omnia regni Dei nomine poſſunt intelligi.

V. 4. ET CONVESCENS: συναλιζόμενος, eodem ſale eum ipſis veſcens, cum diſcipulis comediſſe Chriſtum patet ex eodem Luca Evangelii cap. XXIV. 48. AB IEROSOLYMIS NE DISCEDERENT: quia nimirum ibi Spiritu ſancto erant imbuendi, ut ſtatim ſequitur. SED EXPECTARET PROMISSIONEM PATRIS, id eſt Spirirum ſanctum a Patre promiſſum. Modeſtiæ cauſa vocat eam promiſſionem non ſuam, ſed Patris, ſicut & in Evangelio apud S. Ioannem vocat eum donum, non ſuum, ſed Patris; quia ſcilicet Pater eſt primus fons, & origo S. Trinitatis. QUAM AUDISTIS, INQUIS, PER OS MEUM. Io. XIV. 16. ubi legimus: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*, & alibi.

V. 5. VOS AUTEM BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO. Intelligit per baptiſmum effuſionem Spiritus ſancti, & chariſmatum eius in Pentecoſte, qua copioſe inſtar aquæ in Apoſtolos effuſus eſt. NON POST MULTOS HOS DIES: decimo ſcilicet abhinc die, ſed noluit Chriſtus certum diem indicare, ut ſemper eſſent vigilantes, inquit S. Chryſoſtomus.

V. 6. IGITUR QUI CONVENERANT: non ſoli Apoſtoli, ſed & alii diſcipuli, coram quibus aſcendit Chriſtus. SI IN TEMPORE

HOC:

HOC: num in tempore hoc. RESTITUES REGNUM ISRAEL: τῷ Ἰσραὴλ, id eſt Iſraeli. Putabant regnum, quod ad Herodem alienigenam translatum erat, reſtituendum Iſraelitis, ita ut Chriſtus temporaliter regnaret in terris.

V. 7. NON EST VESTRUM NOSSE TEMPORA: ſucceſſiones, & eventa temporum. MOMENTA: καιρούς, id eſt *opportunitates temporum*. QUAE PATER, &c. Deus enim regnorum, rerumque omnium viciſſitudines, exordia, media, & fines congrue, & opportune pro ſua ſapientia, & providentia diſpoſuit, earumque gubernationem ſibi reſervavit.

V. 8. SED ACCIPIETIS, &c. quaſi dicas, Quod maioris eſt momenti, quam noſſe tempora, vel momenta. VIRTUTEM, id eſt potentiam, robur, vim, efficaciam. SUPERVENIENTIS. Græce, ἐπελθόντος, in aoriſto, id eſt *cum*, vel *poſtquam ſupervenerit*. Prius enim natura eſt dari Spiritum ſanctum perſonaliter Apoſtolis, deinde eumdem ſpiritum exiſtentem in eis, ſuam virtutem, & dona in ipſos transfundere. ET ERITIS MIHI TESTES; id eſt, per miracula, per vitæ ſanctimoniam, per prædicationem, &c. eritis teſtes incarnationis, & mortis meæ, & ſalutis per me mundo allatæ, ad excitandos mortales, ut illius participes eſſe velint.

V. 9. ET CUM HAEC DIXISSET: & alia quæ recenſent S. Lucas Matthæus, & Marcus in fine Evangelii. ELEVATUS EST: non ſubito raptus, ut Enoch, aut Elias, ſed virtute agilitatis elevatus ſenſim, ut diutius paſceret oculos diſcipulorum intuentium. ET NUBES: vera nubes, vel de novo producta, vel angelorun evocata, aut compacta miniſterio. SUSCEPIT EUM, &c. ab oculis intuentium, non prius interiecta, quam cum aſcendens amplius videri aut non voluit, aut non potuit.

V. 10. CUMQUE INTUERENTUR: ἀτενίζοντες, id eſt *intentis defixi oculis*. DUO VIRI: duo Angeli in aſſumptis corporibus. IN VESTIBUS ALBIS; hic enim color eorum puritatem, Chriſtique gloriam, & triumphum denotat.

V. 11. VIRI GALILAEI: Apoſtoli enim e Galilæa erant oriundi. QUID STATIS ASPICIENTES? quaſi dicant, Satis ſuſpexiſtis, nam Chriſtus ab oculis veſtris ſubductus eſt, nec amplius eum videre poteſtis. SIC VENIET; Propria virtute, non aliena ope adductus.

V. 12. SABBATI HABENS ITER, id eſt diſtans tanto ſpatio a Ieruſalem, quantum Iudæis in ſabbato conficere licebat: Iudæis enim tanta religione præceptum erat ſabbatum, ut capeſſere non lieeret iter, niſi modicum, ut patet Exod. XVI. 39.

V. 13. ET CUM INTROISSENT: urbem ſcilicet & domum. IN COENACULUM ASCENDERUNT: εἰς τὸ ὑπερῷον, in ſuperiorem domus partem. Cuius fuerit hæc domus ignoratur. Alii Ioannis Evangeliſtæ, alii Simonis leproſi, alii Ioſephi ab Arimathia, aut Nicodemi fuiſſe putant. Probabilius Baronius anno Chriſti 34. cenſet fuiſſe domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, fuitque conſobrinus Barnabæ, quo Petrus e carcere liberatus ſe contulit, ubi & ceteros diſcipulos ad preces collectos reperit. PETRUS. Petrus hic & alibi paſſim ab Evengeliſtis primus nominatur, quia Primas Eccleſiæ, & caput Apoſtolorum. IACOBUS ALPHAEI; ſcilicet filius qui cognominatus eſt Iuſtus, & Iocobus minor, fuitque primus Epiſcopus Ieroſolymorum, cuius feſtum celebrat Eccleſia die prima Maii: prior enim Iacobus frater Ioannis fuit filius Zebedæi. SIMON ZELOTES, id eſt Cananæus, Hebraice enim קנא Kana ſignificat *zelari*, inde Cananæus, idem eſt quod *zelotes*. Baronius, & alii ita dictum putant a patria, quod ſcilicet eſſet ex Cana Galilææ. IUDAS IACOBI; ſcilicet frater Iacobi minoris filius Alphæi. Erant autem hi quatuor fratres, ſcilicet Iacobus qui dicitur minor, vel Alphæi, vel frater Domini, Ioſeph, Simon, & Iudas. Matth. XIII. 55. Marci XV. 47. omnes cognati Chriſti, e quibus tres in Apoſtolos elegit, Iacobum, Simonem, & Iudam. Ita cenſent multi. In reliquis nominibus Apoſtolorum quæ hic cenſentur, non eſt difficultas. Vide dicta initio capitis X. Matthæi.

V. 14. PERSEVERANTES: προσκαρτεροῦντες; ſignficat autem προσκαρτερεῖν eſſe aſſiduum, perſtare, inſiſtere rei cuipiam arduæ, & prolixæ, nec ab ea diſcedere, ſed ſuſtinere, & fortiter ſuperare moleſtias, labores, tedia, fatigationes, &c. CUM MULIERIBUS: quarum in Evangelio mentio eſt, & quæ a Galilæa Chriſtum ſequebantur dum viveret ei miniſtrantes, Matth. XXVII. 55.

ET

ET MARIA MATRE IESU: quæ èrat quaſi mater familias huius ſacri cœtus, & familiæ Chriſti. ET FRATRIBUS, id eſt cognatis tam Chriſti, quam B. Virginis, hos enim Hebræi vocant fratres.

V. 15. IN DIEBUS ILLIS: ante Pentecoſten, cum adhuc eſſent in cœnaculo. EXURGENS PETRUS: quaſi inter ceteros eminens, & ſtatu, graduque excelſior, de republica totius Collegii, & Eccleſiæ acturus. TURBA HOMINUM. Græce eſt *ὀνομάτων*, *nominum*, id eſt capitum, quæ nominatim cenſentur. Sic Apocal. III. 4. dicitur, *Habes pauca nomina in Sardis*, id eſt pauca capita, paucos homines.

V. 16. OPORTET, *ἔδει*, *oportebat*. Syrus, *AEquum fuit*. QUI FUIT DUX: *ὁδηγὸς*, dux itineris.

V. 7. SORTITUS EST SORTEM. Apoſtolatus hic vocatur ſors, quia Apoſtolis ſingulis hæc dignitas obvenit, non ex natura, non ex generis ſucceſſione, non ex iure, aut merito, ſed ex mera Dei dignatione, & gratia. MINISTERII HUIUS, Apoſtolici.

V. 18. HIC QUIDEM POSSEDIT AGRUM. Iudas proprie non poſſedit agrum figuli, quia attulit pretium, & abiens ſe 'ſuſpendit; dicitur tamen poſſediſſe figurate, quia ſcilicet poſſedit pretium, quo poſtea emptus eſt ager. Quia de mercede iniquitatis eius poſſeſſus, vel emptus eſt ager. MERCEDE INIQUITATIS: mercede proditionis Chriſti, quæ fuit ſumma iniquitas. ET SUSPENSUS. Græce *καὶ πρηνὴς γενόμενος*, *pronus factus*, præceps, vel deiecto capite, & in terram prono, ſe ſuſpendit laqueo, ut expreſſe docet Matth. XXVII. 5. CREPUIT MEDIUS: dum penderet e laqueo intumuit, ventre aliiſque diſruptis, in terram effuſa ſunt viſcera eius.

V. 19 ET NOTUM FACTUM EST: id nimirum quod Iudæ acciderat. LINGUA EORUM: Syra, ſeu Syrochaldaica, qua lingua Iudæi poſt reditum e captivitate uſi ſunt. HAECELDAMA: חקל דמא *haqual dema*· ID EST, AGER SANGUINIS. Hæc interpretatio nominis non a S. Petro, ſed ab Evangeliſta explicationis gratia addita eſt. Dictus eſt autem *ager ſanguinis*, quia pretio ſanguinis Chriſti emptus eſt.

V. 20. SCRIPTUM EST ENIM: Pſal. LXVIII. 26. FIAT COMMORATIO EORUM DESERTA; quaſi dicat, Impia Chriſticidarum civitas Ieruſalem, capiatur, ſuccendatur, deſoletur. Sic Matth. XXIII. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*. ET EPISCOPATUM EIUS, &c. Sumptum eſt hoc ex Pſal. CVIII. 8. nam D. Petrus duos verſus diverſorum Pſalmorum nectit. Epiſcopatus autem nomine ſignificatur adminiſtratio, inſpectio, præfectura, qualis Apoſtolis Eccleſiæ principibus conveniebat.

V. 21. QUI NOBISCUM SUNT CONGREGATI: *τῶν συνελθόντων ἡμῖν*, *qui convenerunt nobiſcum*, nimirum cum ſequeremur Chriſtum. Syrus, *Qui fuerunt nobiſcum per totum tempus*, &c. QUO INTRAVIT, ET EXIVIT; id eſt, quo inter nos verſatus eſt. Hebraiſmus; ingredi enim, & egredi Hebræis ſignificat totam vitæ ſeriem, & converſationem, id eſt omnes actiones, ſermones, &c. Vide exempla Deut. XXXI. 2. & II. Paral. I 10.

V. 22. INCIPIENS A BAPTISMATE IOANNIS: inde enim cœpit Evangelium, & Chriſtus prædicationem ſuam auſpicatus eſt. TESTEM RESURRECTIONIS CHRISTI: ac reliquorum myſteriorum quæ in reſurrectione, quaſi in ſuo fine, & ſcopo terminantur, & concluduntur.

V. 13. ET STATUERUNT: Apoſtoli ceterique fideles communi conſenſu. IOSEPH. Aliqui putant hunc fuiſſe fratrem Iacobi minoris, de quo diximus ſupra 13. BARSABAS: quæ vox idem ſignificat quod, *Filius Saba*. Fortaſſe Alphæus Ioſephi pater de quo diximus verſ. 13. etiam *Sabas* vocabatur. Poteſt etiam vox *Sabas* accipi non ut nomen proprium, ſed ut appellativum ſignificans, vel, *iuramentum*, *ſaturitatem*, vel *reverſionem*, ita ut Barſabas ſit cognomentum, & ſignificet filium *iuramenti*, vel *ſaturitatis*, &c. QUI COGNOMINATUS EST IUSTUS: ab inſigni eius iuſtitia, & ſanctitate.

V. 24. ET ORANTES DIXERUNT: Petro fortaſſe verba orationis præeunte. QUI CORDA NOSTI OMNIUM: latebras cordis quas humanus oculus non penetrat, ac proinde frequenter in electionibus decipitur.

V. 25. ACCIPERE locum: *κλῆρον*, *ſortem*· Vide dict. verſ. 17. DE QUO PRAEVARICATUS EST IUDAS: unde Iudas excidit propter prævaricationem, & ſcelus ſuum· UT ABIRET IN LOCUM SUUM: in locum ſe dignum; ſuſpendium intelligit, aut æternos gehennæ cruciatus. In Græco

eſt,

Digitized by Google

eſt, παρέβη πορευθῆναι, *aberravit ire*, aberravit a via, ſeu ſtadio vocationis ſuæ. Porro particula, *ut*, ſenſum habet non cauſalem, ſed conſecutivum, ſicut ſæpe alibi.

V. 26 ET DEDERUNT SORTES EIS: vel nominibus utriuſque in urnam miſſis, ea lege dicta, ut cuius nomen primo loco exiret, is eſſet Apoſtolus, vel alia ſimili ratione. Nec fuit hoc illicitum, quia ſecuti ſunt exempla, quæ habemus in Scriptura; ſic enim Saul creatus eſt Rex I. Reg. x. 20. ſic ſorte deprehenſus eſt Achan, Ioſ. vii. 16. ſic ſorte diviſa eſt terra promiſſionis Ioſ. xv. &c. Præterea adſuit Spiritus ſancti inſtinctus, qui huius Apoſtoli defectum hoc modo ſuppleri voluit. ET ANNUMERATUS EST, &c. In Græco eſt συγκατεψηφίσθη, id eſt *communibus calculis cooptatus eſt*; quaſi dicat, Omnes ſortem divinam, ac per eam electionem Matthiæ conſona voce laudarunt, & comprobarunt.

TIRINI.

Verſ. 1. PRIMUM SERMONEM FECI, id eſt priorem librum, nempe Evangelii mei, conſcripſi, ut Syrus & Vatablus vertunt, DE OMNIBUS QUAE COEPIT IESUS FACERE ET DOCERE, id eſt de primis ac præcipuis Chriſti geſtis ac documentis, a prima infantia uſque ad aſcenſum eius in cælum. Nunc poſteriore hoc libro proſequar geſta Apoſtolorum poſt mortem illius. De *Theophilo*, cui ut Evangelium ſuum, ſic & hunc Actorum librum dedicat Lucas, dixi initio Evangelii ipſius.

V. 2. PRAECIPIENS. Græce, ἐντειλάμενος, id eſt *cum præcepiſſet*, APOSTOLIS PER SPIRITUM SANCTUM id eſt, cum varia præcepta ſeu mandata (nominatim de Spiritus ſancti adventu Ieroſolymis *a* exſpectando) dediſſet Apoſtolis, qui per Spiritum ſanctum ad id munus evecti, inauctorati, & conſecrati ſunt. QUOS ELEGIT, Græce, *quos elegerat*; Tertull. *b quos lateri ſuo* Chriſtus iam pridem *adlegerat*, & ut legatos a latere *c* ſuo per univerſum mundum mittere *d* deſtinarat, ſed debebant per chariſmata Spiritus ſancti ad id munus aptari atque idonei reddi. Erant ergo Apoſtoli creaturæ (ut ſic loquar) non modo Chriſti, ſed & Spiritus ſancti, inchoate per ipſum creati die reſurrectionis Chriſti, Ioan. xx. 22. *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. complete vero die Pentecoſtes, ut patebit capite ſequenti. ASSUMPTUS EST: non aliena, ſed propria virtute, nempe per dotem agilitatis, quam divinitas Chriſti humanæ ipſius naturæ iam redivivæ indiderat.

V. 3. PER DIES QUADRAGINTA non continue, ſed interpolate, LOQUENS & inſtruens illos DE REGNO DEI: tum cæleſti, tum terreſtri, puta de Eccleſia in terris militante, quæ eſt via, pars & inchoatio Eccleſiæ triumphantis. En quam liberaliter, quadraginta horarum, quibus mortuus fuerat, abſentiam compenſarit diſcipulis ſuis corporali quadraginta dierum præſentia, inquit Gloſſa. Tanto autem tempore voluit cum ſuis morari; primo, ob reſurrectionis fidem certiorem; ſecundo, ob humanitatis probationem evidentiorem; tertio, ob Apoſtolorum informationem pleniorem. Tunc enim docuit illos Chriſtus quomodo Eccleſiam formarent, regerent, perficerent: docuit ordines omnes, gradus & ſtatus varios tam Eccleſiaſticos quam laicos: docuit materias, formas, rituſque ſingulorum Sacramentorum & Ordinum, aliaſque traditiones, quas ab Apoſtolis acceptas Eccleſia tamquam certiſſimum nobiliſſimumque theſaurum omni ſtudio huc uſque conſervavit. Fluentibus porro quadraginta his diebus, tempore quod a reviſendis inſtruendiſque diſcipulis reliquum erat, impendit oblectandis patribus, quos una ſecum e limbo reduxerat, impendit & Eliæ atque Henoch in paradiſo *e* præſentia ſua recreandis, inſtruendiſque de omnibus quæ olim ipſis adverſus Antichriſtum uſui eſſe poſſint, inquit Iuſtinus Martyr, Irenæus, Nicephorus, Bonaventura & S. Thomas. *f*.

V. 4. CONVESCENS: συναλιζόμενος, id eſt communi cum illis ſale vivens. De qua comeſtione alibi *g* fuſius. Ex hac temporis nota colligit S. Auguſt. & Proſper *h* Chriſtum paulo poſt peractum prandium, plena luce & coram omnibus diſcipulis in cælum aſcendiſſe. In cuius rei memoriam multis locis pia eſt conſuetudo orationi publicæ poſt meridiem incumbendi, inquit Suarez *i*. EXPECTARENT PROMISSIONEM PATRIS PER OS MEUM, id eſt Spiritum ſanctum promiſſum ipſis a Patre per me, Ioan. xiv. 26. & alibi. *Neſcibat* enim *Chriſtus diſcipulos ſuos ante Spiritus ſancti adventum inermes, & quaſi abſque auriga*

Digitized by Google

equos prodire in publicum, inquit S. Chryſoſt. Nolebat etiam cæleſtia chariſmata dormitantibus vel torpentibus impertiri, ſed ſedula expectatione, ardenti deſiderio, continua oratione depoſci.

V. 5. Baptizabimini Spiritu sancto; id eſt, replebimini extraordinaris & eximiis donis Spiritus ſancti, qualia hactenus nulla accepiſſi, inquit S. Chriſoſt. Oecumenius, Beda, Lyranus & alii. De differentia baptiſmi Chriſti a baptiſmo Ioannis, egi in Matth. III. II. Porro infuſionem Spiritus Sancti vocat baptiſmum, nempe myſticum, quia inſtar baptiſmi, ſed longe excellentius, purgabat, ſanctificabat, ornabat, roborabat.

V. 6. Si vel, an, (ut vertit Pagninus, Tigurina & alii,) in præſenti tempore restitues Israeli regnum, quod a Romanis illi ſubtractum & ad Herodem Idumæum *k* nuper tranſlatum eſt, ſed per Meſſiam rurſus recuperandum prædixerunt *l* Prophetæ! Errant vulgato illius gentis errore, regnum Meſſiæ fingentes fore temporale & mundanum, quale fuit Davidis & Salomonis; cum prophetæ prædixerint fore ſpirituale, in mundo inchoandum per fidem, ſed in cælo complendum per gloriam.

V. 8. Accipietis virtutem; Græce, δύναμιν, id eſt potentiam, fortitudinem, robur, Spiritus sancti, quo roborati, testes mihi eritis ubique omnium quæ a me, per me, circa me geſta vidiſtis: teſtes item mei erga omnes homines amoris, ſtudii ac zeli: teſtes ſanctitatis, innocentiæ, gloriæ. Hæc omnibus inculcabitis, his illecebris omnes ad me trahetis, volentes omnes meo amicorum, immo filiorum albo inſeribetis; non modo Iudæos & Samaritas, ſed & promiſcue Gentiles ac Paganos.

V. 9. Et cum haec aliaque multa, quæ alii Evangeliſtæ recenſent, dixisset, finitoque prandio, convocatos undique ſuos e vicino (quos Lucas verſ. 15. recenſet centum & viginti) ex urbe, per *Bethaniam m* in vicinum *Oliveti* montem eduxiſſet: vale omnibus facto, & benedictione impertita *n*, ſenſim a terra elevatus, non aliena, ſed propria virtute *o*, & in ſupremum evectus cælum empyreum, comitantibus tot myriadibus Sanctorum *p* quos e limbo ſecum eduxerat, & Angelis *q* omnibus honoris cauſa domino regique ſuo occurrentibus, ſumma maieſtate ac triumpho ad ſolium deductus eſt cæleſtis Patris, ad cuius dexteram reſidet cæli & terræ Dominus, ut pulchre S. Cyprianus, Chryſoſt. Epiphanius. Auguſt. & Nyſſenus deſcribunt & alii apud Suarez *r*.

V. 11. Sic veniet; id eſt, cum eadem gloria & maieſtate, cum eadem anima & corpore, quæ nulla temporum duratione alterari poterunt aut immutari, e cælo deſcendet ad iudicium, qua nunc in cælum evectus eſt ad triumphum, inquit S. Ignatius Martyr, Tertull. *ſ* Chryſoſt. & Beda Quo menſe, & quoto die menſis aſcenderit Chriſtus, dixi in Chronico *t*. Sic divina providentia factum, ut mons Oliveti, quem toties lachrymis *u*, ſubinde & ſanguine ſuo Chriſtus irrigarat, qui & initium dederat paſſioni, iam quoque initium fecerit cæleſti ipſius triumpho. De veſtigiis Chriſti ſaxo montis huius impreſſis, quæ ad hunc uſque diem permanent verſus Occidentem porrecta, nec umquam vel eradi, vel obduci, vel fornice tegi potuerunt, vide quæ S. Hieronym. Paulinus, Sulpitius, Beda, *x* & recentiores geographi, alii, que peregrini terræ ſanctæ ſcripto reliquerunt.

V. 12. Sabbati iter: quinta pars erat leucæ, ſeu itineris unius horæ, ut alias *y* dixi.

V. 13. Cum introissent in urbem, & in domum Ioannis Marci, conſobrini Barnabæ, ubi & Chriſtus Paſcha comederat (ut ex S. Hier. Beda, *z* & aliis probat Baronius, eratque in monte Sion, iuxta arcem David, ubi prima condita eſt Eccleſia, ubi Stephanus & alii Diaconi ordinati, ubi primum celebratum Apoſtolorum Concilium, ubi Symbolum compoſitum, inquit Adrichomius *aa*: ascenderunt in coenaculum, quod erat in ſuperiore parte domus, ubi ſumma iuncti caritate, ardente prece, & conſtante perſeverantia præſtolabantur adventum Spiritus ſancti. De nominibus Apoſtolorum vide dicta in Matthæo *bb*.

V. 15. Exurgens Petrus. Ut Eccleſiæ caput & paſtor ſupremus, inquit S. Chryſoſt. *cc* ut decebat vicarium Chriſti, cœtum Apoſtolorum duodenario numero a Chriſto definitum, ſed lapſu Iudæ iam capite uno minutum, altero ſurrogando inſtaurare, ſupplere & perficere aggreditur.

V. 18. De mercede iniquitatis,

nempe

nempe triginta argenteis in mercedem proditionis Chriſti a principibus ſacerdotum Iudæ adnumeratis, POSSEDIT AGRUM figuli: per catachreſin, qua quod meos ære emptum eſt, meum cenſetur, & me mortuo poſſideo per ſucceſſores meos. Vide dicta in Matthæum XXVII. 3. Hoc proditoris Iudæ exemplo, inter alia plura eiuſdem fere ſortis, purgat monaſterium ſuum S. Auguſtinus *dd* ab infamia ſcandali ex unius perfidia in eo ſuborti. Et certe horrendum eſt, ſi verum eſt quod Salmeron *ee* dicit Climacum ſcripſiſſe, ex primis his 120. in hoc cœnaculo collectis, & Spiritu ſancto tanta copia repletis, prodiiſſe omnino quatuordecim hæreſiarchas.

V. 20. COMMORATIO EORUM: puta Iudæ & reliquorum Iudæorum Chriſticidarum, FIAT *ff* DESERTA, id eſt deſoletur, vaſtetur, excidatur per Romanos, nec aliis uſibus ſerviat quam condendis cæſorum cadaveribus, ut ſervit iam ager figuli pecunia Iudæ coemptus. ET EPISCOPATUM; Hebraice, *pekudato*, id eſt præfecturam, regimen, principatum, EIUS, nempe apoſtolatum Iudæ, ACCIPIAT ALTER, illi ſurrogandus.

V. 24. STATUERUNT DUOS. Qui? utique Apoſtoli ex voto & conſenſu ceterorum iſtic præſentium. An ergo miniſtrorum Eccleſiæ nominatio & electio penes plebem eſt? nullo modo: neque enim hic a plebe, ſed ſolum coram plebe ab Apoſtolis facta eſt hæc nominatio. Unde & Cyprianus *gg* contendit, *ordinationes ſacerdotales* non niſi *præſente plebe* fieri oportere, *ut ſic detegantur*, inquit *malorum crimina*, *& bonorum merita*. IOSEPH alter candidatorum apoſtolatus, non eſt *Barnabas*, licet & hic nominatus fuerit Ioſeph *hh*, ſed BARSABAS, quod ſignificat *ii* filium iuramenti, vel ſaturitatis, vel converſionis, inquit S. Hieronym. & Pagninus: putaturque fuiſſe filius Alphæi, frater Iacobi Minoris & Iudæ Thaddæi, & conſequenter, cognatus Chriſti, ut alias oſtendi kk. Poſtea creatus eſt Epiſcopus Eleutheropolis in Palæſtina, ait Dorotheus, *ll* & inter Sanctos relatus in Martyrologio Romano annotatur 20. Iulii. QUI ob inſignem vitæ ſanctitatem COGNOMINABATUR IUSTUS, æque ac frater ipſius *Iacobus*. MATTHIAS, quod donum Dei ſignificat, ut nomine, ita & zelo ſimilis Mathathiæ patri Machabæorum *mm*, his apud S. Antoninum *nn* titulis decoratur: *Fuit in lege Domini doctiſſimus, corpore mundus, animo prudens, in conſilio providus, in ſermocinatione expeditus, multorum ſignorum patrator*; ac tandem *Martyr extenſis in cælum manibus ſpiritum Deo reddidit*.

V. 26. DEDERUNT SORTES EIS, coniectis nominum chartulis in urnam, (inquit Lorinus & Mariana, & inſtinctu divino certiores redditi, Deum hac ſortitione demonſtraturum, utrum e duobus vellet, inquit Leonardus Leſſius *oo*. Quamquam etiam ſine eiuſmodi inſtinctu poterant exemplo maiorum *pp* tali ſorte rem deducere, maxime inter iſtos duos qui dotibus eſſent pares, & omni exceptione digniſſimi. Vide etiam quæ alibi *qq* de *ſortibus* dixi.

Cur Deus Ioſepho, etſi Chriſti *rr* cognato, præpoſitum voluerit Matthiam, cauſa præcipua fuiſſe videtur, ut orbi palam faceret, præeminentias & dignitates Eccleſiaſticas non debere ratione conſanguinitatis conferri, ſed ſecundum merita & talenta candidatorum, ut etiam ſancit Concilium Trident. & SS. Patres *ſſ* paſſim inculcant.

(a) Hic verſ. 4. (b) Tertull. de Præſcript. cap. XX.
(c) *II.* Cor. I. 26. (d) Matt. X. I. & ſeq.
(e) Geneſ. V. 24.
(f) Iuſtin. in quæſt. ad Orthodoxos, quæſt. LXXV. 76. 85. Iren. Lib. V. cap. V. Niceph. *Lib.* I. hiſt. cap. XXXI. Bonav. in Medit. cap. XCIII. 98. S. Thom. in 3. diſt. XXII. quæſt. III. a 2. in fine.
(g) Lucæ XXIV. 41. (h) Proſper. ſententia 203. ex S. Auguſtino in fine tom. 3. (i) Suarez III. p. to. 2. diſp. LI. ſect. II. (k) Chronici XLV.
(l) Amos IX 11. Oſee XIV. 6. Ioel. III. 20. Abdiæ verſ. 17. Luc. I. 32. &c. (m) Lucæ XXIV. 50.
(n) Hic verſ. 2. (o) *Pſal.* LXVII. 19. & ex eo Paul Eph. IV. 6. (p) Heb. I. 6.
(q) Iſaiæ LXIII. I. Pſal. XXIII. 7.
(r) Nicen. & alii ſerm. de Aſcenſione Domini. Suarez ſup. diſp. LII. ſect. 91.
(ſ) Ignat. ep. X. ad Smyrnenſ. Tertull. de Carne Chriſti cap. XXIV. & de Reſurr. carnis cap. XXI.
(t) Chronici cap. XLVIII. & XLIX. in fine.
(u) *Lucæ* II. 37. & cap. XXII. 39. & 43.
(x) Hieron. in Locis Hebr. Paulin. ad Severum ep. XI. Sulpit. Lib. II. Hiſt. ſacræ. Beda de Locis ſanctis cap. VII.
(y) In Proleg. de menſuris longitud.
(z) Hieron. epiſt. XXVII. Beda ſup. cap. 1II.
(aa) Adrichom in Deſcrip. Ieruſalem n. 6.
(bb) Matt. X. 3. &c. (cc) Chriſoſt. homil. III. in Acta. (ee) Salmeron in I. Ioan. II. 19
(dd) Auguſt. epiſt. CXXXVII.
(ee) Salmeron in I. Ioan. II. 19
(ff) Pſal. LXVIII. 26. (gg) Cyprian. epiſt. LXVIII.
(hh) Actor. IV. 36. (ii) Geneſ. XXX. 13.
(kk) Chronici cap. XLV. tab. ult. in fine.
(ll) Doroth. in Synopſi. (mm) I. Mach. II. I.
(nn) Antonin I. p. tit. 6. cap. II.
(oo) Leſſius Lib. II. de Iuſtitia cap. XLIII. dub. 9.
(pp) Ioſue VII. 16. cap. XV. &c. I. Reg. X. 20. &c.
(qq) Ibid. (rr) Hic verſ. 23.
(ſſ) Trid. ſeſſ XXIV c XVIII. de reformat. Apud Leſſ. ſup.

GORDONI.

Verſ. I. VOx PRIMUM, πρῶτον, nomen eſt, quod omnes recte obſervant ex articulo Græco. Primus autem hic *ſermo* eſt Lucæ Evangelium ipſum, quod inſcripſit huic eidem Theophilo; & in quo hic ait ſe ſcripſiſſe DE OMNIBUS Chriſti myſteriis, vita & rebus aliis; quantum ſcilicet ſufficiebat vel ad excitandam fidem in Chriſtum, vel ad doctrinam Eccleſiæ eo tempore: nam alioqui omnia Chriſti dicta & facta ne quidem ab ullo Evangeliſta omnino expreſſa ſunt, ut ſatis docet Ioannes cap. xxi. 25. De Theophilo dixi ad initium Lucæ. COEPIT. Exorſus nempe Lucas a primis factis & documentis Chriſti poſt baptiſmum, anno 31. ineunte peractum. Immo etiam ab infantia ſumpſit ſcribendi initium. FACERE ET DOCERE, immo & pati: ſic quod optimi doctoris munus eſt, faciendo quod præcipiebat, exemplo præivit.

V. 2. USQUE IN DIEM. Protraxit narrationem ſuam hanc Lucas uſque ad aſcenſionem per annos 34. PRAECIPENS: ἐντειλάμενος, aoriſtus, *cum præcepiſſet*. At quo refertur hoc, PER SPIRITUM SANCTUM? Alii alio hoc referunt. Optime Chryſoſtomus refert ad τὸ ἐντειλάμενος, ſic denotando hæc Chriſti præcepta omnia ſancte dari, eſſe ſancta & ſpiritualia; & omnino favet textus Græcus. QUOS ELEGIT, undecim tantum: nam periit Iudas. De horum electione vide Matth. cap. x. 10. ASSUMPTUS EST. De aſſumptione ſupra Mar. xvi. 19. Aſſumptus, inquam, non ab Angelis ſed propria virtute; ἀνελήφθη. Sane quilibet beatus poteſt ex dote agilitatis aſcendere, & ſe in omnem agere partem: hac non caruit Chriſtus: habebat etiam divinam virtutem: habuit ergo Chriſtus unde recte illi convenire poterat vel aſcendere vel aſſumi. Ex his etiam licet de reſurrectione & ſuſcitatione ſtatuere: ſed hanc vim tribuit animæ hypoſtatice unitæ. Suar. III. p. diſp. XLV. ſect. II.

V. 3. QUIBUS PRAEBUIT. Nempe Apoſtolis præbuit ſe redivivum a morte, aliquoties intra ſpatium quadraginta dierum, confirmans reſurrectionem apparitione, collocutione, oſtenſis cicatricibus, & aliter. LOQUENS DE REGNO DEI, de gratia, ſacramentis, immo & beatitudine. Τεκμήρια; ſunt certa indicia, & ſigna. Noſter vertit *argumenta*. Cur tantum per quadraginta dies Dominus hæſerit in terris uſque ad aſcenſum, aut ubi excurrente hoc dierum numero, manſerit, quando Chriſtus id non revelavit, quis niſi temerarius inveſtigabit?

V. 4. ET CONVESCENS: συναλιζόμενος, quaſi utens eodem ſale, eſt ſimul habitans. Certe ſal & ſymbolum amicitiæ eſt, & olim ſignum fœderis. Comediſſe quidem cum diſcipulis dixit Lucas Evang. cap. XXIV. 48. Iubentur expectare Ieroſolymis promiſſum a Patre Spiritum Sanctum, ut habetur Ioan. XIV. 26. per os Chriſti. De hac Chriſti comeſtione iam glorioſi, etiam corpore, differunt Theologi. Suar. III. part. Tom. I. diſp. XLVII. facile ſane potuit cibus Chriſti virtute reſolvi in præiacentem materiam. De comeſtione porro vide Luc. ult. Ad veram commeſtionem ſatis eſt cibum actione vitali trahi in ſtomachum: nihilominus comeſtio hæc non pervenit ad nutritionem.

V. 5. VOS AUTEM BAPTIZABIMINI. Per baptiſmum intelligit effuſionem donorum, & plenam unctionem ſpiritualem, quæ obvenit Apoſtolis in Pentecoſte, nempe decimo die ab Aſcenſione; quamvis Chriſtus decimum diem non expreſſerit, ut doceret ſuos ſemper manere paratos, velut in perpetua vigilia. Scribit Evodius poſt Petrum Epiſcopus Antioch. in Epiſtola inſcripta τὸ φῶς, Petrum a Chriſto baptizatum; a Petro reliquos Apoſtolos. Quæ tamen data ſunt in Pentecoſte dona, vocat hic Lucas baptiſmum; quia per illa plene purgatæ ſunt mentes Apoſtolorum ab omni peccato & terrenis affectibus: baptiſmus hic flaminis eſt cuius etiam alia eſt ſpecies in contritione cum voto baptiſmi.

V. 6. & 7. IGITUR QUI CONVENERANT. Aderant cum Apoſtolis diſcipuli non pauci. Proponunt quæſtionem de regno Iſraelitico reſtituendo, quod ab aliquot annis occupaverat iam Herodes, exiſtimantes Chriſti regnum temporale futurum. Reſpondet Dominus oportere mortales pendere a divina providentia: in Dei manu & poteſtate eſſe ſummam hanc rerum ac regnorum diſpoſitionem per temporum momenta: alia nunc vobis dabuntur ex verſu 8. nec erant

nunc

Google

nunc quidem capaces alterius ſolutionis. Opportune omnia agenda & dicenda quod hic docet Chriſtus.

V. 8. Sed accipietis ; quaſi dicat : Non eſt nunc cogitandum de momentis temporum : maiora & vobis utiliora ſunt in procinctu ut conferantur. *Accipietis*. Hæc virtus danda eſt in Pentecoſte ; & fortitudo quæ vos firmabit gratia, & teſtes efficiet mundo & mortalibus rerum a me geſtarum, & redemptionis peractæ, ob quam veni, ut plenius brevi conſtabit. At quomodo teſtes niſi per miracula, vitæ innocentiam & doctrinam cælitus traditam? Samaria hæc provincia eſt, & in qua erat Tribus Ephraim.

V. 9. Hæc cum dixiſſet & cetera, quæ referunt alii Evangeliſtæ, elevatus eſt, ea virtute de qua dixi verſu 2. Non eſt improbabile nubem hanc miniſterio Angelorum coactam fuiſſe. De hac nube Suarez 3. p. diſp. LII. ſect. II. Atque hic ſenſus eſt litteræ. Certum quidem eſt Chriſtum abeuntem benedixiſſe ſuis, forte ut eſt Ioan. cap. XVII. II. aſcendiſſe porro ſupra omnes cælos, ad Epheſ. IV. 10. & ſedere ad dexteram Patris. Cælum peccato Adæ clauſum reſeravit ſuo aſcenſu ; duxitque ſecum inſtar triumphantis, patrum animas e limbo eductas, Epheſ. IV. 8. & Pſal. LXVII. 19. vide Matth. XXVII. 53.

Quærunt aliqui, an Chriſtus aſcenderit veſtitus. Abulenſis putat poſt reſurrectionem ſolum fuiſſe amictum gloriæ ſplendore, & ſic aſcendiſſe. Sane beatis in cælo, ubi tot ſunt corporis dotes ſupernaturales, non erunt neceſſariæ veſtes, ex Clemente Alex. Lib. II. Pædag. cap. X. De uſu vero an ſit futurus, certum non eſt. Chriſtum tamen a reſurrectione ad aſcenſionem uſum fuiſſe veſte eſt probabilius ; ut ferebat mortalium conditio cum quibus agebat. Ceterum cum Chriſtus in cælum vere aſcenderit, ubi certe antea, manifeſtum eſt delirare Ubiquiſtas, qui ubique eſſe ſomniant.

V. 10. & 12. Cumque intuerentur. Intentis oculis *ἀτενίζοντες*. Galilæi etiam: Apoſtoli, quos hic alloquuntur duo Angeli, corpore aſſumpto, & candida amicti veſte. Annunciant ſic venturum Ieſum, nempe propria virtute, non aliena, & in eadem gloria ac maieſtate. Ex verſ. 12. conſtat Chriſtum aſcendiſſe ex monte Oliveti (vide Zachar. cap. XIV. 4.) ibi nempe maieſtatem ſuam oſtendit, ubi paſſionis ignominiam inchoavit. Ab olivis nomen habet. De hoc monte & veſtigiis etiamnum hodie remanentibus, lege Hieronymum de locis Hebraicis & Adrichomium in deſcriptione Ieruſalem : abeſt ab urbe locus itinere ſabbatico, de quo dixi Exod. XVI. 29. Ioſephus Lib. VI. belli, cap. III. explicat eſſe ſpatium quinque ſtadiorum, aut a culmine ſtadiorum ſex. Quo vero menſe ac menſis die aſcenderit Chriſtus, pendet ex quæſtione de menſe & die paſſionis: de qua obſcura diſquiſitione dixi ſatis in apparatu ad Thomum II. Chron. IV. & V.

V. 13. & 14. Et cum introiſſent. Redeunt in urbem. Coenaculum, *ὑπερῷον*, pars domus ſuperior. Habebant Iudæi in ſuperiore contignatione aulas ad varios uſus, etiam ad cœnandum. Putat Baronius hanc fuiſſe domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, Barnabæ conſobrinus. De Apoſtolis hic recenſitis, vide Matth. cap. X. ubi de Alphæo. Hic vero Simon nominatur Zelotes, hoc eſt, Cananæus, quod aliqui putant eſſe a patria, Cana Galilææ : alii a קנא, quod eſt *zelari* : unde Cananæus. Iudas Iacobi, hoc eſt frater Iacobi minoris, filius Alphæi. Perſeverantes. Tria hæc verba notant optimam diſpoſitionem ad Spiritum ſanctum, quem expectabant excipiendum. De his Apoſtolis multa & erudite ad hunc locum Lorinus noſter : immo & de Evangeliſtis ibidem. De mulieribus his vide Matth. XXVII. 56.

V. 15. In diebus illis. Altera pars capitis eſt, ubi de electione Matthiæ. Promotor negotii & collecti cœtus caput Petrus eſt, qui electione rem agi vult. Turba hominum centum viginti. Græce, *nominum* ; perinde eſt : vocabatur autem olim populus ad electionem Epiſcoporum ; & illi competebant vota quidem, ſed quæ tantum eſſent deſideria & virtutis teſtimonia : nam tantum clericis competebat ius electionis. *In diebus*, ſcilicet qui excurrebant ab aſcenſione ad Pentecoſten.

V. 16. 17. 18. Viri fratres. Eligendus eſt, inquit Petrus, qui [illegible] in miniſterio Apoſtolo[illegible] loco Iudæ, [illegible] itineris fuit [illegible] Chriſtum, quam [illegible]

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

benignitate ſortitus eſt; nec ullo alio titulo, hoc eſt non ex naturæ dignitate, nec ex morali titulo, aut merito: non iure ſucceſſionis, aut debito ullo. At quomodo pro mercede iniquitatis dicitur poſſediſſe agrum? Certe agrum ille non poſſedit: nam ne pretium quidem voluit retinere: dicitur tamen quadam *μετωνυμία*, poſſediſſe, quia pretium agri poſſedit, per quod ager poſtea eſt emptus & poſſeſſus. CREPUIT MEDIUS, quia dum penderet e laqueo, intuimuit, crepuit, & effuſa ſunt viſcera. Et quidem periiſſe laqueo dixit Matthæus cap. XXVII. 5. *ἀπήγξατο*. At quomodo ergo hic Græce, *πρηνὴς γενόμενος*? Certe prono in terram capite: nam ita ſe habere ſolet ſuſpenſi hominis caput: aut dedit ſe præcipitem, ut citius ſtrangularetur.

V. 19. 20. & 21. AGER SANGUINIS. Sic dictus ex eventu, quia emptus eſt pretio ſanguinis. Hebr. הקל דמה *hacel dama*. Dictus quoque eſt ager figuli, quod ex agri huius argilla formaret ſua vaſa figulus. Locus hic citatus habetur Pſalm. LXVIII. 26. vide ibidem explicatum. Quod porro hic addit S. Petrus; EPISCOPATUM EIUS ACCIPIAT ALTER, nempe Apoſtolatum, eſt ex Pſalm. CVIII. 8. Non hic repono quod illis locis ſatis dixi. Epiſcopus eſt inſpector, & *Ἔφορος*, ad varia nomen accommodatum. Hebr. פוקדה *pocedah*, eſt inſpectio. Nota Hebraiſmum, *ingredi & exire*, pro manere & converſari.

V. 22. & 23. INCIPIENS. Ab hoc præcurſore, & anno Chriſti triceſimo incepit Evangelium: RESURRECTIONIS, ſcilicet & aliarum rerum a Chriſto geſtarum, quarum eſt reſurrectio velut epitome. Hic Ioſeph putatur frater Iacobi minoris. BARSABAS, cognomentum eſt, ſignificans filium Sabæ: notatur iuſtitia viri: non eſt hic Barnabas.

V. 24. & 25. ET ORANTES. Recte *orantes*, quando agendum erat ſorte; quæ certe a Deo ut ſanæ ſint, dirigi debent, & ne contingat deceptio. UT ABIRET, *τὸ*, *ut*, notat eventum, non vero ſenſum cauſalem. *Abiret*, Græce, *aberravit ire*, ut ſane aberravit a via vocationis. IN LOCUM: mortem intellige vel corporis, vel æternam. Certam in his ſortibus ſentiebant ſibi immitti a Deo fiduciam boni eventus. Quo vero caſu liceat uti ſortibus, diſputant Theologi; vide I. Reg. cap. XX. & Ioſue XV.

V. 26. CECIDIT SORS SUPER. Sic ſorte electus Mathias primus Clericorum eſt. Et ex Auguſtino Pſalm. LXVII. inde nomen clericis. Pro ſorte Græcus, *κλῆρον* habet. Fuit hæc ſortitio privilegium & inſpiratio a Deo: & proinde, ut ait Lorinus, non præſcribit electionibus Eccleſiaſticis.

CA-

CAPUT II.

Effuſo ſuper diſcipulos Spiritu ſancto die Pentecoſtes, admirantur Iudæi quod omnium loquantur linguis: dicentes autem muſto plenos eſſe cunfutat Petrus, citata inter alia ſuæ concionis, prophetia Ioel: compunctique Iudæi audito Petri conſilio, convertuntur ad Chriſtum tria circiter millia; ſimulque perſeverant in doctrina Apoſtolorum, fractione panis & orationibus, habentes omnia communia.

1. ET cum complerentur (*a*) dies Pentecoſtes, erant omnes
pariter in eodem loco: 2. (*b*) & factus eſt repente de
cælo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis, &
replevit totam domum ubi erant ſedentes. 3. Et apparue-
runt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra
ſingulos eorum: 4. & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto,
* & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus
dabat eloqui illis. 5. Erant autem in Ieruſalem habitan-
tes Iudæi, viri religioſi ex omni natione quæ ſub cælo eſt. 6. Facta autem
hac voce, convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſ-
quiſque lingua ſua illos loquentes. 7. Stupebant autem omnes, & miraban-
tur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt, 8. &
quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?
9. Parthi, & Medi, & AElamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, &
Cappadociam, Pontum, & Aſiam, 10. Phrygiam, & Pamphyliam, AEgyptum,
& partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ Romani, 11. Iudæi quoque,
& Proſelyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia
Dei. 12. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam
vult hoc eſſe? 13. Alii autem irridentes dicebant: Quia muſto pleni ſunt iſti. 14.
Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis:
Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & au-
ribus percipite verba mea. 15. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt,
cum ſit hora diei tertia: 16. ſed hoc eſt, quod dictum eſt per prophetam
Ioel: 17. (*c*) Et erit in noviſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spi-
ritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ:
& iuvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. 18.
Et quidem ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas, in diebus illis effun-
dam de Spiritu meo: & prophetabunt: 19. & dabo prodigia in cælo ſurſum,
& ſigna in terra deorſum, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. 20. Sol
convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domi-
ni magnus & manifeſtus. 21. (*d* Et erit: omnis quicumque invocaverit no-
men Domini, ſalvus erit. 22. Viri Iſraelitæ, audite verba hæc: Ieſum Na-
zarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & ſi-
gnis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, * ſicut & vos ſcitis: 23.
hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum, * per manus iniquorum
affigentes interemiſtis: 24. quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni,
iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. 25. David enim dicit in eum:
(*e*) Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam a dextris eſt
mihi ne commovear: 26. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit
lin-

lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe: 27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 28. Notas mihi feciſti vias vitæ: & replebis me iucunditate cum facie tua. 29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, (*f*) quoniam defunctus eſt, & ſepultus: & ſepulcum eius eſt apud nos uſque in hodiernum diem. 30. Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia iureiurando (*g*) iuraſſet illi Deus de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius: 31. providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia (*h*) neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. 32. Hunc Ieſum reſuſcitavit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus. 33. Dextera igitur Dei exaltatus, & premiſſione Spiritus ſancti accepta a Patre, * effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. 34. Non enim David aſcendit in cælum: dixit autem ipſe: (*i*) Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, 35. donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. 36. Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. 37. His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? 38. Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus ſancti. 39. Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter. 40. Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Salvamini a generatione iſta prava. 41. Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. 42. Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. 43. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant, & metus erat magnus in univerſis. 44. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. 45. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. 46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, 47. collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui ſalvi fierent quotidie in idipſum.

(a) Matt. xxv. 2?. (b) Marc. x. 8. Luc. xxx. 16. Ioan. vii. 39. Sup. i. 8. Inf. xi. 15. & xix. 6.
(c) Ioel. ii. 28. Iſai. xliv. 3. (d) Rom. x. 13. (e) Pſal. xv. 8. (f) III. Reg. ii. 10.
(g) Pſal. cxxxi. 11. (h) Pſalm. xv. 10. Inf. xiii. 35. (i) Pſal. cix. 1.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Et cæperunt loqui variis linguis*: Non ſcribas *aliis* pro *variis*.

Verſ. 22. *Sicut & vos ſcitis*. Non eſt omittendum medium *&*.

Verſ. 23. *Per manus iniquorum affigentes interemiſtis*. Pro *affigentes*, quod eſt, crucifigentes errore excuſum eſt in exemplari Romano, addita una littera, *afſligentes*, quod eſt tribulantes.

Verſ. 33. *Effudit hunc quem vos videtis*. Non ſcribas neutro genere *hoc donum quod*, pro maſculino *hunc quem*.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1: COMPLERENTUR. Syr. *impleti eſſent*. PENTECOSTES. Feſtum erat quinquageſimo (ut nomen indicat) poſt Paſcha die, in memoriam datæ Legis in Sinai: numerabantur autem dies, a die ſequenti Paſcha, quo die manipulus offerebatur; ſed quia eo anno ob ſabbatum non poterat meti, a Dominica, qua meti poterat, cœptum numerari. Vide Lev. XXIII. PARITER. Græc. ὁμοθυμαδὸν, id eſt *unanimiter*. IN EODE LOCO. Græc. *in idipſum*, id eſt ſimul.

V. 2. SPIRITUS, id eſt venti. Græc. πνοῆς, id eſt *flatus*. VEHEMENTIS. Græc. βιαίας, id eſt *violenti*.

V. 3. DISPERTITAE, id eſt ſectili forma, ſeu diſſectæ. IGNIS: genitivus eſt.

V. 4. VARIIS. Græc. ἑτέραις, id eſt *aliis*.

V. 5. RELIGIOSI, id eſt timentes Deum, ſeu colentes. NATIONE. Græc. *gente*.

V. 6. CONFUSA, ſcilicet præ ſtupore. SUA, ſcilicet ipſorum qui audiebant, ut ſtatim dicitur, propria dialecto.

V. 8. AUDIVIMUS. Græc. *audivimus*: ſic inf.

V. 9. AELAMITAE, ſcilicet Perſæ.

V. 10. ADVENAE ROMANI. Syr. *qui e Roma venerant*.

V. 11. PROSELYTI, ſcilicet ad fidem e Gentilitate converſi. MAGNALIA, id eſt opera mirifica.

V. 15. AESTIMATIS, id eſt arbitramini. TERTIA, ſcilicet ab ortu Solis: adeoque quarta diei pars: conſtabant enim dies omnes horis duodecim. Dicunt autem quidam, Iudæos in Feſtis ſolitos non edere uſque ad ſextam.

V. 17. CARNEM, id eſt hominem.

V. 22. APPROBATUM. Græc. *demonſtratum*, ſeu *exhibitum*. IN VOBIS. Græc. *in vos*, id eſt veſtri cauſa. Syr. *apud vos*. VIRTUTIBUS, &c. quaſi dicat, Operibus prodigioſis, ſeu miraculis Dei virtute factis.

V. 23. AFFIGENTES, ſcilicet cruci.

V. 24. DOLORIBUS. Syr. *funibus*. INFERNI Græc. *mortis*; quaſi dicat, Ereptum a mortis moleſtiis, has enim *dolore* vocat, quamquam mortis epitheton poſſit eſſe *dolor*, quod morti coniungi ſoleat, ſcilicet dolet vel moriens, vel amici. IUXTA, id eſt ſecundum; quaſi dicat, Quandoquidem. EO, ſcilicet inferno.

V. 25. IN EUM, id eſt de eo. PROVIDEBAM, id eſt proponebam, vel proſpiciebam.

V. 27. INFERNO, id eſt limbo. Hinc Aug. Epiſt. LVII. colligit, Chriſtum deſcendiſſe in infernum. Vide etiam Epiſt. XCIX. Hieron. Pſal. XV. Ambr. Serm. LXXIV. DABIS, id eſt ſines.

V. 28. NOTAS, &c. id eſt *me in vitam revocaſti*, Hebr.

V. 29. AUDENTER, id eſt libere, ſeu confidenter.

V. 30. SEDERE, ſcilicet *Chriſtum*, ut eſt Græc.

V. 31. PROVIDENS. Græc. *prævidens*. DERELICTUS EST. Græc. *derelicta eſt anima eius*.

V. 33. DEXTERA, id eſt potentia. PROMISSIONE, &c. id eſt accipiens a Patre, ut poſſet Spiritum mittere, quem promiſerat.

V. 34. ASCENDIT, ſcilicet corpore, ſeu cum hæc diceret; quaſi dicat: Non de ſe loquebatur, ſed de Chriſto, de quo ſequentia dixit.

V. 36. FECIT, ſcilicet quatenus homo eſt: fecit enim Deus, ut ille homo Chriſtus eſſet, & Dominus. Nec enim ſemper id fuit, cum non ſemper homo fuerit: ſemper quidem illa perſona Deus fuit, ſed non ſemper ille homo Deus. Poteſt facilius dici, intelligi dominium quod ei convenit, quatenus homo, & non quatenus Deus.

V. 37. COMPUNCTI, ſcilicet ex pœnitentia.

V. 38. POENITENTIAM, ſcilicet omnium peccatorum. Not. requiri pœnitentiam ante Baptiſmum. IESU CHRISTI, ſcilicet & ſanctiſſimæ Trinitatis; ſic enim iuſſi Apoſtoli baptizare; ſed etiam requirebatur Chriſti fides ſpecialis, ut & nunc: DONUM, ſcilicet gratiam iuſtificantem.

V. 39. REPROMISSIO, id eſt promiſſio, ſci-

Digitized by Google

ſcilicet facta. ADVOCAVERIT, id eſt ad ſe vocaverit, ſcilicet Gentiles.

V. 40. TESTIFICATUS EST, ſcilicet veritatem confirmans. PRAVA, ſcilicet ſegregati.

V. 41. APPOSITAE, ſcilicet fidelium numero.

V. 42. FRACTIONIS, ſcilicet frangebatur, & diſtribuebatur. PANIS. Græc. τοῦ ἄρτου, id eſt *illius panis*, ſcilicet cæleſtis. Syr. *Euchariſtiæ*: ubi Not. id nomen, etſi Græcum, etiam Syris in uſu fuiſſe.

V. 43. ANIMAE, id eſt homini. TIMOR, ſcilicet ut fit, ubi Deus ſe prodit per opera inſueta.

V. 44. PARITER, id eſt una, ſeu ſimul, ſcilicet ut nunc Religioſi.

V. 45. SUBSTANTIAS, id eſt facultates.

V. 46. PANEM. Hic Græc. non additur articulus, quamquam Syr. vertit *munus benedictum*.

V. 47. IN IDIPSUM. Græc. & Syr. *in Eccleſia*.

E S T I I.

Verſ. 1. ET CUM COMPLERENTUR DIES PENTECOSTES. Pentecoſte Græce, latine quinquageſima: quo nomine ſignificabatur totum tempus, quod eſt a die feſto Paſchæ, uſque ad quinquageſimum inde diem, in quo die erat totius Pentecoſtes complementum. Et hoc eſt quod dicit: *Cum complerentur dies Pentecoſtes*, id eſt, ipſo die quinquageſimo, qui erat ultimus dicti temporis. Lege Levitic. XXIII. Num. XXVIII. Deut. XVI. Græce tamen eſt ſingulare, τὴν ἡμέραν; quia tantum una erat dies Pentecoſte, non plures; ut Paſchatis & tabernaculorum, quod patet ex locis Scripturæ ſupra citatis. ERANT OMNES PARITER. Græce, ὁμοθυμαδὸν, *unanimiter*, ut ſuperiori capit. vertit interpres. Hinc diſce Spiritum ſanctum non deſcendere, niſi in eos, qui vivunt inter ſe concordes. IN EODEM LOCO. Græce ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *in idipſum*, tametſi Eraſmus etiam vertit, *in eodem loco*.

V. 3. ET APPARUERUNT ILLIS DISPERTITAE LINGUAE TAMQUAM IGNIS. *Ignis* genitivus eſt, Græce πυρός. Senſus, tamquam linguæ ignis, ex ſunt extremitates, in quas flamma ſurſum mota deſinit, ſimiles linguis peracutis aut gladiolis.

V. 3. ET REPLETI SUNT OMNES SPIRITU SANCTO. *Omnes* ſcilicet centum viginti homines, de quibus meminit capite ſuperiori. Atqui id forte teſtatur Auguſt. Tract. XCII. in Ioannem. Vide Molanum Lib. IV. cap. XV. de picturis & imaginibus, ubi in idipſum confirmat, contra quemdam hæreticum Theodorum Bezam, qui hoc ad ſolos refert Apoſtolos.

V. 5. ERANT AUTEM IN IERUSALEM HABITANTES IUDAEI, VIRI RELIGIOSI, EX OMNI NATIONE, QUAE SUB CAELO EST. Hyperbole in eo quod dicitur, *Ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*; quaſi dicat, Ex nationibus multis diverſiſſimis & remotiſſimis: niſi hoc modo intelligas: Ex omni natione diſperſionis Iudæorum. Nam ex Iudæis, qui erant in diſperſione, viri religioſiores orationis cauſa proficiſcebantur Ieruſalem, vel etiam eo commigrabant, quo convenienter cultui Dei vacare poſſent. Neque enim extra Ieruſalem fas erat offerre ſacrificia.

V. 6. AUDIEBAT UNUSQUISQUE LINGUA SUA ILLOS LOQUENTES. Quæri hic ſolet an ſinguli Apoſtoli ſingulas linguas loquebantur, unus Græce, alius Latine, &c. an vero ipſis propria, id eſt Hebraica lingua loquentibus, unuſquiſque audientium ſuam linguam capiebat, & uno loquente diverſarum nationum homines, ſuas diverſas linguas audirent & intelligerent? Videtur quæſtio poſſe diſſolvi hoc modo; ut ſtatim accepto Spiritu ſancto Apoſtoli cœperint loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis, id eſt alii aliis. Nec enim ſoli erant ibi Apoſtoli, ſed multi alii diſcipuli uſque ad centum viginti. Ea re autem conſpecta multitudinem obſtupuiſſe. Petrum deinde una lingua hebraica omnes allocutum, rationem reddidiſſe rei tam mirabilis; hanc autem Petri orationem fuiſſe ab omnibus intellectam. Duplex proinde miraculum contigiſſe: primum in eo, quod omnes diſcipuli Spiritu ſancto repleti variis locuti ſunt linguis: alterum in eo quod Petrus una lingua loquens, fuerit ab omnibus, qui confluxerant, intellectus, tametſi diverſarum linguarum hominibus. Duplex hoc miraculum omnino videtur agnoſcendum. Et primo quod Apoſtoli diverſis linguis fuerint locuti, ex eo ap-

Digitized by Google

apparet, quia dicitur: *Cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*; quaſi dicat: Non omnes omnibus nec iiſdem linguis locutos, ſed alios aliis; itemque alios paucioribus, alios pluribus, prout dabat illis eloqui Spiritus. Item *Audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes*. Item: *Audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei*. Item, quia diſpertitæ linguæ Apoſtolis apparuerunt, ſeditque ſuper ſingulos eorum. Item myſterium ſignificatum, nempe quod Eccleſia eſſet locutura omnium gentium linguis. Item Apoſtolos vere locutos fuiſſe peregrinis linguis, etiam illud argumento; quia poſtea fideles accepto Spiritu ſancto variis linguis vere locuti ſunt, ut Act. x. & xix. & I. Cor. xiv. Item Act. xi. dicitur]: *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis*, &c. Ubi ex gratia viſibili, ſcilicet dono linguarum illis dato ſicut Apoſtolis, colligit ſimilem gratiam inviſibilem. Sed & idem de Apoſtolis probatur ex Apoſtolo Paulo, qui I. Cor. xiv. de ſe dicit: *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor*; vel ut in Græco, *quod omnibus vobis amplius linguis loquor*. S. Hieronymus ad Hedibiam quæſt. ix. ſcribit Apoſtolos accepiſſe diverſitatem linguarum, omnium gentium; ut annunciaturi Chriſtum, nullo indigerent interprete. Confirmatur & ex eo, quod nulla hiſtoria referat Apoſtolorum quempiam, ad quamcumque gentem deveniſſet, interprete uſum fuiſſe. Sed quid eſt quod idem Hieronymus in catalogo Marcum vocat interpretem Petri? Certe non aliud vult, quam quod Marcus evangelium ſcripſit, ut Petro referente audiverat. Itaque per evangelium ſcriptum erat Petri interpres ad alios, quibus ea ſcribebat, quæ Petrus dixerat. Vel etiam quia explicabat plenius ea quæ B. Petrus brevius aut obſcurius dixerat. Vide Baronium & noſtrum com. II. Cor. ii. de Tito. Sed dicet aliquis nihil opus fuiſſe, ut Apoſtolis daretur donum loquendi variis linguis, quandoquidem eis abunde ſufficere poterat donum ſeu miraculum, quo fieret, ut ipſi ſua ac nativa lingua loquentes ab hominibus omnium gentium ac linguarum intelligerentur; ſicut credibile eſt in Petro factum, quando una oratione omnes, qui confluxerant, allocutus eſt. Reſp. Incertum eſſe, an hoc donum Apoſtolis communiter conceſſum fuerit. Deinde, nec ſufficeret; quia non ſolum loqui aliis debebant, ſed etiam alios loquentes intelligere; quod non poſſent, niſi aliorum linguas noſſent. Niſi dicas etiam hoc eis conceſſum fuiſſe, ut aliis quibuſque ſua lingua loquentibus eorum ſermonem perciperent, tamquam loquentium hebraice. Sed utrumque hoc eſſet nimium multiplicare miracula. Sic enim quotieſcumque homines externæ linguæ loquerentur Apoſtolis, & e diverſo quoties Apoſtoli illis; toties novum fieret miraculum. Nunc autem dicimus Apoſtolos ſemel per miraculum accepiſſe notitiam omnium linguarum, ut & loqui quibuſcumque hominibus poſſent, & quoſcumque audire & intelligere; nec poſtea fiebat novum miraculum, quando vel loquebantur vel loquentes intelligebant; ſicut viſum per miraculum multis cæcis Chriſtus reſtituit, qui poſtea ſine novo miraculo videbant. Forte etiam ex hac doni iſtius varietate intellexerunt Apoſtoli, ad quas quiſque gentes proficiſci deberet, prædicaturus evangelium; nempe ad eas, quarum linguis loquendi donum accepiſſet. Ceterum ſaltem Beatum Petrum una lingua loquentem a pluribus diverſarum linguarum hominibus intellectum fuiſſe, negari non poteſt; & colligitur ex ipſa hiſtoria, quia verba iſta: *Viri Iudæi & qui habitatis Ieruſalem univerſi*, &c. ſolus Petrus dixit *univerſi*, multitudini uno eodemque ſermone; eam autem fuiſſe hominum diverſiſſimarum linguarum, conſtat ex eodem hoc capite. Neque hoc mirum videri debet, cum conſtet alios quoque ſanctos hoc donum accepiſſe. S. Antonius Paduanus, ut eſt in eius vita cap. xix. una lingua loquens ab hominibus diverſarum gentium, qui plurimi Romam confluxerant, ita auditus eſt, ut ſinguli plane intelligerent idioma regionis ſuæ, in quo & nati & educati fuerant. Simile quid dicitur de S. Vincentio prædicatore Lib. II. vitæ eius cap. viii. Cyprianus de oper. card. ſerm. de Spiritu ſancto manifeſte teſtatur Apoſtolos una & propria lingua locutos, ab omnibus tamen intellectos. Opus tamen illud Cypriani non eſt, ſed ut eſt valde probabile, Salviani. Gregor. quoque Lib. IV. dial. cap. xxvi. refert de puero quodam morituro, qui dicebat ſe in cælo fuiſſe, & ibi accepiſſe ut omnium linguis loqueretur; quod & confeſtim proba-

vit Græce loquens & Bulgarice. Quin & in die iudicii quando Chriſtus una lingua proferet ſententiam damnationis, audiet unuſquiſque reprobus lingua ſua illum loquentem. Nam de electis probabile eſt quod omnes intelligent & loquentur linguam hebraicam. Porro hic quæri poſſet, an Apoſtoli ſingula idiomata loquebantur perfecte. Videtur quod non, quia Paulus ſermone græco fuit imperitus, id eſt parum exactus. Reſp. Paulum Græce loeutum non per donum linguarum, ſed quia iam ante didicerat. Neque donum efficiebat ut Apoſtoli omnino eleganter & pure ac proprie loquerentur (alioqui viſi fuiſſent elegantia & ſplendore ſermonis attraxiſſe homines ad fidem Chriſti) ſed ut loquerentur intelligibiliter, quantum opus erat iuxta communem modum. Quemadmodum bene docet. S. Thom. II. II. quæſt. CLXXVI. art. I. ad I.

V. 9. ET QUI HABITANT MESOPOTAMIAM, IUDAEAM & CAPPADOCIAM, PONTUM ET ASIAM. Ex eo quod dicitur: *Et qui habitant*, ſatis intelligitur eos, qui hic enumerantur non omnes fuiſſe habitatores Ieruſalem, nec proinde comprehendi ſub eo, quod ſuperius dictum eſt: *Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi ex omni natione*. Quare ſciendum alios quidem ex diverſis nationibus Iudæos commigraſſe Ieroſolymam ibique fixiſſe domicilia; alios vero alibi habitantes, Ieroſolymam cauſa religionis certis temporibus aſcendere ſolitos ſecundum legem.

V. 12. ET ADVENAE ROMANI, IUDAEI QUOQUE ET PROSELYTI. Vide annot. I. Pet. I. Diverſa ſunt in græco vocabula, *advenæ* & *proſelyti*. Et advenæ quidem iſti veri erant Iudæi, non item proſelyti. *Iudæi quoque & proſelyti*, Græc. ἰουδαῖοι τε καί προσήλυτοι, quod ita videtur intelligendum: *tam Iudæi, quam proſelyti*, vel, ſive Iudæi, ſive proſelyti; vel partim Iudæi, partim proſelyti; ut nimirum hæc pars ad omnia præcedentia referatur. Non in omnibus hic enumeratis regionibus habitabant Iudæi, habitabant & proſelyti; atque inde Ieroſolymam ad diem feſtum fuerant profecti, aut etiam Ieroſolymis fixerant ſedes, prout ſupra dicitur: *Erant in Ieruſalem habitantes Iudæi*. Poteſt etiam referri peculiariter ad id, quod proxime præceſſit; *Et advenæ Romani*: quia adhuc ſequitur, *Cretes & Arabes*. Forte enim inter advenas Romanos plures erant proſelyti, quam ex aliis gentibus.

V. 13. QUIA MUSTO PLENI SUNT ISTI. Quidam ſic interpretatur; *muſto*, id eſt vino; quia muſtum non inebriat; ſed arbitror eum falli. Quæres, cur non dicebant vino, ſed muſto, cum Scriptura paſſim vino ebrietatem adſeribat; & certe communius ſit vino inebriari, quam muſto? Reſp. Quia erat tempus vindemiæ, quo muſtum bibi ſolet, quando res iſta contingebat. Nam in Iudæa, ſicut tempore paſchæ offerebantur manipuli frugum; ita vindemia eſſe poterat quinquageſimo poſt die. Nam in illis calidis regionibus omnia multo citius matureſcebant, quam in noſtris frigidioribus.

V. 14. STANS AUTEM PETRUS, &c. Petrus una lingua loquens ab omnibus intellectus fuit. Sed qua lingua loquebatur? Hebræa, an Græca, an Romana? nam de ſingulis rationabiliter dici poteſt. Hebræa, nam ea lingua prima eſt, & idioma loci, ipſique Petro maternum. Græca, nam ea maxime erat pervulgata. Romana, quia Iudæa Romanis parebat, & quia Petrus Romanæ eccleſiæ præfuturus erat, ac Romæ poſteros ſuos ſucceſſores relicturus. Ceterum per hoc quod Petrus una lingua loquens ab hominibus omnium nationum, quæ ſub cælo erant, intellectus fuit; Spiritum ſanctum ſignificare voluiſſe veriſimile eſt, quod unius Petri ſummi paſtoris & ſucceſſorum eius, vocem audituri eſſent, & audire debent homines omnium gentium ac linguarum; præſertim quia additur illic fuiſſe viros *ex omni natione quæ ſub cælo eſt*. Unde & hic Petri primatus recte nobis in quodam myſterio commendatur. VIRI IUDAEI, ET QUI HABITATIS IERUSALEM UNIVERSI. Addit: *Et qui habitatis*, &c. propter proſelytos Ieroſolymis habitantes quorum erat magnus numerus.

V. 15. NON ENIM, SICUT VOS AESTIMATIS, HI EBRII SUNT, CUM SIT HORA DIEI TERTIA. Hora tertia ab ortu ſolis. Qua quidem hora non ſolent homines ebrii eſſe, ſed ieiuni. Vide Baron. tom. I. Hæc vero hora reſpondet noſtræ octavæ vel nonæ ante meridiem. Nam prima hora erat Iudæis ab ortu ſolis. Atqui ſol illis prius ad æquinoctialem conſtitutis oriebatur

Digitized by Google

tur circa diem Pentecoſtes paulo poſt horam quintam noſtram matutinam. Igitur tertia hora quæ hic nominatur, incipiebat ſub medium nonæ noſtræ. Ex hoc loco probat Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum cap. LX. non eſſe cibum ſumendum ante horam tertiam diei.

V. 16. PER PROPHETAM IOEL. Vide annotat. Ioel. II. de illius Scripturæ impletione.

V. 17. EFFUNDAM DE SPIRITU MEO SUPER OMNEM CARNEM. Hic inſinuatur vocatio gentium; quemadmodum & infra, ubi Petrus dicit: *Et omnibus qui longe ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter*. Hæc in verba Petri notanda, propter ea quæ habentur infra cap. X. ubi de vocatione gentium videri poteſt non ſatis fuiſſe inſtructus. Vide ibi. Per eos qui longe ſunt ſignificari gentiles, probatur ex Epheſ. II. FILII VESTRI ET FILIAE VESTRAE. De filiabus exemplum habemus hoc eodem libro, ubi ſcribitur Philippus diaconus habuiſſe quatuor filias prophetiſſas virgines. *Prophetabunt*, *viſiones videbunt*, *ſomnia ſomniabunt*. Ex ſpecie genus accipiendum. Significatur enim quod in Eccleſia Chriſti præſertim naſcente, varia erunt dona ſancti Spiritus. Quod autem interior gratia ſanctificans ſit confirmanda etiam in poſteros, eodem hoc cap. ſignificat Petrus, cum ait: *Accipietis donum Spiritus ſancti: vobis enim eſt repromiſſio & filiis veſtris*.

V. 23. HUNC DEFINITO CONSILIO ET PRAESCIENTIA DEI TRADITUM. *Præſcientia*, id eſt prædeſtinatione, ſicut alibi accipitur, ut I. Petri I.

V. 24. & 25. QUEM DEUS SUSCITAVIT SOLUTIS DOLORIBUS INFERNI. Græce λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου; Id eſt, poſtquam ſolviſſet dolores mortis. Itaque actus ſolutionis dolorum non ad Chriſtum refertur, ſed ad Deum. Quare ſenſus eſſe non poteſt: *Quem Deus ſuſcitavit*, poſtquam Chriſtus ſolviſſet dolores; ſed poſtquam ipſe Deus ſolviſſet dolores mortis, id eſt quem Deus, pœna ac miſeria mortis ablata, vitæ reſtituit. Cui congruit quod ſequitur: IUXTA QUOD IMPOSSIBILE ERAT TENERI ILLUM AB EO. Græce, *ab ea*, ſcilicet morte, id eſt iuxta decretum ſuum æternum, revelatum per prophetas; quo ſtante fieri non potuit, ut in morte Chriſtus detineretur, ſed oportuit eum ſtatim reſurgere a mortuis. Id oſtendunt ſequentia: DAVID ENIM DICIT, &c. Hic videtur verus ac germanus eſſe ſenſus. Quare hinc non ſequitur patres illos ſanctos apud inferos fuiſſe in doloribus. Dolores enim ad Chriſtum referuntur ſenſu iam dicto; ſolutio autem Chriſti a doloribus, ad Patrem. Sed etſi legatur, *Doloribus inferni*, ſicut nos legimus, poteſt idem eſſe ſenſus. Nam infernus ſtatum aut locum mortuorum ſignificat; licet verificatio varietur; ut in eo quod ſubiungitur ex propheta: *Non derelinques animam meam in inferno*.

Solutis doloribus inferni. Græce θανάτου, *mortis*. Vide Gagnæum. S. Auguſt. & S. Thomas intelligunt dolores patrum in lymbo, id eſt triſtitiam conceptam ex dilatione adventus Chriſti & ſuæ liberationis. Sunt qui ad purgatorias pœnas referant, exiſtimantes Chriſtum ſuo deſcenſu etiam ad purgatorium perveniſſe, ibique effuſo indulgentiæ ſuæ theſauro omnes liberaſſe, qui iis pœnis detinebantur; atque hoc pacto eius indulgentiæ, quæ mortuis confertur, poteſtatem ipſum primum exercuiſſe. Quod ut ſatis plauſibiliter dicitur, ita non videtur hoc loco ſignificatum. Simplicius enim eſt & textui conformius, ut ad Chriſtum ipſum, quod hic dicitur, referatur: quia per reſurrectionem ab inferni ſeu mortis doloribus ſolutus eſt, id eſt morti, quæ pœna quædam eſt, exemptus, & vitæ reſtitutus; quia ſecundum prophetarum vaticinia, & patris æterni decretum, non debuit diu in morte detineri. Sic Græci; ut ſit ſenſus: Superata morte, a qua impoſſibile erat eum retineri, propter ſcripturas, quas deinde profert: *David enim dicit*, &c. Vide de hoc loco Bellar. Lib. de Chriſti anima cap. VIII. contra Calvinum.

V. 27. NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO. Recte hinc ſtatuitur deſcenſus Chriſti ad inferos ſecundum animam. Quamvis enim anima interdum pro homine accipiatur, etiam ſecundum partem materialem & mortalem; velut cum ſeptuaginta animæ dicuntur egreſſæ de femore Iacob; & cum quis dicitur percutere animam; & ita (hac quidem parte) nihil vetet hic intelligi ſepulturam, ut quidam intellexerunt; obſtat tamen il-

lud,

lud; *In inferno*. Hoc enim nuſquam pro ſepulcro ponitur, ſed ſemper pro certo quodam ſtatu, ſeu loco animæ egreſſæ e corpore. Unde nec uſquam de brutorum animabus, quæ ſimul cum corporibus intereunt, tale quid dictum legitur; nec uſquam legitur anima eſſe in ſepulcro, aut deſcendere in ſepulcrum. Item diverſa ſunt in Pſalmo, quem Petrus citat, animam non derelinqui in inferno & carnem requieſcere in ſpe, ut non videat corruptionem. Unde & Petrus infert tamquam diſtincta, dicens: *Quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*: nempe illud referens ad animam, iſtud ad corpus.

V. 29. Et sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem. Quidam hinc probare contendunt, Davidem unum ex iis fuiſſe, qui Chriſto reſurgente ſimul reſurrexerunt; de quibus Matth. xxvii. quodque reſurrexerit non iterum moriturus. Vide Serm. de aſſumpt. virginis apud Hieron. Auguſtinus tamen ex eodem loco probat, Davidis oſſa & cineres uſque ad id tempus apud Iudæos fuiſſe; in epiſtola xcix. ad Evodium. Vide Domin. in iv. diſt. xliii. quæſt. ii. artic. i. Et bona eſt Auguſtini probatio. Vult enim Petrus oſtendere verba illa Pſalmi: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, non eſſe dicta in perſona Davidis; ſed prophetice dicta in perſona Chriſti. Nam quod ad Davidem attinet caro eius vidit corruptionem. Probat hoc Petrus: *Quia ſepulcrum eius*, inquit, *eſt apud nos uſque in hodiernum diem*. Quæ probatio bona non eſſet, niſi intelligatur continens cum contento, id eſt ſepulcrum, in quo ſit corpus eius iam corruptum, & in cineres redactum. Nam alioqui, & Chriſti ſepulcrum apud eos erat; & adhuc in terra eſt, uſque in hodiernum diem: ſed a triduo mortis ac ſepulturæ corpore vacuum. Adeo igitur hinc ſtatui non poteſt, Davidem unum ex iis fuiſſe, qui cum Chriſto reſurrexerant, ut plane contrarium ſequatur.

V. 33. Et promissione Spiritus sancti accepta a patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis. Scilicet per manifeſta ſigna oculis & auribus perceptibilia. Nam oculis apparebant diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſedens ſuper ſingulos eorum. Auribus percipiebatur ſonus tamquam advenientis ſpiritus vehementis, percipiebantur etiam variæ linguæ, quibus Apoſtoli loquebantur magnalia Dei. Quidam, ut Eraſmus, vertendum putant: *Effundit hoc quod nunc videtis & audietis*: nam in græco neutrum genus eſt, & putant ſubintelligi donum, de quo infra: *Et accipietis donum Spiritus ſancti*. Sed ſciendum eo loco Græce eſſe τὴν δωρεὰν feminini generis. Proinde neutrum illud τοῦτο videtur omnino referendum ad πνεῦμα ſpiritum, quod præceſſerat. Itaque recte vertit noſter interpres, & ſenſus eſt, quem diximus.

V. 36. Quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Iesum quem, &c. Fecit eum Dominum, quando fecit redemptorem. Ieſus enim ut homo, Dominus eſt hominum iure redemptionis. Item fecit eum Dominum, quatenus data eſt ei omnis poteſtas in cælo & in terra. Fecit eum Chriſtum, quando unxit Spiritu ſancto. Utrumque autem tunc factum, quando *Verbum caro factum eſt*; tametſi completa eſt redemptio in cruce. Vide Cyrillum in Theſauro. *Hunc Ieſum*. Emphatice hoc dicitur: τοῦτον τὸν ἰησοῦν, quaſi diceret, *hunc*, inquam, *Ieſum quem*, &c. Nam in græco completam habet ſententiam, quod præcedit: *Quia Dominum & Chriſtum eum Deus fecit*. Sed maioris expreſſionis cauſa addit Petrus, non ſine articulo τοῦτον τόν, &c.

V. 38. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Hinc patet contra hæreſim huius temporis baptiſmum non eſſe nudam proteſtationem fidei, aut ſigillum remiſſionis per fidem acceptæ; ſed per ipſum conferri remiſſionem peccatorum. Quod additur: Et accipietis donum Spiritus sancti: non videtur de baptiſmi effectu accipiendum, ſed confirmationis. Senſus enim eſt: Video vos anhelare etiam ad participationem Spiritus ſancti, quem per externa ſigna nos videtis accepiſſe. Itaque ut eius tanti doni vos quoque efficiamini participes, prius oportet ut baptizemini in remiſſionem peccatorum; ac deinde per impoſitionem manuum noſtrarum accipietis donum Spiritus ſancti.

V. 39. Et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus

Deus

Deus noster. Hic a Petro tacite inſinuatur vocatio gentium: nam aperte eam tunc prædicari apud Iudæos non expediebat. Poteſt tamen etiam referri ad Iudæos abſentes & procul habitantes: quia præcedit: Vobis enim est repromissio et filiis vestris; nam promiſſio proprie facta eſt Iudæis, non gentibus: Rom. xv.

V. 42. Et communicatione fractionis panis. Pro eo quod græcis eſt ἄρτυ, Syriaca verſio habet vocem, quæ euchariſtiam ſignificat, tum hoc loco, tum Act. xx. ut annotavit vir doctiſſimus Ioannes Harlemius in indice bibliorum.

V. 44. Erant pariter et habebant omnia communia. Simile quid fuit tempore veteris teſtamenti in filiis prophetarum; ſub Samuele primum, deinde ſub Elia & Eliſæo congregatis: I. Reg. x. de quibus vide ſuo loco. Certe veriſimile eſt eos coluiſſe caſtitatem, quia de uxoribus eorum nihil legitur. Et in einſmodi congregatione non convenit ut ſint mulieres & parvuli. Item Elias & Eliſæus vixerunt cælibes. Samuel quidem uxorem & liberos habuit, ſed veriſimile eſt eum uxore mortua, congregaſſe filios prophetarum, eiſque præfuiſſe. Auguſtinus in hæreſi Apoſtolicorum, quæ eſt 48. dicit: Apoſtolici dicuntur qui ſe hoc nomine arrogantiſſime vocaverunt, eo quod in ſuam communionem non acceperint utentes coniugibus, & res proprias poſſidentes: quales habet catholica eccleſia & monachos & clericos plurimos. Sed ideo iſti hæretici ſunt, quia ſe ab eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipſi carent. Ex quibus verbis ſatis intelligitur, in illa communi vita primorum fidelium non fuiſſe, qui uterentur uxoribus, ſicut non fuerunt, qui propria poſſiderent. Non omnes fideles illius temporis habuiſſe omnia communia, liquet quia Petrus dixit ad Ananiam: *Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat poteſtate?*

Et habebant omnia communia. Non etiam uxores iuxta rempub. Platonicam legi naturæ repugnantem; ſed omnes poſseſſiones. De iis enim ſequitur: *Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant*, &c.

V. 45. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Intellige per manus eorum, qui ad hoc erant deputati; ut infra cap. iv. & vi. Quomodo autem impleverint illud Evangelicum, *Da pauperibus;* vide infra annot. cap. iv. Notandum autem quod cum hæretici noſtræ ætatis paſſim iactent ſe eccleſias ſuas inſtituere ad formam primitivæ eccleſiæ; velut in electione diaconorum & miniſterio menſarum; nullum tamen apud eos eſt veſtigium communis vitæ, quam apoſtolicam Auguſtinus vocat, quæque hoc cap. & iv. tantopere commendatur. Immo loca ea catholicorum, in quibus illa vita ſervatur, id eſt cœnobia, quæ a communi vita nomen habent, oderunt peſſime; & ubi poſſunt funditus evertunt, aut in uſus profanos convertunt. In quo illi (egregie ſcilicet) oſtendunt ſeſe primitivæ, id eſt Apoſtolicæ eccleſiæ æmulatores. Sed eorum cupiditas & ſuperbia nullo modo ferre poſſet illam communem vitam.

V 46. Et frangentes circa domos panem. Græce κατ' οἶκον, id eſt *per ſingulas domos.* Sicut Tit. κατὰ πόλιν, *per ſingulas civitates*. Non ergo in una domo omnes morabantur, nec de una menſa capiebant cibum, ut velle videtur Chryſ. in quodam ſermone, qui legitur intra octavam dedicationis eccleſiæ. Neque enim fieri poterat, ut tot millia hominum una domus & una menſa caperet. Sed ex bonis in commune collatis, in omnes diverſis in domibus habitantes, fiebat æqua diſtributio, ut haberent unde viverent, nec quiſquam rebus neceſſariis egeret. Videtur autem ſignificari quod panem ab Apoſtolis conſecratum deferebant domum, & diſtribuebant domeſticis, & cum illis edebant.

MARIANAE.

Verſ. 3. Linguae tamquam ignis. Quos Spiritus ſanctus occupat, accendit, & loquentes facit.

V. 9. Iudaeam. Gotth. & *Iudæam*, ſcilicet qui habitant. Mirabantur Apoſtolos eorum & omnium linguis loqui: ſic Græce.

V. 10. Partes Libyae. *Libya* aliquando pro tota Africa ſumitur, aliquando pro parte & regione quæ eſt ad Occaſum AEgypti, & vocatur *Libya Cyrenaica*, ab urbe Cyrene, ea regione præcipua: Hieronymus de Locis ex Actis. Et advenae Romani. Syr. *qui venerunt ex urbe*

Ro-

Roma; ſed erant Iudæi profeſſione & genere.

V. 13. ALII AUTEM IRRIDENTES. Nullum opus tam bonum eſſe poteſt, quod non irrideat Momus. Putabant ebrios eſſe Apoſtolos, & vinum linguas ſolvere.

V. 14. HABITATIS IERUSALEM. Gotth. & Syr. *habitatis in Ieruſalem*: ad vos loquor, ait Petrus.

V. 17. PROPHETABUNT FILII VESTRI. Declarabunt Dei voluntatem: id hoc loco *prophetare* eſt. Aut annuntiabunt futura.

V. 19. ET DABO. Gotth. *dabunt*, ſcilicet ſervi mei prodigia. Sed noſtra lectio eſt verior, conſonant Græca; loquitur autem, aut de excidio Ieruſalem, aut de die iudicii, ante quem multa ſigna præcedent ad quod a miſſione Spiritus ſancti repente tranſit.

V. 20. DIES DOMINI MAGNUS ET MANIFESTUS. Gotth. *horribili*. Suſpicor hanc eſſe veram lectionem; nam Hieronymus ſic vertit locum Prophetæ, & vox Hebr. ביארא *nora* id ſignificat. Sept. ἐπιφανῆ vertcrunt, id eſt *manifeſtus*. Sane quod clarum & excellens eſt, horrorem incutit; & Nonius Marcellus, *Horrendum*, ait, *novum & admirabile* ſignificat. Sane ex Sept. hic manſit vox *manifeſtus*, ut multa alia Hieronymi verſioni inſerta.

V. 24. SOLUTIS DOLORIBUS. Auguſtinus epiſt. XCIX. vel antequam illum tenerent, vel qui tenebant alios, quos ſcilicet ſuo deſcenſu liberavit. IUXTA QUOD. Gotth. *quoniam*: ſed perinde eſt. Ergo infernus non poterat Chriſtum tenere.

V. 25. PROVIDEBAM. Pſal. XV. unde hoc citatur de Meſſia, antiqui Rabbini intellexerunt, ut ex Midras Thilim affert Galatinus contra Iudæos, Lib. VIII. cap. XXII. De quo in eum Pſalmum plura diximus: inde petantur.

V. 27. ANIMAM MEAM IN INFERNO. Quis hic *animam* pro corpore, *infernum* pro ſepulcro ſumit? mira & pudenda licentia. De quo tamen ſatis multa contra hos Novatores diximus in Diſp. pro Editione Vulgata, cap. XXV. CORRUPTIONEM; ſcilicet ſecundam incinerationem non vidit. De quo illo Pſal. XV. multa.

V. 39. DEFUNCTUS EST. Græc. & Gotth. *& defunctus eſt David*, ideo non poteſt de eo intelligi, non guſtaſſe corruptionem.

V. 33. EFFUDIT HUNC, QUEM VOS. Quid hoc? *effudit hoc, quod vos videtis*, hoc ſcilicet donum. Atque ita Syr. Gotth. & alii Latini cod. *Effudit hoc donum, quod vos videtis*, ſcilicet linguarum donum. Sed & vox poteſt Spiritum ſanctum referre, quem ex effectis videbant.

V. 37. QUID FACIEMUS, VIRI FRATRES? Gotth. addit *oſtendite nobis*: recte, ſi in aliquo alio codice extaret ea additio.

V. 42. COMMUNICATIONE FRACTIONIS PANIS perſeverabant. Quidam de annonæ diſtributione ſumunt, quia omnia erant communia. Syr. *communicabant in oratione & fractione Euchariſtiæ*. Hoc ſequitur Ionas Aurel. Lib. III. de Immagin. Sic quod ſequitur:

46. FRANGENTES CIRCA DOMOS PANEM: Syr. dicens, *frangebant munus benedictum*: eodem ſcilicet reſpexit. Verum Gotth. non *circa domos* habet, *ſed per domos*, quomodo bene exprimitur Græca vox κατ' οἶκον. Et ego hic credam potius de pane communi agi, & de eius diſtributione; quaſi dicat: Omnes de communi vivebant.

27. HABENTES GRATIAM AD OMNEM PLEBEM. Plebi erant grati, nullum offendebant. QUOTIDIE IN IDIPSUM. Illud, *in idipſum*, ἐπὶ τὸ αὐτό, Græce eſt cap. ſequentis initium. Sed & iungi cum ſuperioribus poteſt hac ſententia: Deus augebat qui ſalvi fierent quotidie inſimul, id eſt pari conſenſu & voto. Ut & illud: *Exaltemus nomen eius in idipſum*, id eſt ſimul, Pſal. XXXIII. 4.

MENOCHII.

Verſ. 1. CUM COMPLERENTUR DIES PENTECOSTES: dies ſcilicet quinquaginta a Paſchate, ita ut iam adeſſet dies quinquageſima. ERANT OMNES: Chriſtiani numero 120. de quibus capite præcedenti a verſiculo 15. hucuſque egit, agitque D. Lucas. PARITER: ὁμοθυμαδὸν, id eſt *unanimiter*. IN EODEM LOCO: cœnaculi, de quo dictum ſuperiori capite verſ. 13.

V. 2. ET FACTUS EST REPENTE DE CAELO SONUS, &c. Hic ſonus congregatos fideles excitabat ad laxandos pietate animos, ut Spiritum ſanctum exciperent; & ad excitandos Iudæos, ut ad cœnaculum, circa quod hoc prodigium fiebat, accurrerent.

rerent. Porro ſonus hic ſymbolum erat ſonitus Evangelicæ prædicationis, de qua Pſal. XVIII. *In omnem terram exivit ſonus eorum*, &c. REPENTE: ut intelligerent hanc Spiritus ſancti plenitudinem, & eius dona, præſertim linguarum, & alia, ſine fidelium merito, aut diſpoſitione ſufficienti, ex mera eius liberalitate dari: præterea ut eiuſdem Spiritus celeritas, & efficacia oſtenderetur, *Neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia*, ut ait S. Ambroſ. in caput I. Lucæ. SPIRITUS: πνοῆς, id eſt, *flatus*, *venti*. VEHEMENTIS: βιαίας, *violenti*. Huius vehementis venti natura ſignificabatur efficacia, vehementia, & impetus. Spiritus ſancti in Apoſtolos venientis. REPLEVIT: ſonus ſcilicet. UBI ERANT SEDENTES: degentes, commorantes.

V. 3. ET APPARUERUNT ILLIS DISPERTITAE LINGUAE, id eſt diſtributæ per ſingulos, ita ut quiſque capiti ſuo imminentem & inſidentem linguam haberet. Vel unaquæque lingua ignea capiti cuiuſvis Apoſtoli inſidens inferne in unam quaſi radicem coaleſcebat, ſed ſuperne dividebatur ob ſuam agilitatem & velocitatem, ut ſolet flamma vel ſponte ſua, vel vento agitata. LINGUAE. Per igneas linguas ſignificatur efficacitas prædicationis Apoſtolicæ, & donum linguarum illis conceſſum. TAMQUAM IGNIS: neque enim verus erat ignis, ſed linguæ illæ ſpeciem ignis referebant. SEDIT: inſtitit, incubuit.

V. 4. ET REPLETI SUNT OMNES SPIRITU SANCTO. *Qui antea habebant Spiritum ſanctum, iam eius plenitudinem acceperunt*, ait S. Leo Serm. III. de Pentecoſt. Porro non omnes parem acceperunt gratiam, ſed alius maiorem, alius minorem, quiſque ſcilicet pro ſuo tum officio, tum gradu, tum diſpoſitione, ſicut vaſa maiora, aut minora plus, aut minus capiunt liquoris infuſi. Quod ſi quæras an Spiritus ſanctus realiter detur iuſtis; reſpondeo re ipſa, & phyſice nobis donari ipſam perſonam Spiritus ſancti, cum gratia, & caritate, ac conſequenter Patrem quoque, ac Filium. Id patet ex Ioan. XIV. 23. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Vide Theologos Scholaſticos cum S. Thoma I. par quæſt. XLIII. art. 3. & 6. & Suarez Lib. XII. de Deo trino & uno cap. V. ET COEPERUNT LOQUI VARIIS LINGUIS. Aliqui putarunt Apoſtolos una tantum lingua locutos, ſed auditores cuiuſcumque nationis eſſent, aut linguæ eos intellexiſſe, & viſos ſibi eſſe propria lingua loquentes audire; ſed recepta, & communis opinio eſt, vere Apoſtolos variis linguis locutos; licet non negemus etiam illud primum evenire nonnumquam potuiſſe. PROUT SPIRITUS SANCTUS DABAT ELOQUI ILLIS. In Græco eſt ἀποφθέγγεσθαι; quaſi dicas: Apophthegmata, ſententias, oracula proferre, neque enim erant nudæ voces, ſed gravidæ ſententiis, turgentes afflatu divino, & cæleſti igne inflammatæ.

V. 5. ERANT AUTEM IN IERUSALEM HABITANTES, id eſt commorantes, degentes ad tempus, vel occaſione feſti Pentecoſtes, iuxta legem Exod. XXIII. 17. vel ſtudiorum, pietatis, aut aliqua alia huiuſmodi cauſa adducti. VIRI RELIGIOSI: *Timentes Deum*, ut Syrus vertit, Dei, & pietatis cultores. EX OMNI NATIONE QUAE SUB CAELO EST. Hyperbole. Iudæi ob varias reipublicæ calamitates, & perſecutiones, præſertim Antiochi Epiphanis, toto orbe degebant, ut etiamnum degunt.

V. 6. FACTA AUTEM HAC VOCE: tum ſoni vehementis de quo verſ. 2. tum locutionis Apoſtolorum variis linguis. CONVENIT MULTITUDO: aut ad cœnaculum, aut circa illud, aut in templum: aliumve locum quo Spiritu ſancto pleni Apoſtoli concionaturi, variiſque linguis loquentes exierant. MULTITUDO: multorum millium, nam mox ex ea tria millia converſa eſſe, ait D. Lucas infra verſ. 41. MENTE CONFUSA EST: admiratione, & ſtupore tantæ rei.

V. 7. STUPEBANT: ἐξίσταντο, id eſt extra ſe rapiebantur, quaſi in extaſim. GALILAEI SUNT: augebat admirationem, quod ita loquerentur Galilæi, qui ceteris Iudæis hebetiores erant, & peius loquebantur, ut notavit Gloſſa interlinearis, & alii.

V. 9. AELAMITAE. AElam pars eſt Perſidis, quæ ab AElam filio Sem dicta eſſe creditur. QUI HABITANT MESOPOTAMIAM, ET IUDAEAM; quaſi dicat: Tam ii qui Meſopotamiam, Parthiam, Cappadociam, &c.

quam qui ipſam Iudæam incolunt. ET ASIAM. Videtur intelligi ea pars Aſiæ quæ eſt circa Propontidem, alioqui ſi latius ſumatur Cappadociam, & Phrygiam, &c. complecteretur. Nec deeſt huius acceptionis exemplum; ſic enim uſurpat nomen Aſiæ S. Petrus epiſt. I. cap. 1. 1. *Petrus*, inquit, *Apoſtolus Ieſu Chriſti electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ*, &c.

V. 10. QUAE EST CIRCA CYRENEN: ideoque a ſua metropoli appellatur Libya Cyrenaica. ADVENAE ROMANI: Iudæi Romæ commorantes, qui Ieroſolymam negotiorum, vel religionis cauſa venerant.

V. 11. IUDAEI QUOQUE, ET PROSELYTI: tam Iudæi ex parentibus, & maioribus Iudæis prognati, quam Proſelyti, qui ſcilicet ex gentilibus converſi circumciſionem, & ſacra Iudaica ſuſceperunt. MAGNALIA DEI. Syrus, *Mirabilia Dei facinora*.

V. 12. MIRABANTUR: διηπόρουν, hæſitabant, dubitabant, ambigebant, interrogabant. QUIDNAM VULT HOC ESSE? Quonam tandem nova hæc res evadet?

V. 13. ALII AUTEM IRRIDEBANT: ſcribæ fortaſſe, & Phariſæi. MUSTO PLENI: ebrii.

V. 14. STANS AUTEM PETRUS: quaſi Primas Apoſtolorum, & caput Eccleſiæ, unde ipſe pro omnibus loquitur, & prodigii rationem reddit, & legem Evengelicam promulgat. HOC VOCIS NOTUM SIT: quod ſum dicturus.

V. 15. CUM SIT HORA DIEI TERTIA: ſcilicet ab ortu ſolis. Solebant autem Iudæi, ut ex Ioſepho docet Baronius, in feſtis omnibus uſque ad ſextam, cibo, & potu abſtinere.

V. 16. PER PROPHETAM IOEL: cap. II. 28. ubi hunc locum explicavimus. Vide quæ ibi diximus.

V. 22. VIRUM APPROBATUM: ἀποδεδειγμένον, *demonſtratum*, quem ſcilicet multis ſignis Deus a ſe miſſum oſtendit. IN VOBIS: εἰς ὑμᾶς, veſtri cauſa, ut ſcilicet vobis ſalutem afferret. Interpres Latinus videtur accepiſſe, ἐν ὑμῖν, *in vobis*, id eſt qui inter vos verſatus. VIRTUTIBUS, &c. miraculis. IN MEDIO VESTRI: idem quod, *in vobis*, inter vos, vobis videntibus.

V. 23. HUNC DEFINITO CONSILIO: divino ſanctæ Trinitatis decreto, non caſu, neceſſitate, aut violentia perſecutorum. ET PRAESCIENTIA: qua ſcilicet prævidebat impias Iudæorum voluntates ita diſpoſitas, ut ſi Chriſtus illis obiiceretur, in eum invaderent, & crucifigerent. TRADITUM: ἔκδοτον, id eſt expoſitum a Patre, a ſe ipſo, a Iuda, a Iudæis, a Pilato. PER MANUS INIQUORUM: iudicum, & miniſtrorum. AFFLIGENTES: non tantum affligentes, & vexantes, ſed etiam, *affigentes*, προσπήξαντες: ut habet textus Græcus.

V. 24. QUEM DEUS SUSCITAVIT: ſurrexit enim Chriſtus virtute divinitatis ſuæ. SOLUTIS DOLORIBUS INFERNI. Dolores mortis, & inferni metonymice vocantur dolores graviſſimi, qui hominibus mortem afferunt, eorumque animas in infernum mittunt, ut ibi quaſi in tenebris, & carcere inelucabili perpetuo detineantur. Hinc illud Pſal. XVII. 5. *Circumdederunt me dolores mortis*, &c. *dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis*. Senſus ergo eſt; quaſi dicat: Deus ſuſcitavit Chriſtum ſuperata morte, & inferno, cum omnibus doloribus illam comitantibus; ſolvens nimirum, & irritum faciens quidquid per tot dolores, & cruciatus mors effecerat. IUXTA QUOD: καθότι, *ſiquidem*, vel *propterea quod*. Ital. diceremus, *Come che*. IMPOSSIBILE ERAT TENERI AB EO: inferno ſcilicet & morte, tum quia Chriſtus erat innocentiſſimus & & ſanctiſſimus, mors autem, & infernus ſunt pœna, & carcer peccatorum: tum quia Chriſti divinitas, & humanitatis etiam ipſius vis, & potentia claudi, & detineri nequibat morte, & inferno.

V. 25. IN EUM, id eſt *de eo*, ut habet Syrus. PROVIDEBAM DOMINUM, &c. Hunc locum explicavimus Pſal. XV. 8. unde deſumptus eſt.

V. 29. LICEAT AUDENTER DICERE. Ita loquitur modeſtiæ cauſa, quaſi facultatem petens libere loquendi. DE PATRIARCHA DAVID. Probat citatum locum Pſalm. XV. *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, non convenire Davidi, eo quod ipſe defunctus, ſepultus, & corruptus ſit ſed Chriſto poſt triduum a morte reſurgenti. ET SEPULCRUM EIUS APUD NOS EST; quaſi dicat: Corpus David uſque ad noſtra tempora iacuit in ſepulcro, ut dubitari non poſſit quin corruptum ſit, & in pulverem redactum.

V. 30.

Digitized by Google

V. 30. De fructu lumbi eius: de poſteris eius. Sedere super sedem eius: occupare regnum Davidis patris ſui, & in eius throno, quaſi regem ſedere. Hoc regnum Chriſti non fuit temporale, ut Davidis, ſed ſpirituale, & æternum.

V. 31. Providens: προϊδὼν, id eſt *prævidens*. Quia neque derelictus est in inferno. Græce, *non relicta eſt anima eius in inferno*.

V. 32. Cuius: admirabilis facti, ſcilicet reſurrectionis.

V. 33. Dextera, id eſt potentia. Exaltatus: per reſurrectionem a mortuis, & aſcenſionem in cælum. Promissione Spiritus sancti a Patre accepta; id eſt, accipiens a Patre, ut poſſet ſpiritum mittere, quem promiſerat. Effudit hunc, ſcilicet Spiritum ſanctum. Quem vos videtis, et auditis: per os noſtrum variis linguis loquentem magnalia Dei.

V. 34. Non enim David ascendit in caelum; quaſi dicat: Ergo David cum ait Pſal. cix. ut iam citabo, *Sede a dextris meis*, non de ſe loquitur, ſed de Chriſto reſuſcitato, qui aſcendit in cælum, ſedetque ad dexteram Patris, & inde effudit Spiritum ſanctum in nos. Dixit autem ipse: ipſe David plenus divino Spiritu, qui nec falli poteſt, nec fallere. Dixit Dominus, &c. Hoc teſtimonium ſuo loco explicavimus: nimirum Pſal. cix. Vide ibi dicta.

V. 36. Omnis domus Israel: omnes Iſraelitæ. Quia et Dominum eum, et Christum fecit, &c. quaſi dicat: Deus Pater evexit Ieſum ad hoc dignitatis faſtigium, ut ſit Dominus univerſorum, & Chriſtus, ſive Meſſias, hoc eſt, unctus gratiæ plenitudine, de qua omnes accepimus. Evexit inquam, eo ipſo quod eum divinæ perſonæ, & naturæ in incarnatione univit. Quem vos crucifixistis; quaſi dicat, Videte quantum ſcelus commiſeritis, qui Ieſum Meſſiam, & Salvatorem mundi crucifixiſtis.

V. 37. Compuncti sunt corde: intimo dolore, & pœnitentia, quod Chriſtum ſpreviſſent, & occidiſſent. Quid faciemus: ut malum quod incurrimus emendemus?

V. 38. Poenitentiam agite. Ex hoc loco probatur dolorem peccatorum etiam baptizandis eſſe neceſſarium. In nomine Christi: non baptiſmo Ioannis, ſed Chriſti, qui conſertur invocatione Trinitatis dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii*, &c. In remissionem peccatorum: qui baptiſmus vim habet peccata delendi. Et accipietis donum Spiritus sancti: primo, quaſi dicat, Accipietis ipſum Spiritum ſanctum, ut dictum eſt ſupra verſ. 4. Secundo, quaſi dicat, Accipiens gratiam, & iuſtitiam, quæ eſt donum Spiritus ſancti. Tertio, intelligi poteſt de gratia ſacramenti confirmationis, quæ eximia eſt, & ſingulare donum Spiritus ſancti. Vide Suarez de Sacram. confirmat. diſp. xxxii. ſect. 1.

V. 39. Vobis enim est repromissio: Occurrit diffidentiæ eorum de tanta gratia conſequenda, eo quod tam graviter peccaſſent. Senſus eſt, Ad vos, quaſi filios Abrahæ, pertinet promiſſio eidem Abrahæ facta de Chriſto, & omnibus donis, quæ Chriſtus fidelibus ſuis confert. Et omnibus qui longe sunt: a Deo, Eccleſia, fide, & ſalute, hoc eſt Gentilibus. Advocaverit: ad Eccleſiam ſuam, quæ & ipſa *ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν* nomen habet, hoc eſt, ab *advocando*.

V. 40. Testificatus eſt: διεμαρτύρετο, id eſt quaſi teſtibus adhibitis aſſeverabat, confirmabat, & conteſtabatur vera eſſe ſua dicta, & dogmata de Chriſto. Teſtes hi erant Scripturæ ſacræ, & prophetiæ de Chriſto, tum commemoratio ſanctitatis, & miraculorum Chriſti, &c. Salvamini a generatione ista prava; quaſi dicat, Per fidem, & baptiſmum Chriſti, moreſque Chriſtianos ſegregate vos ab hoc ſæculo infideli, & impio, hoc eſt, a Iudæis, & Gentibus infidelibus, & impiis, ut ſalvetis animas veſtras.

V. 41. Appositae sunt: Eccleſiæ, & cœtui fidelium. Animae: homines.

V. 42. In doctrina Apostolorum: audienda, meditanda, & probe percipienda. Et communicatione fractionis panis: τοῦ ἄρτου, cum articulo, id eſt *panis illius*, ſcilicet *Euchariſtiæ*. Dicitur fractionis, quia frangebatur, & diſtribuebatur.

V. 43. Fiebat autem omni animae timor; id eſt, omnes timore, & ſacro quodam horrore, & reverentia tenebantur, ut fit ubi ſe Deus prodit per opera inſueta.

ta. Et metus magnus. Repetitio eiuſdem ſententiæ, More Hebræorum, qui ſolent eas frequenter uſurpare.

V. 44. Erant pariter: ἐπὶ τὸ αὐτό, *erant in id ipſum*, ſimul, coniuncti, quia ſtatis horis conveniebant ad conciones, ad Synaxes, ad orationem, &c. Habebant omnia communia: ex quo magna naſcitur concordia, & caritas, ablegatis pacis perturbatoribus, *Meo*, &, *Tuo*.

V. 45. Possessiones: agrorum, aut domorum. Substantias: bona mobilia, ut pecora, & ſupellectilem. Vendebant: amore paupertatis, & ſtudio caritatis, ut poſſent cum egentibus communicare.

V. 46. In templo: ut concionantes Apoſtolos audirent, ut Euchariſtiam ſumerent, &c. Frangentes circa domos panem. Aliqui hoc intelligunt de pane communi, & uſuali; quaſi dicat, *Frangebant*, id eſt diſtribuebant per domos panem, id eſt cibum pro numero incolarum euiuſque domus. Alii intelligunt de pane Euchariſtico, quia Euchariſtia a Paulo, & Luca vocatur *fractio panis*. Circa domos: κατ' οἶκον, *circa domum*, hoc eſt, *circa templum*, ut vult Oecumenius. Vel κατ' οἶκον, idem eſt ac, *domatim*, *per domos ſingulas*; creſcentes enim numero fidelium per varias domos illos diſtribuere, & multis locis panem frangere oportebat. Cum exultatione: ob mutuam caritatem, & conſolationem ex ſumptione Euchariſtiæ. Et simplicitate cordis, id eſt ſine malitia, dolo, ſuſpicione, invidia: ſed benevole, candide, ſincere.

V. 47. Habentes gratiam ad omnem plebem: toti populo chari, & amabiles, propter ſanctos, & inculpatos mores. Dominus autem augebat, &c. id eſt, addebat Eccleſiæ, & cœtui fidelium plures alios, qui ſalvi fierent. In idipsum, id eſt ſimul, videlicet, in Eccleſia.

T I R I N I.

Verſ. 1. Cum complerentur dies Pentecostes, nempe 50. illi dies qui a Paſchate ſupputandi erant, & hoc die complebantur. In Græco eſt, *cum compleretur dies Pentecoſtes*, nempe quinquageſimus a Paſchate: qui phraſi Hebræa compleri dicitur quando advenit & inchoatur. Sic Lucæ II. 21. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*, id eſt die octavo: & verſ. 22. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius*, id eſt cum illuxiſſet dies quadrageſimus, &c. Porro per diem Pentecoſtes intelligit Lucas feſtum ipſum Iudæorum, quod annue celebrabant in memoriam acceptæ illo die legis divinæ per Moyſen in monte Sinai, Exodi XIX. & ſimul in gratiarum actionem pro novis anni præſentis frugibus, quarum primitias, puta duos panes, debebant eodem die Deo in templo offerre. Erant hæc typus Chriſtianæ Pentecoſtes, qua promulgata eſt lex nova Chriſti per Petrum & reliquos Apoſtolos: & qua primitiæ fidei, nempe tria millia Iudæorum, oblatæ & dicatæ ſunt Deo. Quoto menſis die, & quota feria hebdomadæ celebrata tum fuerit tam Iudæorum, quam Chriſtianorum Pentecoſte (quia utraque in unum eumdemque diem incidit illo anno) dixi in Chronico *a*. Erant omnes diſcipuli numero 120. de quibus hactenus, pariter; Græce, ὁμοθυμαδόν, id eſt, *unanimiter*, in eodem cœnaculi *b* loco: ita S. Cyprianus *c*, Chryſoſtomus & alii Patres, immo & Propheta Ioel infra *d* a S. Petro citatus, contra Bezam, qui inepte id reſtringit ad ſolos Apoſtolos.

V. 2. Sonus tamquam advenientis spiritus, ſeu venti, vehementis; Græce, *flatus violenti*. Non igitur neceſſum eſt fuiſſe verum ventum, ſed ſufficit, fuiſſe verum ſonum, qualis excitari ſolet a vento valido ingruente. Si enim homines poſſint ſine vento ſimilem vento excitare ſonum, cur id non poſſit Deus? Ita inſinuat S. Cyprianus *e*, Vatablus, Pagninus & alii. Significabat autem vehemens hic ſonus vehementiam, efficaciam & impetum quo Spiritus ſanctus invadebat, excitabat, impellebat corda diſcipulorum ad prædicandum, totoque orbe divulgandum Evangelium, inquit S. Thomas *f*: Addit Chryſoſtomus ſine hoc Spiritus impulſu nihil valere omnem ſapientiam, eloquentiam, ceteraque talenta; ſicut ſine vento nil poteſt navis, quantumcumque neceſſariis omnibus instructa.

V. 3. Dispertitae; Tigurini, *diſſectæ*, linguae, ſingulis flammularum inſtar, in plures partes, ſed inſerne cohærentes, diſſilien-

Digitized by Google

ſilientibus; repræſentabant multiplicitatem linguarum, ceterorumque donorum, quæ cuique communicabat Spiritus ſanctus, inquit Cyprianus *b*: maxime vero donum diſcretionis ſpirituum quo penetrarent intima hominum, & iis congrua ad ſalutem ſuggererent. Erant autem hæ linguæ non carneæ, ſed TAMQUAM IGNIS, ſeu ſpeciem ignis referentes: videbantur enim ardere, lucere, agitari & in altum aſſurgere inſtar veri ignis. Videtur ergo vapor fuiſſe denſior, luce rubente coruſcus inſtar ignis, in linguæ ſectilis ſpeciem efformatus. Hoc ſchemate deſignabatur, diſcipulos cæleſti Spiritus ſancti igne prorſus purgari *i*, purificari, illuminari, accendi k, & ad cæleſtia elevari, ut S. Thomas *l* pulchre demonſtrat. SEDITQUE hic ignis, id eſt incubuit effulſit, SUPRA capita *ſingulorum*: ſic oſtendens, eos cæleſti ſapientia, caritate & facundia præditos, mentis item & appetituum tranquillitate, animi conſtantia, morum gravitate præcellentes thronos quaſi Cherubicos Spiritus ſancti, præcones verbi divini, magiſtros & doctores univerſi: in quibus, vel quorum ſucceſſoribus ad finem uſque mundi *m* reſidens permaneret Spiritus ſanctus, inquit Chryſoſtomus, Nazianzenus *n*, Ammonius &, alii.

V. 4. REPLETI SUNT OMNES SPIRITU SANCTO, cuius antea participationem ali quam acceperant, iam plenitudinem adipiſcuntur, inquit S. Leo. *o* Magna enim eſt differentia, ut ait Richardus de S. Victore *p*, inter Spiritus ſancti *infuſionem*, dum hominem iuſtificat; & *diffuſionem*, dum ita animam occupat, ut nullam partem vacuam relinquat; & *effuſionem*, dum ſupereffluere & in alios derivare facit. Proprietates huius ſpiritus graphice nobis depingit Sapiens cap. VII. 22. & ſequentibus. Vocatur autem *ſpiritus*, non ſolum ratione eſſentiæ & modi procedendi, quia ſcilicet a Patre & Filio ſpiratur ut ſpiritus; ſed etiam ratione efficaciæ, ſeu efficientiæ, quia ſubtilis eſt, penetrans, fortis, &c. ut ſpiritus. Additur *ſanctus*, quia talis eſt per excellentiam, nempe ſanctiſſimus, omniſque ſanctitatis creatæ fons, ſcaturigo & cauſa. Nec vero ſola Spiritus ſancti dona, ſeu munera nobis in iuſtificatione communicari, ſed ipſam quoque perſonam Spiritus ſancti, & conſequenter etiam Patrem ac Filium, patet ex illo Ioan. XIV. 23. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, & tute docent S. Bonaventura, Magiſter, S. Thomas *q*, Scotus, Gabriel, Marſilius, Gregorius de Valentia, Vaſquez, Suarez & Leſſius *r*.

Hoc ſpiritu impulſi diſcipuli COEPERUNT LOQUI VARIIS LINGUIS. Non una ſola ſinguli, quæ ab omnibus intelligeretur, ut ſenſiſſe videtur Cyprianus *ſ*, Arator, Oecumenius, Dionyſius Carthuſianus & Eraſmus: ſed multis & *variis*, ut hic dicitur, quas Marcus XVI. 17. *novas* vocat, Græcus *alias*, ſeu *diverſas* a ſua patria lingua. Et S. Paulus *t*, *Gratias*, inquit, *ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor:* ita S. Ambroſius *u*, Cyrillus, Nazianzenus, Auguſtinus, Leo, Gregorius, & alii paſſim. Nolo tamen Apoſtolis denegare etiam hoc privilegium, ut ſubinde unica lingua loquentes, a variarum linguarum auditoribus intelligerentur. Si enim hoc S. Vincentio Ferrerio, Antonio Ulyſſiponenſi & Bernardino conceſſum, & quibuſdam aliis, cur Apoſtolis denegemus? Sed contendo, etiam alterum variarum linguarum donum iis obveniſſe. Nam ſi utrumque concedimus S. Franciſco Xaverio *x*, quo iure utrumque negabimus Apoſtolis? Neque tamen ſolis Apoſtolis, ut Caietanus putat, ſed & omnibus aliis tum præſentibus, etiam Deiparæ, etiam Magdalenæ, idem conceſſum, ut fuſe docet Suarez *y*. Et Irenæus teſtatur, *ſe multos* ſuo etiam tempore *audiſſe qui univerſis linguis loquebantur*.

V. 5. VIRI RELIGIOSI, id eſt cultui Dei addicti; Syrus, *timentes Deum*, EX OMNI NATIONE, id eſt ex plurimis regionibus, in quas iam a tempore Teglatphalaſſaris, Nabuchodonoſoris, & Antiochi *z* Epiphanis diſperſi fuerant, & ſubinde Ieroſolymam reviſebant vel pietatis, vel ſtudiorum, vel negotiorum cauſa.

V. 6. MENTE CONFUSA; Syrus, *conturbata;* Chryſoſtomus, *perculſi ſunt*, admiratione, ſtupore, horrore tanti, tamque inſoliti miraculi, inquit Vatablus, Caietanus & alii.

V. 9. AELAMITAE e Perſide erant, ut alibi *aa* dixi. Pro eo quod Noſter hic & Græcus habent IUDAEAM, putant aliqui legendum *Indiam*, ne Iudæi bis hic recen-

cenſeantur pene uno eodemque verſu.

V. 11. PROSELYTI; id eſt, advenæ vel adventitii, vocabantur, qui ex Gentibus prognati Iudaicæ religioni ſeſe adiungebant; quaſi dicat: Non loquor de illis ſolis qui Iudaicis parentibus nati erant, ſed etiam qui Gentilibus.

V. 13. MUSTO PLENI SUNT. Græcum γλεῦκος etiam omnem *ſuccum dulcem* ſignificat. Unde enim 13. Maii muſtum proprie dictum? Niſi malis, irriſorie locutos; quaſi dicat: Videntur ebrii & inſanire, perinde ac ſi muſtum hauſiſſent. Sed muſtum hoc erat novi teſtamenti ſpiritaliter inebrians & inſanire faciens animas, ut S. Auguſt. & Bernardus *bb* graphice depingunt.

V. 15. HORA DIEI TERTIA ab ortu ſolis, non poterant ebrii cenſeri, cum, teſte Ioſepho, ſolerent Iudæi feſtis omnibus abſtinere uſque ad horam ſextam, inquit Baronius. Quæ ex Ioele profert S. Petrus, primus hic, ut Primatem & caput Eccleſiæ decebat, promulgans Evangelium, expoſui Ioelis II. 28. Ergo

V. 23. Hunc Ieſum PER MANUS INIQUORUM, tum iudicum, tum militum, *affigentes cruci*, ut habet Syrus, INTEREMISTIS, o Iudæi, non caſu, non violentia vel neceſſitate eo adactum, ſed a Deo ab æterno, DEFINITO CONSILIO ET PRAESCIENTIA vobis TRADITUM. Potuiſſet enim ſe, ſi voluiſſet, ſubducere, potuiſſet vos omnes occidere, &c. Sed cum vellet Deus morte Chriſti redimi mundum, atque, ut mors illi inferretur, alia media non deeſſent, maluit decernere, ut illam a vobis o Iudæi (quos prævidebat in Chriſtum ſuum inſurrecturos) inferri pateretur. In quo ſane veſtra actio diſplicuit, ſed Chriſti paſſio grata fuit.

V. 24. QUEM DEUS SUSCITAVIT tertia die SOLUTIS DOLORIBUS INFERNI; Syrus, *ſolutis funibus inferorum*; Græcus, *ſolvens dolores mortis*, id eſt dolores graviſſimos, quales ſunt in morte & in inferno. Sic Pſal. XVII. 5. *Circumdederunt me dolores mortis*, &c. *dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis*. Quo alludit hic Petrus. Solvit autem hos dolores, hos funes, (nam utrumque ſignificatur Hebræo *chable*) tam quibus conſtrictus fuerat in cruce, quam quibus conſtringendus videbatur in inferno ad mortem aliorum morientium, diſcutiens illos ac diſpellens, & ne conſtringeretur impediens, inquit S. Auguſt. & fere Baſilius, Theodor. Suarez *cc* & a Lapide. IMPOSSIBILE enim ERAT TENERI ILLUM AB EO, ſupple, inferno, vel doloribus aut vinculis inferni: erat enim Chriſtus innocentiſſimus, erat & Deus, per conſequens dominus inferni, mortis & totius regni diabolici. Unde

V. 25. DAVID DICIT IN EUM, id eſt de eo *dd*, ut Syrus & alii vertunt:

V. 26. CARO MEA uſque ad tertium diem ſecura in ſepulcro REQUIESCET IN SPE futuræ brevi reſurrectionis.

V. 27. QUONIAM ANIMAM MEAM (qua rurſus vivificanda ſum) NON DERELINQUES diutius IN INFERNO, NEC DABIS SANCTUM TUUM: τὸν ὅσιον, puta Chriſtum, qui per excellentiam eſt Sanctus ſanctorum, VIDERE, id eſt ſentire, CORRUPTIONEM, ſeu putrefactionem vel incinerationem; quaſi dicat: Prius ſuſcitabis corpus eius mortuum, quam poſſit putreſieri. Ex quibus verbis S. Ambroſ. Hieron. Auguſt. *ee* & alii probant, animam Chriſti poſt mortem revera ad inferos deſcendiſſe, contra Calvinum & alios hæreticos id ſtolide negantes, quorum unus Beza, ut vim loci huius effugiat, pro eo quod Scriptura dicit, *Non relinques animam meam in inferno*, ipſe vertit, *non relinques cadaver meum in ſepulcro*; animam in cadaver, infernum in ſepulcrum commutans; cum tamen *anima* hic opponatur *carni*, & ἅδης non ſepulcrum, ſed proprie dictum infernum ſignificet in Scripturis. Porro quod David hoc prædixerit non de ſuo, ſed de Chriſti corpore, probat ex eo, quod

V. 29. SEPULCRUM EIUS APUD NOS extet USQUE IN HODIERNUM DIEM; quod teſtis nobis eſt corporis eius in eo corrupti, putrefacti & in pulverem redacti. Non igitur ſuum, ſed Chriſti filii ſui corpus prædixit fore incorruptum. Qui

V. 33. DEXTERA, id eſt potenti virtute, DEI per reſurrectionem & in cælum aſcenſionem EXALTATUS, iam A PATRE ACCEPTA poteſtate *promiſſum* prius *Spiritum ſanctum* mittendi in diſcipulos ſuos, ho-

hodie *illum* liberaliſſime EFFUDIT, QUEM VOS ipſi VIDETIS in linguis igneis, ET AUDITIS per os noſtrum variis linguis magnalia, ſeu mirifica Dei opera proloquentem.

V. 36. HUNC IESUM a primo conceptionis inſtanti FECIT DEUS DOMINUM cæli & terræ, ET CHRISTUM, ſeu Meſſiam & redemptorem mundi: QUEM VOS inaudito facinore CRUCIFIXISTIS.

V. 38. POENITENTIAM AGITE; id eſt, pœniteat vos ſcelerum admiſſorum, (ſaltem imperfecta pœnitentia, quam Theologi *attritionem* vocant, & eſt dolor de peccatis ob imminentes inde pœnas) *&* *baptizemini* IN NOMINE, id eſt fide, profeſſione, virtute, IESU CHRISTI, ſupple, & reliquarum perſonarum divinarum, quæ ut Chriſtum comitantur & neceſſario connexæ ſunt, ita debent in forma baptiſmi etiam diſtincte exprimi. Unde certum eſt, pœnitentes hos, tria millia, antequam baptizarentur, inſtructos fuiſſe de hoc SS. Trinitatis, aliiſque fidei noſtræ myſteriis quæ Symbolo Apoſtolico continentur, ut fuſe docet Suarez, Coninck & alii Scholaſtici. Crediderim autem primis illis temporibus formæ baptiſmi ſolitum fuiſſe addi nomen Ieſu Chriſti, hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii* eius Ieſu Chriſti, *& Spiritus ſancti*, ut novo nomini maior fides, & reverentia conciliaretur.

V. 39. VOBIS ENIM, utpote filiis Abrahæ, facta EST REPROMISSIO vitæ & ſalutis æternæ per Chriſtum donandæ; uti facta eſt etiam OMNIBUS QUI LONGE SUNT a ſemine Abrahæ & a Deo, puta Gentilibus.

V. 40. SALVEMINI, id eſt ſegregemini, A GENERATIONE ISTA PRAVA, id eſt ab hoc ſæculo impio & infideli; quaſi dicat: Per fidem & baptiſmum Chriſti feſtinate ſeiungere vos a reliquis obſtinatis Iudæis & Gentilibus, ut cum illis non pereatis æternum. Porro fideles converſi illa unica concione Petri ad tria millia

V. 42. ERANT quotidie perſeverantes, primo, IN DOCTRINA APOSTOLORUM audienda, meditanda, & executioni mandanda; ſecundo, IN COMMUNICATIONE FRACTIONIS PANIS; Græce, *in communione & fractione illius* (excellentis) *panis*, puta Euchariſtici, ut Syrus vertit, & etiam Tremellius, Chemnitius, Oſiander: & eſt communis Patrum expoſitio. Sic S. Paulus, *gg Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Tertio, IN ORATIONIBUS: ex quibus patet, ſtatim a Pentecoſte frequentari cœptam a fidelibus SS. Euchariſtiam, & quidem quotidie, nec ſemper ſub utraque ſpecie.

V. 43. FIEBAT OMNI ANIMAE, etiam obſtinatorum Iudæorum, TIMOR, id eſt horror, & ex horrore reverentia erga Apoſtolos, quos quaſi cæleſtes homines ſuſpiciebant, qui inſtar Eliæ ignem de cælo evocare & in hoſtes vibrare poſſent. En quanta vis Spiritus ſancti! Antea timidi quaſi cervi, nunc omnibus terrori ſunt quaſi leones.

V. 44. OMNES QUI CREDEBANT, ERANT PARITER. Græce, *erant in idipſum;* Syrus, *erant ſimul*; Tigurini & Pagninus, *erant coniuncti*, nempe ſtatis horis ad concionem, communionem & orationem confluentes, ut ante *Lh* dicebat. ET HABEBANT OMNIA COMMUNIA præter uxores, inquit Tertullianus *ii*. Iacta ergo hic a primis Chriſtianis Religioſæ vitæ fundamenta, inquit S. Hieronymus, Baſilius *ll* & Auguſtinus: & a verbo κοινὰ, id eſt communia ortum nomen κοινόβιον & cœnobitæ. Porro hæc bonorum omnium communicatio, uti de medio tollebat *meum & tuum*, occaſionem omnium litium, cupiditatum, vitiorum & tentationum; ita materiam ſuggerebat tempuſque & commoditatem vacandi ſibi & Deo, mutuæ item caritatis incentiva, & ſegetem meritorum: avocat a terrenarum rerum curis, ad ſtudium contemplationemque cæleſtium; perpetuamque animi pacem, gaudium, iubilum parit, ut pulchre Tertullianus *mm* exponit.

V. 46. FRANGENTES PANEM Euchariſticum, ut Syrus, Oecumenius & alii verſ. 42. citati exponunt; & poſt Euchariſtiam, etiam *agapen*, ſive epulum & convivium commune, quod in memoriam & ad imitationem ultimæ cœnæ Domini præbebatur e publico, non uno ſemper loco, ſed CIRCA, ſeu per varias DOMOS, prout multitudo requirebat fidelium, qui augebantur

V. 47. QUOTIDIE IN IDIPSUM, id eſt

in

Digitized by Google

in eamdem ſocietatem, in idem inſtitutum & rationem vivendi.

(a) Chronici cap. I. §. i. & cap. xlviii. concluſ. iii.
(b) Actor. i. 13.
(c) Cypr. Serm. de Spiritu ſancto.
(d) Actor. ii. 17.
(e) Cypr. Lib. III. Teſtimon. contra Judæos.
(f) S. Tho. 1. p. q. xliii. art. 7. ad 6.
(g) Chryſoſt. Serm. de Spiritu ſancto.
(h) Cypr. Serm. de Spiritu ſancto.
(i) Iſaiæ vi. 6.
(k) Eccli. lxviii. 1.
(l) S. Tho. ſup.
(m) Ioan. xiv. 16.
(n) Nazianz. orat. xliv.
(o) Leo Serm. III. de Pentecoſte.
(p) Richard. de Miſſione Spiritus ſancti.
(q) Bonavent. & alii in 1. diſt. xiv. art. ii. q. 2. S. Tho. ſup. art. iii. & vi.
(r) Suarez. Lib. XXII. de Deo trino & uno cap. v. Leſſius de Attributis Divin.
(ſ) Cypr. ſup. Alii hic.
(t) I. Cor. xiv. 18.
(u) Ambroſ. in Pſ. xviii. Cypr. catecheſi xvii. Nazian. orat. xliv. Aug. tract. xciii. in Ioan. Leo ſerm. 1. de Pentecoſte. Greg. hom. xxv. in Evang.
(x) In proceſſu Canonizationis.
(y) IV. Reg. xv. 29.
(z) Ibid. cap. ult. I. Mach. 2. 34. 40. &c. Ierem. xlix. 34.
(aa) Chronici cap. i. §. 1.
(bb) Auguſt. Serm. CLXXXV. de Temp. Bern. de Natura divini amoris cap. iii.
(cc) Auguſt. epiſt. xcix. Baſil. & Theodor. in Pſal. xvii. Suarez iii. p. quæſt. lii. diſp. xliii. ſect. i.
(dd) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. xii.
(ee) Ambr. Serm. LXXIV. de Mart. Hieron. in Pſal. xv. Auguſt. ſup.
(ff) Suarez & alii in iii. p. S. Thomas diſp. xxi. ſect. iii. Coninch. lxvi. art. vi. dub. un.
(gg) I. Cor. x. 16.
(hh) Hic. verſ. 42.
(ii) Tertull. in Apolog. cap. xxxvii.
(ll) Hieron. de Viris illuſtribus in Marco. Baſil. in Reg. fuſior. reg. xix. & xxxii.
(mm) Tertull. de Spectaculis cap. xx.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. **ET CUM COMPLERENTUR.** Senſus eſt, dum adeſſet dies quinquageſimus a Paſchate, & eſſent illi centum viginti, (de quibus ſupra verſ. 15.) omnes in cœnaculo memorato verſ. 13. Ecce ſonus vehemens, deſignans certe efficaciam advenientis Spiritus Sancti, replens locum & cœnaculum.

De Pentecoſte dixi Levit. xxiii. 15. & plane initio Tomi ii. Chron. Iudaica Pentecoſte illis locis explicata eſt. Chriſtiana ſane & diverſa numerat quinquaginta dies a Dominica reſurrectionis; unde exurgit Dominica ſeptima, quæ eſt nobis dies quinquageſima ſeu Pentecoſte. SPIRITUS, πνεῦμα: aliqui ventum interpretantur, alii ſonum verum, & quo excitarentur Iudæi ad tam illuſtre ſpectaculum contuendum. Sonum, inquam, dicit & fragorem, qualis excitari ſolet adventante vento vehementiore. Perfricuit frontem Beza, qui in hoc cœtu tantum voluit eſſe Apoſtolos; immo abfuiſſe etiam B. Virginem, cum tamen videre potuerit a verſu 15. capitis primi ſemper produci ſermonem de cœtu eodem, quem etiam nunc adfuiſſe integrum agnoſcunt antiqui Patres, Chryſoſtomus, Cyprianus, & alii. Adde τὸ OMNES hic verſ. 1. non tamen qui extra totam domum & cœnaculum erant, putantur repleti ex verſ. 2.

V. 3. **ET APPARUERUNT.** Singulis capitibus ſingulæ linguæ inſidebant, & diſpertitæ, fortaſſis quia quælibet lingua ſuperne referebat flammam diviſam & biformem: nec tamen vere ignis erat lingua, ſed ſpeciem ignis referens; & quidem appoſite in ſpecie linguæ ad concionandum: ignitæ vero ad zelum & caritatem demonſtrandam, quam afferebat Spiritus Sanctus. Sic ſane ut antea dicebat Chriſtus, ignis miſſus eſt in terram. Ceterum quamvis de parte corporis textus nihil proferat, tamen Patres communiter in capite linguas apparuiſſe ſentiunt.

V. 4. **ET REPLETI SUNT OMNES.** Non omnes æqualia hæc dona acceperunt, ſed quiſque pro ſuo munere, officio & diſpoſitione, nempe qui antea habebant Spiritum Sanctum, iam plenitudinem acceperunt pro cuiuſque officio. Ceterum in donorum infuſione & iuſtificatione vere & phyſice dari Spiritum docent Theologi Lege Suarez de Deo trino & uno cap. v. Lib. XII. ſine tamen mutatione divinæ perſonæ, ut dixi Rom. v. 5. Quamvis autem iuſtis omnibus ſic detur Spiritus Sanctus, non tamen ad eos omnes mittitur, ſed ſolum quando venit ad executionem ardui operis, ut docet S. Thomas 1. part. quæſt. XLIII. art. 6. ad 2. **ET COEPERUNT LOQUI.** Quamvis non ſit impoſſibile Apoſtolos una tantum lingua loquentes potuiſſe intelligi a variarum nationum hominibus, ac ſi propria illarum lingua fuiſſent locuti; eſt tamen verius Apoſtolos locutos variis linguis. Certe ut miraculum ſit in loquentibus Apoſtolis, & non

non in audientibus. Et vero probabilius eſt idem hoc donum communicatum fuiſſe B. Virgini, Magdalenæ, & toti cœtui centum viginti hominum, de quibus ſupra.

V. 5. Erant autem. Quod ait ex omni natione quae sub sole, eſt hyperbole, pro variis nationibus, uti recenſet Lucas verſ. 9. Erant quidem Iudæi per orbem diſperſi, vel negotiandi ſtudio, vel ob perſecutiones, prætertim a tempore Antiochi illuſtris. Et viciſſim veniebant tum diſperſi Iudæi feſtorum cauſa (ut lex Exod. xxiii. 18. iubebat de ſtatis diebus) vel ad negotia. Quos hic religioſos vocat Lucas, ſunt illis temporibus, qui pietatem præ ceteris colebant: habebat civitas illa præter templum, etiam matricem Synagogam; collegia porro & hoſpitia gentium.

V. 6. Facta autem hac voce. Sonus ille de quo verſ. 2. multos ad, ſpectaculum excitavit, admirantes miracula & rei novitatem, Et ad ea confluebant loca varia, ad quæ Apoſtolos impellebat Spiritus Sanctus, etiam ad templum & ſynagogas.

V. 7. & 8. Stupebant. Stupor pene ad ἔκστασιν, ut rei novitas ferebat, præſertim propter Galilæos natos ad alia omnia magis quam ad peritiam linguarum & rerum quas loquebantur, ut erant Galilæi ceteris nationibus hebetiores.

V. 9. 10. 11. 12. 13. AElamitae: ab AElam. Eſt ea Aſiæ pars quæ Perſidem complectitur. Aderant porro ex Meſopotamia, & reliqua Iudæa multi. Aſia hæc eſt pars Aſiæ maioris quæ ad Propontidem ſpectat. Partem Libyæ hic ſatis manifeſtat, dum vocat Libyam Cyrenaicam a Cyrene metropoli. Romæ etiam habitabant hoc tempore Iudæi, ex præfat. epiſt. ad Romanos. At quid illud, Iudaei quoque et proselyti? an non iam recenſuit Iudæos? Reſpondeo; hic per Iudæos intelligit Lucas Iudæos qui ab exteris nationibus, ubi habebant ſedes, venerunt: quibus nunc opponit Proſelytos, ſcilicet ex gentibus natos, ſed per circumciſionem aſſociatos Iudæis. Irriſores, & qui ebrietatem obiectabant, probabile eſt Scribas fuiſſe & Phariſæos: muſtum ut fœculentum adhuc, citius turbat cerebrum.

V. 14. & 15. Stans autem Petrus. Petrus ut princeps, primus pro omnibus loquitur, concionatur, & ad datum ſolemne ſignum promulgat Evangelium. Purgat imprimis crimen ebrietatis, quod tantum ſit hora diei tertia. Mos erat apud Iudæos diebus feſtis omnibus (ex Ioſepho in vita ſua) abſtinere a cibo uſque ad horam ſextam ab ortu ſolis: meridies erat Iudæis, ut videre licet ex his quæ dixi de horis Iudaicis, & Matth. cap. xxviii.

V. 16. & 22. 23. Sed hoc est quod. Huc refert verba Ioelis cap. ii. 28. vide hunc locum ibidem explicatum, qui recte conſentit cum donis Spiritus Sancti conceſſis Eccleſiæ, & primis in ea principibus. Vir hic *approbatus* verſ. 22. Chriſtus eſt, tot Prophetarum oraculis & ſignis mundo demonſtratus. In vobis, veſtri cauſa. Syrus, *apud vos*, certe ad communem mundi ſalutem. Definito concilio, non caſu, aut neceſſitate ulla, ſed divino decreto. Potuit ſane Dominus inanem reddere Iudæorum conatum: totum etiam negotium regebat præſcientia Dei, ſcientis futurum ut ſi tales permitteret rerum occaſiones, non abſtinerent a Meſſiæ morte Iudæi, quibus adhuc ſtabat libertas non occidendi. Clara res eſt, ac proinde cum Dei decreta, quo ſunt ex prævisa noſtra determinatione, non tollant libertatem, impie & imperite dixit Calvinus neceſſario peccaſſe Iudæos, & Deum tam eſſe cauſam proditionis Iudæ, ac eſt vocationis Petri: alterum naturam hominis evertit; alterum eſt blaſphemia contra Dei bonitatem. Non avertit homo impius Deum præſciviſſe quod evenire potuit, permiſiſſe deinde (ut loquimur de Deo) ut res fierent tali modo: ac demum decreviſſe (prævisa Iudæorum determinatione) paſſionem Chriſti. Sed de his Thologi, qui de Dei ſcientia & voluntate diſſerunt ex profeſſo. Ceterum verſ. 23. *traditus* eſt Chriſtus ἔκδοτος, ſed varie a variis, a Patre quidem expoſitus: immo & a ſeipſo: ſed aliter a Iuda, Iudæis & Pilato.

V. 23. Quem Deus suscitavit. Sane a Deo divinaque virtute & ope aliena reſurrexit, Matt. xxviii. Solutis doloribus, ſuperatis morte, inferno, & ceteris malis quæ illinc ſequuta ſunt; & quibus detineri non potuit.

V. 25. In eum. De eo, nempe de Chriſto, hæc profert David Pſal. xv. 8. ubi totum hunc Pſalmum de Chriſto interpretatus ſum, addita etiam paraphraſi.

V. 29. VIRI FRATRES. Præclare ratiocinatur Petrus. Docet verſ. 29. locum Pſalmi non convenire Davidi; & mox verſ. 30. oſtendit convenire Chriſto, ut tandem verſ. 36. concludat eum eſſe quem Deus deſtinavit Meſſiam, & unctum gratiæ plenitudine, ac de quo dixit Propheta Patriarcha in Pſalmo: *Non dabis ſanctuum tuum videre corruptionem*, ut credatur inde eum reſurrexiſſe.

V. 33. DEXTERA. Per Dei potentiam reſurrexit, & aſcendit in cælum; & iuxta factam a Patre promiſſionem effudit, miſitque hunc quem audiſtis & videtis Spiritum Sanctum conſpicuum in linguis igneis. Hinc etiam illud ex Pſalmo CIX. *Dixit Dominus* aſſertur, ubi David non de ſe loquitur (qui non aſcendit in cælum) ſed de Chriſto, qui ſedet ad dexteram Patris, miſitque id quod videtis. Supereſt ergo vobis, ſed per pœnitentiam reſerata ad ſalutem via. Vide ſuo loco hunc Pſalmum, & inde probatam Chriſti divinitatem.

V. 36. QUIA DOMINUM .... FECIT DEUS; hoc eſt Deus Pater evexit eum ad hunc gloriæ honorem, ut ſit Dominus univerſorum, & Meſſias per unionem hypoſtaticam, indeque fluentia dona gratiæ. Loquitur ergo de Chriſto qua homo eſt: ad divinitatem non poteſt fieri novæ perfectionis aut gratiæ acceſſio.

V. 38. POENITENTIAM AGITE. Hortatur Petrus ad pœnitentiam etiam ante baptiſmum; inſuper ad baptiſmum: ſed eum qui inſtitutus eſt a Chriſto, ut demum ſuccedat ſolida remiſſio peccatorum: & ſic, inquit, accipietis dona Spiritus Sancti. Singula verba ſunt tela totidem in Calvini aſſeclas, qui nec pœnitere volunt, ſola imaginaria vitæ novitate contenti: nec baptiſmi neceſſitatem recipiunt, quamvis utramque hanc hæreſin damnet ſacra Scriptura. Hinc etiam fit ut velint hominem iuſtificari ſine remiſſione peccatorum; & vere eſſe iuſtum ſine iuſtitia. Suntne ſobrii? ſane ridiculi, & hactenus paſſim in hoc opere refutati. Ceterum quod eſt hic verſ. 38. de dono Spiritus Sancti gratiam ex ſacramento Confirmationis interpretatur Suarez agens de hoc ſacramento diſp. XXXII. ſect. III.

V. 42. ERAT AUTEM: in doctrina tradita ab Apoſtolis audienda. PANIS: *ἄρτυ* cum articulo, *panis illius*. Euchariſtia eſt quæ frangebatur ad diſtributionem. De hoc pane illud erat in uſu; deferebatur domum tempore Tertulliani, ut mane ſumeretur, præſertim tempore perſecutionis: ſic ſe muniebant ad martyrium, & contra adverſa pii viri: hinc Tertul. Lib. de orat. cap. ultim. ait ſolvendam eſſe orationem corpore dominico accepto.

V. 44. & 45. OMNES ETIAM QUI CREDEBANT. Ad varia referri poteſt illud *ἐπὶ τὸ αὐτό*, ad concionem, ad ſynaxin, ad orationem, ad alia: conveniebant ſcilicet ſtatis temporibus ſeu in idipſum, ut habet Græcus. Habebant omnia communia, *κοινά*, hinc *κοινόβιον*, *cœnobium*. Inde vitæ religioſæ ſumpta exordia. POSSESSIONES: vendebant caritatis ſtudio, ut egentibus ſuccurrerent: immobilia, poſſeſſiones agrorum, & mobilia, ſubſtantias, pecora, ſupellectilia.

V. 46. QUOTIDIE. Sane a Luca & Paulo fractio panis ſolet vocari Euchariſtia; quam proinde hic aliqui intelligunt: alii panem communem quem dabant egentibus per domos.

CA.

Digitized by Google

CAPUT III.

Petrus cum Ioanne claudum a matris utero ſanat, ac docet ipſos id feciſſe per fidem nominis Chriſti; quem oſtendit eſſe Meſſiam promiſſum per Moyſen & Prophetas, ipſique Abrahæ.

1. PEtrus autem & Ioannes aſcendebant in templum, ad ho-
ram orationis nonam. 2. Et quidam vir, qui erat clau-
dus ex utero matris ſuæ, baiulabatur: quem ponebant
quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, ut pe-
teret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. 3. Is
cum vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in
templum, rogabat ut eleemoſynam acciperet. 4. Intuens
autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in
nos. 5. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. 6.
Petrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo,
hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. 7. Et ap-
prehenſa manu eius dextera, allevavit eum; & protinus conſolidatæ ſunt ba-
ſes eius & plantæ. 8. Et exiliens ſtetit, & ambulabat: & intravit cum illis
in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. 9. Et vidit omnis po-
pulus eum ambulantem, & laudantem Deum. 10. Cognoſcebant autem il-
lum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat ad Specioſam portam tem-
pli: & impleti ſunt ſtupore & extaſi, in eo quod contigerat illi. 11. *Cum
teneret autem Petrum & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad por-
ticum quæ appellatur Salomonis, ſtupentes. 12. Videns autem Petrus, re-
ſpondit ad populum: Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid
intuemini, * quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? 13.
Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum, glo-
rificavit filium ſuum Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante fa-
ciem Pilati, iudicante illo dimitti. 14. (*a*) Vos autem ſanctum & iuſtum ne-
gaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis: 15. auctorem vero vitæ in-
terfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit a mortuis, cuius nos teſtes ſumus. 16. Et in
fide nominis eius, hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit nomen e-
ius: & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu
omnium veſtrum. 17. Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſi-
cut & principes veſtri. 18. * Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium
prophetarum, pati Chriſtum ſuum, ſic implevit. 19. Pœnitemini igitur, &
convertimini, ut deleantur peccata veſtra: 20. ut cum venerint tempora re-
frigerii a conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, Ieſum
Chriſtum, 21. quem oportet quidem cælum ſuſcipere uſque in tempore reſti-
tutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum a ſæculo
prophetarum. 22. Moyſes quidem dixit: (*b*) Quoniam Prophetam ſuſcitabit
vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tamquam me, ipſum audie-
tis iuxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis. 23. Erit autem: omnis ani-
ma, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24. Et
omnes prophetæ a Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies
iſtos. 25. Vos eſtis filii prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad

F 2 patres

patres noſtros, dicens ad Abraham: (c) Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. 26. Vobis primum Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis: ut convertat ſe unuſquiſque a nequitia ſua.

(a) Matth. xxvii. 20. Marc. xv. 11. Luc. xxiii. 18. Ioan. xviii. 40. (b) Deut. xviii. 15. (c) Gen. xii. 3.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 11. *Cum teneret autem Petrum*. Cave legas *videret*, aut plurale *tenerent*, pro ſingulari *teneret*.

Verſ. 12. *Quaſi noſtra virtute aut poteſtate*. In multis libris eſt *pietate* pro *poteſtate*.

Verſ. 18. *Deus autem quæ prænuntiavit*. Retinendum eſt neutrum plurale *quæ*, non ſubſtituendum maſculinum ſingulare *qui*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. BAIULABATUR, id eſt portari ſolebat, ſcilicet ad templum, vel tunc portabatur. TEMPLI, id eſt atrii templi, ſcilicet ubi populus orabat.

V. 3. INCIPIENTES INTROIRE, id eſt iamiam ingreſſuros. Græc. ad verbum, *futuros ingredi*.

V. 6. ET AURUM; pro, aut aurum. NOMINE, id eſt virtute.

V. 7. ALLEVAVIT, id eſt erexit. BASES, id eſt pedes. ET; pro, id eſt; vel quaſi dicat, Pedes toti, ſic ut poſſet recte ambulare: plantis enim ambulatur.

V. 8. EXILIENS, id eſt ſaliens, ſcilicet præ gaudio.

V. 10. ET EXTASI; quaſi dicat, Ita ut extra ſe fierent.

V. 11. TENERET, ſcilicet tanto accepto beneficio, ab eis avelli non poterat.

V. 12. POTESTATE. Græc. *pietate*, ſcilicet in Deum.

V. 13. NEGASTIS, ſcilicet dimitti eum debere. DIMITTI, ſcilicet debere: poteſt vero coniungi cum *negaſtis*: vel cum *iudicante*.

V. 14. NEGASTIS, ſcilicet dimittendum.

V. 16. NOMINIS EIUS; pro, eius. CONFIRMAVIT, id eſt ſanavit. NOMEN, ſcilicet invocatum; vel *nomen*, id eſt virtus.

V. 17. SICUT. Similitudo ſignificatur, ſed non per omnia. Principum enim ignorantia culpabilior, quippe craſſiſſima, vel etiam affectata.

V. 18. PATI; pro, paſſurum. SIC, ſcilicet ut prænuntiaverat.

V. 20. UT, ſcilicet ſalvemini. PRAEDICATUS. Græc. *propoſitus*.

V. 21. SUSCIPERE, id eſt receptum continere. RESTITUTIONIS, ſcilicet faciendæ die Iudicii, quem ſupra vocavit *tempus refrigerii*, ſcilicet felicitatis.

V. 23. EXTERMINABITUR, id eſt peribit.

V. 25. TESTAMENTI, id eſt pacti; quaſi dicat, Ad vos pertinet pactum. DISPOSUIT, id eſt pactus eſt. ET; vel abundat, vel quaſi dicat, Inter alia etiam id dixit.

V. 26. SUSCITANS. Alludit ad illud, *Prophetam ſuſcitabit*, &c. BENEDICENTEM, id eſt ut benediceret, ſcilicet felices faceret, vel gratiam daret. UT, pro, ad hoc ut, vel modo ut, quod Græc. magis indicatur.

E S T I I.

Verſ. 1. PETRUS AUTEM ET IOANNES ASCENDEBANT IN TEMPLUM AD HORAM ORATIONIS NONAM. Hinc collige etiam ab Apoſtolis certas precandi horas obſervatas fuiſſe; quem morem deinceps tota Eccleſia obſervavit, obſervatque etiam hodie. Lutherus pervertere hunc locum conatus eſt torta explicatione, hoc modo: Aſcenderunt in templum ad orandum, idque hora nona; quaſi nona hora orationi non fuerit deputata, ſed id acciddiſſe, ut hora nona aſcenderent ad orandum.

dum. At non dicit Lucas, ad orandum eos aſcendiſſe hora nona, ſed ad horam nonam, quæ erat orationis hora, id eſt precationi deputata. Id quod etiam in græco magis apparet, ubi ad illud *nonam* articulum additum, ut ſit ſenſus, eos aſcendiſſe ad horam orationis: & cum plures horæ ſint orationi deſtinatæ; ad certam aliquam ex illis, videlicet nonam, adiiſſe templum.

V. 6. ARGENTUM ET AURUM NON EST MIHI. Quomodo vere hoc Petrus dixit, ad cuius pedes tot agrorum pretia afferebantur quotidie? An quia nihil illorum proprie ad eum pertinebat? Sed obiicitur, ita in commune poſſidebantur illa, ut egentibus elargiri inde partem aliquam liceret, maxime ab eo, qui congregationis caput eſſet. Dici poteſt, Petrum, reliquoſque Apoſtolos non ſervaſſe ſibi diſpenſationem illorum bonorum, utpote verbo & orationi intentos, Actor. VI. ſed aliis eam curam demandaſſe. Quanquam & reſponderi poteſt, Petrum opportune ſimul & vere reſpondiſſe *argentum*, &c. ſive ſignificaverit ſe in promptu & ad manum non habere, ſive proprium non habere, opportune, inquam, ita reſpondiſſe, quando iamiam præſtiturus erat beneficium longe amplius, curationis videlicet ab imbecillitate corporis. QUOD AUTEM HABEO, HOC TIBI DO. Senſus: Quod dare poſſum, quod habeo in poteſtate mea, id tibi do. Dabat enim ſanitatem, cuius dandæ poteſtatem habebat ex promiſſione Chriſti, qua dixerat eis; *Infirmos curate*, Matth. X. Hinc quoque diſce recte dici ſanctos facere miracula. Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis cap. XIV. cum citaſſet hunc locum, ſubiunxit: At nunc multi, licet ſermone taceant, opere loquuntur: Fidem & miſericordiam non habeo; quod autem habeo argentum & aurum, hoc tibi non do. IN NOMINE IESU CHRISTI NAZARENI. *In nomine* varie poteſt exponi; merito, virtute, auctoritate. Quæ omnia probabilitatem habent; ſicut in illa phraſi, qua dicitur Apoſtolos baptizaſſe in nomine Ieſu. Vide noſtra in 4. diſt. III. SURGE ET AMBULA. Sermo eſt operatorius, quo præſtatur, quod dicitur. Quæritur cur ſucceſſores Petri non dicant, *ſurge & ambula*. Quidam reſpondent quia vita eorum non reſpondet ſanctitati Petri. Quæ reſponſio non convenit. Nam & Iudas fecit miracula, & multi dicent in illa die, *Domine nonne in nomine tuo dæmonia multa eiecimus, & virtutes multas fecimus?* &c. Matth. VII. Item multi ſucceſſores Petri fuerunt ſancti. Vera reſponſio eſt, quoſdam Petri ſucceſſores ſimilia feciſſe, ut conſtat ex hiſtoriis Eccleſiaſticis. Cur autem paſſim non faciant; reſpondet Gregorius, quia non eſt opus. Hæc enim, inquit, neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: Quia & nos quando arbuſta plantamus, &c. hom. XXIX. de Aſcenſione Domini.

V. 12. VIRI ISRAELITAE QUID MIRAMINI IN HOC, AUT NOS QUID INTUEMINI? QUASI NOSTRA VIRTUTE AUT PIETATE FECERIMUS HUNC AMBULARE. Quæſtio eſt, quomodo neget Petrus ſua virtute ſe id effeciſſe, cum dicatur Matt. cap. X. *Dedit illis poteſtatem curandi infirmitates*; quod & Marcus repetit cap. III. habebant igitur virtutem faciendi miracula. Reſp. Cum miracula fiant ſupra conſuetum & primo inſtitutum naturæ ordinem; fieri non poteſt ut ulla creatura ſua virtute miraculum aliquod operetur. Eſt enim ſolius Dei mutare naturas rerum. Hinc Petrus dicit ſe non ſua, id eſt propria virtute (ita enim Græce eſt) claudum ſanaſſe. Dedit autem Dominus Apoſtolis poteſtatem, quæ in ſolo miniſterio conſiſtit, & eſt divinæ poteſtatis inſtrumentum. Itaque proprie dicimus ad ſanctorum invocationem Deum talia operari; quamvis etiam verum ſit, & ſcripturis conforme ſanctos hæc operari, invocando, præcipiendo, aut alio ſimili miniſterio. Et virtus illa non aliud eſſe videtur quam gratia, ſeu beneficium, quod ſanctis quibuſdam contulit Deus, ut per eorum preces aut præſentiam, miraculum operetur. Non eſt potentia neque habitus, ne quidem ſupernaturalis, cuiuſmodi ſunt Fides, Spes, Caritas; quia ſanctus non facit miraculum quando vult, quaſi ex habitu; ſed tantum cum peculiariter aſſiſtit Deus ad miraculum. Non eſt igitur donum inhærens per modum habitus, ſed aſſiſtens per modum tranſeuntis. Nota quod & fateatur ſe feciſſe; & tamen negat ſua virtute factum. Et poſtea dicit, *fidem, quæ per Chriſtum eſt, dediſſe integram*

gram

gram ſanitatem. Ipſe igitur fecerat invocando, impetrando, verba proferendo; ſed virtus Dei erat, & meritum Chriſti per fidem applicatum ad huius effectum. Negat etiam factum ſua pietate; non quin Petri pietas potuiſſet hoc a Deo impetrare; ſed quia Apoſtoli ſic erant miſſi ad miracula facienda in Chriſti nomine, & propagandi Evangelii gratia: ut etiamſi pietas miraculis non reſpondiſſet, tamen ex data ſibi a Chriſto poteſtate miracula feciſſent.

V. 14. VOS AUTEM SANCTUM ET IUSTUM NEGASTIS. Vel hic ſenſus eſt: Vos negaſtis eum eſſe ſanctum & iuſtum, quando vocaſtis eum ſeductorem, & tamquam criminoſum interemiſtis. Vel iſte: Vos eum, qui ſanctus & iuſtus eſt, negaſtis; id eſt, pro rege & Meſſia veſtro ſuſcipere eum noluiſtis, quando dixiſtis: *Non habemus alium regem, niſi Cæſarem*. Qui ſenſus magis placet, tum quia Græce cum articulo legitur τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον, tum quia perſequitur, *& petiſtis virum homicidam donari vobis*. Et nota Ieſum κατ᾽ ἐξοχὴν vocari *ſanctum & iuſtum*, quod eius comparatione nemo alius ſanctus neque iuſtus ſit.

V. 15. AUCTOREM VERO VITAE INTERPECISTIS. Chriſtus auctor eſt vitæ, quatenus Deus. Hinc ergo ſequitur Deum a Iudæis occiſum eſſe, & mortuum, ſed id ſecundum naturam aſſumptam, quæ ſeparatione animæ a corpore diſſoluta fuit. Hunc *interfecerunt*, non manibus ſuis, ſed plena ac perfecta voluntate tradentes Pilato præſidi; accuſantes & tota inſtantia poſtulantes ad necem. Sic I. Theſſ. II. de Iudæis, *qui & Dominum occiderunt*, & infra cap. VII. Stephanus, *Cuius vos homicidæ fuiſtis*.

V. 16. ET IN FIDE NOMINIS EIUS .... ET FIDES QUAE PER EUM EST, DEDIT INTEGRAM SANITATEM. Fidem intelligit non eius, qui ſanatus erat, quomodo ſæpe audimus in Evangelio: *Fides tua te te ſalvum fecit*: non enim legimus hunc claudum ante in Chriſtum crediddiſſe, ſed fidem ſuam, ex qua dicebat: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula*: Quibus tamen auditis verbis veriſimile eſt & ipſum claudum credidiſſe, licet id Scriptura non dicat.

V. 21. QUEM OPORTET QUIDEM CAELUM SUSCIPERE USQUE IN TEMPORA, &c. Ergo, inquit Beza, falluntur Papiſtæ, qui eum ſe in altari præſentem habere putant. At manifeſtum eſt, Petrum, non de quacumque præſentia loqui, ſed ea, qua in humana ac viſibili ſpecie præſens eſt, ſecundum quam aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris, & inde venturus, &c. Immo & Petrus Roma egreſſus Chriſtum humana ſpecie obvium habuit. Et Paulus hoc libro teſtatur Dominum ſibi apparuiſſe cap. XXVI. Unde nihil vetat, quin extraordinarie aliquando, etiam in terra quibuſdam ſe viſibiliter præſentem exhibuerit.

Quem oportet quidem cælum ſuſcipere. Ambiguum etiam in Græco, utrum ſignificetur quod Chriſtus ſuſcipiat cælum, an quod cælum ſuſcipiat Chriſtum. Sed hoc poſterius magis videtur ſignificatum, ut probat Bellar. Lib. III. de incarnatione cap. XII. *Uſque in tempora reſtitutionis omnium*. Dixerant enim Apoſtoli ad Chriſtum cap. I. *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Quibus reſpondit Chriſtus: *Non eſt veſtrum noſſe tempora*, &c. eo reſpicit Petrus in his verbis.

V. 22. MOYSES QUIDEM DIXIT: QUONIAM PROPHETAM SUSCITAßIT, &c. Vide annot. Deut. XVIII. Citat etiam Stephanus in ſua ad Iudæos oratione, infra, cap. VII.

MARIANAE.

Verſ. 1. AD HORAM ORATIONIS NONAM. Tribus horis ante ſolis occaſum Petrus & Ioannes aſcendebant in templum.

V. 2. AD PORTAM TEMPLI, QUAE DICITUR SPECIOSA. Fortaſſe ſubſtituta in locum eius, quam Ioathan ſublimiſſimam in templo Salomonis fecit IV. Reg. XV. verſ. 35.

V. 3. INCIPIENTES INTROIRE. Goth. *ingreſſuros*. Græc. μέλλοντας εἰσιέναι, *fore ut ingrederentur*. Cum claudus vidiſſet, petiit eleemoſynam. Quid Petrus? Aurum non habeo:

V. 6. QUOD AUTEM HABEO, donum ſcilicet ſanitatis. IN NOMINE IESU, id eſt virtute. Petrus inſtrumentum erat, Chriſtus opifex & auctor.

V. 10. EXTASI impleti ſunt, miraculum vi-

Digitized by Google

videntes. Goth. *mentis conſternatione*. Vocis *extaſis* ea eſt explicatio.

V. 11. Quae appellatur Salomonis. De hac porticu Ezech. xl. initio, & Ioan. x. 23.

V. 12. Virtute aut potestate. Græc. *virtute* (id eſt viribus) *&* *pietate*. Error in Græco, pro, *εὐσεβείᾳ*, id eſt *pietate*, lege *ἐξουσίᾳ*, id eſt *poteſtate*, atque ita habet Veleſii margo, tum Syr. *poteſtate*, legit, indicio, in eo Græcos codices eſſe corruptos.

V. 16. Hunc quem vos vidistis. Goth. *quem videtis*. Ita Græce, & pronomen *vos* redundat.

V. 21. Quem oportet quidem caelum suscipere, ſcilicet Ieſum, id eſt continere in ſe uſque ad ſecundum adventum, cum iudicaturus vivos & mortuos redibit.

V. 23. Omnis anima, quae, id eſt quicumque non audierit. Sic Goth. habet, *Eum prophetam, quem Deus mittit*, id eſt Ieſum, *exterminabitur*, *peribit qui non audierit*.

V. 24. Annuntiaverunt dies istos. Goth. & Græc. *&* *annuntiaverunt*: ſed *&* videtur redundare. Ergo Prophetæ annuntiaverunt hos dies, ſcilicet adventum Meſſiæ.

MENOCHII.

Verſ. 1. AD horam orationis nonam: duæ enim erant apud Iudæos primariæ orationis horæ, ſcilicet prima, & nona, nimirum ob duplex iuge ſacrificium agni, quod iis horis offerebatur. Vide Exod. xxix. 38. Nonam: tertia poſt meridiem: ſæpius dictum Hebræorum notas fuiſſe inæquales, nam diurnum lucis ſpatium in duodecim horas dividebant, ut etiam nocturnum, ſive noctes breves eſſent, ut æſtivæ, ſive longæ, ut hiemales.

V. 2. Quidam vir: annorum quadraginta, ut dicitur verſ. 22. capitis ſequentis. Ex utero matris suae. Exaggerat hæc circumſtantia miraculi magnitudinem; quam etiam ob cauſam fuit illuſtrior curatio cæci nati, Ioan. ix. 1. Quae dicitur Speciosa: ita appellata a pulchritudine. Erat una ex decem atriportis, ut tradit Ioſephus Antiq. Lib. XV. cap. xiv. quæ ab eodem etiam Corinthia dicitur, quod ex ære Corinthio eſſet fabricata. Vide plura apud Baron. anno Chriſti 34. a num. 259. & deinceps.

V. 4. Respice in nos. Iuſſit Petrus claudo ut in ſe reſpiceret ad eius attentionem, & ſpem futuri miraculi excitandam: præterea, ut modum miraculi videret, cognoſceretque illud fieri per invocationem nominis Ieſu Chriſti.

V. 5. Sperans se aliquid accepturum: ſtipem aliquam. Sic etiam nunc a ſpiritualibus Patribus aliqui temporalia potius colligere ſtudent, quam ſpiritualia.

V. 6 In nomine Iesu Christi: virtute Ieſu, qui eſt Chriſtus, id eſt Meſſias genti noſtræ promiſſus. Protinus: ut appareret eſſe divina ſanatio, quæ diuturnitate temporis non eget ad pellendos morbos. Bases eius: crura, & tibiæ, quibus tota corporis moles fulcitur. Plantae, id eſt pedes.

V. 8. Et exiliens stetit: non exurgens tantum, ſed etiam exiliens, quippe perfectam iam adeptus ſanitatem, & pro divino beneficio lætus, & alacer. Et exiliens: ſubinde præ gaudio, & ut circumſtantibus fidem faceret præteritæ invaletudinis nullum ſupereſſe veſtigium.

V. 10. Stupore, et extasi: maxima admiratione, ut quaſi extra ſe fierent. In eo: propter id.

V. 11. Cum teneret autem Petrum, et Ioannem: cum ex amore, reverentia, & gratitudine illis adhæreret, & manus, aut veſtes eorum teneret. Ad porticum, quae appellatur Salomonis: erat pars atrii Gentium a Salomone olim conſtructi, quæ a Chaldæis ſuperſtes manſerat, ideoque nomen Salomonis retinebat. Vide Villap. Lib. III. de templo cap. ix.

V. 13. Negastis: dimitti debere, Barabbam ei præferentes. Iudicante illo dimitti: innocentem iudicante, & dimittere conante.

V. 14. Virum homicidam; Barrabam, Matth. xxvii. 21.

V. 15. Auctorem vero vitae. Eſt antitheſis, virum homicidam, & mortis innocentium auctorem poſtulaſtis ad vitam; Chriſtum vero veræ vitæ auctorem poſtulaſtis

laſtis ad mortem, & morti tradidiſtis. QUEM DEUS SUSCITAVIT, &c. Surrexit enim Chriſtus virtute divinitatis ſuæ. CUIUS: reſurrectionis.

V. 16. ET IN FIDE NOMINIS EIUS, id eſt per fidem, & invocationem nominis Chriſti. QUEM VOS VIDISTIS, ET NOSTIS: hunc claudum, quem vos ſæpius vidiſtis, & bene noſtis. CONFIRMAVIT NOMEN EIUS: confirmavit, & curavit virtus eius, non ego mea medicina, vel virtute. ET FIDES QUAE PER EUM EST, id eſt & fides in eum, hoc eſt in Chriſtum.

V. 17. PER IGNORANTIAM FECISTIS, SICUT ET PRINCIPES VESTRI: qui tamen multo minus excuſabiles quam plebs, cum eorum ignorantia valde craſſa fuerit, immo, & affectata, quæ tamen aliquo modo minuit culpam, cum minuat voluntarium.

V. 18. DEUS AUTEM, &c. quaſi dicat: Deus veſtra ignorantia uſus eſt in bonum, nam per illam implevit, id eſt perfecit id quod de paſſione, & morte Chriſti prædixerant oracula prophetarum.

V. 19. POENITEMINI, ET CONVERTIMINI, id eſt pœnitentiam, & peccatorum deteſtationem, & morum emendationem.

V. 20. UT CUM VENERINT TEMPORA REFRIGERII. Cum venerint tempora tranquillitatis, & quietis æternæ, cum ab æſtu malorum huius vitæ recreabimur; ſubaudi, ſalvi ſitis, vel refrigeremini & vos. A CONSPECTU DOMINI: ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, ab ipſo Domino præſente, & conſpiciente. Vel, a perſona Chriſti, nam πρόσωπον, & faciem, & perſonam ſignificat. Vel, *a facie Chriſti* cuius aſpectus erit cauſa beatitudinis accidentalis, ſicut viſio divinitatis eiuſdem, erit cauſa beatiudinis eſſentialis.

V. 21. QUEM OPORTET QUIDEM CAELUM SUSCIPERE: quem oportet cælo recipi. USQUE IN TEMPORA RESTITUTIONIS OMNIUM: uſque in diem iudicii, quo Deus hominem lapſum in peccatum, ærumnas, & mortem Deo, gloriæ, & felici immortalitati reſtituet, atque ita Angelorum ruinas reſtaurabit. Pariter tunc cum homine cælum, elementa, totumque orbem primævæ integritati, incorruptioni, & ſplendori reſtituet. Erit enim tunc renovatio, & quaſi regeneratio totius mundi, ut docet Apoſtolus Roman. VIII. 21. & Petrus epiſt. II. cap. III. 13. QUAE LOCUTUS EST: quæ ſcilicet tempora fore prædixit Dominus per Prophetas ſuos ſanctos. A SAECULO: qui prophetæ ab initio orbis conditi ſubinde miſſi ſunt a Domino, & hæc prænunciarunt.

V. 22. MOYSES QUIDEM DIXIT, &c. e multis Prophetis unum citat, eumque primarium, ſcilicet Moyſem, qui clare de Chriſto Prophetavit Deut. XVIII. 15. cius oraculum ibi explicavimus.

V. 23. ET ERIT, OMNIS ANIMA, &c. futurum eſt autem ut omnis anima, id eſt ut quilibet. EXTERMINABITUR DE PLEBE: internecione delebitur ex populo ſuo, & funditus peribit.

V. 24. A SAMUEL, ET DEINCEPS: licet ante Samuelem Prophetæ fuerint, plures tamen poſt illum ſub regibus floruerunt, ideoque Petrus hoc potiſſimum tempus deſignat. DIES ISTOS: adventus Meſſiæ, & redemptionis mundi.

V. 25. VOS ESTIS FILII PROPHETARUM: ſpirituales eorum filii in fide, religione, & pietate; itaque ſicut illi in Chriſtum venturum crediderunt, ita & vos in eundem iam natum, & paſſum & a mortuis redivivum credere debetis. ET TESTAMENTI, id eſt fœderis, pacti, & promiſſionis divinæ. Erant autem Iudæi filii fœderis, & teſtamenti, quia ad illos pertinebat fœdus a Deo cum Abraham patre eorum initum. QUOD DISPOSUIT DEUS AD PATRES NOSTROS: quod inivit, & pepigit cum patribus noſtris Abraham, Iſaac, Iacob, David, &c. IN SEMINE TUO: in Chriſto filio tuo. BENEDICENTUR: iuſtificabuntur, omnemque gratiam, & gloriam accipient. OMNES FAMILIAE TERRAE: omnes gentes.

V. 26. VOBIS PRIMUM: primo enim & directe miſſus eſt Chriſtum ad Iudæos, quaſi Meſſias patribus eorum promiſſus. SUSCITANS: *ἀναστήσας*, *poſtquam ſuſcitavit*; poſt reſurrectionem enim Chriſtus ſuam benedictionem, id eſt Spiritum ſanctum, gratiam, & ſalutem copioſe in Iudæos effudit. BENEDICENTEM VOBIS: qui vobis benedicat, id eſt benefaciat dando gratiam uberem in hac vita, & gloriam in futura. UT CONVERTAT SE, &c. *ἐν τῷ ἀποστρέφειν*; quaſi dicat, *Si ſe quiſque* *con-*

Digitized by Google

convertat, & pœnitentiam agat; ut vertit Syrus. Vel, quaſi dicat, Hoc fine miſit Deus Chriſtum, ut ſcilicet vos convertat a peccatis, per ſuam gratiam, & iuſtitiam.

TIRINI.

Verſ. 1. HORA ORATIONIS NONA reſpondebat tertiæ noſtræ *a* poſt meridiem, qua iuge *b* ſacrificium veſpertinum offerebatur in templo, ſicut mane hora prima ſacrificium matutinum. Diſcrimen ſeptem præcipuarum diei horarum orationi apud Iudæos olim deſtinatarum *c* imitata eſt Eccleſia Chriſti per ſeptem Horas Canonicas, in memoriam, honorem, gratiarum actionem pro maximis beneficiis a Deo horis illis orbi conceſſis, ut fuſe exponunt Tertull. Cyprian. Athanaſ. *d* & ex iis Navarrus, Francolinus Bellarm. *e* & Bonartius. Optandum vero, ut Petri exemplo Eccleſiaſtici omnes ſtata precum horariarum tempora, quando per occupationes licet, ex mente & præſcripto Eccleſiæ diligenter obſervent, non ſimul omnes citra neceſſitatem, ſed diviſim ſuis quaſque horis, ut fere in choro fit, perſolventes.

V. 2. CLAUDUM PONEBANT QUOTIDIE AD PORTAM TEMLI, more multis etiamnum locis recepto, ut ingreſſuros templum mendici doceant modum affectuoſe orandi: admoneant etiam humanæ fragilitatis & miſeriæ: cogitationes mentemque iniiciant exercendæ eleemoſynæ, & per eleemoſynam aptius ſeſe ad orationem diſponendi: denique precibus ſuis compenſent acceptam ſtipem, & ita iuvent ſuos mœcenates *f* apud Deum. Mendici enim ſunt ianitores, cubicularii Dei, divitum patroni, inquit S. Chryſoſt. *g* Sed Nota, poſitum hunc claudum *ad*, ſeu ante, *portam templi*, non autem in ipſo templo, ſcilicet ne ſtipem emendicando inturbaret orantes. Dicebatur autem hæc *porta* præ aliis templi portis SPECIOSA, quod ſpecie & pulchritudine omnibus præcelleret. Baronius vult eam eſſe quam Ioſephus *h* *Corinthiam* appellat, ex ære Corinthio, apud veteres laudatiſſimo, veriſimiliter etiam forma Corinthia *i* ab architectis conſtructam. Adrichomius k depingit illam ad Orientem, & *Sur* vel *Seir* dictam affirmat: de qua pluribus Ribera & Villalpandus *l*.

V. 6. QUOD HABEO, TIBI DO; id eſt, poteſtatem ſanandi ægros, quæ mihi donata eſt, tibi applico. Divinam enim omnipotentiam habebat Petrus ſibi perpetuo aſſiſtentem, ſemperque paratam, ut quoties vellet, miraculum ederet.

V. 7. & 8. PROTINUS CONSOLIDATAE SUNT BASES EIUS, ET EXILIENS STETIT ET AMBULABAT; ut Iſaias prædixerat, *Tunc ſaliet ſicut cervus claudus*. Porro *velocitas* hæc *ex debilitate ſurgentis*, ſymbolum eſt *velocis* noſtræ *reſurrectionis*, *in momento*, *in ictu oculi*, *in noviſſima tuba*, inquit S. Auguſtinus *m*.

V. 11. PORTICUS SALOMONIS erat illa quæ ex Chaldaico templi incendio, ſaltem bona ſui parte ſuperſtes manſerat, ut vult Oecumenius, eratque extima templi, in fine atrii Gentium, ut ex Ioſepho docet Villalpandus *n*.

V. 16. IN FIDE, id eſt per fidem & fiducialem invocationem, NOMINIS Chriſti *confirmatos*, id eſt conſolidatus, ſanatus eſt hic claudus: nam NOMEN *Chriſti*, iſt eſt Chriſtus a me nominatus & invocatus, CONFIRMAVIT eum.

V. 17. SCIO QUIA PER IGNORANTIAM FECISTIS, SICUT ET PRINCIPES VESTRI. Quid ergo ſibi vult iſtud Matth. XXI. 38. *Hic eſt heres, venite occidamus eum*. Et rogantibus illis Lucæ XXII. *Dic nobis ſi tu es Chriſtus, filius Dei*; an non ſat clare reſpondit, *Ego ſum?* Quid ergo ignorantiæ fuit in principibus Iudæorum? Reſpondeo, fuiſſe craſſam & affectatam ignorantiam, qua licet audirent veritatem, nec poſſent contradicere, nolebant tamen ſibi perſuadere. Quod etſi non excuſet a graviſſimo ſcelere, minuit tamen aliqua ex parte gravitatem ſceleris. Multo enim gravius peccaſſent, ſi perſuaſi rem ita habere, nihilominus in patrando ſcelere perrexiſſent. Unde etiam Paulus *o*, immo & Chriſtuſmet *p* hanc ignorantiam illorum, ad extenuandum ex parte facinus, allegarant.

V. 18. DEUS AUTEM SIC, id eſt per hanc veſtram ignorantiam, IMPLEVIT QUAE PRAENUNTIAVIT PER OS OMNIUM PROPHETARUM, nempe ut Chriſtus pateretur, & paſſione ſua vos & mundum univerſum redimeret.

V. 20. UT CUM VENERINT TEMPORA REFRIGERII. Syrus, *tranquillitatis* & quietis, & tempora reſtitutionis omnium, puta in die iudicii *q*, ſupple, etiam vos refrigerium ſentiatis, & reſtituamini in integrum per beatam reſurrectionem.

V. 21. OPORTET Chriſtum CAELUM SUSCIPERE, ſeu inhabitantem habere uſque ad diem extremi iudicii. Sed huic non repugnat, quod ſubinde replicetur, ſeu de novo reproducatur etiam in aliis locis, v. g. quando apparuit Saulo *r*, matris *ſ* ſuæ moribundæ, fugitivo *t* Petro, Antonio *u* Tarſillæ *x* & pluribus aliis, & quando quotidie præſens in Euchariſtia. Neque enim difficile eſt Deo rem unam eamdemque ſæpius reproducere, & reproductam in pluribus ſimul locis præſentem facere.

V. 22. *Moyſis* de Chriſto prophetiam explicui Deuteron. XVIII. 15.

V. Porro OMNES PROPHETAE ANNUNTIAVERUNT, id eſt prædixerunt, DIES ISTOS adventus Meſſiæ, & redemptionis mundi per Meſſiam. Et in veſtri cumprimis gratiam, qui

V. 25. ESTIS FILII PROPHETARUM non tam carnales, quam ſpirituales, id eſt imitatores fidei & religionis Prophetarum, quaſi germani eorum filii & heredes. Unde ſicut illi in Chriſtum, quem prædicunt, crediderunt, par eſt etiam vos in eumdem iam vobis exhibitum credere; degeneraretis alioquin a fide maiorum veſtrorum. Eſtis ET *filii* TESTAMENTI, id eſt fœderis, pacti & promiſſionis a Deo factæ Abrahamo patri veſtro, nempe de Meſſia ex ſemine *y* eius procreando, & de benedictione ae ſalute æterna per ipſum vobis donanda. Unde *vobis*, tamquam primariis heredibus,

V. 26. PRIMUM SUSCITAVIT FILIUM SUUM, vobis, ſeu in veſtri gratiam, primario MISIT EUM BENEDICENTEM VOBIS benedictionibus omnis generis, corporalibus, ſpiritualibus, temporalibus, æternis: hoc unicum his omnibus viis intendens, UT CONVERTAT SE UNUSQUISQUE veſtrum A NEQUITIA SUA. *Iſte eſt* enim *omnis fructus*, inquit Iſaias, *z* *ut auferatur peccatum*.

(a) Chron. cap. II.
(b) Exodi XXIX. 36.
(c) Pſal. CXVIII. 164.

(d) Athan. Ser. de virginit.
(e) Bellarm. Lib. I. de Bonis operib. cap. XIII. Navar. & alii. tract. de Horis Can.
(f) *Lucæ* XVI. 9.
(g) Chryſoſt. hom. XXVIII. ad Popul. Antioch.
(h) Baron. an. Chriſti 35. Ioſeph. Lib. XV. Antiq. cap. XIV.
(i) Vide Vitruvium.
(k) Adrich in Chorographia urbis Ieruſalem.
(l) Ribera *Lib.* I. de Templo cap. XXXII. Villalp. T. 2. de Templo. Iſaiæ XXXV. verſ. 6.
(m) Auguſt. homil. XXVIII. de Verbis Apoſtoli.
(n) Ioſeph. Lib. XX. Antiq. cap. XIV. Vitſal. ſup. Lib. III. IX. & XV. diſp. IV. cap. LXVII. & LXVIII in fine.
(o) I. Cor. II. 8.
(p) Lucæ XXI. 28.
(r) Actor. IX. 4.
(ſ) Suarez III. P. quæſt. LVIII. in fine.
(t) In vita Petri.
(u) Athan. in Vita Antonii.
(x) Greg. in Dialog. Lib. IV. cap. XVI.
(y) Gen. XII. 3. Galat. III. 26.
(z) Iſaiæ XXVII. 9.

GORDONI.

Verſ. 1. IN Græce ἐπὶ τὸ αὐτὸ pertinet ad finem prioris capitis. In templo præter Sanctum, & Sanctum Sanctorum erat atrium, quo populus excipiebatur. Notum porro eſt Exod. XIX. 38. duas (propter iuge ſacrificium) fuiſſe horas Iudæis, primam & nonam maxime commendatas. De qua horarum diviſione & inæqualitate vide ſupra, Ioan. I. 37. & 39.

V. 2. & 3. QUIDAM. Hic ſuperabat annum quadrageſimum ex cap. IV. 22. Porta ſpecioſa, ſic dicta a pulchritudine una eſt ex decem atrii portis templi, de quibus Ioſephus Antiq. Lib. XV. cap. XIV. Adrichom. extremam hanc facit ante atrium gentium.

V. 11. CUM TENERET. *Teneret*, cum adhæreret Petro, ventum eſt ad porticum Salomonis. Pars erat atrii gentium extructi a Salomone, adhuc reliqua poſt excidium a Chaldæis illatum: Petrus admirante populo verba facit ad omnes, docens, primum hoc miraculum in virtute & fide Chriſti peractum eſſe, cui vos, inquit, impium antepoſuiſti Barabbam, & cetera quæ perſpicua ſunt. At quomodo peracta ſanitas in fide nominis Chriſti? Sane quatenus fides eſt velut oratio tacita, qua impetratur ſanitas a Deo. In his quidem & ſimilibus miraculis conſtat præter Deum, qui eſt cauſa phyſica principalis, Chriſtum eſſe principalem meritoriam cauſam: ſicut

fides

Digitized by Google

fides Petri in præſentia eſt cauſa meritoria de congruo ac minus principalis. Petrus qui manu claudum erexit, eſt inſtrumentum, conferens in hoc genere ad integritatem hanc corporis & ὁλοκληρίαν.

V. 17. PER IGNORANTIAM FECISTIS. Hortaturus ad pœnitentiam duo ad leniendos animos præmittit; ſcilicet ex quadam ignorantia commiſſam hanc Chriſticidii culpam, & Deum uſum eſſe hoc eorum peccato in bonum. Verum ſicut res quæ libera eſt, & vitari debuit, non minuit peccatum; ita de hac Iudæorum ignorantia quæſtio eſſe poteſt, an ita minuerit voluntarium, ut inde minuerit horum culpam. Certe non omnium eadem fuit ignorantia. In pluribus fuiſſe affectatam, ſatis apparet, quæ non excuſat.

V. 19. POENITEMINI, UT DELEANTUR PECCATA VESTRA. Locus hic manifeſte docet peccatori neceſſariam eſſe pœnitentiam: quod etiam probavi Matth. cap. III. 2. contra Novatores. Nota inſuper ex hoc loco, peccata vere deleri, quod non eſt ſolum tegi, ſeu non imputari. In Syro eſt *expungantur*, perinde ac ſi vermiculato emblemate teſſerulam expungeres.

V. 20. UT CUM VENERINT TEMPORA. Quaſi dicat: Sic fiet per hanc converſionem ad Deum, ut redeunte iterum Domino poſt exactas vitæ præſentis ærumnas, ſit vobis ſalus & refrigerium a conſpectu Domini, ſeu ab ipſo tunc præſente, ut clarius explicat textus Græcus. Hoc etiam explicant aliqui de Chriſto tunc ut obiecto accidentalis beatitudinis; ſicut eſſentia Dei clare viſa eſt eſſentialis beatitudinis obiectum.

V. 21. QUEM OPORTET. Hæc, inquit, a Chriſto erunt, quem cælo excipi oportuit uſque ad tempus definitum a Deo de nova mundi regeneratione, & felicitate hominum plena per Chriſtum, ut per Prophetas a prima mundi conſtitutione prædixit Deus. E multis Prophetis unum & primarium profert Moſen, Deut. cap. XVIII. 18. quem locum lege, ſi placet, ibidem explicatum. Ceterum τὸ OPORTET CAELUM SUSCIPERE, ut advertit Caietanus, exponi poteſt, vel ſuſcipi cælo, vel ſuſcipere cælum, ut rex accipit regnum. Priorem ſenſum probavi. Et totus hic locus refutat Ubiquetarios, qui ſomniant Chriſti corpus eſſe ubique. Nec favet Calvinianis, qui inepte colligunt, quia eſt in cælis Chriſtus, ideo non poſſe eſſe in Euchariſtia. Veritas Catholica eſt, eſſe utrobique, ut tota Eccleſia ex Scripturis haſtenus [illegible] & Deum id voluiſſe ac potuiſſe p[illegible] Theologi. Quid porro de apparitionibus Chriſti in terris poſt Aſcenſionem?

V. 25. VOS AUTEM E[illegible]. Perorat Petrus per Apoſtrophen, & mentionem fœderis & promiſſionis de Chriſto factæ patribus, atque adeo ſeminis [illegible] vos eſtis: æquum proinde eſt ut ſicut [illegible] prophetarunt de Chriſto, & cred[illegible] futurum, ita vos credatis in eum quem jam habuiſtis præſentem, ut ſitis patrum [illegible] quorum vere filii per ſanctam converſionem; ſeu filii promiſſionis & ſpirituales, ut loquitur Paulus Epiſt. ad Rom.

CAPUT IV.

Apoſtoli poſt reclusionem in cuſtodia examinati de claudi curatione, oſtendunt in ſolo Chriſto lapide angulari eſſe ſalutem, nec principibus contra Dei iuſſum obtemperant ceſſando a doctrina nominis Chriſti: dimiſſi vero, & orantes, accipiunt ſigna dati Spiritus ſancti: nullus ipſorum quidquam proprium habebat, ſed ſuis divenditis faciebat pretium eſſe commune, ſicut fecit Barnabas divendito agro ſuo.

LOquentibus autem illis ad populum, ſupervenerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi, & Sadducæi, 2. dolentes quod docerent populum, * & annuntiarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis: 3. & iniecerunt in eos manus: & poſuerunt eos in cuſtodiam in craſtinum, erat enim iam veſpera. 4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus eſt numerus virorum quinque millia. 5. Factum eſt autem in craſtinum, ut congregarentur principes eorum, & ſeniores, & Scribæ in Ieruſalem; 6. & Annas princeps ſacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali. 7. Et ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? 8. Tunc repletus Spiritu ſancto Petrus, dixit ad eos: * Principes populi, & ſeniores audite. 9. Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſalvus factus eſt, 10. notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael: quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit a mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. 11. (*a*) Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt a vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: 12. & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. 13. Videntes autem Petri conſtantiam & Ioannis, comperto quod homines eſſent ſine litteris, & idiotæ, admirabantur, & cognoſcebant eos quoniam cum Ieſu fuerant: 14. hominem quoque videntes ſtantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. 15. Iuſſerunt autem eos foras extra concilium ſecedere: & conferebant ad invicem, 16. dicentes: Quid faciemus hominibus iſtis? quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos, omnibus habitantibus Ieruſalem: manifeſtum eſt, & non poſſumus negare. 17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. 18. Et vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu. 19. Petrus vero & Ioannes reſpondentes, dixerunt ad eos: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate: 20. non enim poſſumus quæ vidimus & audivimus non loqui. 21. At illi comminantes dimiſerunt eos: non invenientes quomodo punirent eos, propter populum, quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat. 22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat ſignum iſtud ſanitatis. 23. Dimiſſi autem venerunt ad ſuos: & annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes ſacerdotum & ſeniores dixiſſent. 24. Qui cum audiſſent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & di-

Digitized by Google

diɤerunt: Domine, * tu es qui feciſti cælum, & terram, mare, & omnia
quæ in eis ſunt: 25. qui Spiritu ſancto per os patris noſtri David, pueri
tui, dixiſti: (b) Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania?
26. Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Do-
minum, & adverſus Chriſtum eius? 27. convenerunt enim vere in civitate
iſta adverſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, Herodes, & Pon-
tius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſrael, 28. facere quæ manus tua &
conſilium tuum decreverunt fieri. 29. Et nunc Domine reſpice in minas eo-
rum, & da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, 30. in eo quod
manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna & prodigia fieri per nomen ſan-
cti filii tui Ieſu. 31. Et cum oraſſent, motus eſt locus, in quo erant con-
gregati: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei
cum fiducia. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima
una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed
erant illis omnia communia. 33. Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſti-
monium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri: & gratia magna erat in
omnibus illis. 34. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot e-
nim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eo-
rum quæ vendebant, 35. & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur
autem ſingulis prout cuique opus erat. 36. Ioſeph autem, * qui cognomina-
tus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt interpretatum Filius conſolationis)
Levites, Cyprius genere, 37. cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit
pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.

(a) Pſal. cxvii. 22. Matt. xxi. 42. Marc. xii. 10. Luc. xx. 17. Iſai. xxviii. 16. I. Pet. ii. 7. Rom. ix. 33. (b) Pſal. ii. 1.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. *Et annuntiarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis.* Non mutes ablativum *Ieſu* in accuſativum.

Verſ. 8. *Principes populi & ſeniores audite.* Non facile omittendum eſt verbum *audite.*

Verſ. 24. *Tu es qui feciſti.* Nec hic verbum ſubſtantivum *es.*

Verſ. 36. *Qui cognominatus eſt Barſabas.* Cave pro *Barnabas*, legas *Barnabas*, id eſt *ſ* ſemivocalem pro *n* liquida.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. MAGISTRATUS. Græc. *Præfectus*. Syr. *Præfecti*, ſcilicet quibus templi commiſſa tutela.

V. 2. IN IESU; pro, *Ieſu*; quaſi dicat *Ieſum* reſurrexiſſe.

V. 3. CUSTODIAM, id eſt carcerem. CRASTINUM id eſt diem poſterum.

V. 5. IN CRASTINUM, id eſt ſequenti die.

V. 6. SACERDOTALI. Græc. & Syr. *pontificali*, ſeu *ſummorum Sacerdotum*.

V. 7. IN QUO NOMINE, id eſt, qua, ſeu cuius auctoritate.

V. 8. REPLETUS, ſcilicet ad reſpondendum.

V. 9. DIIUDICAMUR. Syr. *in ius vocamur*. IN BENEFACTO, &c. id eſt ob beneficium collatum homini huic. IN QUO, id eſt per quod; quaſi dicat, Qua ratione, ſeu cuius nomine, aut virtute.

V. 12. ALIUD NOMEN; pro, alius.

V. 10. IN HOC, ſcilicet nomine, id eſt virtute.

V. 13. CONSTANTIAM. Græc. *παῤῥησίας*, id eſt *in dicendo libertatem*. FUERANT, ſcilicet verſati.

V. 16. NOTUM, id eſt conſpicuum. SIGNUM, id eſt miraculum.

V. 17.

Digitized by Google

V. 17. Hoc, ſcilicet Chriſti; quaſi dicat, Ne Chriſtum prædicent, aut in eius nomine quidquam faciant.

V. 18. Denuntiaverunt, ſcilicet præcipientes. Græc. *παρήγγειλαν*, id eſt *præceperunt*; vide cap. ſeq.

V. 19. Si iustum est; pro, an iuſtum ſit.

V. 21. Clarificabant, &c. Græc. & Syr. *glorificabant Deum ſuper eo, quod factum fuerat*.

V. 23. Quanta? pro, quæcumque.

V. 25. Pueri, id eſt ſervi.

V. 27. Puerum. Syr. *filium*. Græc. *παῖδα*. Ambr. II. de Voc. Gen. cap. v. *filium* vertit: & infra Interpres *filii* vertit.

V. 28. Manus, id eſt potentia. Consilium. Syr. *voluntas*. Decreverunt. Græc. *προώρισε*, id eſt *præfinivit*. Syr. *deſignaverat*.

V. 33. Virtute magna, id eſt miraculis.

V. 36. Barnabas. Hic Pauli ſocius: Hieron. Filius consolationis? quaſi dicat, Ad conſolandum aptiſſimus.

E S T I I.

Verſ. 1. ET Sadducaei. Ideo Sadducæorum meminit nominatim, quod his præ ceteris ægre eſſet audire, quod Ieſus reſurrexerat, ut qui reſurrectionem mortuorum omnino non reciperent. Unde ſequitur: *Dolentes quod docerent populum, & annunciarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis*.

V. 2. Et annunciarent in Iesum resurrectionem ex mortuis. Multi *in Ieſu*; idque conſentientet cum Græcis: quod Eraſmus vertendum putavit, *in nomine Ieſu*. Senſus eſt: Quod annunciarent & prædicarent exſpectandam eſſe reſurrectionem mortuorum per Ieſum Chriſtum, id eſt per eius meritum. Quomodo infra dicunt Apoſtoli non eſſe aliud nomen, in quo ſalvi fieri poſſint homines. Quamquam videntur etiam ad cauſam exemplarem reſpexiſſe, quando in Ieſu reſurrectionem mortuorum annunciabant. Sic enim & Apoſtolus Paulus I. Cor. xv. reſurrectionem Corinthiis annunciat, ipſius Chriſti, quem primitias reſurgentium vocat, exemplo propoſito.

V. 4. Et factus est numerus quinque millia. Dubium utrum numerus eorum, qui tunc crediderunt, ſupra eos qui ante crediderant, pervenerit ad quinque millia; an vero hic ſit ſenſus: Totus numerus fidelium, qui per Apoſtolorum prædicationem crediderant, cum prius eſſet tantum trium millium Act. II. nunc auctus eſt ad quinque, ſcilicet ut tribus illis millibus, duo millia recenti prædicatione accederent. Probabile enim videri poteſt, quod plures fuerint converſi prima illa Petri prædicatione in die Pentecoſtes, eo quod grandi miraculo tota civitas ad unum locum eſſet convocata; quam hac ſecunda, quæ facta fuit ad ſanitatem hominis claudi, rem non confeſtim ita celebrem, ut tam multi accurrerent.

V. 12. Nec enim est aliud nomen sub caelo. *Nomen* aut virtutem ſignificat, (ita enim paulo ante dicitur: *In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?*) aut rem vel perſonam nomine ſignificatam. Proxime enim præcedit: Non est in alio aliquo salus. Et ita ſenſus erit: Non eſt alius quiſquam, per quem homines ſalvari poſſint. Et forte utroque modo accipi poteſt illud Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti*. Nota autem quod dicit *ſub cælo*; nam angeli proprie non ſalvantur per Chriſtum. Vide noſt. in 3. ſent. diſt. xxv.

V. 13. Sine litteris et idiotae. Græce *ἀγράμματοι*, id eſt illitterati. Idiotæ vero intelligi poſſunt vel homines privati, nullam habentes functionem publicam, vel rudes & indocti; utrumque enim græca vox ſignificat. Atqui Petrus & Ioannes non ita fuerunt illitterati, ut litterarum eſſent prorſus ignari. Petrus enim duas ſcripſit epiſtolas. Ioannes autem præter tres epiſtolas, Evangelium & Apocalypſim. Neque prorſus ignari fuiſſe videntur ſacrarum litterarum etiam ante acceptum Spiritum ſanctum, tametſi piſcatores; quia Chriſtus ad ſcripturas ſuos diſcipulos interdum remiſit. Unde Ioannes de ſe & Petro, Ioan. xx. *Nondum enim ſciebant* (id eſt intelligebant) *ſcripturam, quia oportebat eum a mortuis reſurgere*. Et Luc. xxiv. *aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas*. Legebant ergo ſcripturas, quas ut intelligerent, ſenſum illis aperiebat Dominus. Sic Philippus ad Nathanael

Ioan.

Ioan. I. *Quem ſcripſit Moyſes in lege & prophetis, invenimus.* Non ergo illitterati vocantur, quod litterarum prorſus eſſe putarentur ignari, ne ſacrarum quidem. Quomodo enim hoc exiſtimare poterant, quando Petrus in ſua apud eos defenſione Scripturam ſacram allegabat, *Hic eſt lapis*, &c. Sed quod non eſſent inſtituti ab aliquo legis doctore; quomodo Paulus legem didicerat ad pedes Gamalielis; ſed, ſi quid ſcirent, privatim videbantur didiciſſe. Vide quæ de nomine idiotæ diximus in noſt. comment. I. Cor. XIV. 16.

V. 20. NON ENIM POSSUMUS, QUAE VIDIMUS ET AUDIVIMUS, NON LOQUI. *Non poſſumus*, ſcilicet licite & ſalva conſcientia; quomodo poſſe dicimur, quæ licite poſſumus.

V. 27. CONVENERUNT ENIM VERE IN CIVITATE ISTA, ADVERSUS SANCTUM PUERUM TUUM IESUM, QUEM UNXISTI, HERODES. ET PONTIUS PILATUS. Hinc patet Herodem quoque in Chriſti mortem conſenſiſſe & cooperatum fuiſſe; quod tamen ex evangelio non omnino apparet. Hinc etiam apparet, quomodo ſecundum Lucam Herodes & Pilatus facti fuerint amici, cum prius inimici eſſent ad invicem. Vide annot. Luc. XXIII.

Adverſus ſanctum puerum tuum Ieſum. Et paulo poſt: *Per nomen ſancti filii tui Ieſu*. Quæritur an idem ſit *puer*, quod *filius*, quod quidem collatione harum duarum ſententiarum hoc eodem loco poſitarum, videri poreſt. Sed omnino dicendum, *puerum* more Scripturæ poſitum pro ſervo. Sic paulo ſuperius in eadem apoſtolorum ad Deum precatione: *Qui Spiritu ſancto per os patris noſtri David, pueri tui, dixiſti*. Et idem Lucas cap. I. ſui evangelii in cantico Zachariæ: *Erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui*. Unde eſt & illud in Pſal. CXII. *Laudate pueri Dominum*. Chriſtum autem ſecundum naturam humanam ſervum Dei vocari, nón eſt infrequens in Prophetis & Pſalmis. Vocatur autem hic ab Apoſtolis priori loco ſervus, quia ſermo erat de eius paſſione, quam ut homo ſuſtinuit: poſteriori, filius; quia prædicationem ſuam petebant confirmari miraculis, quorum operatio referenda eſt ad virtutem divinam. Si quis contendat puerum idem eſſe hoc loco quod filium; is confiteri debebit, Chriſtum ab æterno fuiſſe puerum, quia filium. Hoc autem & a Scripturis alienum eſt, & fidelium aures refugiunt.

V. 28. FACERE QUAE MANUS TUA ET CONSILIUM DECREVERUNT FIERI. Non hinc ſequitur decretum Dei eſſe cauſam peccati; quia Deus non decreverat fieri peccatum illorum; ſed paſſionem & mortem filii ſui, quam & fecit. Fecerunt autem & illi, ſed mala voluntate & peccato ſuo, quam fecit Deus ſanctiſſima voluntate & conſilio ſuo; ſicut eleemoſynam facit dominus ſancta intentione, quam eamdem interdum ſervus facit intentione perverſa. *Decreverunt*. Græce προώρισε, id eſt præfinivit, prædeterminavit, prædeſtinavit, ut legit Proſp. reſp. ad obiect. XIII. Gallorum. Eſtque idem vocabulum, quod interpres alibi vertit, prædeſtinare. Item ſic Auguſt. legit de prædeſt. ſanct. cap. VI.

V. 29. ET NUNC DOMINE RESPICE IN MINAS EORUM. Quæritur quomodo orant apoſtoli Dominum ut reſpiciat in minas adverſariorum, cum præcipiat Dominus orare pro calumniantibus & perſequentibus, quod & exemplo ſuo docuit. Reſp. Hæc verba non ſunt expetentium vindictam, ſed tantum hoc petunt a Domino, ne adverſariorum minæ & perſecutiones ſucceſſum habeant, & per eas impediatur evangelii promulgatio. Senſus igitur eſt: Reſpice in minas eorum, eo fine, ut earum effectum impedias, ne perficere poſſint, quod comminati ſunt. Hunc ſenſum arguunt verba ſequentia: ET DA SERVIS TUIS CUM OMNI FIDUCIA LOQUI VERBUM TUUM, &c. Reſpice non ad vindicandum, ſed ad avertendum. Ita dicitur Exodi XIV. *Reſpiciens Dominus ſuper caſtra AEgyptiorum, interfecit exercitum eorum*.

V. 31. ET REPLETI SUNT OMNES SPIRITU SANCTO: nempe ad effectum, qui ſequitur: ET LOQUEBANTUR VERBUM DEI CUM FIDUCIA. Repleti quidem fuerant Spiritu ſancto in die Pentecoſtes ad eumdem effectum, ſed hinc diſcimus nos egere quotidiana gratia Dei etiam ad conſervandum & confirmandum robur, quod ſemel contulit; quia homo ex ſe ſemper deficit & recedit a Deo.

V. 32. MULTITUDINIS AUTEM CREDENTIUM ERAT COR UNUM ET ANIMA UNA; id eſt, ſumma concordia & ſummus conſenſus animorum. NEC QUISQUAM EORUM,

QUAE

Digitized by Google

QUAE POSSIDEBAT, ALIQUID SUUM ESSE DICEBAT. *Eorum* regitur ab *aliquid* ut ex Græco patet, & ſenſus requirit. Sed quomodo dicitur, *qua poſſidebat*, cum repugnent poſſidere & ſuum negare? Græce eſt ὑπαρχόντων, quod nominaliter ſumitur, & a tempore abſolvitur, & ſenſus eſt: Nemo facultatum ſuarum, quas habuerit, aliquid ſuum vel proprium (Græce ἴδιον) eſſe dicebat. Vendiderant enim facultates, & pretium fecerant commune, ut conſequenter dicitur. SED ERANT ILLIS OMNIA COMMUNIA. Hic origo eſt monaſticæ vitæ & perfectionis, vel potius progreſſus & incrementum. Nam origo erat in familia Chriſti, in qua omnes dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia*. Caieranus putat nullum tunc interceſſiſſe votum, Aug. aliter Serm. X. de diverſis, & alibi; ut videre eſt in indice ſcripturarum. Vide annot. ſeq.

V. 32. NEC QUISQUAM EORUM, QUAE POSSIDEBAT, &c. Et paulo poſt: *Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant*. Videri poteſt tum ex his verbis, tum ex eo quod dicitur cap. II. omnes qui credebant habuiſſe omnia communia; quod illo tempore nemo fidelium fuerit, qui non divenditis ſuis contulerit ſe in vitam illam communem cum Apoſtolis. Sed imprimis ſciendum multos fuiſſe fideles, Chriſti ſalvatoris prædicatione dudum converſos per univerſam Iudæam qui cum Ieroſolymis non habitarent, dici non poteſt, quod huic communitati fidelium, quæ Ieroſolymis erat, ſe adiunxerint. At nec veriſimile eſt eos omnes ſimpliciter ſua reliquiſſe; tum quia e vulgo hominum plurimi erant qui crediderant, tum quia ſatis apparet ex evangelio fuiſſe inter eos, qui proprium aliquid poſſiderent. Nam Maria, Martha & Lazarus Chriſtum in ſuam domum frequenter hoſpitio excipiebant. Sed & mulieres quædam de propriis facultatibus Chriſto ſubminiſtrabant neceſſaria Luc. VIII. Et Dæmoniacus ille apud Gerazenos curatus, cum vellet Chriſtum corporaliter ſequi, iuſſus eſt apud ſuos remanere. Nec veriſimile eſt, Centurionem & regulum & alios multos, qui cum tota domo in Chriſtum crediderunt, omnibus ſuis divenditis, ſtatim ad communem aliquam vitam ſe contuliſſe, præſertim cum illius rei nec in Evangelio, nec alibi veſtigia probabilitatis appareant. Iam autem nec illi fideles, qui in Ieroſolymis erant omnes omnino ſine exceptione hanc evangelici conſilii perfectionem amplexi videntur. Erant enim ibi Nicodemus, Ioſeph, Gamaliel aliique principes, de quibus Ioan. XII. quos illud feciſſe non apparet. Quod ergo ita univerſaliter dicitur & hoc ſecundo cap. poteſt intelligi de illis dumtaxat, aut potiſſimum, qui una & altera Petri prædicatione poſt acceptum Spiritum ſanctum crediderunt. Quamquam nec affirmare auſim omnes illos ſine exceptione ad tantam perfectionem ſe contuliſſe; maxime quod credibile ſit fuiſſe inter eos, qui, quod filii familias eſſent, parentibus nondum credentibus; aut coniugati coniugibus nondum credentibus, aut alia ratione, non potuerint de bonis & ſtatu ſuo diſponere prout cuperent; etiamſi quam maxime ad illam perfectionem evangelicam aſpirarent. Forte nec coniuges, qui filios habebant in illam ſe communitatem dederunt; quia debent parentes filiis theſaurizare, ſecundum Apoſtolum; Ananias autem & Sapphira non leguntur habuiſſe filios. Eadem ratione nec illi coniuges, qui continere nollent ab opere coniugali, videntur in eam congregationem admiſſi fuiſſe, etiamſi filios non haberent. Poterant enim eis adhuc naſci filii. Totum hoc probabile eſt; quia cap. VI. legimus ortum fuiſſe murmur Græcorum adverſus Hebræos, quod viduæ illorum minus curarentur in quotidiano miniſterio, quod fiebat ex marſupio communi. Nihil autem tale legitur de parentibus erga filios, ſcilicet quod quæſti fuerint non ſatis ſibi ſuppeditari ad nutriendum filios, præſertim infantes & pueros; pro quorum alimonia matres maxime ſolent eſſe ſolicitæ. Unde veriſimile eſt non alias mulieres, quam viduas & virgines, aut alioqui continentes, in eam ſocietatem fuiſſe admiſſas, Atque id probatur ex Epiphanio in hæreſi Nicolaitarum, ubi dicit Nicolaum primo ſe continuiſſe ab uxore, exemplo aliorum, quos Deo addictos videbat. Manifeſtum etiam, quod qui Chriſtiani fiebant, non iubebantur omnia ſua relinquere, & pretium rerum conferre in commune; quia Petrus dicit Ananiæ: *Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat poteſtate?* id eſt, liberum tibi erat ut bona tua & pretium ex iis comparatum vel con-

ſer-

Google

ferres in vitam communem, vel tibi retineres? Tunc autem voto ſe ad communem vitam obligabant, quando ſua offerebant ad pedes Apoſtolorum. Unde Ananiæ non totum aſſerenti, & tamen voventi vitam communem & rerum ſuarum dimiſſionem, dicitur: *Mentitus es Spiritui ſancto*; id eſt, fidem Deo datam feſelliſti, & irritam feciſti; id eſt, voviſti, quod præſtare non cogitaſti; promiſiſti ore, non corde. Puto igitur iſtos omnia communia habentes fuiſſe vere religioſos, quomodo nunc de religioſis loquimur, quia in manibus Petri tamquam Prælati vovebant vitam communem, & proinde etiam obedientiam, ſine qua vita communis non poteſt ſubſiſtere. Item continentiam, ſine qua vita illa eſſet plena turbarum, rixarum, & querelarum, propter filios nutriendos, eiſque providendum. Et Patres originem vitæ communis, qualis religioſorum eſt, referunt primum ad familiam Chriſti & Apoſtolorum, qui dixerunt; *Ecce nos reliquimus omnia*; inter quæ etiam uxores nominantur; unde & vita apoſtolica vocatur. Deinde ad vitam communem primorum fidelium, qui Ieroſolymis per prædicationem Apoſtolorum crediderunt. Et tales fuerunt, qui ſub Marco vixerunt Alexandriæ, de quibus Hieronymus in catalogo; & quales Philo deſcribit, abſtinentes etiam ab uxoribus & re coniugali. Vide etiam Auguſt. in duobus ſermonibus de vita communi. Poſſet tamen obiici; Nicolaus advena Antiochenus, unus ex iſtis, legitur ardentius uxorem ſuam adamaſſe; ergo videtur ea adhuc uſus fuiſſe. Sed reſpondetur id in eo fuiſſe reprehenſum ab Apoſtolis. De hoc vide Epiphanium in hæreſi Nicolaitatum ſub initium; unde colligitur huius obiectionis ſolutio. Item ſciendum, quod Apoſtoli vitam illam communem inſtituerunt ad exemplum vitæ ſuæ, quam egerant ſub Chriſto Domino; de qua Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia*. Et inde vocatur ab Auguſt. & aliis, *vita apoſtolica*, & ibi inter omnia nominantur etiam *uxores*.

V. 34. & 35. NEQUE ERAT QUISQUAM EGENS INTER ILLOS. Quomodo ergo erant pauperes, utpote paupertatem profeſſi? Reſp. *Pauper* dicitur qui facultates non habet; *egens* cui neceſſaria deſunt. Erant ergo pauperes, quia nemo ſuum aliquid eſſe dicebat; egentes tamen non erant, quia diſtribuebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Ita fit ut pauperes non egeant; ſicut & hodie in monaſteriis, ubi bona fit diſpenſatio. Quemadmodum contra fieri poteſt, ut dives egeat; quia ab uſu poſſeſſionum ſuarum prohibetur. Hieronymus in Philone dicens; quod nullus erat pauper in congregationibus fidelium in commune viventium, pauperem intelligit, qui hic egens vocatur. QUOTQUOT ENIM POSSESSORES AGRORUM AUT DOMORUM ERANT. Intellige de domibus, quæ ipſis non erant neceſſariæ ad inhabitandum. Has enim non vendebant, ſed retinebant, non tamen ut proprias, ſed ad uſum vel ſuum, vel aliorum fratrum, proprietate tamen earum tranſlata in communitatem. Et idem ſentiendum de aliis multis neceſſariis, ut ſupellectile, inſtrumentis mechanicis, veſtibus, libris, & ſimilibus. Propter uſum autem retentum aut conceſſum dicebatur domus huius aut illius: ut infra cap. XII. Petrus liberatus a carcere venit ad domum Mariæ matris Ioannis. Sic Philippus unus ex ſeptem diaconis dicitur habuiſſe domum Cæſareæ cap. XXI. Sic domus Simonis in evangelico: & Ioannes matrem Domini accepit in ſua, Ioan. XIX. VENDENTES AFFEREBANT PRETIA EORUM, QUAE VENDEBANT, ET PONEBANT ANTE PEDES APOSTOLORUM. Hinc intelligitur eos etiam qui bona ſua conferunt in commune ad monaſterium ſeu communitatem, cui ſe in religione mancipant, ſatisfacere conſilio Domini in evangelio, quo dicitur: *Vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me*. Dat enim pauperibus, qui confert in communitatem, in qua nemo aliquid ſuum eſſe dicit.

V. 36. & 37. IOSEPH AUTEM QUI COGNOMINATUS EST BARNABAS AB APOSTOLIS. Non Barſabas, hic enim diverſus eſt ab eo, qui cum Matthia erat deſignatus an apoſtolatum, iuxta Chryſoſt. hom. XI. id acta. Vide Gagnæum & paraphraſim Eraſmi in I. & IV. cap. Omnia græca exemplaria & omnia MS. hoc loco habent Barnabas; cap. I. Barſabas. Item prior in græco vocatur ἰωσὴφ, hic autem ἰωσῆς. Ac rurſum prior ille fuerat ex Chriſti diſcipulis omni tempore, &c. ut habet oratio Petri: hic autem recenter accedit ad Apoſtolorum familiam, omnia ſua relinquens; vide annot. ad cap. I. Tametſi Clemen

Alexandrinus Lib. II. Strom. dicit hunc unum fuiſſe e ſeptuaginta diſcipulis. Verum non legimus ſeptuaginta diſcipulos omnia ſua reliquiſſe, ſicut fecerant Apoſtoli, quorum nomine Petrus dicit: *Ecce nos reliquimus omnia*. LEVITES, CYPRIUS GENERE, CUM HABERET AGRUM: *Cyprius genere*, id eſt patria, quia in Cypro natus erat, vel quia parentes eius Cyprii erant, id eſt in Cypro nati. Nam Hebræi diſperſi erant toto orbe. Hinc etiam liquet Levitas habuiſſe poſſeſſiones agrorum.

MARIANAE.

Verſ. 2. IN IESU, id eſt dolebant ſacerdotes, quoniam Apoſtoli annuntiabant reſurrectionem omnium per Ieſum eius virtute & exemplo. Quidam legunt, *in Ieſum*: male; melius, *in Ieſu*, id eſt per Ieſum.

V. 4. QUINQUE MILLIA. Gotth. & Syr. *circiter quinque millia*. Græc. ὡσεὶ χιλιάδες πέντε. Iam dixi ὡσεὶ aliquando ſignificare *circiter*.

V. 6. ANNAS PRINCEPS SACERDOTUM. Hunc quidam Ionathan putant Annæ filium, qui remoto Caipha factus eſt pontifex a Romanis: Ioſephus Lib. XVIII. cap. VI. & vocari etiam *Annam* de patris nomine credunt. Aut *Annas* ipſe vocatur princeps ſacerdotum, quia fuerat Pontifex. Nicephorus Conſtantinopolitanus in ſua Chronologia ſic huius temporis Pontifices numerat: Annas, & ex alio genere Iſmael, Eleazar filius Annæ, Simon, Caiphas Annæ gener, Ionathas & Thophylus Annæ filii. Nec mirum brevi tempore tot Pontifices fuiſſe; Pontificatus annuus erat.

V. 9. DIIUDICAMUR IN BENEFACTO, id eſt quod bene fecerimus infirmo, condemnamur. IN QUO ISTE SALVUS, ſupple, iudicamur, quod illi dedimus ſanitatem.

V. 13. ET COGNOSCEBANT; pro, *cognoſcebant autem*. Sic Gotth. quod Petrus & Ioannes erant Chriſti diſcipuli.

V. 16. HABITANTIBUS IERUSALEM miraculum innotuit. Quid faciemus? *Ieruſalem*, pro *in Ieruſalem*: ſic etiam Gotth.

V. 19. SI IUSTUM EST .... VOS POTIUS AUDIRE QUAM DEUM? Socrates in Apol. Plat. Πείσομαι δὲ τῷ Θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν. *Parebo Deo potius quam vobis*.

V. 20. NON ENIM POSSUMUS non loqui. Græc. & Gotth. additur *nos*, ſcilicet non poſſumus, ſed redundat.

V. 21. CLARIFICABANT ID QUOD. Gotth. *clarificabant Deum in eo quod factum erat*: ſic Græc. & Syr. pro eo quod noſter, *clarificabant id quod factum erat*,

V. 24. TU ES QUI FECISTI. Gotth. *tu es Deus qui feciſti*: ſic Græc. & Syr. Id fideles dicunt, audientes quod ſacerdotes iuſſerant.

V. 33. IESU CHRISTI DOMINI NOSTRI. Reſurrectionem prædicabant Apoſtoli. Græc. & Syr. non eſt, *Domini noſtri*. In Gott. eſt *Domini*, ſine *noſtri*. ET GRATIA MAGNA, id eſt omnibus placebant, gratique omnibus erant Apoſtoli.

V. 34. VENDENTES, ſcilicet agros aut prædia, afferebant ad Apoſtolos pretium.

V. 36. IOSEPH. Græc. *Ioſes*, de quo ſatis multa Marc. XV. 47. Syrus haud dubium hoc loco *Ioſeph* Græce legit. Veleſius etiam ex aliquo Græc. cod. Ἰωσὴφ poſuit. QUI COGNOMINATUS EST BARNABAS, non *Barſabas*. Alius hic eſt ab eo qui cum Matthia fortitus eſt locum Iudæ. FILIUS CONSOLATIONIS. Hæ nominum in aliam linguam interpretationes ſint factæ ab ipſo Scriptore ſacro, an ab Interprete, magna quæſtio eſt. Credam tamen Interpretis potius eſſe, præſertim cum in diverſam linguam ab ea, qua liber eſt ſcriptus, fit tranſitus. Obiicias, Licebit ergo ab interpretatione recedere. Dicam, Ab Eccleſia habere, ut reſilire fas non ſit. Hic Barnabas venditi agri pretium detulit integra fide ſecus quam Ananias, de quo mox; cui cognita fraude Petrus dixit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*.

MENOCHII.

Verſ. 1. MAGISTRATUS TEMPLI: ὁ στρατηγός. Syrus, *præfecti templo*. Erat præfectus quidam cum ſuis ſatellitibus, cuius erat curare, ut omnia pacate, & ſine turbis procederent. Ideo autem inſtitutus fuerat hic magiſtratus, quia cum magnus eſſet ad templum concurſus, facile rixæ, turbæ, &c. exiſtere poterant. SADDUCAEI: de quibus dixi Matt. III. 7.

V. 2. ANNUNCIARENT IN IESU RESURRECTIONEM EX MORTUIS. Prædicarant Ieſum reſurrexiſſe, ex quo colligebatur Ieſu

quo-

quoque diſcipulos, & ſectatores, eius ope, reſurrecturos. Fortaſſe ex eo quod Petrus *omnium reſtitutionem* futuram dixit, ſuperiore capite verſ. 21. mortuorum univerſalem reſurrectionem intellexerunt, quæ res Sadducæos præſertim videtur commoviſſe, qui reſurrectionem corporum negabant: infra cap. XXIII. 8.

V. 4. QUI AUDIERANT VERBUM; ſcilicet, prædicationem Petri. QUINQUE MILLIA: præter tria illa millia prima Petri concione converſa, cap. II. 41.

V. 5. UT CONGREGARENTUR: coacto magno concilio 72. virorum, quod Græce συνέδριον, indeque Hebr. & Syriace *Sanedrim* vocatum eſt. Hoc concilium a Deo fuerat inſtitutum, Num. XI. 24. PRINCIPES EORUM: principes populi, & principes Sacerdotum, non enim ex ſacerdotibus tantum conſtabat hoc concilium, ſed etiam ex ceteris populi primoribus, præſertim Scribis, & legis peritis. SENIORES: ſynedrii huius ſenatores, ætate, & ſapientiæ opinione venerabiles. SCRIBAE: ſic ſuos ſapientes, & doctores vocabant, Heb. Græce dicuntur γραμματεῖς; quaſi dicas, *litterati*.

V. 6. ANNAS PRINCEPS SACERDOTUM: qui fuerat princeps ſacerdotum, & adhuc nomen retinebat, licet munere abdicato. Alii putant Annam & Caipham Pontificatum a Romanis pecunia emptum alternis annis geſſiſſe. IOANNES: hic unus fuit ex quinque Annæ filiis alio nomine Ionathas appellatus. Vide Ioſephum Lib. II. belli cap. XXV. ALEXANDER: hic ille eſſe videtur cuius meminit Ioſephus Lib. XX. Antiq. cap. III. & Alexandriæ magiſtratum geſſiſſe ait Halabarchæ, id eſt *præfecti ſalis*. QUOTQUOT ERANT DT GENERE SACERDOTALI: ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ, id eſt *Pontificio*. Erant ergo hi principes ſacerdotum, hoc eſt viginti quatuor familiarum ſacerdotalium capita; hi enim principes vocabantur pontifices, quibus præſidebat unus ſummus pontifex.

V. 7. IN QUA VIRTUTE: δυνάμει, id eſt *qua potentia*. FECISTIS HOC? quaſi dicant, Non tam miraculum quam prodigium artis magicæ dæmonis viribus patratum.

V. 8. TUNC REPLETUS SPIRITUS SANCTO: nova fuit hæc abundantia actualis Spiritus ſancti præter habitualem, qua repletus eſt Petrus in die Pentecoſtes. Ad opera enim heroica non ſufficit communis, & habitualis gratia, ſed nova actualis, eaque communi maior, & potentior requiritur. Sæpe enim hæc opera habitum gratiæ præſentem ſuperant, & tranſcendunt.

V. 9. SI NOS HODIE DIIUDICAMUR, &c. necte cum initio ſequentis verſiculi, *Notum ſit omnibus*, &c. Potuiſſet dicere, *quia diiudicamur*, ſed modeſtiæ cauſa dixit, *ſi diiudicamur*. DIIUDICAMUR: ἀνακρινόμεθα, diſcutimur, in quæſtionem & examen vocamur, examinamur. Syrus dicit, *Si in ius vocamur*. IN BENEFACTO: ob beneficium, id eſt ob ſanitatem claudo collatam. IN QUO: ἐν τίνι, qua ratione, quomodo, qua vi, & virtute, hoc enim iudices interrogaverant, verſ. 7.

V. 10. IN NOMINE, id eſt in invocatione, hoc eſt per invocationem, & virtutem. QUEM DEUS SUSCITAVIT A MORTUIS: qui vi ſuæ divinitatis reſurrexit a mortuis.

V. 11. HIC EST LAPIS: citat Pſal. CXVII. 22. *lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*. Vide quæ dixi in hunc Pſalmi locum.

V. 12. ET NON EST IN ALIO ALIQUO SALUS; non eſt alius, a quo homines ſalutem præſertim animæ expectare poſſint, aut debeant, quam hic. NEC ENIM ALIUD NOMEN EST; id eſt, non eſt alius quam Ieſus Chriſtus, in cuius virtute, vel invocatione ſalvemur. Nomen ſumitur pro re nominata, ut alibi ſæpe in Scriptura.

V. 13. CONSTANTIAM: παῤῥησίαν, dicendi libertatem. COMPERTO QUOD HOMINES ESSENT SINE LITTERIS: non poterant hoc ex ſermone colligere, quia prudenter, & docte locutus fuerat Petrus, ſed ex eo quod cognoverunt eos eſſe pauperes, & piſcatores. IDIOTAE. Idiota dicitur, qui proprio tantum, naturalique idiomate ſeu lingua, & ſcientia contentus neſcit ſtudia litterarum: ἴδιος enim Græce proprium ſignificat. ET COGNOSCEBANT EOS QUONIAM CUM IESU FUERANT: recordabatur ſe vidiſſe eos cum Ieſu ambulante, & prædicante.

V. 34. NIHIL POTERANT CONTRADICERE: nam licet hactenus foſitan de arte magica ſubdubitaſſent, illos tamen rei evidentia convincebat, cum aliis circumſtantiis

Digitized by Google

probitatis Apoſtolorum, candidæ ſimplicitatis, & maturæ libertatis.

V. 16. QUID FACIEMUS HOMINIBUS ISTIS? *Verba hæc conveniunt victis non vincentibus*, ait Iſidor. Peluſiota Lib. III. ep. CLXXXII. Vincebantur enim tum facti evidentia, tum aſſeveratione Petri, & Ioannis, æque ac laudi, uno ore aſſerentium in nomine Ieſu Chriſti eum ſanatum eſſe: nec videbant quo iure illos punire poſſent, aut carcere detinere. NOTUM SIGNUM FACTUM EST PER EOS: miraculum illuſtre, quod nullo artificio obſcurari poteſt. In Græc. eſt, *γνωστὸν σημεῖον γέγονε δι' αὐτῶν*, quod verti etiam poſſet, *ſignum factum eſt per ipſos manifeſtum*, id eſt ab ipſis divulgatum, cui explicationi favent ſequentia, proximo verſiculo. Syrus habet: *Ecce enim ſignum illud manifeſtum, quod editum eſt per eos*, &c. Quæ verſio primæ interpretationi conſentit.

V. 17. COMMINEMUR: *ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα*, *minis comminemur*, quæ geminatio emphaſim habet. Et quidem hoc loco minæ ſunt de inferenda morte, ut placet Lyrano. NE ULTRA LOQUANTUR IN NOMINE HOC: ſive prædicando, ſive invocando, atque ita ſignum aliquod faciendo.

V. 18. DENUNCIAVERUNT: *παρήγγειλαν*, *denunciarunt*, præceperunt, edixerunt. Italice dicimus, *intimare*. NEQUE DOCERENT IN NOMINE IESU: non prædicarent Ieſum, neque eius doctrinam.

V. 19. SI IUSTUM EST: an iuſtum ſit. IN CONSPECTU DEI: magnam vim hoc habet, qui enim cogitat ſe ſtare coram Deo, quem nihil latet, & qui ſcelerum vindex eſt, non audet niſi quod veritati, & iuſtitiæ conſentaneum eſt pronunciare. VOS POTIUS AUDIRE QUAM DEUM: mandantem Apoſtolis ut prædicarent Ieſum eſſe Chriſtum; & Dei filium, & eorum prædicationem miraculis confirmantem.

V. 20. NON ENIM POSSUMUS QUAE VIDIMUS, &c. quaſi dicant: Chriſtus voluit nos eſſe teſtes ſuos, ideoque nos ſuos comites, & Apoſtolos conſtituit: ergo quæ de eo vidimus, & audivimus, licite ſilere non poſſumus.

V. 21. NON INVENIENTES QUOMODO PUNIRENT EOS: non invenientes probabilem prætextum, quem prætendentes ſuæ malitiæ, videri poſſent iure agere, & ſceleris alicuius compertos punire. PROPTER POPULUM: optime conſcium & Chriſti innocentiæ, & diſcipulorum eius. OMNES SACRIFICABANT. In Græco eſt, *ἐδόξαζον τὸν θεὸν ἐπὶ τῷ γεγονότι*, id eſt *glorificabant Deum in eo quod factum erat*.

V. 22. ANNORUM ENIM ERAT AMPLIUS QUADRAGINTA. Homo id ætatis confirmans ſe ſanatum eſſe, fide dignior, & iuxta vulgatam hominum opinionem, curatu difficilior erat.

V. 23. DIMISSI: non innocentes declarati, ſed tantum a pœnis immunes vinculis ſoluti. VENERUNT AD SUOS. Syrus, *ad fratres ſuos*. QUANTA: *ὅσα*, *quæcumque*.

V. 25. PUERI TUI: *ſervi tui*, ut habet Syrus. QUARE FREMUERUNT, &c. vide dicta Pſalm. II. 1. ubi duos hos verſiculos explicavimus.

V. 27. PUERUM TUUM: *filium tuum*, ſic enim interpretem intelligere vocem *παῖδα*, cum illam Chriſto tribuit, patet ex verſ. 30. ubi *παιδός*, vertit, *filii*. QUEM UNXISTI: unctione gratiæ, & unionis hypoſtaticæ, &c. CUM GENTIBUS, ET POPULIS ISRAEL: gentes, & populi Iſrael ſumuntur pro eodem tamquam ſynonyma, nam in concilio hoc Iudæorum, de quo hic eſt ſermo, non interfuerunt gentiles.

V. 23. FACERE QUAE MANUS TUA, &c. non refertur hoc decretum ad peccatum crucifigentium Chriſtum, ſed ad fructum paſſionis eius. MANUS TUA: potentia, providentia, & directio tua. ET CONSILIUM: redemptio enim noſtra æque ac Eccleſia a Chriſto fundata, fuit opus ſummæ ſapientiæ, & conſilii divini, ut docet D. Paulus I. ad Corinth. II. & alibi. DECRETUM: *προώρισε*, id eſt *prædefinivit*. FIERI: pati, ſcilicet Chriſtum ob ſalutem, & exaltationem tum Eccleſiæ, tum ſuam.

V. 29. RESPICE IN MINAS EORUM: ut eas compeſcas, & a nobis avertas; aut nos contra eas armes, & robores. SERVIS TUIS: nobis ſervis tuis. CUM OMNI FIDUCIA: *μετὰ παῤῥησίας*, audacter, libere, fortiter.

V. 30. IN EO QUOD MANUM, &c. quaſi dicat: Dabis nobis fiduciam prædicandi, ſi

præ

Digitized by Google

prædicationem noſtram manu tua iuves, & confirmes, operando per nos, ad invocationem Ieſu Chriſti, ſanitates, & ſigna, quibus fidem nobis apud auditores concilies.

V. 31. Motus est locus in quo erant congregati. Terræ motus factus eſt, ut ſignificaretur eorum orationem exauditam eſſe, & Deum illis adeſſe præſentem. Deus enim præſentiam ſuam per concuſſionem terræ non infrequenter ſignificare ſolet Pſalm. ciii. 32. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere*. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto. Iam in Pentecoſte Spiritu ſancto repleti fuerant, ſed quaſi in habitu, nunc eodem replentur quaſi in actu, ut ſcilicet in perſecutione loquantur verbum Dei cum fiducia. Vide dicta ſupra verſ. 8.

V. 32. Nec quisquam eorum quae possidebat: abdicabant enim proprietatem, & dominium ex ſtudio, & voto paupertatis æque ac caritatis, & communis vitæ. Hoc quod dicimus patebit ex dicendis initio capitis ſequentis.

V. 33. Et virtute magna. Græce δυνάμει, id eſt *potentia*, *robore*. Robur autem hoc conſiſtebat tum in fiducia, & audacia prædicandi Chriſtum; tum in patrandis miraculis. Reddebant: quaſi depoſitum ſibi a Chriſto commiſſum, hoc enim eſt, ἀποδιδῶν, ut interpretatur Chryſoſtomus. Et gratia magna erat in omnibus illis. Fideles enim in mutua conſuetudine magnam oſtendebant gratiam, benevolentiam, & beneficentiam ut viderentur eſſe fratres, immo Angeli, & gratiarum filii. Hunc eſſe ſenſum patet ex ſequentibus.

V. 35. Et ponebant ante pedes Apostolorum: tum ſtudio humilitatis, & reverentiæ erga Apoſtolos; tum, ut oſtenderent opum contemptum, quaſi eæ non manibus tractandæ, ſed pedibus calcandæ eſſent: tum ut oſtenderent ſe non tam gratiam facere, quam recipere ab Apoſtolis.

V. 36. Ioseph autem, &c. Illuſtre hoc Barnabæ exemplum commemorat Lucas, tum quia de illo crebra in poſterum mentio futura eſt, tum præcipue, ut quaſi ex oppoſito magis eluceſcat gravitas ſacrilegii Ananiæ, & Saphiræ, quod mox narrabitur ſequenti capite. Quod est interpretatum filius consolationis. Sic dictus eſt, vel quia hoc ſuo præclaro oblationis exemplo Apoſtolis conſolationem, ut etiam pauperibus attulit. Vel quia eximia manſuetudine, hilaritate, ſuaviloquentia, gratia, ſanctitate, pollebat facultate conſolandi afflictos, & miſeros. Ita Alexander in eius vita. Levites. Licet enim Levitæ Num. xviii. 20. vetentur poſſidere agros in Iudæa, non tamen extra eam, immo nec in Iudæa, ſi ii ſint paſcuales dumtaxat ad alenda pecora, ut patet Num. xxxv. 3. Hugo cenſet hunc Barnabæ agrum fuiſſe in Cypro: Alexander autem in vita S. Barnabæ ait eum fuiſſe in Iudæa. Cyprius genere: Iudæi enim poſt tot captivitates ſparſi erant per totum orbem, & ubique gentium domos fixerant.

T I R I N I.

Verſ. 1. **M**agistratus templi; Græce, στρατηγός; Chryſoſt. *dux militum templi*; Beda, *prætor templi*, qualis fuerit alibi *a* dixi: ut & qui Sadducæi *b*.

V. 4. Virorum quinque millia, diverſa prorſus ab illis *tribus millibus*, cap. ſecundi, inquit S. Hieron. Chryſoſt. Auguſtin. *c* Lyranus & Beda. His adiice feminas & pueros, & horum tot milium virorum familias; en *quam modicum fermentum quantam farinæ maſſam convertit!* inquit idem Chryſoſt.

V. 6. Annas, etſi tum temporis non eſſet pontifex, tamen vocatur princeps sacerdotum, & præponitur *Caiphæ* ob cauſas quas Lucæ iii. 1. recenſui. Ioannes filius erat *Annæ* cognomento *Ionathas*, poſtea etiam pontifex factus, teſte Ioſepho & dixi in Chronico *d*. Alexander opibus & virtute clarebat, maxime Alexandriæ, ubi erat *Halabarcha*, id eſt præfectus ſalis, inquit idem Ioſephus, & ex illo Baronius *e*. Hi cum reliquis de genere sacerdotali, ſeu pontificali, conſtituebant magnum Iudæorum concilium 72. virorum, quod Græce συνέδριον, idque hebraice & ſyriace *ſanedrim* vocatum eſt, ut alias *f* dixi. Neque enim conſtabat illud ſolis principibus ex tribu Iuda oriundis, ut ſenſit Ioan. Annius & Lucidus *g*: nec

ex

ex ſolis ſacerdotibus, ut voluit Abulenſis; ſed ex duodecim tribuum principibus, ex 24. principibus *h* claſſium, ſacerdotalium, denique ex ceteris ſynagogæ primoribus, præſertim Scribis, ſeu legiſperitis; ſummo pontifice omnibus præſidente.

V. 8. PETRUS de novo REPLETUS inſigni robore interno a SPIRITU SANCTO ipſi indito, generoſiſſime, ut caput Eccleſiæ decebat, reſpondet principibus:

V. 9. SI DIIUDICAMUR; Græce, *ſi in quæſtionem*, ſeu examen; Syrus, *ſi in ius vocamur*, ob *benefactum*, ſeu beneficium ſanitatis impenſum huic *infirmo*, *qui* iam *ſanus vobis aſtat* (ergo etiam claudum, ut occaſionem tumultus compegerant in carcerem, & iam una cum Apoſtolis ſiſtunt concilio,) ſcitote id factum *in nomine*, id eſt per invocationem & virtutem, *Ieſu a vobis crucifixi*.

V. 12. NON EST ALIUD NOMEN; id eſt, nullus eſt alius, IN QUO, ſeu per quem, cuius virtute, merito vel invocatione, OPORTEAT NOS SALVOS FIERI *i* Hinc docent Hugo Victorinus, Magiſter, S. Thomas, Bonavent. Alenſis, Albertus, Marſilius & Gabriel, quos citat & ſequitur Gregor. a Valentia, k poſt promulgatum Evangelium neceſſariam eſſe fidem explicitam Chriſti, neceſſitate non tantum præcepti, ſed & medii, ad acquirendam iuſtitiam & ſalutem æternam.

V. 17. COMMINEMUR; Pagninus & Tremellius, minaciter *interminemur* EIS, NE ULTRA LOQUANTUR IN, ſeu de, NOMINE HOC; id eſt, ne amplius Ieſu Chriſti nomen prædicent, invocent, aut ſignis edendis immiſceant. En agnitæ veritatis obſtinatam impugnationem!

V. 27. & 28. CONVENERUNT Iudæi FACERE, ſeu exequi, QUAE divina MANUS, id eſt potentia ac providentia, TUA, ET æternum CONSILIUM TUUM DECREVERUNT, ſeu prædefiniverunt, FIERI: nempe pati & mori Chriſtum ad humani generis redemptionem & ſalutem. Præviſis enim per præſcientiam conditionatam perverſis Iudæorum voluntatibus & actibus, quod ſcilicet Chriſtum, ſi ipſis vitia ipſorum carpens obiiceretur, occiſuri eſſent, decrevit Deus, primo, id permittere; ſecundo, decrevit & iuſſit Chriſto, mortem a Iudæis inferendam excipere; tertio, decrevit, illa eius morte, & non alia via mundum redimere & ſalvare. Unde quod nuper dicebam *l* Iudæorum *actio diſplicuit* extreme Deo, ſed Chriſti *paſſio*, & inde reſultatura mundi redemptio, *grata fuit*, & ab æterno decreta ac prædefinita a Deo: ita S. Leo, Proſper *m* & alii Patres ac Scholaſtici. Ex quibus patet, quomodo ſcelerati, etſi nil tale cogitantes, Dei conſilium exequantur, nec tamen a culpa eximantur, ut alibi *i* dixi.

V. 29. DA SERVIS TUIS, non periculis omnibus eximi, ſed in mediis periculis CUM OMNI FIDUCIA (παῤῥησία etiam libertatem & audaciam ſignificat,) LOQUI VERBUM TUUM: hoc autem datum nobis cenſebimus

V. 30. IN EO QUOD MANUM TUAM EXTENDAS AD SANITATES; id eſt, per hoc quod prædicationem noſtram manu tua, ut cœpiſti, pergas iuvare, operando per nos ad invocationem Ieſu Chriſti, miracula, quibus & illum Meſſiam eſſe teſteris, & nobis id evangelizantibus fidem apud auditores concilies.

V. 31. ET CUM SIC ORASSENT, MOTUS EST LOCUS. Et hoc terræmotu indicabat Deus, ſe præſentem *o* illis eſſe, & omnibus illorum hoſtibus quantumcumque terribilibus terribiliorem fore: immo ipſoſmet hoſtes audito Evangelio, metu illius ac reverentia concutiendos *p*, eique ſubiugandos eſſe, inquit Beda & Lyranus. Indicabat quoque novum Spiritus ſancti adventum, ut ſequitur, in animos ipſorum, quo iterata accenderentur, & magis inflammarentur, inquit Chryſoſt. Ad acres enim tentationes & perſecutiones fortiter ſuperandas, ut & ad opera heroica conſtanter proſequenda, opus eſt ſæpe novo crebroque impulſu & robore Spiritus ſancti, quod aſſiduis & ardentibus precibus a Deo depoſcendum laudatiſſimo horum primorum Chriſtianorum exemplo.

V. 33. GRATIA MAGNA ERAT IN OMNIBUS ILLIS primis Chriſtianis: gratia, inquam, tum qua a Deo cumulabantur, in vultu, verbo moribuſque eorum reſplendente; tum qua erga ſe mutuo utebantur, maxima benevolentia beneficentiaque ſe, ut mox ſequitur, invicem proſequendo, ut fratres, immo angeli eſſe viderentur.

V. 34.

Digitized by Google

V. 34. & 35. QUOTQUOT POSSESSORES AGRORUM AUT DOMORUM ERANT. Vendebant illa; certi, ob imminens Ieroſolymæ excidium, alio ſibi brævi demigrandum, inquit Melchiades Papa *q*. Sed ſi hoc ſolum ſpectaſſent, pretia rerum venditarum ſibi reſervaſſent. Et ſane poterant ſervare quicumque volebant, teſte ipſomet Petro *r*, dicente Ananiæ, *Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat poteſtate?* Verum plerique perſectionis ſtu-
dic [illegible] riſti ſequentes *ſ*, *Si vis per-*
fec [illegible] *'e, vende quæ habes, & da*
pa [illegible] *veni ſequere me*; non pro-
po [illegible] :ed & voto, ut caſtitatis &
ob [illegible] a etiam paupertatis, ſeſe ad
inſ [illegible] rum *t* obſtringentes, exue-
ba [illegible] omnium terrenarum domi-
ni [illegible] ate, ET PONEBANT ANTE
PE [illegible] LORUM: idque ſtudio hu-
mi [illegible] ;cientiæ erga Apoſtolos, &
in [illegible] 'emptus opum mundanarum,
qu [illegible] manibus tractandæ, ſed pe-
dib [illegible] eſſent: denique ut oſtende-
ren [illegible] m gratiam præſtare, quam
rec [illegible] oſtolis, inquit Chryſoſt. *u*
M [illegible] .ucas eximium Levitæ cu-
iuſ [illegible] ariſſimis exemplum.
[illegible] :PH. Ob egregium beneſa-
cie [illegible] s ſtudium, & inſignia qui-
bu [illegible] ilenta, COGNOMINATUS AB
A [illegible] ARNABAS, id eſt FILIUS CON-
so [illegible] id eſt totus conſolatorius,
co [illegible] lenus, & conſolationem om-
ni [illegible] . Hic
vu [illegible] NDIDIT AGRUM quem, ut
ve [illegible] n *Cypro* (unde natus erat)
ha [illegible] Iudæa, ut ait Alexander *x*,
ctu [illegible] ſſimum, magnificis conſtru-
pe [illegible] s: (nam agri paſcuales *y*
ET [illegible] Levitis etiam in Iudæa:)
A [illegible] ;omne POSUIT ad PEDES
Ie [illegible] M. Sophronius Patriarcha
ſa [illegible] & Helecas *z* Epiſcopus Cæ-
n [illegible] volunt Barnabam ex mater-
S [illegible] rem fuiſſe *Zebedæi*, patruum
ſt [illegible] Maioris & Ioannis Evangeli-
m [illegible] num alterius Ioannis cogno-
ti [illegible] i, in cuius domo cœnam ul-
ct [illegible] us celebravit, & Spiritum ſan-
[illegible] pulos miſit.

[illegible] :1. 52.
[illegible] . 7.

(c) Hieron. in Iſaiæ xl. Aug. tract. xxxix. in Ioan. Chryſoſt. hic, & homil. de virtute & vitio.
(d) Ioſeph. Lib. II. Belli cap. xxv. Chronic. cap. xlii. ſub finem.
(e) Ioſeph. Lib. XX. Antiq. cap. aii. Baron. an. Chriſti 34.
(f) Num. ii. 24.
(g) Annius & Lucidus in Breviario tempor.
(h) I. Paral. xxiv.
(i) Rom. iii. 24.
(k) Valentia ii. 2. quæſt. ai. puncto 4.
(l) Actor. ii. 23.
(m) Leo Serm. XVI. de Paſſione. Proſper ad Obiecta Galorum, reſp. xiii. Scholaſtici in 2. p. quæſt. xix.
(n) Gen. xlv. 8.
(o) Pſal. cxiix. 6. Exod. xix. 29. Eccli. xvi. 18.
(p) Aggæi ii. 7.
(q) Cauſa xii. quæſt. i. cap. futurum.
(r) Actor. v. 4.
(ſ) Matth. xix. 21.
(t) Ibid. & verſ. 27.
(u) Chryſoſt. In 1 Cor. xi.
(x) Alexand. Monachus in Vita Barnabæ.
(y) Num. 35. 3.
(z) Sophronius in fragmento de laboribus SS. Petri & Pauli, tom. 7. Biblioth. SS. Patrum. Helecas in addition. ad Chronicon Lucii Dextri.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. MIrum non eſt doluiſſe Saducæos, qui ex cap. XXIII. 8. negabant reſurrectionem, quam Petrus cap. III. 21. viſus eſt aſſerere. Sed quis eſt hic templi magiſtratus? Certe deſignatus, qui pro officio curaret ne rixæ aut alia incommoda interturbarent res ſacras. Hic templi præfectus ſatellites habebat. Bedæ eſt templi prætor; lege Sigonium de Repub. Heb. Lib. VII. cap. XIII. IN IESU, accipi poteſt in nomine Ieſu, vel certe de Ieſu.

V. 3. & 4. Hic eſt primus carcer Petri. Accidit veſpere, id eſt poſt horam nonam quæ excurrebat ſub hoc titulo uſque ad occaſum ſolis ut toravi Ioan. 1. de horis Iudæorum. Intellige verſu quarto, quinque millia præter tria millia converſa, cap. II. ad primam Petri concionem.

V. 5. 6. Hinc uſque ad verſ. 8. narrat ſtetiſſe in Concilio Apoſtolos. Videtur eſſe ſynedrion 72. virorum, de quo dixi Num. 11. 16. Præter Pontificem erant & ſacerdotum principes, de quibus dixi Matth. XXVI. 3. & 57. Ubi etiam de Anna & Caipha. Hi ſacerdotum principes capita erant 24. familiarum ſacerdotum. Illud vero, QUOTQUOT ERANT DE GENERE SACERDOTALI, Syrus vertit, *ex genere ſummo-*

Digitized by Google

morum ſacerdotum, quaſi ſint qui aliquando Pontificatum geſſerint, niſi velis eſſe eoſdem viginti quatuor principes ſacerdotum. Vide Luc. III. 2.

V. 8. TUNC REPLETUS. Longe alius nunc eſt Petrus coram Caipha, quam quando ad ancillæ vocem formidabat. Vox conditionalis, *Si*, verſ. 8. expletur per initium verſiculi 9. pendet enim oratio. In hac ſua defenſione Petrus generoſo animo profitetur fidem, factum & facti auctorem, demum Meſſiam, lapidem angularem &c. De hoc lapide citat verſum, 22. Pſalm. CXVII. quem vide ibidem explicatum, de Chriſto, & nexu duarum Eccleſiaru. Nec, inquit, ab alio eſt ſalus, nec ſub alio nomine: nomen pro re nominata. Quis non rideat hic novum Traſonem Calvinum, qui profitetur ſe eſſe lapidem angularem, factum in caput anguli? ſic ille uſurpat quod ſolius Chriſti eſt.

V. 13. Victi & convicti hi qui erant in Concilio facti evidentia, doctrina & conſtantia Petri, cum in veritate tam manifeſta non eſſet occaſio caſtigationis, dimittunt Apoſtolos, additis tantum minis, ne amplius nomen hoc prædicarent.

V. 23. Regreſſi ad ſuos Apoſtoli agunt Deo gratias pro felici ſucceſſu, & alia hic uſque ad verſum 32. Citatur Pſalmus II. quem ibidem de Chriſto interpretatus ſum. hic verſ. 27. puerum vocant τὸν παῖδα, *filium*. CUM GENTIBUS. Reſpicit etiam ad tempus paſſionis; non enim erant in ſynedrio gentes, licet aliqui velint gentes & populum Iſrael hic eſſe ſynonyma.

V. 31. MOTUS EST LOCUS. Hoc terræ motu & loci concuſſione teſtatur Deus ſuam præſentiam, & exauditam orationem: ſic infra cap. XVI. 26. En etiam novum effectum: REPLETI SUNT SPIRITU SANCTO, repleti incremento.

V. 32. & 36. Hoc tertium quod agitur hoc capite, eſt de caritate fraterna, & abdicatione rerum temporalium, ſtudio voluntariæ paupertatis & vitæ communis; ad quod accedit illuſtre exemplum Barnabæ. Et quidem ita fiebat hæc abdicatio Ieroſolymis; nam in aliis & inter gentes provinciis Chriſtiani retinebant res ſuas, ut apparet ex collectis, de quibus I. Corinth. XVI. I. Errat vero Calvinus contendens hoc Ieroſolymitanos non ſe abdicaſſe dominio & proprietate, cum Lucas dicat illos res ſuas tranſtuliſſe in communem uſum. En manifeſta duo exempla de Barnaba, & caſtigato ob violatum votum Anania. At quomodo Barnabas Levites agrum habuiſſe dicitur: nam Num. XVIII. 20. prohibetur Levitis poſſidere agros. Putatur ſane hic Barnabæ ager fuiſſe in Cypro: ſtabat autem prohibitio ſolum in Iudæa. Immo etiam in Iudæa poterant Levitæ poſſidere agros paſcuales ex Num. XXXV. 3. ad alenda pecora. Fuit hic Barnabas Iudæus quidem, ſed Cyprius ex diſperſione Iudæorum; Gamalielis diſcipulus, & Pauli condiſcipulus, ut refert Alexander monachus in vita Barnabæ.

CA-

CAPUT V.

Ananias & uxor ſua Saphira agro divendito pretii partem ſibi ſervant ; quod tamen interrogante Petro factum eſſe negant : quam ob cauſam ad verbum Petri uxor poſt maritum ſubita morte percutitur : multa per Apoſtolos , & maxime per Petrum fiunt ſigna ; ipſique in cuſtodia recluſi ab Angelo educuntur , & rurſum apprehenſi non conſentiunt ut a prædicatione nominis Chriſti ceſſent : Gamalielis autem conſilio cæſi dimittuntur , gaudentes quod pro Chriſti nomine cædi meruiſſent , quem continue annuntiant .

1. VIr autem quidam nomine Ananias , cum Saphira uxore
ſua , vendidit agrum , 2. & fraudavit de pretio agri ,
conſcia uxore ſua : & afferens partem quamdam , ad pedes
Apoſtolorum poſuit . 3. * Dixit autem Petrus : Anania ,
cur tentavit ſatanas cor tuum , mentiri te Spiritui
ſancto , & fraudare de pretio agri ? 4. Nonne manens tibi
manebat , & venumdatum in tua erat poteſtate ? Quare
poſuiſti in corde tuo hanc rem ? Non es mentitus hominibus ,
ſed Deo . 5. Audiens autem Ananias hæc verba , cecidit & expiravit .
Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt . 6. Surgentes autem
iuvenes amoverunt eum , & efferentes ſepelierunt . 7. Factum eſt autem
quaſi horarum trium ſpatium , & uxor ipſius , neſciens quod factum fuerat ,
introivit . 8. Dixit autem ei Petrus : Dic mihi mulier , ſi tanti agrum vendidiſtis ?
At illa dixit : Etiam tanti . 9. Petrus autem ad eam : Quid utique convenit
vobis tentare Spiritum Domini ? Ecce pedes eorum , qui ſepelierunt virum
tuum , ad oſtium ; & efferent te . 10. Confeſtim cecidit ante pedes eius ,
& expiravit . Intrantes autem iuvenes , invenerunt illam mortuam , & extulerunt ,
& ſepelierunt ad virum ſuum . 11. Et factus eſt timor magnus in univerſa
eccleſia , & in omnes qui audierunt hæc . 12. Per manus autem Apoſtolorum
fiebant ſigna & prodigia multa in plebe . Et erant unanimiter omnes
in porticu Salomonis . 13. Ceterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis :
ſed magnificabat eos populus . 14. Magis autem augebatur credentium in
Domino multitudo virorum , ac mulierum , 15. ita ut in plateas eiicerent infirmos ,
& ponerent in lectulis ac grabatis , ut , veniente Petro , ſaltem umbra
illius obumbraret quemquam illorum , * & liberarentur ab infirmitatibus ſuis .
16. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Ieruſalem , afferentes
ægros , & vexatos a ſpiritibus immundis : qui curabantur omnes . 17. Exurgens
autem princeps ſacerdotum , & omnes qui cum illo erant (quæ eſt hæreſis
Sadducæorum) repleti ſunt zelo : 18. & iniecerunt manus in Apoſtolos ,
& poſuerunt eos in cuſtodia publica . 19. Angelus autem Domini per noctem
aperiens ianuas carceris , & educens eos , dixit : 20. Ite , & ſtantes loquimini
in templo plebi omnia verba vitæ huius . 21. Qui cum audiſſent , intraverunt
diluculo in templum , & docebant . Adveniens autem princeps ſacerdotum , &
qui cum eo erant , convocaverunt concilium , & omnes ſeniores filiorum Iſrael :
& miſerunt ad carcerem ut adducerentur . 22. Cum autem veniſſent
miniſtri , & aperto carcere non inveniſſent illos , reverſi nunciaverunt , 23.
dicentes : Carcerem quidem invenimus clauſum cum omni diligentia , & cu-

Digitized by Google

ſtodes ſtantes ante ianuas: aperientes autem neminem intus invenimus. 24.
Ut autem audierunt hos ſermones magiſtratus templi, & principes ſacerdo-
tum, ambigebant de illis quidnam fieret. 25. Adveniens autem quidam nun-
tiavit eis: Quia ecce viri, quos poſuiſt(i) in carcerem, ſunt in templo ſtan-
tes, & docentes populum. 26. Tunc abiit magiſtratus cum miniſtris, & ad-
duxit illos ſine vi: timebant enim populum ne lapidarentur. 27. Et cum ad-
duxiſſent illos, ſtatuerunt in concilio: Et interrogavit eos princeps ſacerdo-
tum, 28. dicens: Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine iſto:
& ecce repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra: & vultis inducere ſuper nos ſan-
guinem hominis iſtius. 29. Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli, dixerunt:
Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. 30. Deus patrum noſtrorum
ſuſcitavit Ieſum, quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno. 31. Hunc
principem & ſalvatorem Deus exaltavit dextera ſua, ad dandam pœnitentiam
Iſraeli, & remiſſionem peccatorum: 32. & nos ſumus teſtes horum verbo-
rum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi. 33.
Hæc cum audiſſent, diſſecabantur, & cogitabant interficere illos. 34. Surgens
autem quidam in concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legiſdoctor honorabi-
lis univerſæ plebi, iuſſit foras ad breve homines fieri: 35. dixitque ad illos:
Viri Iſraelitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis quid acturi ſitis. 36. An-
te hos enim dies extitit Theodas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit nu-
merus virorum circiter quadringentorum: qui occiſus eſt: & omnes, qui cre-
debant ei, diſſipati ſunt, * & redacti ad nihilum. 37. Poſt hunc extitit Iudas
Galilæus in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe, & ipſe periit, &
omnes, quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt. 38. Et nunc itaque dico vo-
bis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos: quoniam ſi eſt ex homini-
bus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur: 39.* ſi vero ex Deo eſt, non pote-
ritis diſſolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini. Conſenſerunt
autem illi. 40. Et convocantes Apoſtolos, cæſis denuntiaverunt * ne omnino
loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſerunt eos. 41. Et illi quidem ibant gau-
dentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu con-
tumeliam pati. 42. Omni autem die non ceſſabant, in templo & circa do-
mos docentes, & evangelizantes Chriſtum Ieſum.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. Dixit autem Petrus. Non addas *ad Ananiam*, aut *ad eum*.

Verſ. 15. Et liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Verbo *liberarentur* non eſt adiiciendum nomen *omnes*.

Verſ. 36. Et redacti ad nihilum. Potius ſcribendum eſt plurale *redacti*, quam ſingulare *redactus eſt*.

Verſ. 39. Si vero ex Deo eſt, non poterimus diſſolvere illud. Neutrum *illud* non eſt mutandum in maſculinum *eos*.

Verſ. 40 Ne omnino loquerentur. Correctores addiderunt *omnino*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. AGRUM. Græc. κτῆμα, id eſt *poſſeſſionem*.

V. 2. FRAUDAVIT, ſcilicet reſervans ſibi partem pretii.

V 3. TENTAVIT, id eſt induxit; quaſi dicat: Cur te permiſiſti a diabolo induci? videtur legiſſe ἐπείρασεν: nunc enim ἐπλήρωσεν, *implevit*.

V. 4. MANENS; pro, omnino; quaſi dicat: Nonne tua erat poſſeſſio, poteratque

tibi

tibi retinere; quis enim cogebat vendere aut pretium afferre? VENUMDATUM, ſcilicet κτῆμα. DEO, ſcilicet Spiritui ſancto, de quo ſupra.

V. 9. QUID UTIQUE; pro, quid ita. CONVENIT VOBIS, id eſt inter vos conſpiraſtis.

V. 10. AD, id eſt iuxta.

V. 11. OMNES; pro, omnibus.

V. 12. PER MANUS, id eſt miniſterio.

V. 15. EIICERENT, id eſt efferrent.

V. 17. HAERESIS, id eſt ſecta. ZELO, id eſt æmulatione, ſeu indignatione.

V. 18. CUSTODIA, id eſt carcere.

V. 20 VERBA VITAE HUIUS, id eſt rationem huius inſtituti.

V. 24. MAGISTRATUS. Vide ſup. cap. IV. FIERET; pro, factum eſſet. Græc. & Syr. *quid hoc eſſet*.

V. 28. PRAECIPIENDO; pro, omnino, ſeu vehementer. INDUCERE, &c. quaſi dicat, Facere nos reos ſanguinis, &c.

V. 29. MAGIS, id eſt potius.

V. 30. SUSCITAVIT, id eſt ſe exhibuit mundo.

V. 31. EXALTAVIT, ſcilicet reſuſcitando.

V. 32. VERBORUM, id eſt rerum. SPIRITUS SANCTUS, ſcilicet teſtatur miraculis.

V. 33. DISSECABANTUR. Syr. *furore corripi bantur*.

V. 34. FIERI, id eſt ſecedere.

V. 35. ATTENDITE VOBIS, id eſt diligenter videte.

V. 36. ALIQUEM. Græc. *aliquem magnum*. CONSENSIT, id eſt adhæſit.

V. 37. POST, id eſt præter. PROFESSIONIS. Græc. *deſcriptionis*, ſcilicet de qua Luc. II.

V. 38. ET NUNC; pro, itaque nunc. ITAQUE non eſt Græc.

V. 39. INVENIAMINI; quaſi dicat, Illud etiam accedet, quod Deo repugnare videbimini.

V. 41. CONTUMELIAM, id eſt verberum iniuriam.

V. 42. CIRCA; pro, per.

ESTII.

Verſ. 2. VENDIDIT AGRUM, ET FRAUDAVIT DE PRETIO AGRI. Auguſt. Serm. X. de diverſis, pro *agro* legit *villam*. Græca, poſſeſſionem; ſed infra; *Et fraudare de pretio agri*, eſt græce *agri*.

V. 3. CUR TENTAVIT SATANAS COR TUUM. *Tentavit*, tentatione efficaci per conſenſum cordis tui: non enim increpandus erat Ananias, quod tentaſſet eum Satanas, cum id non eſſet in eius poteſtate; ſed quod conſenſiſſet. Id quod græca lectio ſignificat, *implevit*. Neque enim Satanas cor Ananiæ implere potuiſſet, niſi ille per conſenſum cor ſuum aperuiſſet pravæ ſuggeſtioni Satanæ, qua repleretur. MENTIRI TE SPIRITUI SANCTO. Nominatur Spiritus ſanctus, quia per votum res ſanctificatur Deo, & per hoc votum ipſe homo ſanctificabatur, id eſt conſecrabatur Deo: ſanctificationis autem opera Spiritui ſancto appropriantur. Igitur mentiens in fraudem voti, recte mentiri dicitur Spiritui ſancto. *Mentiri te Spiritui ſancto*: quod poſtea repetens ait: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Unde patet ſecundum Scripturam Spiritum ſanctum eſſe Deum. Sed quomodo negat eum mentitum hominibus? Non hoc abſolute negat, ſed oſtendit factum non ſic æſtimandum quaſi hominibus mentiti ſint, ſed quaſi Deo, cum omne peccatum, licet in homines, etiam abiectos, commiſſum videatur, revera in Deum committatur. Item quia votum proprie fit Deo; ideo hoc mendacium erat proprie contra Deum, quia in fraudem promiſſionis factæ Deo. Senſus ergo eſt: *Mentiri te Spiritui ſancto*, id eſt contra Spiritum ſanctum: *Non hominibus*, ſed Deo, id eſt non contra homines, ſed contra Deum. Auguſtinus autem Serm. X. de diverſis hic votum agnoſcit; & Fulgentius epiſtola I. cap. VIII. Porro pro eo quod nos habemus MENTIRI TE SPIRITUI SANCTO, Græce *mentiri te Spiritum ſanctum*. Sed accuſativus pro dativo poſitus: nam infra dativus in græco habetur: *Non es mentitus hominibus ſed Deo*. Sicut ergo in Scriptura habemus, benedicere Deum & benedicere Deo eadem ſignificatione; ſic & in propoſito. Vide annot. Eraſmi, qui vertit ut noſter.

V. 4. NONNE MANENS TIBI MANEBAT ET VENUMDATUM IN TUA ERAT POTESTATE? Græce quidem eſt neutrum genus, ſed refertur ad poſſeſſionem ſeu agrum, quod utrumque etiam in græco neutrum eſt. Nam pretium græcis femininum eſt, unde ad illud referri non poteſt. Senſus

Digitized by Google

eſt: Nonne ager, priuſquam eum venderes tibi manere poterat, nemine cogente ut venderes; & venumdatus in tua erat poteſtate, quoad pretium, nemine cogente ut pretium offerres?

V. 5. AUDIENS AUTEM ANANIAS HAEC VERBA, CECIDIT ET EXPIRAVIT. Hieronymus epiſtolæ ad Demetriadem cap. VII. Petrus Apoſtolus, inquit, nequaquam imprecatur eis mortem, ut ſtultus Porphyrius calumniatur, ſed Dei iudicium prophetico ſpiritu annunciat, ut pœna duorum hominum ſit doctrina multorum.

AUDIENS AUTEM, &c. Quamvis occidere hominem non ſemper peccatum ſit, ut cum fit iuſta auctoritate; non tamen fatendum eſt, Petrum occidiſſe Ananiam & Saphiram, eo modo & ſenſu, quo concedimus Apoſtolos, per ſuas orationes ſanaſſe infirmos & ſuſcitaſſe mortuos. Nam hic non interceſſit oratio, qua mors illorum a Deo peteretur; ſed in verbis Petri ad Saphiram nuda fuit declaratio ſeu prædictio rei futuræ. Ad Ananiam autem nihil legitur de morte eius futura locutus. Obiicies Gregor. Lib. IX. epiſtola XXXIX. & habetur II. quæſt. VII. Petrus: Dicit quod Petrus peccantes verbo occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat. Reſp. Improprie dici, quatenus Deus verbo illius tamquam inſtrumento utebatur ad occidendos peccatores. Nec verbum illud erat obſecrantis, aut imperantis, ut in aliis miraculis, ſed tantum indicantis ſive annunciantis id, quod divinitus erat futurum. Itaque ſi quis quærat: Quare Petrus non potuiſſet agi reus homicidii apud magiſtratum? Reſp. Quamvis Petrus ex Dei revelatione ſciverit occultum eorum crimen, & inſtantem vindictam; nihil tamen dixit vel fecit, quo ſignificaret ſe operari mortem eorum, vel etiam cooperari. Nam in verbis ad Ananiam dictis tamtum eſt increpatio peccati, nulla mortis mentio. Saphiræ autem prædixit quidem mortem, dicens: *Ecce pedes eorum*, &c. non tamen ſignificavit ſe, vel verbo mortem inferre. Unde B. Thomas II. II. quæſt. LXIV. art. IV. dicit Petrum non ſua auctoritate vel manu eos occidiſſe, ſed magis divinam ſententiam de eorum morte promulgaſſe. Quod tamen tantum apparet de Saphira. Sicut IV. Reg. I. Elias non occidit regem dicendo; *De lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris.* Ita nec Petrus proferens ſimilem ſententiam ex Dei revelatione; ſed uterque Prophetice locutus fuit. Similiter Elizæus, IV. Reg. VII. & Ieremias c. XXVIII. Ananiæ pſeudoprophetæ mortem denunciat, quia contra Dominum locutus erat, quæ etiam ſeptimo poſt menſe conſecuta fuit. Ubi nota nominis convenientiam in eo, qui Ieremia, & eo, qui Petro denunciante exſtinctus eſt. Ceterum quamvis Apoſtoli habebant poteſtatem faciendi miracula, tamen non expediebat ut eam in occidendis hominibus exercerent, ſicut in reſuſcitandis & ſanandis: tum quia id non conveniebat gratiæ & manſuetudini Evangelicæ, tum ne male audiret Chriſti religio apud reges, principes & magiſtratus, alioſque infideles. Unde hoc eodem cap. etſi legatur Petrus cum aliis Apoſtolis miſſus in carcerem, & productus ad tribunal Pontificum, non tamen legitur ei impoſitum crimen homicidii; quia palam erat, Petrum non fuiſſe morti horum hominum cooperatum. Vide Fulgentium epiſtola I. c. VIII. ubi dicit quod Ananiam & Saphiram non ſolum vox Apoſtolica tamquam divini iuris pervaſores increpuit, ſed etiam ſeveritas iuſtitiæ cæleſtis occidit. Vide etiam infra annot. cap. XIII. Ceterum S. Auguſt. videtur ſentire eos eſſe ſalvatos. Nam Serm. X. de diverſis ait: Credendum eſt, quod poſt hanc vitam eis pepercerit Deus. Magna eſt enim eius miſericordia. Et poſt correpti ſunt mortis flagello, ne ſupplicio punirentur æterno. Sed hoc aliis non probatur: quia non apparet pœnitentia, immo nec videntur ſpatium habuiſſe pœnitendi, ut in iis locum habere potuerit illud Pſalmi: *Cum occideret eos, quærebant eum.* Similiter loquitur Aug. Lib. III. contra epiſtolam Parmeniani cap. I. Vide plura loca, præſertim apud Lorinum.

V. 23. CARCEREM QUIDEM INVENIMUS CLAUSUM CUM OMNI DILIGENTIA. Unde apparet quod clauſis ianuis educti fuerant, & tamen ſupra dicitur angelus Domini aperuiſſe ianuas carceris. Vide Chryſ. & Bedam in hunc locum qui miraculum agnoſcunt tranſitus per ianuas clauſas. Videe etiam infra cap. XII. & noſtra de Eucharistia in IV. ſent.

V. 29. OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS QUAM HOMINIBUS. Non negat eos habere poteſtatem præcipiendi & leges condendi;

di; quod hodie de præfectis eccleſiæ negant hæretici; ſed negat eis obediendum, ſi aliquid præcipiant, quod Dei legibus ſit contrarium. Nam humana poteſtas ſubordinata eſt divinæ.

V. 32. Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus. Utrumque futurum prædixerat Chriſtus Ioan. xv. *Ille teſtimonium perhibet de me.* Et: *vos teſtimonium perhibebitis; quia ab initio mecum eſtis.* Sed cur Apoſtoli poſteriori loco nominant Spiritum ſanctum? Reſpond. Quia hoc de Spiritu ſancto addunt pro confirmatione ſui teſtimonii; queſi dicat: Non credatur nobis teſtibus, niſi etiam Spiritus ſanctus manifeſte teſtis accedat horum omnium, ſcilicet per manifeſta ſigna. Hoc velle Lucam liquet ex græco, ubi ſic habetur: ϗ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, id eſt atque adeo Spiritus ſanctus.

V. 34. Gamaliel legis doctor. De Gamaliele quomodo cum filio Abiba baptizatus fuerit, vide epiſtolam Luciani presbyteri de inventione S. Stephani.

V. 38. Si est ex hominibus, dissolvetur. Omne conſilium quod eſt ex hominibus, & non ex Deo, tandem diſſolvitur: ſed non ideo debet ceſſare vigilantia præfectorum; ut patet in rebellione ſubditorum adverſus principes, & aliis pravis machinationibus adverſus ſalutem publicam. Item conſilium quod eſt ex Deo poteſt diſſolvi, non quod decretum Dei contingat fruſtrari, & conſilium everti; ſed quia bona conſilia, ſtudia, conatus, qui ſunt ex Deo, non ſemper exitum intentum conſequutur; nec ſemper qui bene cœpit, perficit, licet bene cœpiſſe ſit ex Deo. Neque enim Deus cuicumque dat incipere, dat etiam perficere; nec omnibus iuſtis dat perſeverantiam. Ceterum hoc dilemma etiam hodie hæretici proferre ſolent, contra hæreticorum punitionem. Sed reſpondendum, dilemma non eſſe Scripturæ ſacræ, ſed Gamalielis, qui hoc apparenti argumento voluit eos quibus favebat, præſenti periculo liberare. Nam eodem modo dicere liceret de quavis improborum conſpiratione, *Si eſt ex hominibus*, &c. Deinde ipſa exempla a Gamaliele producta oſtendunt quidem malas hominum machinationes diſſolvi; non tamen id factum ſine poteſtate publica proconſulum; ut patet ex Ioſepho, & hic ſatis ſignificatur. Deinde, ad principem ſacerdotum non pertinebat hos punire, tamquam rerum novarum auctores; ſed ad præſidem Romanum, cui Apoſtolos, ſi culpandi fuiſſent, debebant deferre. Sed ipſi principes ſacerdotum multa faciebant præſumpta auctoritate; ut patet toto hoc libro, velut dum Saulum cum poteſtate & litteris mittunt Damaſcum; dum Stephanum lapidant, dum Paulo necem moliuntur.

V. 39. Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud: ne forte et Deo repugnare inveniamini. Aliquid intelligitur, quod non exprimitur; quandoquidem quod ex Deo eſt, diſſolvi non poteſt; dimitte eos. Sicut infra dicit: *ne videamini pugnare contra Deum.* Sed intellige, ſi ita ex Deo eſt ut Deus velit permanere & incrementa capere & proſperari; non poteritis impedire: quod ſi conemini, eritis θεομάχοι, id eſt bellum cum Deo ſuſcipietis, cum Deo pugnabitis. Nam græce eſt θεομάχοι εὑρεθῆτε.

MARIANAE.

Verſ. 4. Non es mentitus hominibus, sed Deo. Hinc colligunt antiqui Patres, Spiritum ſanctum eſſe Deum, & merito; dixerat enim Petrus Ananiam mentitum eſſe Spiritui ſancto, & addit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.*

V. 6. Amoverunt. Gotth. *collegerunt*: ſic Syr. Idem etiam Græc. verbum ſignificat. Collegerunt ergo, ut ſepelirent.

V. 8. Dic mihi mulier. Vox *mulier* Græce non eſt, nec Syr. neque in Gotth. aliiſque codicibus Latinis.

V. 10. Ad virum suum; pro, *iuxta virum ſuum*, ut legit Gotth. ſepelierunt eam.

V. 15. Et liberarentur ab infirmitatibus suis: hoc Gotth. non eſt, qui codex & ipſe Vulgatæ eſt, nec Syr. nec Græc. Veleſio non ſatis fido, qui id addit.

V. 24. Magistratus templi. In ſingulari στρατηγὸς, *gubernator templi*, id eſt pontifex: quem aliis locis vocat *principem ſacerdotum*, hic *templi magiſtratum*, *ducem*, *rectorem*. Is dubitabat, Quidnam fieret. Gotth. *quidnam eſſet iſtud*: ſic Græc.

Digitized by Google

Græc. & Syr. ſcilicet miraculum aperti carceris.

V. 33. Dissecabantur, id eſt *fremebant*, ut Gotth. ſacerdotes.

V. 34. Foras ad breve homines fieri. Gutth. *iuſſit Gamaliel puſillum foras Apoſtolos ſecedere:* ſic Græc. & Syr. nempe, ut liberius de eorum cauſa ageret.

V. 36. Theodas. Perſuaſum erat populo, per ea tempora venturum Meſſiam qui Iudæos liberaret, & orbi imperaret. De qua perſuaſione Tacitus meminit Lib. XXI. Eam occaſionem multi impoſtores arripuerunt ſe pro Meſſia venditandi. Inter hos duo quos *Barcosban*, id eſt *mendacii filios* ab eventu vocarunt in Hebræorum hiſtoria nobiles; tum hic *Theodas*, de quo Ioſephus Lib. XX. cap. II. Dicens se esse aliquem. Græc. *dicens ſe eſſe magnum*, id eſt Meſſiam. Gotth. *aliquem magnum*.

V. 37. Iudas Galilaeus. De hoc etiam Ioſephus Lib. XVIII. cap. I. *Iudam* Ioſephus ponit ante *Theodam*: in quo aut ille falſus eſt, aut in verbis Gamalielis: *μετὰ τοῦτον*, pro *præter hunc* ſumatur, quod non puto. Neque duos *Theodas* fuiſſe credam. In diebus professionis, id eſt deſcriptionis, de qua Luc. II. I. & 2. Aut verius de altera deſcriptione agit facta poſt aliquot annos, de qua Luc. II. 2. Et avertit populum, *multum* Græc. Quem arbitror ſe pro Meſſia, & gentis liberatore venditaſſe; mirorque Iudæos non advertere, nullo tempore contigiſſe tot rebelliones in ea gente, & ut tot homines id nomen uſurparent, certiſſimo argumento id tempus fuiſſe Meſſiæ adventui a Prophetis deſignatum.

V. 42. Circa domos. Gott. *per domos*, *κατ' οἶκον*, evangelizabant. Christum Iesum. Gotth. *Dominum Ieſum Chriſtum*, ſcilicet evangelizantes. Syr. *de Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſervi Dei non ſolum in templo, ſed domi in domeſticis ſermonibus de Deo, & pietate loquuntur*.

MENOCHII.

Verſ. 1. Agrum: *κτῆμα*, *poſſeſſionem*. *V.* 2. Fraudavit de pretio: *ἐνοσφίσατο*, id eſt *calli'e ſurripuit*, ab oculis Domini, vel heri clam, & per fraudem removendo, hoc enim ſignificat verbum Græcum, *νοσφίζεσθι*.

V. 3. Cur tentavit; id eſt, cur permiſiſti te a ſatana in hoc peccatum induci per tentationem? Mentiri te Spiritui sancto: negando, & ſubtrahendo rem promiſſam, & voto obligatam. Fuiſſe peccatum hoc ſacrilegam voti violationem colligunt huius loci interpretes, & SS. Patres partim ex verbis ſacri textus (ille enim dicitur Deo mentiri, qui quod promiſit non ſervat) partim ex inflicta pœna; Petrus enim Ananiam, & uxorem eius ſubita, publica, & infami morte punivit, quale vindictæ genus non debetur levi peccato; fuiſſet autem peccatum leve, ſi nullo obſtrictus voto partem pretii retinuiſſet, & mendacium etiam addidiſſet, affirmando illud eſſe totum agri pretium.

V. 4. Nonne manens tibi manebat? eſt Hebraiſmus: quaſi dicat: Omnino tuum erat pretium, & liberum erat tibi illud offerre, aut non offerre; vovere, aut non vovere te illud Eccleſiæ daturum. Venumdatum: *πραθὲν*: participium neutrum, quod refertur ad *κτῆμα*, itaque verbis inſiſtens interpres etiam per neutrum reddidit, cum in Latino ager ſit maſculini generis. Dicitur ager venditus fuiſſe in Ananiæ poteſtate, quia pretium illius erat in eius poteſtate, & quia in eius poteſtate erat vendere, aut non vendere. Quare posuisti in corde: quare in animum induxiſti hoc ſacrilegium admittere? Non es mentitus hominibus: ſcilicet, tantum, vel præcipue, ſed etiam Deo, alioqui enim vere Ananias, Petro, & Apoſtolis mentitus fuerat.

V. 5. Audiens Ananias haec verba, cecidit, et expiravit: ad vocem Petri divinitus lethali plaga percuſſus. Cenſent multi, & graves auctores increpatione Petri Ananiam de peccato ſalutariter doluiſſe, & mortem æternam evaſiſſe, ut etiam eius uxorem Saphiram, de qua mox. Et factus est timor magnus in omnes qui audierunt: ex morte Ananiæ intelligentes quantum Deo diſpliceret violati voti ſacrilegium, quod tam ſevere vindicatum viderant.

V. 6. Efferentes: non ſolum extra domum, ſed etiam extra civitatem, ubi cadavera tumulare mos fuit Iudæis.

V. 7. Nesciens quod factum fuerat:

Digitized by Google

RAT: *Quia*, ut ait Chryſoſtomus, *non eſt auſus quiſpiam annuntiare quod acciderat; adeo Petrum obſervabant, & reverebantur, illique obediebant*. INTROIVIT: *Non vocabat eam Petrus, ſed expectabat*, inquit Oecumenius, *ut ipſa dum vellet ingrederetur; data illi poteſtate reſipiſcendi, & non imprudenter ingrediendi*.

V. 8. RESPONDIT, id eſt dixit; ſic enim Hebræi reſpondere ſumunt pro *dicere*, & ordiri ſermonem. SI TANTI: an tanti? expreſſit Petrus pretii quantitatem, quam tamen S. Lucas tacuit.

V. 9. CONVENIT VOBIS: convenit inter vos. TENTARE SPIRITUM DOMINI: experiri Dei notitiam mihi communicatam veſtro malo. Id ſane non intenderant, ſed occaſione pactæ fraudis conſecutum fuerat. ECCE PEDES EORUM QUI SEPELIERUNT, &c. Fortaſſe Petrus audivit ſonitum pedum redeuntium iuvenum, ſicut Ahias propheta uxoris Ieroboam ſonitum pedum audivit, III. Reg. XIV. 6. Vel ſpiritu vidit, quemadmodum Eliſæus III. Reg. V. 26. vidit Giezi currentem poſt Naaman.

V. 10. AD VIRUM SUUM: iuxta maritum ſuum.

V. 12. PER MANUS APOSTOLORUM: per Apoſtolos, opera Apoſtolorum. IN PLEBE, nam principes ſuperbi, & increduli non credebant, ideoque divinæ benignitatis fontem ſibi obſtruebant. IN PORTICU SALOMONIS: de qua dictum cap. III. 11.

V. 13. NEMO AUDEBAT SE ADIUNGERE ILLIS: ſe iis inſerere, ſe Apoſtolum profiteri, aut Apoſtolis familiarem, partim metu magiſtratuum, partim ex admiratione & reverentia Apoſtolorum, quod ad eorum dignitatem, & virtutem ſe aſſurgere poſſe diffiderent. MAGNIFICABAT EOS POPULUS: laudabat, celebrabat, magnifaciebat.

V. 14. CREDENTIUM IN DOMINO, id eſt credentium Domino, ſcilicet Ieſu Chriſto.

V. 15. IN PLATEIS: κατὰ τὰς πλατείας, *per plateas*. EIICERENT: *efferrent*, ut eſt in Græco ἐκφέρειν. GRABATIS: grabatum eſt ſpecies lecti ſimplicior, & vilior, qualis eſt pauperum, & ægrorum geſtatilis. OBUMBRARET QUEMQUAM ILLORUM, &c. Sunt qui putent uno dumtaxat ægroto obumbrato, reliquos etiam omnes ſanatos, additur enim in plurali, & *liberarentur*: ſimplicior tamen, & certior ſenſus eſt; quaſi dicat: Certatim omnes ambiebant inſerere ſe turbæ, & ſubire umbram Petri: quotquot enim ea tangebantur, ſanabantur.

V. 17. QUAE EST HAERESIS SADDUCAEORUM: de Sadducæis dixi Matth. III. 7. Syrus vertit, *qui erant ex doctrina Sadducæorum;* quaſi dicat, Pontifex cum ſuis, qui ſecta erant Sadducæi, perſecuti ſunt Apoſtolos, eo quod prædicarent reſurrectionem, quam ipſi, ut pote Sadducæi, pertinaciter negabant. Innuit Pontificem fuiſſe pariter Sadducæum, ideoque Apoſtolis indignatum. ZELO; æmulatione, ſeu indignatione.

V. 17. IN CUSTODIA PUBLICA: populari, & plebeia, in quam coniiciebantur omnis generis ſontes, fures, homicidæ, &c.

V. 19. APERUIT PORTAS CARCERIS; quas tamen iterum clauſit illis eductis, nam eas clauſas invenerunt miniſtri magiſtratus verſ. 22.

V. 20. ITE, ET STANTES: quaſi conſtantes in fide, & prædicatione Chriſti. OMNIA VERBA VITAE HUIUS, id eſt huius inſtituti rationem, ſcilicet, Chriſtianiſmi.

V. 21. QUI CUM AUDISSENT, id eſt qui audito hoc mandato. ADVENIENS: ad locum concilio deſtinatum. CONVOCAVERUNT CONCILIUM. Syrus, *ſuos ſocios, & collegas*, id eſt Pontifices inferiores, qui ei a conſiliis erant.

V. 24. MAGISTRATUS TEMPLI: vide dicta ſupra cap. IV. 1. AMBIGEBAT: Διηπόρει, capere non poterant, non poterant aſſequi, ideo animo varia volvebant, cogitantes quanam ratione hoc factum eſſet DE ILLIS QUIDNAM FIERET: τί ἂν γένοιτο τοῦτο, *quidnam hoc ſibi vellet*: quomodo hoc factum eſſet, an ſcilicet magicis artibus evaſiſſent, an vero corruptis pecunia carceris cuſtodibus.

V. 26. ADDUXIT ILLOS SINE VI: ſibi timens a populo, ſi manus violentas iniicere tentaſſet, quæ ratio exprimitur in ſacro textu; vel etiam exiſtimans eos qui cuſtodiam evaſiſſent, nec vinculis in poſterum teneri poſſe. Patent autem Apoſtoli Evangelicæ humilitatis, patientiæ, integritatis, conſtantiæ exempla præbentes, & obedientiæ erga magiſtratus.

V. 28. PRAECIPIENDO PRAECEPIMUS; quaſi dicat, Diſerte, graviter, & ſevere ſub pœnis magnis præcepimus vobis. IN NOMINE ISTO: nomen Ieſu invocando, & eius doctrinam diſſeminando. ET VULTIS

IN-

Digitized by Google

INDUCERE SUPER NOS SANGUINEM : & vultis nos facere reos iniuſtæ cædis hominis iſtius; dum enim illum iuſtum, & ſanctum, immo filium Dei facitis, ſequitur nos reos eſſe violatæ illius ſanctitatis, & Deitatis; quare etiam nos in periculum adducitis apud Romanos rerum Dominos, potentes æque ac iuſtos ſcelerum vindices. HOMINIS ISTIUS: Ieſu Chriſti.

V. 29. RESPONDENS AUTEM PETRUS, ET APOSTOLI: etiam Apoſtoli reſpondiſſe dicuntur, quia quæ Petrus dicebat & ipſi nutu, & vocibus ſubinde confirmabant.

V. 31. PRINCIPEM. Iſaias cap. IX. 6. vocat *Chriſtum*, *Principem pacis*. EXALTAVIT: a terra in cælum; vel, *exaltavit*, id eſt glorioſum reddidit, & reddit per miracula, & prædicationem noſtram, dando ei nominis claritatem, & ſubiiciendo ei multos quos paſſim ad Eccleſiam adducit. DEXTERA SUA: potentia ſua. AD DANDAM POENITENTIAM ISRAELI: ut per Chriſtum, & eius merita adduceret Iſraelitas ad pœnitentiam, & ſalutem.

V. 32. SUMUS TESTES HORUM VERBORUM, id eſt harum rerum, & myſteriorum ſcilicet Chriſti reſurrectionis, aſcenſionis, & exaltationis, ac pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum a Deo in Chriſtum credentibus promiſſæ. ET SPIRITUS SANCTUS. Græce *καὶ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον*, hoc eſt, *Inſuper autem & Spiritus ſanctus*; quaſi dicat, Non nos tantum teſtes ſumus, ſed & Spiritus ſanctus qui per nos hoc teſtimonium Chriſti intrepide eloquitur, ſigniſque confirmat, ſe ipſum etiam, aſpectabilem exhibens per linguas igneas, &c. OBEDIENTIBUS SIBI: per fidem, & Chriſtianæ legis obſervantiam ſe illi ſubiicientibus.

V. 33. DISSECABANTUR: διεπρίοντο, ſignificat autem διαπρίω, & ſimplex πρίω, ſerra ſeco, aut diffindo, ſed & frendo, & ringo dentibus, ut ii faciunt, qui irati variis diſcerpuntur cogitationibus, & dentibus frendent in eos contra quos commoti ſunt. COGITABANT: ἐβουλεύοντο, id eſt *conſultabant*.

V. 34. GAMALIEL: fuit hic magiſter ſancti Pauli, ſancti Barnabæ, & ſancti Stephani, qui poſtea in Chriſtum credidit, eiuſque fidem publice profeſſus eſt. HONORABILIS UNIVERSAE PLEBI: *in pretio habitus ab univerſo populo*, ut eſt in Græco, *τίμιος παντὶ τῷ λαῷ*, nimirum ob ſapientiam, & morum gravitatem. IUSSIT AD BREVE HOMINES FIERI; id eſt, Præſidi concilii ſuggeſſit, ut iuberet Apoſtolos ad breve tempus extra concilium educi.

V. 35. ATTENDITE VOBIS; quaſi dicat, Nolite præcipitare ſententiam, ſed mature cogitate quid agatis, ne fortaſſe perturbatione aliqua provecti, in erroris alicuius ſcopulum impingatis. ANTE HOS DIES: non multis ab hinc annis, hoc eſt ſub Auguſto Imperatore. EXTITIT THEODAS: non Theudas ille de quo Ioſeph. Lib. XX. Antiq. cap. II. nam Ioſephi Theudas fuit ſub Claudio Cæſare, noſter autem hic ſub Auguſto Fortaſſe Theudas Ioſephi fuit filius aut nepos Theudæ noſtri, qui eius rebellionem ſopitam ſuſcitare, patriſque, vel patrui necem vindicare conatus eſt. DICENS SE ESSE ALIQUEM. Græca addunt μέγαν, id eſt *magnum*, Syrus, *dicens ſe eſſe Rab*, vel *Rabbi*, id eſt magnum quemdam doctorem, & prophetam. CUI CONSENTIT; cui adhæſit.

V. 37. IN DIEBUS PROFESSIONIS: ἀπογραφῆς, id eſt deſcriptionis, cum ſcilicet *Exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis*, Luc. XXI. Dicuntur autem dies profeſſionis, quia deſcriptione illa, & ſolutione cenſus omnes profitebantur ſe Cæſaris ſuditos. AVERTIT POPULUM POST SE: ſectam conſtituens Galilæorum, qui pro libertate ſua tuenda omne vectigal, & dominium Cæſaris, etiam morte propoſita, abnuebant. Vide Ioſephum Lib. XVIII. antiq. cap. I. Lib. XX. cap. V. & Lib. VII. de bello Iudaico cap. XXIX. REDACTI AD NIHILUM: omnibus occiſis, vel diſſipatis; quaſi dicat, Idem accidet huic ſectæ nunc ſurgenti ſi a Deo non ſit.

V. 38. DISCEDITE AD HOMINIBUS ISTIS; id eſt, abſtinete ab illis manus.

V. 39. NON POTERITIS : quia non eſt conſilium aut vis contra Dominum. Nec etiam poteritis abſque noxa divinæ voluntati adverſari, quæ eſt ſententia ſequentium, *Ne forte & Deo repugnare inveniamini*. CONSENSERUNT AUTEM ILLI: placuit Gamalielis conſilium, ſcilicet ne Apoſtolos interficerent, ut paulo ante furentes cogitarant, verſ. 33. Non tamen eorum indignatio ita ſubſidit, quin eos flagellarent, & iuberent prædicatione Chriſti abſtinere.

V. 40. CAESIS: δείραντες, *cum cecidiſſent*,

Digitized by Google

ſent, Ὑβρίζω enim & exeorio, & cædo, ſeu verbero ſignificat. NE LOQUERENTUR IN NOMINE IESU : ne de Ieſu prædicarent, ſcilicet eum reſurrexiſſe, & eſſe Salvatorem mundi.

V. 41. QUONIAM DIGNI HABITI SUNT, &c. eſt enim ingens Dei donum, ut docet Apoſtolus ad Philipp. 1. 29. pati pro Chriſto. CONTUMELIAM : verborum iniuriam.

V. 42. OMNI DIE : ſingulis diebus. GRÆCA DOMOS : κατ' οἶκον, per domos, de domo in domum.

TIRINI.

Verſ. 2. FRAUDAVIT DE PRETIO AGRI. Græce, *callide ſurripuit ;* Syrus, *ſuſtulit*. Contra votum enim & paupertatis profeſſionem, quam vel fecerat, vel facturus veniebat, decerptam pretii partem ſibi ſepoſuerat, quod furtum erat & ſacrilegium rei Deo dicatæ, inquit S. Auguſt. Chryſoſt. Baſilius, Hieron. *a* & alii Patres, & quod mireris, etiam Beza, qui ad mendacium, hypocriſin & diffidentiam, dicit etiam ſacrilegium acceſſiſſe. Et quomodo alioqui diceretur hic *fraudaſſe de pretio*, cum fraus non ſit niſi in re alteri debita? quomodo diceretur MENTITUS NON HOMINIBUS, SED DEO, ſi res Deo non debebatur? Et an mendacium nulli iniurium, ac per conſequens ſolum veniale peccatum, morte ſubita & tam infami, pleſtendum cenſuiſſet Apoſtolus? Erant ergo hi duo ex numero eorum qui perfectum vitæ Chriſtianæ inſtitutum, ut nunc Religioſi faciunt, amplectebantur primis illis Eccleſiæ initiis Ieroſolymæ, quod ad alia orbis loca paulatim devexerunt Apoſtoli aliique diſcipuli Chriſti, Marcus *b* in AEgyptum, Paulus & Barnabas in Græciam, Matthæus in AEthiopiam, Dionyſius *c*, Lazarus, Magdalena & Martha in Gallias, Petrus & Clemens in Italiam, alii in alias regiones. Porro hæc Chriſtianæ vitæ perfectio, & ut Nyſſenus loquitur, *vitæ divinæ imitatio*, ut in ipſis initiis ſubinde adulterata fuit, ut in Anania, Saphira, & Græcis murmuratoribus *d* patuit : ita progreſſu temporis paulatim deferbuit, ac fere penes ſolos ſelectiores continuavit, qui poſterioribus ſæculis *Religioſi*, ex eo quod cultui divino religioſius inſiſterent, nuncupati fuerunt. NON ES MENTITUS ſolis *hominibus*, *ſed* etiam *Deo*, puta *Spiritui ſancto*, ſpiritui veritatis *f*, candoris & ſinceritatis, qui ſe tam liberaliter per dona ſua in te effuderat. Et quidem *g* S. Irenæus, Baſilius atque Auguſtinus *g* aliquando putarunt, hos duos æternum damnatos fuiſſe. Sed malim cum Origene, Iſidoro Peluſiota & Caſſiano *h* dicere, poſt acrem Petri increpationem reſipuiſſe, ac pœnituiſſe : cæſos tamen ab angelo ad terrorem novellæ Eccleſiæ *i* : Et in hanc ſententiam etiam S. Auguſtinus k poſtea conceſſit. Tertullianus cenſet typum hic datum excommunicationis Eccleſiaſticæ, de qua alibi. Sed hinc diſcant teſtamentorum executores, quam ſevere maneat illos pœna, ſi pia legata in alios uſus converterint. Diſcant & Religioſi nihil ſine Superioris venia ſibi uſurpare.

V 13. CETERORUM fidelium NEMO AUDEBAT SE CONIUNGERE Apoſtolis, aut familiaribus ipſis adhærere, partim metu Iudæorum, partim reverentia Apoſtolorum, qui, ut ait Chryſoſtomus, erant ſicut angeli, admirabiles, gravitate venerabiles, oratione cæleſtes, moribus divini, nil niſi ignem ſpirantes caritatis, devotionis & zeli.

V. 15. UMBRA PETRI ſalvifica putat Beda adumbrari Eccleſiæ ſacramenta, quæ quaſi velamenta ſunt gratiæ, & vivificant contingentes. Addit S. Auguſtinus *m*, ſi tam medicabilis fuit umbra, quid poterit imago Petri? quid catenæ? quid aliæ reliquiæ?

V. 16. VEXATOS A SPIRITIBUS IMMUNDIS (quales tum temporis nutu ac providentia divina, ad refellendam hæreſim Sadducæorum *n*, angelos & ſpiritus negantium, plurimi erant) ordinario exorciſmo, cum baptizarentur, vel confirmarentur, curari ſolitos, multis exemplis ex Prudentio, Lactantio *o* & aliis probat Lorinus.

V. 17. PRINCEPS SACERDOTUM Caiphas *p* & HAERESIS SADDUCAEORUM. Syrus, *qui erant ex doctrina Sadducaeorum*, ut ſcilicet erant omnes magiſtratus, zelo tuendi partim Iudaiſmi, partim Sadducæiſmi ſui; & ſimul indignatione commoti, quod minis nuperrime *q* intentatis nihil terrerentur Apoſtoli comprimendi omnes.

V. 18. IN CUSTODIAM PUBLICAM. Græce, δημοσίᾳ, id eſt popularem, plebeiam, in quam fures paſſim & latrones compingi ſolebant, inquit Hugo.

Digitized by Google

V. 19. Sed angelus, nempe Michael, ut Sophronius, Pantaleon *r*, & quidam alii volunt, reſeratis, & mox iterum recluſis valvis, liberos educit e cuſtodia.

V. 28. Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius; id eſt, vultis nos reos facere homicidii, immo Chriſticidii, eiuſque quaſi iniuſte occiſi pœnas a nobis depoſcere tum apud plebem, tum apud Romanos rerum dominos, & potentes ſcelerum vindices. Sed an oblitus es, o Caipha, eius quod vobis imprecati eſtis, dicentes, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*.

V. 32. Nos sumus testes horum verborum, id eſt harum rerum, nempe reſurrectionis, aſcenſionis & cæleſtis exaltationis Chriſti, itemque pœnitentiæ, remiſſionis peccatorum, iuſtificationis & ſalvationis æternæ, a Deo in Chriſtum credentibus promiſſæ, inquit Lyranus. Teſtis eſt eorumdem omnium etiam Spiritus sanctus tot miracula per, vel circa, nos patrans ad eas veritates cæleſtibus ſigillis ſuis comprobandas: ita S. Cyrillus *ſ*. His illecebris conatur Petrus pellicere principes, etſi Chriſticidas, ad veniam ſcelerum ſuorum, quæ ultro omnibus pœnitere volentibus offertur amplexandam: nec metuant iam amplius pœnas hoc nomine infligendas, ſed fructibus ex eius morte ſubnatis paſcantur & delicientur.

V. 34. Gamaliel magiſter fuit Pauli *t*, Barnabæ & Stephani, ac favebat Chriſto & Chriſtianis. Immo S. Clemens *u* & Beda volunt, iam tum fuiſſe Chriſtianum, licet id neget Chryſoſt.) Apoſtolorum autem ſuaſu fidem ad tempus celaſſe, ut in concilio Chriſtianos tueri poſſet. Poſtea fidem publice profeſſus eſt, & inter Sanctos relatus una cum filio Abibone 3. die Auguſti, ut videre eſt apud Baronium *x*,

V. 35. Attendite vobis, & nolite ex nimia ira vel zelo precipitare ſententiam, cuius poſtea, ſed ſero pœniteat.

V. 36. Ante hos dies, ſeu ante hæc tempora, nempe poſt medium imperii Cæſaris Auguſti, ante Iudam *y* Galilæum, qui viguit ſub finem imperii Auguſti *z* *In diebus profeſſionis* ac deſcriptionis totius mundi, de qua Lucæ II. 1. & 2. *extitit Theodas, dicens ſe eſſe aliquem magnum*, ut in Græco & Syro additur. Hic ergo *Theodas*, de quo Gamaliel, alius eſt ab illo *Theoda*, ſeu *Theuda*, de quo Ioſephus *aa* meminit, poſt 13. ab hinc annos occiſo a Cuſpio Fado præſide Iudææ, nempe anno 4. Claudii Cæſaris, cui Ioſephus coævus fuit. Forte hic Ioſephi Theudas filius vel nepos fuit Theodæ Gamalielis, qui rebellionem patris vel avi ex parte ſopitam reſuſcitare, vel necem ulciſci voluit: ita contra Euſebium, Bedam, Dionyſium & Baronium Cornelius a Lapide, Franciſcus Haræus & alii. Plurimi enim fuerunt ſub tempus naſcituri Meſſiæ in Iudæa pſeudochriſti & ſeditioſi, quorum meminit Ioſephus teſte ſubinde nomine vel agnomine, quod potuit alicui eſſe Theodæ.

V. 37. Post hunc Theodam extitit Iudas Galilaeus natione, unde ſectæ ipſius nomen adhæſit *Galilæorum*, qui occaſione cenſus ab Auguſto Cæſare omnibus provinciis indicti, rebellionem excitavit in Iudæa, ut alibi *bb* dixi, & Ioſephus *cc* fuſe deſcribit, additque *dd* Iudæ iſtius filios Iacobum & Simonem, ſub Claudio Imperatore ob eamdem hæreſin cruci affixos fuiſſe. Nec prius deſiit hæc hereſis, quam in apertum erumpens bellum Veſpaſiano & Tito occaſionem daret Ieroſolymæ exſcindendæ & Iudææ totius ſubvertendæ; quaſi dicat: Pari modo hæc Apoſtolorum nova dogmata cito qualia ſint ſe prodent. Vel enim in ſeditionem prorumpent, aut aliud facinus; & ſic a Romano præſide plectentur. Vel proferent utiles & optatos reipublicæ noſtræ fructus, e quibus conſtabit a Deo promanaſſe: quo caſu nec debemus, nec poſſumus nos illis opponere. Quare ſuadeo, ne præcipitetis ſententiam, ſed eventum rei exſpectetis.

V. 38. Discedite; Syrus, Tigurini & Pagninus, *abſtinete* ab hominibus istis. Ergo & a puniendis hereticis abſtinere, inferunt iidem hæretici; ſed perperam. Nam cauſa hæreticorum non eſt Eccleſiæ iudicibus dubia (ut erat Iudæis hæc Apoſtolorum;) ſed conſtat illis falſam eſſe, erroneam, & ſæpius ac manifeſte ab Eccleſia damnatam ac proſcriptam: unde non amplius probanda vel excutienda, ſed plectenda, & ne ulterius ſerpat, pluresque inficiat, ſuccidenda. Principes auditis his rationibus

V. 39. Consenserunt Gamalieli in eo,

quod

Digitized by Google

quod cenſeret non occidendos Apoſtolos, ut ipſi ante propoſuerant, ſed non conſenſerunt in eo, quod cenſeret abſtinendum prorſus ab omni pœna ipſis infligenda. Nam mox flagellis vel fuſtibus in eos ſævierunt: Syrus, *verberatunt*, quod aliqui de inflictis alapis exponunt: verum Græcum δείρω non *verberare* tantum, ſed & *excoriare*, vel corium conſcindere ſignificat. Hac accepta contumelia

V. 41. Apostoli ibant gaudentes; *omne*, id eſt perfectum & plenum, *gaudium exiſtimantes*, PRO NOMINE, honore & amore, Iesu contumeliam, verbera pati. Qui ſupremus & *excellentiſſimus fortitudinis gradus* eſt, *& mirabilior omnibus ſignis ac miraculis*, iuquit Chryſoſtomus.

(a) Auguſt. Serm. XXVII. de Verbis Apoſtoli. Chryſoſt. hom. xii. in Acta. Baſil. Serm. I. de inſtit. monach. Hieron. ep. viii. ad Demetriad.
(b) Euſeb. Lib. VIII. Præpar. cap. iv. ex Philone de Eſſæis.
(c) Dionyſ. Eccl. Hierarch. cap. xvi.
(d) Actor. vi 1.
(e) Proleg de Idiotiſmis Hebr. n. 6.
(f) Ioan. xvi. 13.
(g) Iren. Lib. IV cap. xlvi. & xlvii. Baſil. & Auguſt. ſup. Origen. tract. viii. in Matt. ix.
(h) Iſidor. Lib. I. epiſt. clxxxi. Caſſian. collat 6. cap. i.
(i) I. Reg. xi. 13. in fine.
(k) Auguſt. Lib. II. contra. Parmenion Lib. I.
(l) Tertull. Lib. de Pudicitia cap. xxi.
(m) Aug. Ser. XXIX. de Sanctis.
(n) Matt. iii. verſ. 7.
(o) Prudent. in Apotheoſi. Lactant. Lib. IV. cap. xxvii.
(p) Chronici cap. xlii. ſub finem.
(q) Actor. iv. 17.
(r) Sophron. in encomio Angelor. tom. 2. Biblioth. SS. Patrum. Pantaleon Chartophylax in encomio S. Michaelis apud Surium 29. Sep.
(ſ) Cyrill. Lib. X. in Ioan. cap. xxxiii.
(t) Actor. xxii. 3.
(u) Clem. *I.* Recognit. cap. ix.
(x) Baron. ex. *Luciano*. Presbytero in relatione inventionis corporum S. Stephani, Nicodemi, Gamalielis & Abibonis.
(y) Hic verſ. ſeq.
(z) Chronici xl v. & xlvii.
(aa) Ioſeph. *Lib.* XX. Antiq. cap. ii.
(bb) Matt. xxii. 17. & Lucæ xiii. 2.
(cc) Ioſeph. Lib. XVIII. Antiq. cap. ii.
(dd) Idem Lib. XX. cap. iii.

GORDONI.

Verſ. 1. Textus obſcurus non eſt. Ananias fraudavit de pretio. Furtum eſt, immo ſacrilegium: nam quod Deo voverat & dicavir, clam ſubduxit. Vox Græca, *callide ſubduxit*, & Latina, *fraudavit*, non poteſt de re propria ſubducta exponi. Hinc Auguſt. Serm. XXVII. de verb. Apoſt. ait fuiſſe ſacrilegium. Male ergo Caietanus dixit fideles tunc non ex voto obtuliſſe ſua. An non etiam Petrus docet Ananiam mentitum Deo.

V. 3. & 4. Cur tentavit. Græce ἐπλήρωσε, *implevit*. Idem ſenſus: Dæmon enim cum inducit ad peccatum, implet & poſſidet cor hominis; tamen noſter interpres legiſſe videtur ἐπείρασε, ut legit Epiphanius. At quomodo Venumdatus ager erat in Ananiæ poteſtate? Sane ratione pretii quod accepit, & poterat illud Deo offerre vel non offerre; ſicut potuit etiam vendere vel non vendere. Ceterum in neutro genere eſt venditum, ubi interpres Græcam vocem ſequutus eſt τὸ πρᾶξιν nempe κτῆμα. Mentiri hic Spiritui Sancto, eſt negare rem illi promiſſam. Deo itaque & non ſolis hominibus mentitus eſt.

V. 5. 6. & 9. An Deus. Pœna eſt ſacrilegii ad inſtructionem Eccleſiæ, & excitandum Dei timorem. Elatum eſt corpus etiam extra civitatem, ut ſepeliendi mos erat apud Iudæos. Diſputant aliqui an Ananias damnatus ſit. Aliqui volunt indoluiſſe per contritionem de peccato. Nolo divinare. Quod eſt verſ. 9. tentare spiritum Domini, eſt periculum facere & experiri Dei indignationem & zelum. Ecce pedes; quaſi dicat: Ecce adventantes aſpicio iuvenes qui virum tuum ſepelierunt.

V. 12. & 13. Per manus Apostolorum; hoc eſt per Apoſtolos. Porticus hæc Salomonis fuit in atrio gentium; & patebat omnibus, etiam gentibus: ampla omnino erat de qua cap. iii. verſ. 11. Ceterorum, diſtinguit Apoſtolos ab aliis, & multitudine aſtante; quaſi dicat: Hæc mira faciebant Apoſtoli, & palam, & magno zelo; ceteri autem aſtantes non ſic. Nam nec infideles ibi publice coniungebant ſe Apoſtolis (licet ex verſ. 14. ſenſim creſceret numerus credentium) nec ipſi qui aſtabant fideles, tam manifeſte ſe ingerebant, ut faciebant Apoſtoli.

V. 14. 15. & 16. Magis. Creſcebat ergo, ut dixi, numerus; creſcebant & miracula. Sanabat umbra Petri quotquot illa tangebat. Nova ratio miraculi per ſolam umbram, & qualem ne Chriſtus ipſe exercuit. An inſtrumenta per quæ Deus facit miracula, concurrant efficientia phyſica, an morali, certant Theologici. Certe umbra quæ

eſt lucis & corporis pura privatio, non influit ex ſe phyſiee: moraliter nil vetat. *Immundi Spiritus*, quia ad omnem peccatorum inducunt immunditiam.

V. 17. uſque ad 24. EXURGENS. De Saducæis illis dixi Matth. III. 7. Negabant reſurrectionem, ac proinde hi vel maxime impugnabant Apoſtolos reſurrectionis aſſertores. Zelus in malam partem deſignat hic indignationem. Ab Angelo verſ. 19. liberantur e carcere Apoſtoli apertis ianuis, quas tamen ex verſ. 23. clauſas invenerunt cuſtodes. Et quamvis velint aliqui ſolum per imaginationem Apoſtolorum, & non re ipſa apertas fuiſſe ianuas carceris; verius tamen eſt revera fuiſſe ab Angelo reſeratas, & iterum elauſas; præſertim cum dimenſionum penetrationem non poſſit Angelus efficere: ſecundaria enim proprietas hæc (quod eſt expellere aliud quantum) ita eſt naturalis quantitati, ut naturali vi non poſſit ſeparari: divinam excipio.

V. 24. Uſque ad 34. Adducti iterum, ſed ſuavitater in concilium Apoſtoli, audita gravi monitione, reſpondent, obedire oportere Deo potius quam hominibus. Geſtum hoc eſt Petro loquente, & ſociis voce interdum nutuque annuentibus: qua brevi quidem concione, ſed ſucculenta, aperit Petrus redemptionis myſterium, viam ſalutis, & hæc omnia acta fuiſſe a Chriſto, ut per eius merita adduceret Iſraelitas ad pœnitentiam & ſalutem. *Magiſtratus* templi quis ſit, dixi cap. IV. I. SINE VI, verſ. 26. Obtemperant magiſtratui; nec timent niſi Deo. VULTIS INDUCERE, verſ. 28. imputare nobis erimen homicidii, ex morte Chriſti. OBEDIRE DEO, verſ. 29. ſeutum hoc martyrum eſt contra cruces, ignes & beſtias. EXALTAVIT, verſ. 31. In terra per miracula, a terra per aſcenſioſionem & poteſtatem illi traditam. HORUM VERBORUM, verſ. 32. harum rerum. Hebraicum hoc eſt, ubi verbum pro re accipitur. DISSECABANTUR, verſ. 33. præſertim ira; Syrus, *dilacerabant ſe præ furore*. Compone hic mites Apoſtolos cum Iudæorum furioſo livore.

V. 34. uſque ad 40. SURGENS AUTEM. Narratur Gamalielis conſilium. Hic ut ſupra dixi, fuit Pauli & Stephani, immo & Barnabæ præceptor. HONORABILIS, ob morum gravitatem & ſapientiam. In martyrologio 3. Aug. refertur; ſuadet ut expectent principes Synedrii rei eventum. Deus brevi, inquit, quid ſit oſtendet. Dimittuntur Apoſtoli, ſed cæſi, *foras fieri*, educt extra eoncilium. De Theudis duobus patre & filio (aut eerte nepote) lege Ioſephum Lib. XX. Antiq. cap. II. & III. & Lib. VII. belli Iud. cap. XXIX. Hæc locutus eſt Gamaliel anno 34. Chriſti; & Tiberii 18. Theudas de quo agitur, fuit ſub Auguſto quidem, ſed ante profeſſionem, (quando vix natus erat Theudas poſterior, qui fuit ſub Claudio.) IN DIEBUS vero PROFESSIONIS, verſ. 37. ἀπογραφῆς, (de qua Luc. II. ver. I.) ſolutionem cenſus prohibebat Iudas apud Galilæos, dieens ſe Prophetam; ſed eum ſuis extinctus eſt. Verum de tempore & proprio anno horum ſeductorum certatur. Certe Scriptura hie verſ. 3. ait Iudam apparuiſſe poſt Theudam, ſed exiguo forte temporis intervallo. Iudas quidem, ut dicebam, extitit tempore deſcriptionis. Theudas vero ante natum Chriſtum aliquo tempore, ut docet Orig. Tract. XXI. in Matthæum.

V. 39. & 40. uſque ad finem. Suadet Gamaliel, ut prudenter agant de hac re; & hoc tandem obtinuit, ut permitterentur abire, ſed caſtigati. *Verberarunt*, inquit Syrus. Videntur flagellati vel fuſtigati. Clem. Lib. V. conſtitut. cap. II. Caipham & Annam facit verberationis auctores. GAUDENTES, verſ. 41. Illuſtris eſt hæc Apoſtolorum fortitudo & invicta, quæ in cauſæ æquitate nullis eedit adverſis aut adverſariis.

CA-

CAPUT VI.

Electio ſeptem diaconorum, creſcente indies credentium numero: Stephani vehementia cum ſignis & prodigiis, in quem plurimi inſurgunt Iudæi: cumque eum non poſſent convincere, falſis teſtibus nituntur opprimere.

1. IN diebus autem illis, creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. 3. Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. 4. Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. 5. Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. 6. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus. 7. Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Ieruſalem valde: multa etiam turba ſacerdotum obediebat fidei. 8. Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & ſigna magna in populo. 9. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant a Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano: 10. & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. 11. Tunc ſummiſerunt viros, qui dicerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum. 12. Commoverunt itaque plebem, & ſeniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium; 13. & ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba adverſus locum ſanctum, & legem: 14. audivimus enim eum dicentem: Quoniam Ieſus Nazarenus hic, deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes. 15. Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIO.

Verſ. 5. *Et Nicanorem & Timonem.* Pro *Timonem* non ſcribas *Timotheum*, nomen diſcipuli Pauli.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. **D**ISCIPULORUM. Sic in principio dicebantur, poſtea vero *Chriſtiani*. GRAECORUM. Græc. Ἑλληνιστῶν, id eſt *Græciſtarum*, ſeu *Græcizantium*, ſcilicet Iudæorum qui extra Iudæam nati, aut diu verſati, Græca lingua utebantur. Syr. *Diſcipulorum Ionum*, id eſt Græcorum. DESPICERENTUR, id eſt negligerentur. MINISTERIO, ſcilicet quo illis proſpiciebatur, alebantur enim ab Eccleſia.

V. 2. AEQUUM, id eſt conveniens. Syr. *decens*. Græc. ἀρεστὸν, id eſt *placitum*, ſeu tale ut placere debeat.

V. 3. BONI TESTIMONII, id eſt approbatæ vitæ. PLENOS, &c. quaſi dicat, Probos, & prudentes.

V. 4. INSTANTES, id eſt aſſidue intenti.

V. 5. ADVENAM. Græc. *proſelytum*, ſcilicet ex Gentili factum Iudæum.

V. 6. IMPOSUERUNT, &c. ſcilicet ordinarunt Diaconos.

V. 9. LIBERTINORUM, a Regione ſeu Urbe ita dicti, ſecundum quoſdam; at ſecundum Chryſoſt. & Bed. a libertate, qua ſervi donari ſolebant, & liberi fieri, quorum filii *Libertini* dicebantur: quamquam Chryſoſt. etiam hic libertos intelligit, & merito; hi enim etiam *Libertini* dicuntur.

V. 10. QUI. Græc. *quo*. Syr. *per quem*.

V. 14. TRADITIONES. Græc. τὰ ἔθη, *conſuetudines*, ſeu *inſtituta*. Syr. *ritus*.

E S T I I.

Verſ. 1. **F**ACTUM EST MURMUR GRAECORUM ADVERSUS HEBRAEOS. Utrique Iudæi ſeu Iſraelitæ erant; nondum enim in gentibus prædicatum erat Evangelium, ſed Græci dicuntur Iudæi, qui in diverſis Græciæ, ſeu potius gentilitatis (quæ aliquando Græcia dicitur, ſicut gentiles, græci) partibus nati Ieroſ. cauſa religionis venerant; de quibus etiam loquitur Scriptura Act. 11. Ad hoc genus, Iudæos ſcilicet in diſperſione gentium poſitos, ſcribunt Epiſtolas ſuas Petrus & Iacobus. Hebræi vero dicuntur, qui in Iudæa nati erant. Ac forte peculiariter his nominibus ſic appellantur, a lingua quam loquebantur. Qui enim Iudæa nati, loquebantur hebraice; qui in diſperſione, ut plurimum loquebantur græce, more gentium, inter quas verſabantur: ſicut hodie, Iudæi qui morantur in Italia, loquuntur italice, qui in Germania germanice. Et nota quod græce non dicitur ἕλληνες, ſed ἑλληνισταὶ; quaſi dicat, Græciſtæ. Vide infra annot. cap. IX & XI. QUOD DESPICERENTUR IN MINISTERIO QUOTIDIANO VIDUAE EORUM. *Deſpicerentur*, id eſt negligerentur, & hebræis viduis poſthaberentur in ſubminiſtrandis vitæ neceſſariis. Quod id ſit viduas deſpici, patet ex eo quod eſt viduas honorari in Epiſtola ad Timoth. & *miniſterium quotidianum* intellige rerum quotidianarum ſuppeditationem: intelligi poteſt ex Apoſtolo dicente II. Cor. IX. *Nam de miniſterio quod fit in ſanctos*: & Rom. XV. *Nunc igitur proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare ſanctis*. Item: *Et obſequii mei oblatio accepta fiat*. Eſt autem ubique græce διακονία vel διακονεῖν. Miror Eraſmum in paraphraſi ſua id non advertiſſe, dum miniſterium intelligit, quo viduæ Apoſtolis ac diſcipulis inſerviebant. Idem in ſcholiis in Epiſtol. Hieronymi ad Evagrium, ex eodem ſuo errore conatur locum eius Epiſt. caſtigare, cum potius ex verbis Epiſtolæ debuiſſet admoneri rectæ intelligentiæ huius loci. Nec id animadvertit in ſcholiis ſuis Marianus, qui Eraſmum taxat quidem more ſuo graviter, ipſe tamen in hunc eumdem lapidem turpiter impingit. Quamquam & Bedam ſic ſenſiſſe apparet, tam in primo commentario, quam in retractationibus. Hinc porro apparet, ea quæ dicuntur cap. IV. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos*. Et; *Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat*. Et: *Erat omnium credentium cor unum & anima una*: non diu in ſua perfectione & exacta obſervatione permanſiſſe, propter hominum vitia & affectus carnales, ut ſolet in omnibus huiuſmodi fieri. Nihil enim tam bonum inſtituitur quod non paulo poſt inclinet, hominum vitio ſeu negligentia. Hinc in eccle-

Digitized by Google

cleſia & monaſteriis frequenti opus eſt reformatione.

V. 2. ET MINISTRARE MENSIS. Quatenus hoc ſit, aut olim fuerit officium diaconorum, vide noſtra in 4. diſt. XXIV. §. 16. ſub finem.

V. 5. ET ELEGERUNT STEPHANUM. Hoc non intelligitur de electione canonica, quæ dat ius electis, ſed de ea quæ plebi interdum indulgetur. Quod hic eo propenſius factum eſt ab Apoſtolis, quia agebatur de miniſterio quadamtenus profano, de recta diſtributione eorum, quæ conferebantur a tota plebe, & in totam illam primorum fidelium multitudinem, & ut plenius ſatisfieret querelis aliorum adverſus alios: Itaque electio iſta erat inſtar cuiuſdam poſtulationis ſeu deſiderii ac voti; quod Apoſtoli ſua auctoritate approbarunt, ſatis quoque id oſtendunr verba præcedentia, quibus Apoſtoli dicebant: *Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, quos conſtituamus ſuper hoc opus*; id eſt, perquirite tales & præſentate nobis, ut nos conſtituamus, &c. Eumdem Stephanum ipſi apoſtoli, ſicut in officio Miſſæ de eo legitur, elegerunt electione canonica; ſcilicet eo ipſo, quo collatis ſententiis approbarunt electionem a multitudine factam.

ET TIMONEM. Multa exemplaria MSS. habent Tim. in Græco tamen lego τιμῶνα Tim. Certum eſt autem non hunc fuiſſe Timoth. illum Pauli comitem: nam ille incircumciſus diu fuit, donec a Paulo propter Iudæos circumcideretur, eratque iam tum adhuc adoleſcens, id eſt multo poſt hoc tempus ut patet ex epiſtolis ad eum ſcriptis. Hi autem circumciſi omnes erant, & tamquam viri ſapientia pleni ex tota mutitudine delecti ad diaconiam; quod in Tim. illo tempore non potuit competere, immo tunc adhuc forte puer erat: item. Tim. Lyſtris morabatur Act. XVI. & adoleſcens erat Paulo iam ſene, & proinde Saulo adoleſcente, qualis proximo cap. ſcribitur vix dum in lucem editus. Huius Timonis meminit martyrol. XIX. Aprilis.

ET NICANOREM. De Nicanore uno e ſeptem diaconis, quod tandem in Cypro gratia fidei & virtute admirandus glorioſiſſime coronatus ſit, habes in Rom. martyr. 10. Ian. ex Uſuardo, ni fallor, & 23. Ianuarii de Parmena, qui Philippis in Macedonia ſub Traiano coronatus eſt.

ET NICOLAUM ADVENAM ANTIOCHENUM. Græce προσήλυτον, quod Eraſmus vertit proſelytum, id eſt ex gentilitate inſitum religioni Iudæorum per circumciſionem. Sic in Evangelio, *ut faciatis unum proſelytum*. Vide annot Apoc. II. de Nicolao & Nicolaitis. Sicut autem evangeliſtæ Iudam Iſcariotem ultimo loco ponunt in catalogo Apoſtolorum, eo quod illo ſancto conſortio, per ſcelus proditionis Domini ſui indignum ſe reddiderit; ita Lucas hunc Nicolaum ponit ultimum in catalogo ſeptem diaconorum, quod per hæreſim ſe illo collegio reddiderit indignum; ut nonnulli tradiderunt.

V. 7. MULTA ETIAM TURBA SACERDOTUM OBEDIEBAT FIDEI. Sacerdotes Aaronici intelliguntur non Chriſtiani, ut quidam intellexerunt, imperite. *Obedire fidei* eſt credere, id eſt fidem humili ſubmiſſione voluntatis ſuſcipere, Rom. 1. *Ad obediendum fidei in omnibus*. Vide ibi comment.

V. 8. STEPHANUS AUTEM PLENUS GRATIA ET FORTITUDINE. *Plenus gratia*, id eſt multa habens Spiritus ſancti chariſmata. Unde ſequitur: FACIEBAT PRODIGIA ET SIGNA MAGNA IN POPULO. Item valebat eloquentia & doctrina, ut patet ex oratione quam habuit in concilio. Plenus *fortitudine*, id eſt robore ſeu virtute Spiritus ſancti, quæ proprius eſt effectus Spiritus ſancti in ſacramento confirmationis. Quam fortitudinem Chriſtus Apoſtolis ſuis promiſit ante aſcenſionem in cælum Luc. ult. & Act. 1. & contulit abunde in die Pentecoſtes: Act. II. Eademque fortitudo excelluit in Stephano, ut patet ex hoc & ſequenti cap.

V. 9. QUAE APPELLATUR LIBERTINORUM. Libertinos quidam intelligunt eos, qui erant ex Libya. Sed cum eos nuſquam libertinos dictos legamus, alii malunt eos intelligere, qui ex patribus libertis, id eſt libertate donatis, poſtquam a Pompeio ſuperati & in ſervitute abducti fuerant, erant progeniti. Tales enim proprie Libertini dicuntur. Vide Calepini lexicon. Utraque tamen interpretatio probabilitatem accipit ex. II. cap. Actor. ubi dicitur: *Et qui habitant Meſopotamiam, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ Romani*. Sicut enim ibi Libya cum Cyrene nominatur, ita hic Libertini & Cyrenenſes coniunguntur. Sed

rurſum

Digitized by Google

rurſum illic adiunguntur 'advenæ Romani quos hic Libertinos intelligere poſſumus, iuxta ſenſum datum, quia patres eorum apud Romanos ſervierant, & deinde manumiſſi fuerant, quem etiam ſenſum probat Chryſ. Græce eſt λιβερτίνων. A Lybya deducitur apud Græcos λιβύςινοι, auctore Stephano. Quod vocabulum potuit quadam loquentium corruptela mutari in λιβερτίνος, maxime apud barbaros. ET EORUM QUI ERANT A CILICIA. Ex his erat Saulus natus in Tarſo Ciliciæ: ut veriſimile ſit eum etiam, ut erat ardens legis emulator, cum Stephano diſputaſſe.

V. 13. & 14. ET STATUERUNT FALSOS TESTES, QUI DICERENT: HOMO ISTE NON CESSAT LOQUI VERBA ADVERSUM LOCUM SANCTUM ET LEGEM. AUDIVIMUS ENIM EUM DICENTEM, QUONIAM IESUS NAZARENUS HIC DESTRUET LOCUM ISTUM, ET MUTABIT TRADITIONES, QUAS DEDIT NOBIS MOYSES. Verum erat quidem Ieſum deſtructurum eſſe locum illum, & mutaturum traditiones; & tamen erant falſi teſtes, quia teſtabantur Stephanum hæc dixiſſe quæ non dixerat, & per quæ ſciebant commovendos Iudæos, ut in Stephanum inſurgerent & morti traderent. Alioqui nec Stephanus, nec Apoſtoli hæc prædicabant, quamvis vera; quia non erat opportunum nec expediens talia prædicare, nec vero neceſſarium. Non oportunum nec expediens propter Iudæos quorum multi crediderunt in Chriſtum ad prædicationem Apoſtolorum, non credituri ſi hæc fuiſſent eis ingeſta. Non neceſſarium adhuc pro illo tempore, quia ſine diſpendio ſalutis eorum poterant hæc taceri ad tempus, modo ſpem ſalutis non in ceremoniis Moſaicis, ſed in Chriſto collocarent; ac multo minus erat neceſſarium illis annunciare, quod Ieſus locum illum eſſet deſtructurus. Et conſtat ex Actis Apoſtolorum, Apoſtolos talia non prædicaſſe. Sed etſi Stephanus talia dixiſſet, adhuc poſſunt intelligi fuiſſe falſi teſtes; quia tametſi vera, obiiciebant ut crimina & blaſphemias, quæ revera talia non erant. Vide annot. Matt. 11.

V. 15. TAMQUAM FACIEM ANGELI; id eſt, valde pulchram & gratioſam. Deus enim gratiam vultus eius auxerat. Sic linguæ Angelorum dicuntur pro eximia facundia.

MARIANAE.

Verſ. 1. FACTUM EST MURMUR GRAECORUM. Iudæi erant, ſed nati in Græcia, & lingua Græca utentes. QUOD DESPICERENTUR .... VIDUAE EORUM. In quotidiana diſtributione & victu non ſatis illis ſubveniebatur. Quid Apoſtoli?

V. 2. CONVOCANTES. Multitudini non eſt repugnandum, ſed illi oportet morem gerere.

V. 3. CONSIDERATE ERGO, Gotth. *eligite.* Syr. *diſquirite.* Vox Græca ἐπισκέψασθε. his omnibus modis verti poteſt. Ergo eligite viros probos ſeptem, qui diſtributioni ſerviant. Nec enim ullam illi in ſacra poteſtatem iis diaconis dederunt, ut Patres non pauci aiunt: Chryſoſtomus, Occumenius hic, Sexta Synodus can. XVI. De qua re latius Michael Medina Lib I. de Contin. cap. XXVI. Hi menſis miniſtrabant, alii erant diaconi & miniſtri altaris. Neque refellimus, ſi quis aliter ſentiat.

V. 6. ORATIONI, ET MINISTERIO VERBI nos intenti erimus. Hæc per ſe Epiſcopus facere debet, cetera per alios. Bernardus IV. de Conſid. *Dolendum* ait *tam facile inveniri quos Epiſcopi ſubſtituant in cura animarum, quibus committant ſecullares non invenire.*

V. 6. IMPOSUERUNT EIS MANUS. Sic in veteri Lege cum animali fiebat, quod ſacrificari debebat, argumento Deo dicari & conſecrari.

V. 10. SAPIENTIAE, ET SPIRITUI Stephani non poterant reſiſtere. Sapientiæ facile reſiſtitur, niſi Spiritus adiungatur.

V. 13. ADVERSUS LOCUM SANCTUM, ſcilicet *hunc*, ut Gotth. & Syr. addunt, nos audivimus obloquentem Stephanum.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN DIEBUS ILLIS; quibus Apoſtoli IN carcerem miſſi ſunt, & flagellis cæſi. FACTUM EST MURMUR GRAECORUM, id eſt Iudæorum, qui extra Iudæam in Græcia nati, aut in ea diu verſati, Græca utebantur lingua, & Græcis moribus. HEBRAEOS: qui in Iu-

dæa nati erant, & ibidem educati. In ministerio quotidiano. Hoc aliter interpretantur. Aliqui miniſterium activè accipiunt, cenſentque Græcas mulieres ab Hebræis deputatas ad viliora miniſteria, nimioque labore oppreſſas, vel repulſas, quaſi rudiores a miniſtrando, ut rarius miniſtrarent, quam Hebrææ. Alii miniſterium accipiunt paſſive, nimirum pro illo quo neceſſaria viduis, & egentibus dividebantur; quod ſcilicet non ita prompte, aut largiter daretur viduis Græcorum, ut viduis Hebræorum: uterque ſenſus verus eſſe poteſt, mihi tamen ſecundus magis arridet.

V. 2. Aequum, id eſt conveniens. Syrus, *decens*; Græce, ἀρεστὸν, id eſt placitum, tale ut placere debeat. Derelinquere verbum Dei, &c. Curabant prius Apoſtoli diſpenſationem communium facultatum; ſed hoc erat impedimento prædicationi verbi Dei, cui cum vacare vellent, dabatur locus querimoniis, quia non ſatis omnibus proſpici de neceſſariis poterat; ſenſus ergo eſt, quaſi dicant: Si nos ut ſolebamus diſtribueremus viduis neceſſaria, nullæ, ſat ſcimus, eſſent querelæ; ſed cum non poſſumus, maioris momenti occupatione diſtenti, ſubſtituamus viros boni teſtimonii, &c. qui huic miniſterio præficiantur, ut omnes querimoniæ conquieſcant. Ministrare mensis. Menſæ hæ partim ſuere ſacræ, partim profanæ, & communes. Primo enim hi fideles celebrabant Euchariſtiam, deinde Agapen, id eſt convivium commune omnium fidelium, in ſignum caritatis, ut Agapes nomen ſignificat, & ad utrumque miniſterium deputati, & ordinati ſunt Diaconi.

V. 3. Boni testimonii: bonæ famæ, & ſpectatæ probitatis. Plenos Spiritu sancto: neque enim ſatis erat bona exiſtimatio, & fama, ſed ad miniſterium tanti momenti rite obeundum, requirebatur interna diſpoſitio ſanctitatis, & prudentiæ. Quos constituamus super hoc opus: miniſtrandi ſacris, & profanis menſis. Sunt autem ad hoc conſtituti, non ſolum per deputationem, ſed etiam per ſacram ordinationem, qua Diaconi facti ſunt.

V. 5. Elegerunt Stephanum. Populus nominavit, &, ut loqui ſolemus, *præſentavit Stephanum*, & ceteros; eos autem Apoſtoli in Diaconos ordinarunt, infra verſ. 6. Stephanum, &c. Horum omnium Diaconorum nomina Græca ſunt, unde videtur colligi, eos licet genere Hebræi eſſent, patria tamen Græcos fuiſſe. Eſt etiam probalile, Græcos potius electos fuiſſe, quam Hebræos, ut magis ſatisfieret querelis Græcorum de quibus verſ. 1. Plenum fide: fidelitate, quæ maxime erat neceſſaria curatori, & diſpenſatori bonorum temporalium. Vel, fide Theologica, quæ illo præſertim Eccleſiæ initio potiſſimum commendatur, ut fundamentum totius religionis Chriſtianæ. Vel, fide, id eſt fiducia in Deum, quod neceſſaria ſubminiſtraret ad tot viduas & pauperes alendos. Et Spiritu sancto; hoc eſt, donis Spiritus ſancti, omnibuſque virtutibus, & gratiis tum gratum facientibus, tum gratis datis, ac præſertim caritate, & zelo. Philippum: cuius in capite viii. & xxi. celebris mentio eſt. Nicolaum: quem Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, & alii volunt fuiſſe auctorem ſectæ Nicolaitarum hæreticorum, qui dicebant licitam eſſe fornicationem. Vide Apocalyp. ii. 15. Nicolaum tamen ab hac hæreſi, & turpitudine excuſant Clemens Alexandrinus, Euſebius, Auguſtinus, & ex recentioribus Baronius, Ribera, & Blaſius Viegas in eum locum Apocalypſis. Ob hoc dubium ſolus e ſeptem Diaconis Nicolaus non eſt adſcriptus Sanctorum catalogo in Martyrologio. Advenam. Græce προσήλυτον, id eſt *Proſelytum*. Erat ergo hic Nicolaus primum gentilis, ſed poſtea converſus ad Iudaiſmum; talis enim Græce vocabatur Proſelytus, Latine, *Advena*.

V. 6. Orantes: ſub oratione etiam comprehenditur Miſſæ ſacrificium, ut etiam nunc non niſi in ſacrificio Diaconi ordinantur.

V. 7. Et verbum Domini crescebat: nam Apoſtoli cura menſarum liberati, impenſius prædicationi operam dabant. Ut vero creſcebat prædicatio, ſic etiam fructus meſſis animarum illi correſpondens. Multa enim turba sacerdotum: communium, & minorum (hi enim vocantur turba) non ſummorum, & principum. Obediebat fidei: fidei, & legi Chriſti ſe ſubiiciebat.

V. 8. Plenus gratia: plenus chariſmatibus, & donis ſancti Spiritus. Et porti-

FORTITUDINE : ad agendum , prædicandum , diſputandum , & convincendos Iudæos. Item ad ſubeunda pericula , & mortem ſi ſe daret occaſio.

V. 9. De Synagoga , id eſt de Synagogis. Libertinorum , id eſt eorum qui prognati erant ex parentibus in ſervitutem a Pompeio aliiſque Romam , vel alio abductis , ſed poſtea libertate donatis . Hi enim utpote e ſervili genere prognati, videntur a ceteris quaſi liberis reiecti , ideoque peculiarem conſtituiſſe Synagogam . Cyrenensium . Cyrene alia erat in Syria , alia in Media, alia in Africa . De tertia hic agi videtur , quia Cyrenenſes iunguntur Alexandrinis , qui pariter ſunt Afri . Et eorum qui erant a Cilicia : quæ hodie Caramania dicitur. Et Asia : minori , quæ Ciliciæ adiacet . Habebant ergo Ieroſolymis variæ nationes ſuas diſtinctas Synagogas , ut verbum Dei ſua lingua audire poſſent; ſic Romæ videmus Gallos , Hiſpanos , Germanos , Luſitanos , &c. peculiares ſuæ nationis Eccleſias habere.

V. 10. Resistere sapientiae : divinæ , qua plenus erat S. Stephanus . Spiritui sancto qui loquebatur . Implebatur enim in Stephano promiſſio illa Chriſti Matt. x. 20. *Non enim vos eſtis qui loquimini , ſed ſpiritus Patris veſtri , qui loquitur in vobis.*

V. 11. Submiserunt : ſubornarunt : In Moysen . Per Moyſen, vel intelligitur ipſa Moyſis perſona , quæ maxime fiebat a Iudæis ; vel lex ab eo promulgata , quam docebat Stephanus abolitam eſſe a Ieſu , qui erat Chriſtus, filius Dei , & Moyſe maior . Et in Deum : iniurium Deo illis videbatur affirmare Ieſum eſſe filium Dei naturalem.

V. 13. Adversus locum sanctum : templum intelligunt , ut apparet ex everſione per Ieſum, de qua ſequenti verſiculo , aut etiam civitatem , quam idem Chriſtus evertendam prædixerat, Luc. xix. 44. Et legem : vide dicta verſ. 11. Per legem fortaſſe intelligebant traditiones , ut colligitur ex ſequenti verſiculo.

V. 14. Traditiones : τὰ ἔθη, id eſt ritus, ceremonias, cultum legeſque, & inſtituta a Moſe tradita . Summa ergo accuſationis eſt. Stephanus dixit legem noſtram in legem Ieſu Chriſti tranſituram , Iudaiſmum in Chriſtianiſmum, Moſen in Chriſtum , qui eſt Dei filius; ergo blaſphemavit legem noſtram , & Deum , dando eius divinitatem Ieſu Chriſto, quem ſcimus fuiſſe merum hominem . Addebant mendaciter Stephanum dixiſſe Ieſum deſtructurum locum ſanctum, cum non dixerit Stephanus id facturum Chriſtum, ſed gentes iuxta Chriſti prædictionem , Luc. xix. 44.

V. 15. Tamquam faciem Angeli . Facies angeli ſignificat eximium quid, auguſtum , cæleſte in vultu, quali ſpecie, & maieſtate Angeli apparrere ſolent .

TIRINI.

Verſ. 1. Factum est murmur. Hactenus credentium , utpote paucorum & ferventium , fuerat *cor unum a & anima una* : iam creſcente paulatim numero, & fervore decreſcente , incipiunt murmurationes & ſchiſmata . Initium factum a *Græcis*, id eſt a Iudæis in Græcia natis *b* & enutritis , ac proinde Græca lingua Græciſque moribus, ut fit , utentibus. In Græco enim hic non ἕλληνες , ſeu *Græci*, ſed ἑλληνισταί , id eſt *Græciſtæ* , ſeu Græcizantes vocantur . Quo minus autem putem, *Græcos* proprie dictos , vel *Gentiles* , hic notari, obſtat quod Gentilibus hoc tempore nec dum aperta fuerit ianua Eccleſiæ , ſed hi poſt converſionem Cornelii *c* Centurionis demum admiſſi ſint . Murmuris primi occaſio cœpit a multetibus , Græcorum *viduis*, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano diſtributionis rerum communium , ſive in *agape d* , ſive alibi . Videntur enim Hebrææ Iudæorum in Iudæa natorum viduæ , ſibi ut inquilinis arrogaſſe honoratiora quæque & lautiora miniſteria, viliora vero Græcis demandaſſe, inquit S. Chryſoſtomus , Rabanus, & Beda. Videntur etiam in diſtributione ciborum & veſtium magis faviſſe Hebræis, quam Græcis , ut cenſet Oecumenius, Gagneius , Caietanus & alii . Et notat Thomas Bozius *e* , Græcos, uti primo hic murmurant , ita primos quoque ſchiſma feciſſe & receſſiſſe ab Eccleſia . Porro ſopiendæ murmurationi , decernunt Apoſtoli, ut loco viduarum non ſat accurate ſuo officio fungentium, deligantur *ſeptem* Diaconi , qui præfectos agant menſæ , non profanæ tantum , (ut hæretici contendunt & Durandus , Caietanus & ſpu-

ſpurius canon Synodi Trullanæ *f*, qui falſo vocantur canones Synodi ſextæ *:*) ſed etiam ſacræ & Euchariſticæ menſæ, quæ quotidie præmittebatur olim Ieroſolymis & aliis quibuſdam locis cœnæ communi, ſeu convivio publico in ſignum caritatis ex theſauro Eccleſiæ præberi conſueto, quod Agapen vocabant. Miniſtrabant ergo neceſſaria epulis eiuſmodi inſtruendis, ſed ante omnia deſerviebant Apoſtolis Euchariſtiam conficientibus, & exin populo illam diſtribuebant: baptizabant quoque & prædicabant etiam, & alia munia ſacra obibant, quæ ſigillatim recenſet S. Clemens Romanus, & Concilium magnum Nicænum *g*. Qua ratione vero Diaconorum horum ordinatio ſit verum ac proprie dictum Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ſed hic ab Apoſtolis primum collatum; patet ex impoſitione manuum, hic adhibita, (quo ſigno repræſentatur illapſus & obumbratio Spiritus ſancti:) & ita docet Innocentius III. *h* & Doctores Scholaſtici. Quomodo denique ad inſtar horum ſeptem, conſtituti ſint Romæ ſeptem Diaconi Cardinales, & horum poſtea duplicatus ſit numerus, vide apud Sigonium *i*. Creatum hoc eodem anno primo a Paſſione Chriſti, Iacobum Alphæi *k* Epiſcopum Ieroſolymorum, ordinatumque a S. Petro XXVII. die Decembris, ac 29. annis ibi reſediſſe, docet ex Euſebio & Beda Baronius *l*.

V. 4. Nos vero orationi, (ſub qua intellige etiam ſacrificium Miſſæ, quod nobiliſſimum eſt *orationis* genus, & ſolet in Scripturis *m* hoc nomine deſignari,) ET MINISTERIO VERBI DEI INSTANTES ERIMUS, id eſt aſſidue intendemus, totique vacabimus. Diaconi vero non continuo, neque ordinarie, ſed per intervalla tantum prædicabant & baptizabant, ut patebit ex Stephano *n* & Philippo *o*.

V. 5. *Stephanus* græce coronam ſignificat. Ex quo ut ex aliorum Diaconorum nominibus Græcis patet, ipſos ſi non genere, certe nativitate & patria Græcos fuiſſe, ut Lucius Dexter *p* annotavit. Et ex ſententia Sanchez Salmeronis & aliorum multorum Stephanus cognatus erat Pauli: Paulus autem natus erat Tarſis *q* in Cilicia. Crediderim autem ex Græcis, id eſt ex Iudæis inter Gentiles natis, creatos ideo omnes Diaconos, ut Græcis murmurantibus fieret plenius ſatis. Commendatur hic Stephanus a triplici *fide*; primo morali, quæ virtus eſt fidelitatis; ſecundo, Chriſtiana, qua & ipſe plene inſtructus erat, & etiam alios inſtruebat, & generoſiſſime adverſus Iudæos propugnarat; tertio, fide miraculorum, id eſt fide ac fiducia in Deum adeo excellenti, ut etiam miracula patraret. PHILIPPUS hic infra *r* vocatur *Evangeliſta*, id eſt præco Evangelii, parens quatuor filiarum Propheti ſſarum *ſ*: ab Euſebio, Tertulliano & Iſidoro Peluſiota *t* etiam *Apoſtolus* vocatur, id eſt vir Apoſtolicus, inter Sanctos relatus die 6. Iunii, ut habes in Martyrologio Romano: viſitque S. Paula *u* ſepulcrum illius, & filiarum eius Cæſareæ in Palæſtina. PROCHORUS inter Diaconos tertius martyrio Antiochiæ celebris 9. Aprilis. Scripſit res geſtas S. Ioannis Apoſtoli, inquit Lucius Dexter *x*. Sed hæc ſcripta perierunt: nam quæ inſerta ſunt tomo 7. Bibliothecæ SS. Patrum, Prochoro indigna & ſuppoſititia ſunt. Quartus *Nicanor* in Cypro 10. Ianuarii: quintus *Timon* Corinthi 19. Aprilis: ſextus *Parmenas* Philippis in Macedonia 23. Ianuarii, corona martyrii celebres habentur. Sed ſeptimus *Nicolaus advena*; græce, προσήλυτος, id eſt ex Gentili ad Iudaiſmum converſus Antiochiæ, fœdiſſimæ hæreſeos, *y* (qua docetur licere fornicari, etiam promiſcue) ſi non auctor, ut volunt *z* Irenæus, Tertullian & Epiphanius, *aa* certe occaſio fuit. Nam Clemens Alexandrinus. Euſebius & Auguſtinus eum ab hac fœda doctrina excuſant, ut videre eſt apud Baronium.

V. 9. SYNAGOGA LIBERTINORUM, id eſt eorum qui prognati erant ex Iudæis in ſervitutem per Pompeium *bb* alioſve duces olim abductis, ſed iam libertate donatis, inquit S. Chryſoſtomus, Beda, Caietanus, & a Lapide. Hos enim, quaſi ex ſervili genere prognatos, nolebant alii ex liberis prognati admittere in ſuas Synagogas, cogebantque ſeorſim convenire. Horum Libertinorum Romæ in tranſtiberina regione degentium meminit Philo *cc* in ſua Legatione. Oecumenius, Gagneius, Hugo, Lyranus & Gloſſa per *Libertinos* intelligunt oriundos ex *Libya* inter Cyrenem *dd* & AEgyptum. Per *Ciliciam* intelligitur quæ hodie *Caramania* dicitur a Turcis, e qua Synagoga crediderim fuiſſe *Saulum* Tar-

ſenſem, & eius conſobrinum *et Stephanum*.

V. 15. *Facies* ANGELI ſignificat maieſtatem quaſi angelicam in vultu relucentem, ut alibi *ff* dixi. Erat autem Stephanus vultu a natura ſpecioſiſſimo, inquit S. Auguſtinus *gg*: ſed hic ſupra naturam addit illi Deus novam pulchritudinem, quæ index eſſet internæ venuſtatis & ſplendoris animi: unde idem Auguſtinus *hh* dicit vultum eius *radiaſſe inſtar ſolis*, ut olim etiam accidit Moyſi *ii*, & tempore novi teſtamenti S. Antonio, S Franciſco, S. Ignatio de Loiola & pluribus aliis. Chryſoſtomus vult ſplendorem hunc Stephano advenîſſe ex conſpectu gloriæ kk Chriſti. Idque ut Iudæis conſtaret, ipſum eiuſque doctrinam eſſe *lucem mundi ll*.

(a) Actor. IV. 32.
(b) Ioſeph. Lib. XII. Antiq. cap. v. Lib. XIV. cap. IX Lib. XVI. cap. IV. &c.
(c) Actor. x. I. &c.
(d) Marc. XIV. 12.
(e) Bozius de Signis Eccl. Lib. XIX. cap. III.
(f) Durand. IV. diſt. XXIV. in quæſt. II. Caiet. tom. I. opuſc. tract. XI. Syn. Trull. cap. x. apud Theodorum Balſamon.
(g) Clem. Lib. II. Conſtit. cap. lxI. Lib III. cap. XIX. Lib. VIII. cap. VII. & IX. Conc. Nicen. cap. XIV.
(h) Innoc. III. Lib. III. de Myſt. Miſſæ cap. v. & lvI.
(i) Sigonius Lib. IX. de Regno Italiæ.
(k) Chronici cap. xlvI. in fine ultimæ tabulæ.
(l) Euſeb. in Chronico. Beda in Martyrol. Baron. anno Chriſti 34.
(m) Levit. XVI. 18. & 34. & II. Machab. XII. 42. & 44. Ioan. IV. 20.
(n) Hic verſ. 9. & ſeqq.
(o) Cap. VIII. 35. & 40.
(p) Luc. Dexter in Chronico anno Chriſti 34.
(q) Actor. IX. II.
(r) Actor. VIII. 35. & XXI. 7.
(ſ) Ibid. verſ. 9.
(t) Euſeb. Lib. III. Hiſt. cap. ult. Tertull. Lib. de Baptiſ. cap. VIII. Iſid. Peluſ. Lib. I. epiſt. 447.
(u) Hieron. epiſt. 27. ad Euſtoch.
(x) Luc. Dexter. anno Chriſti 94.
(y) Iren. Lib. I. cap. XXVII. Tertull. de Præſcrip. cap. xlvI Epiph. hæreſi XXV.
(z) Apoc. II. 15.
(aa) Clem. Alex. Lib. III. Strom. cap. III. Euſeb. Lib. III. hiſt. cap. XXIII. Auguſt. de hereſ. cap. v.
(bb) Chron. cap. xlII. claſſ. II. ſub fin.
(bb) Philo in legat. ad Caium ſub medium.
(dd) IV. Reg. XVI. 9. Iſaiæ XVI.
(ee) Hic verſ. 5.
(ff) Eſther XV. 16.
(gg) Auguſt. Serm. VI. de Sanctis.
(hh) Idem Serm. XCIX. de Diverſis.
(ii) Exodi XXXIV. 29.
(KK) Actor. VII. 55.
(ll) Matt. v. 14.

GORDONI.

Verſ. 5. *uſque ad* 5. Excurrit adhuc annus Chriſti 34. quo nondum finito electi ſunt ſeptem diaconi, qui recenſentur verſu 5. Cura data eſt illis & miniſterium, ut præeſſent ſacris & profanis menſis. Cauſa electionis datur hic verſ. I. fuit querela Græcorum, quod & viduæ eorum in menſarum cura deſpicerentur ab Hebræis, & potior haberetur ratio viduarum Hebraicarum. Græci hic ſunt (ut plures hoc explicant) qui extra Iudæam nati Iudæi acceſſerunt ad fidem: Hebræi vero vocantur nati & incolæ in terra Iuda: dicti illi Græci, quod Græcorum lingua & moribus uterentur. Quæ interpretatio probabilior eſt, quam ſi per Græcos intelligas gentiles: nam nondum aperta eſt illis ianua. Primus ex gentibus putatur Cornelius, de quo cap. x. tamen in Lib. Machab. & alibi gentiles vocantur Græci, & opponuntur Hebræis. NON EST AEQUUM. Profuit hæc diaconorum electio tum ad ſedandum murmur, & pacem Eccleſiæ, tum ut tempus ſupereſſet Apoſtolis ad concionandum liberatis ab hoc menſarum miniſterio.

V. 5. & 6. ELEGERUNT. Adfuit in hac promotione populus, immo & nominaſſe plurium votis & vocibus putandum eſt. At vero electio ab Apoſtolis facta, & ordinatio eſt: nam ex verſu 6. ORANTES IMPOSUERUNT EIS MANUS per ſacram ordinationem. Sub oratione comprehenditur ſacrificium; quo etiam modo poſtea Eccleſia ordinat ſuos diaconos. Lege Clemen. Lib. VIII. Conſtit. cap. ult. Acceſſit *χειροτονία*, quæ (ex meliore opinione Theologorum) dat eſſentialem materiam ſacramentorum. Accidentalis & addita ab Eccleſia, eſt porrectio inſtrumentorum, Calicis, Evangelii, &c. quæ nondum erat in hoc primo initio Eccleſiæ. Ceterum ſic diſtributa ſunt munera, ut diaconis reſtaret per ordinationem ſacram miniſterium, ut nunc videmus in Eccleſia; Diaconiſſis autem (quæ amotæ ſunt a menſis) miniſterium longe vilius, ut præeſſe feminis, eas ad baptiſmum & unctionem nudare, & erga incarceratos, infirmos & ægrotos exequi iniuncta ipſis mandata.

Ex his diaconis ſolus eſt Nicolaus iſte pro-

Digitized by Google

proſelyta, qui de vitæ ſanctitate dubium habet teſtimonium: reliqui ſex aſcripti ſunt Martyrologio. Prochorus 9. Aprilis, Nicanor 10. Ian Timon. 19. Aprilis, Parmenas 23. Ian. Philippus hic non eſt Apoſtolus, ſed vir ſane Apoſtolicus. Habuit quatuor filias propheteſſas infra cap. XXI. 9. Lege de illo martyrologium 6. Iunii. De Stephano nemo dubitat.

V. 7. & 8. Per turbam ſacerdotum intelliguntur hic communes ſacerdotes, non vero ſacerdotum principes. STEPHANUS, PLENUS GRATIA eſt quatenus abundantem habuit ad ea quæ agebat. Græce eſt πίστεως, fidei, certe qualem hic deſcribit, variis donis Spiritus Sancti ornatam, & cum ea excellentia ut miracula patraret.

V. 9. & 10. Perſecutionem in Stephanum hi excitarunt. Synagoga vel cœtum ipſum vel locum ſignificat, in quem conveniebant Iudæi ad exercitia aliqua ſpiritualia, ad prædicationem verbi, aut legis explicationem. Libertinorum Synagoga erat eorum qui aliquando in ſervitutem ducti (præſertim a Romanis ſub Pompeio) libertate donati habitabant Ieroſolymis. Cyrenenſes Afri ſunt non longe ab Alexandrinis. *Aſia* minor eſt, & Ciliciæ adiacet. Nota eſt Geographia. Hos iactantes probra in Deum, ſeu (ut nunc loquimur) blaſphemantes, excepit in certamine adverſarios Stephanus, & vicit, evincens veniſſe Meſſiam & Salvatorem.

V. 11. *uſque ad finem*. TUNC SUBMISERUNT. Hoc ſolum reſtabat, ut calumniis & falſo teſtimonio premerent Stephanum tamquam obloquentem in Deum, templum, legem & traditiones. TRADITIONES, verſ. 14. ſunt ritus & ceremoniæ. FACIEM ANGELI, verſ. 15. Stephanus præter mentis fulgorem, inſignitus a Deo erat externo fulgore ad terrorem hoſtium, & præſentiam Dei pro quo pugnabat, demonſtrandam.

CAPUT VII.

Stephanus, data reſpondendi facultate, multa refert de pacto Dei cum Abraham eiuſque minoribus, de Moyſe & egreſſione filiorum Iſrael ex AEgypto, de tabernaculo teſtimonii & templo per Salomonem ædificato; Iudæos reprehendens quod ipſi & patres eorum Spiritui ſancto ſemper reſtiterint: cum autem diceret ſe Ieſum a dextris Dei videre, lapidatur, teſtibus veſtimenta ad pedes Sauli deponentibus: oratque pro lapidantibus.

1. Dixit autem princeps ſacerdotum: Si hæc ita ſe habent?
2. Qui ait: Viri fratres, & patres, audite: Deus gloriæ
apparuit patri noſtro Abrahæ cum eſſet in Meſopotamia,
prius quam moraretur in Charan, 3. & dixit ad illum:
(*a*) Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in
terram, quam monſtravero tibi. 4. Tunc exiit de terra
Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde, poſtquam
mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam,
in qua nunc vos habitatis. 5. Et non dedit illi hereditatem in ea, nec paſ-
ſum pedis: * ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini eius
poſt ipſum, cum non haberet filium. 6. Locutus eſt autem ei Deus: (*b*)
Quia erit ſemen eius accola in terra aliena, & ſervituti eos ſubiicient, &
male tractabunt eos annis quadringentis: 7. & gentem cui ſervierint, iudica-
bo ego, dixit Dominus, & poſt hæc exibunt, & ſervient mihi in loco iſto.
8. (*c*) Et dedit illi teſtamentum circumciſionis: (*d*) & ſic genuit Iſaac, &
circumcidit eum die octavo: & (*e*) Iſaac, Iacob: & Iacob, duodecim Patri-
archas. 9. Et Patriarchæ æmulantes, (*f*) Ioſeph vendiderunt in AEgyptum:
& erat

Digitized by Google

& erat Deus cum eo: 10. & eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius: & (*g*) dedit ei gratiam & ſapientiam in conſpectu Pharaonis regis AEgypti, & conſtituit eum præpoſitum ſuper AEgyptum, & ſuper omnem domum ſuam. 11. Venit autem fames in univerſam AEgyptum & Chanaan, & tribulatio magna: & non inveniebant cibos patres noſtri. 12. (*h*) Cum audiſſet autem Iacob eſſe frumentum in AEgypto: miſit patres noſtros primum: 13. (*i*) & in ſecundo cognitus eſt Ioſeph a fratribus ſuis, & manifeſtatum eſt Pharaoni genus eius. 14. Mittens autem Ioſeph accerſivit Iacob patrem ſuum, * & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuagintaquinque. 15. (k) Et deſcendit Iacob in AEgyptum, & (*l*) defunctus eſt ipſe, & patres noſtri. 16. Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulcro, (*m*) quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem. 17. Cum autem appropinquaret tempus promiſſionis, quam confeſſus erat Deus Abrahæ, (*n*) crevit populus, & multiplicatus eſt in AEgypto, 18. quoadusque ſurrexit alius rex in AEgypto, qui non ſciebat Ioſeph. 19. Hic circumveniens genus noſtrum, afflixit patres noſtros, ut exponerent infantes ſuos ne vivificarentur. 20. (*o*) Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo, qui nutritus eſt tribus menſibus in domo patris ſui. 21. Expoſito autem illo, ſuſtulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum ſibi in filium. 22. Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia AEgyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus ſuis. 23. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor eius ut viſitaret fratres ſuos filios Iſrael. 24. (*p*) Et cum vidiſſet quemdam iniuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei qui iniuriam ſuſtinebat, percuſſo AEgyptio. 25. Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis: at illi non intellexerunt. 26. (*q*) Sequenti vero die apparuit illis litigantibus: & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres eſtis, ut quid nocetis alterutrum? 27. Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos? 28. numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri AEgyptium. 29. Fugit autem Moyſes in verbo iſto: & factus eſt advena in terra Madian, ubi generavit filios duos. 30. Et expletis annis quadraginta, (*r*) apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. 31. Moyſes autem videns, admiratus eſt viſum: & accedente illo ut conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini, dicens: 32. Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyſes, non audebat conſiderare. 33. Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. 34. Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in AEgypto, & gemitum eorum audivi, & deſcendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in AEgyptum. 35. Hunc Moyſen, quem negaverunt, dicentes: * Quis te conſtituit principem & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem miſit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. 36. (*ſ*) Hic eduxit illos, faciens prodigia & ſigna in terra AEgypti, & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta. 37. Hic eſt Moyſes, qui dixit filiis Iſrael: (*t*) Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tamquam me, ipſum audietis. 38. (*u*) Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris: qui accepit verba vitæ dare nobis. 39. Cui noluerunt obedire patres noſtri: ſed repulerunt, & averſi ſunt cordibus ſuis in AEgyptum, 40. dicentes ad Aaron: (*x*) Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyſes enim hic, qui eduxit nos de terra AEgypti, neſcimus quid factum ſit ei. 41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulacro, &

læ-

lætabantur in operibus manuum ſuarum. 42. Convertit autem Deus, & tradidit eos ſervire militiæ cæli, ſicut ſcriptum eſt in Libro Prophetarum: (y) Numquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſrael? 43. Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem. 44. * Tabernaculum teſtimonii fuit cum patribus noſtris in deſerto, ſicut diſpoſuit illis Deus, (z) loquens ad Moyſen, ut faceret illud ſecundum formam quam viderat. 45. (aa) Quod & induxerunt, ſuſcipientes patres noſtri cum Ieſu in poſſeſſionem Gentium, quas expulit Deus a facie patrum noſtrorum, uſque in diebus David, 46. (bb) qui invenit gratiam ante Deum, (cc) & petiit ut inveniret tabernaculum Deo Iacob. 47. (dd) Salomon autem ædificavit illi domum. 48. (ee) Sed non excelſus in manufactis habitat, * ſicut Propheta dicit: 49. (ff) Cælum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt? 50. Nonne manus mea fecit hæc omnia? 51. Dura cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, * vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos. 52. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis: 53. qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. 54. Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. 55. Cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem a dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, * & Filium hominis ſtantem a dextris Dei. 56. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. 57. Et eiicientes eum extra civitatem lapidabant: & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua, ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. 58. Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. 59. Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixiſſet, * obdormivit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neci eius.

(a) Gen. XII. 1. (b) Gen. XV. 13. (c) Gen. XVII. 10. (d) Gen. XXI. 2. 4. (e) Gen. XXV. 24. 26. (f) Gen. XXIX. 32. & XXXV. 32. (g) Gen. XXXVII. 28. Gen. XLI. 37. (h) Gen. XLII. 2.
(i) Gen. XLV. 3. (k) Gen. XLVI. 5. (l) Gen. XLIX. 32. (m) Gen. L. 7. Ioſ. XXXIV. 32. Gen. XXIII. 16. (n) Exod. I. 7. (o) Exod. II. 2. Hebr. XI. 23. (p) Exod. II. 12. (q) Exod. II. 13.
(r) Exod. III. 2. (ſ) Exod. VII. VIII. IX. X. XI. XIV. (t) Exod. XVI. 1 Deut. XVIII. 15.
(u) Exod. XIX. 3. (x) Exod. XXXII. 2. (y) Amos V. 25. (z) Exod. XXV. 40. (aa) Heb. VIII. 9. Ioſ. III. 14. (bb) I. Reg. XVI. 13. (cc) Pſalm. CXXXI. 5. (dd) I. Par. XVII. 12. (ee) III. Reg. VI. 1. (ff) Iſa. XVII. Iſa. LXVI. 1.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 5. Sed repromiſit. Græcum & poſitum eſt loco *ſed*, more hebraico.

Verſ. 14. Et omnem cognationem ſuam. Non eſt omittendum pronomen *ſuam*.

Verſ. 35. Quis te conſtituit principem & iudicem. Loco nominis triſſyllabi *iudicem*, non oportet ſcribere diſſyllabum *ducem*.

Verſ. 44. Tabernaculum teſtimonii fuit cum patribus noſtris in deſerto. Non eſt omittenda præpoſitio *cum*.

Verſ. 48. Sicut propheta dicit. Pro *propheta* non ſcribas *per prophetam*.

Verſ. 51. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Non mutes preſens *reſiſtitis* in preteritum *reſtitiſtis*.

Verſ. 55. Et filium hominis ſtantem a dextris Dei. Non addas *virtutis* ante *Dei*.

Verſ. 59. Obdormivit in Domino. Patres non iudicarunt prætermittendum illud *in Domino*.

COM-

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. SI HAEC; pro, an hæc.
V. 2. GLORIAE, id eſt *glorioſus*, Hebr. PRIUS QUAM, &c. hinc apparet quomodo intelligendum, quod dicitur Gen. XII. Vide ibi.

V. 5. HEREDITATEM, id eſt poſſeſſionem. PASSUM. Græc. *βῆμα*, id eſt *veſtigium*. Intellige Dei munere, nam pretio aliquid emit: Auguſt. in Gen. quæſt. LVI.

V. 6. SEMEN, id eſt poſteri. QUADRINGENTIS, ſcilicet a nato Iſaac numerandis.

V. 7. IUDICABO, id eſt puniam. ISTO. Ita refert Stephanus, quia præſens erat loco.

V. 8. TESTAMENTUM, id eſt pactum. ET SIC, ſcilicet circumciſus, vel accepto teſtamento. Syr. *& tunc*.

V. 9. AEMULANTES, id eſt invidentes. IN AEGYPTUM, ſcilicet abducendum.

V. 11. CIBOS, id eſt alimenta.

V. 13. IN SECUNDO, id eſt cum iterum rediiſſent in AEgyptum.

V. 14. SEPTUAGINTAQUINQUE. Id ſecundum LXX. Vide Geneſ. XLVI.

V. 16. TRANSLATI; pro, translatus, ſcilicet Ioſeph. Vide Ioſ. XXIV. ABRAHAM. Vide Gen. XXXIII. quamquam quod attinet ad vocem *filii*, Græc. eſt *τοῦ Συχὲμ*, quod poteſt intelligi patris Sichem, vel illi Hemor forte fuit etiam Sichem pater.

V. 17. CONFESSUS ERAT. Alii, *profeſſus erat*. Græc. *ὤμοσεν*, id eſt *iuraverat*. Syr. *iuramento promiſerat*.

V. 18. SCIEBAT, id eſt noverat.

V. 19. GENUS, id eſt nationem; quaſi dicat, Dolo agens cum gente noſtra. EXPONERENT, ſcilicet occidendos. VIVIFICARENTUR, id eſt vivi ſervarentur.

V. 21. EXPOSITO, ſcilicet in Nilo. Vide Exod. II.

V. 25. PER MANUM, id eſt opera, ſeu miniſterio.

V. 26. APPARUIT; pro, adfuit. ALTERUTRUM, id eſt alter alterum.

V. 29. IN VERBO; pro, ob verbum.

V. 30. IGNE FLAMMAE. Græc. *flamma ignis*. Syr. *igne ardenti*.

V. 31. CONSIDERARET, id eſt inſpiceret: ſic infra.

V. 35. MANU ANGELI, id eſt Angelo ſcilicet ductore & adiutore.

V. 37. TAMQUAM ME, id eſt mei ſimilem, ſcilicet Chriſtus homo, & Legiſlator, duxque in terram promiſſionis cæleſtem. AUDIETIS, pro *audite*, Hebr.

V. 38. IN ECCLESIA, id eſt fidelium congregatione, cuius erat præfectus. VITAE, id eſt in quorum obſervatione vita eſt animæ. DARE; pro, ut daret.

V. 40. FACTUM SIT, id eſt acciderit.

V. 42. CONVERTIT. Syr. *averſus eſt*. TRADIDIT, id eſt permiſit. MILITIAE CAELI, id eſt aſtris. PROPHETARUM, ſcilicet minorum.

V. 43. ET; pro, quinetiam. MOLOCH. Idoli nomen. REMPHAM. Stellam Veneris quidam putant, ſeu Luciferum. ADORARE; pro, ad adorandum. ET; pro, itaque, ſeu ideoque. TRANS, &c. ſcilicet in Aſſyriam.

V. 45. IESU, id eſt Ioſue. POSSESSIONEM GENTIUM, id eſt terram Chananæorum. DIEBUS; pro, dies.

V. 46. TABERNACULUM, id eſt locum ubi tabernaculum collocaretur, ſeu templum ædificaretur.

V. 52. IUSTI, ſcilicet Chriſti. HOMICIDAE, id eſt interfectores.

V. 53. IN DISPOSITIONE, id eſt opera.

V. 54. DISSECABANTUR, id eſt furebant. IN, id eſt contra.

V. 56. CONTINUERUNT. Syr. *obturaverunt*.

V. 57. ADOLESCENTIS, id eſt iuvenis.

V. 59. NE STATUAS, &c. id eſt ne eos punias ob id peccatum, ſcilicet peccata velut ante Deum ſtant, vindictam petentia. IN DOMINO, id eſt Deo gratus, ſeu ſecundum Dei voluntatem: quamquam id Græce non eſt.

ESTII.

ESTII.

Verſ. I. ET MALE TRACTABUNT EOS ANNIS QUADRINGENTIS. Vide annot. Genſ. xv. Exod. XII.

V. 14. IN ANIMABUS SEPTUAGINTA QUINQUE: iuxta interpretationem Septuaginta, cum textus Hebraicus tantum habeat ſeptuaginta. Sed a Septuaginta additi ſunt filii Ephraim & Manaſſe. Cum enim in hoc numero cenſerentur omnes filii filiorum Iacob, cumque Ephraim & Manaſſe, qui nepotes erant, in filios fuerint adoptati; merito eorum filii huic numero adſcribuntur. Vide annot. Geneſ. XLVI.

V. 16. ET TRANSLATI SUNT IN SICHEM, ET POSITI SUNT IN SEPULCRO, QUOD EMIT ABRAHAM PRETIO ARGENTI *a* FILIIS HEMOR FILII SICHEM. Multiplex hic difficultas in hiſtoria concilianda. Ac primum leve illud eſt, quod poſtremo loco dicitur: *Hemor filii Sichem*: nam in græco tantum habetur τῦ Συχὲμ, quod iuxta fidem hiſtoriæ Geneſ. & Ioſue ult. vertendum potius erat, *patris Sichem*. Sed cetera multum diſcrepare videntur, & continere commixtas diverſas hiſtorias; nempe de ſpelunca duplici in Hebron; quam ab Ephron Hethæo emit Abraham quadringentis ſiclis argenti, ubi ſepulti ſunt: Sara, Abraham, Iſaac, Rebecca, Lia, Iacob Geneſ. XXIII. XXV. XXXV. XLIX & L. & alterum de agro in Sichem, quem a filiis Hemor Hevæi patris Sichem emit Iacob centum agnis, ubi ſepultus eſt Ioſeph. De eo habes Geneſ. XXXIII. & Ioſue ult. Poſſet autem tota Stephani ſententia impleri hoc modo: *Et deſcendit Iacob in AEgyptum, & defunctus eſt ipſe & patres noſtri, & tranſlati ſunt;* Iacob quidem in Hebron, Ioſeph autem in Sichem. *Et poſiti ſunt*, Iacob quidem *in ſepulcro quod emit Abraham pretio argenti* ab Ephron Hethæo, Ioſeph autem *in ſepulcro quod emit* Iacob centum agnis, vel ut in Ioſue legitur, centum novellis ovibus *a filiis Hemor patris Sichem*. Quidam putant mendum eſſe in nomine Abraham poſito pro Iacob. Verum nec ſic ſublata eſt difficultas: non enim Iacob, ſed Abraham emit pretio argenti. S. Hieron. in Epiſtola ad Pammachium CI. cap. IV. Differo ait ſolutionem, &c. nec tamen alibi reperitur eam dediſſe ſolutionem.

V. 19. UT EXPONERENT INFANTES SUOS NE VIVIFICARENTUR, id eſt ne vivi permanerent. *Vivificari* pro vivum relinquere phraſis eſt Scripturæ. Sic I. Reg XXVII. *Virum & mulierem non vivificabat David*.

V. 25. EXISTIMABAT AUTEM INTELLIGERE FRATRES, QUONIAM DEUS PER MANUM IPSIUS. Hinc oſtenditur Moyſen non ſine voluntate divina ſibi cognita, ſumpſiſſe ſibi poteſtatem vindicandi populum ſuum de oppreſſione AEgyptiorum. Nam quamvis id Hebræi non intelligerent; ipſe tamen iam tum intelligebat; ideoque cædes AEgyptii licite & cum poteſtate ab eo facta videtur; licet Auguſt. hunc locum non conſideranti aliud videatur; qui tamen quæſt. II. in Exod. hoc quoque obſervavit. Vide annot. Exod. II.

V. 30. APPARUIT ILLI IN DESERTO MONTIS SINA ANGELUS IN IGNE FLAMMAE RUBI. Et infra: *Hunc Deus principem & redemptorem miſit cum manu angeli, qui apparuit illi in rubo*. Vide annotat. Exod. III. Tres ſunt cauſæ cur Stephanus immoretur in hiſtoria & laudibus Moyſi. Prima, ne propterea de legis abrogatione diſputaſſe videretur, quia de legislatore eius Moyſe minus honorifice ſentiret: ideo eum prolixe laudat & prædicat. Altera, ut exemplo Moyſi tanti benefactoris, toties tamen a populo contempti, repulſi, exaſperati, & ad mortem expetiti, tacite taxaret ingratitudinem Iudæorum in Chriſtum a quo tot affecti beneficiis & ſanctiſſimis præceptis inſtructi, tandem eum poſt varias perſecutiones & contumelias in crucem egerunt, propter quos eos in fine orationis vocat proditores & homicidas, patrum ſuorum imitatores. Tertia cauſa, ut illius magni prophetæ manifeſtum de Chriſto teſtimonium, quod proferre volebat, commendabilius acceptabiliusque redderet. Unde ita ſermonem de Moyſe concludit: *Hic eſt Moyſes, qui dixit filiis Iſrael, Prophetam ſuſcitabit vobis Deus*, &c.

V. 35. PRINCIPEM ET REDEMPTOREM. Nota etiam Moyſen *redemptorem* dici, ſine iniuria unius redemptoris Chriſti, quemadmodum idem etiam mediator ſive ſequeſter vocatur inter Deum & filios Iſrael. Multa enim Deo vel Chriſto propria, ἀναλόγως hominibus communicantur.

V. 37. Tamquam me. Nota ſimilitudinem, non æqualitatem. Unde & intelligimus illud; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, non neceſſario de æqualitate dilectionis eſſe accipiendum. Vide annot. Deut. xviii. & in 3. ſent. diſt. xxix.

V. 42. Sicut scriptum est in libro prophetarum; numquid victimas et hostias, &c. Vide annot. Amos v. & Num. xxiii. Citatur autem hic locus ſecundum ſeptuaginta excepto hoc poſtremo: *Et transferam vos trans Babylonem*. Pro quo tam ſeptuaginta quam hebræa habent, *trans Damaſcum*. Sed conciliari cum illis poteſt, quod hic dicitur; quia ſignificatur eos eiiciendos eſſe in remotiſſimas a ſua terra regiones orientem verſus, ut non ſolum Damaſcum prætereant, verum etiam Babylonem, multo longius diſſitam. Porro ſicut veriſimile eſt, Stephanum hebraice locutum fuiſſe in concilio ſacerdotum Iudaici populi; ita quoque credibile eſt, ab eo recitata fuiſſe ipſa verba prophetæ, ut in Hebræo habentur: Lucam vero, quia græce ſcribebat, in his retexendis uſurpaſſe verba ex verſione Septuaginta, quæ tunc verſabatur in manibus omnium, eorum maxime, qui hebraice neſcirent. Vide Gaignæum, & Oecumenium in hunc locum, & quæ ibi Hentenius annotavit.

V. 48. Sed non excelsus in manufactis habitat; ſcilicet tamquam indigens habitationis loco, ſicut Paulus exponit Act. xvii. & hoc vult probatio ſequens; Sicut propheta dicit, &c. Alioqui Deum in templo habitare, pluribus locis Scriptura teſtatur, ut Deuter. xii. III. Reg. viii. II. Par. vi. Vide annotat. in ſra cap. xvii. Habitat autem in templo quatenus illic peculiari modo præſentiam ſuam exhibet, exaudiendo orationes, & beneficia, gratiamque conferens: & tamquam ibi habitans, vult ibi ſe conveniri per orationes, laudes, ſacrificia.

V. 51. Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, Phraſes hebrææ ſunt. Duræ cervicis hominem vocant præfractum & qui monitis non cedit; metaphora deſumpta a vitulis, qui iugum cervici impoſitum reiiciunt. Incircumciſis cordibus & auribus dicuntur, alluſione ad circumciſionem carnis illi populo legitimam; quaſi dicat: Ut eſt apud Ezechielem: Carne quidem circumciſi eſtis? ſed cordibus, & auribus incircumciſi; cordibus, quia ſancta monita a corde reiicitis: auribus, quia nec audire ſuſtinetis. Vos semper Spiritui sancto resistitis. Ita legendum præſenti tempore, non, reſtitiſtis, conſentiunt omnia MSS. aſtipulantur & græca. Reſtiterunt autem tam ipſi, quam patres eorum Spiritui ſancto, dum tot modis invitati ad veram pietatem; ſcilicet lege divinitus data, tot prodigiis & oſtentis divinitus exhibitis, tot præſtitis beneficiis eductionis ex AEgypto & introductionis in terram manantem lac & mel, tot miſſis ad eos prophetis; ſemper tamen rebelles fuerunt Spiritui ſancto, cui tamquam ſummæ bonitati omnis illa beneficentia peculiari ratione aſcribitur.

V. 52. Et homicidae fuistis. Græce *φονεῖς*, id eſt occiſores, ut vertit Eraſmus: unde non eſt hic urgendum quod dicit Stephanus, *homicidæ*, & non Deicidæ; quia neutra natura in græco exprimitur. Et ſane Iudæi non tantum homicidæ, ſed & deicidæ fuerunt, ſicuti B. Virgo vere & proprie Deipara, quia Chriſtus, quem illi occiderunt & hæc peperit, Deus & homo eſt ſubſtantialiter. Ceterum non ſolus Iudas Chriſti proditor fuit, verum etiam Iudæi. Nam ille quidem Chriſtum tradidit, Iudæi vero Pilato & gentibus, iuxta id quod Chriſtus ipſe prædixerat, ubi ait: *Et tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum*. Ideo autem addit B. Stephanus: *Et homicidæ*, quia in ſcelere occiſionis Chriſti multo gravior fuit culpa Iudæorum qui ex pertinaci odio & invidia popoſcerunt eum ad mortem, falſis contra eum accuſationibus inſtitutis; quam Pilati, qui morti eum adiudicavit; aut miniſtrorum eius gentilium, qui manibus ſuis eum crucifixerunt. Unde & Dominus ad Pilatum: *Qui me tibi tradidit*, inquit, *maius peccatum habet*. Verius ergo illo ſcelere Iudæi homicidæ, quam gentiles.

V. 5. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum. Græce *in diſpoſitiones*, & forte ita vertit interpres. Eraſmus, *per diſpoſitiones*, quia nimirum Angeli erant miniſtri illius legiſlationis. Sic. Gal. iii. dicitur lex ordinata per An-

gelos

gelos in manu mediatoris Moyſi; & Hebr. II. *Qui per Angelos dictus eſt ſermo*. Vide annot. Deuter. XXXIII. ubi explicatur quo modo lex data per unum Angelum, qui Moyſen & populum alloquebatur; & quomodo per multos. Vide etiam comment. I. Cor. X.

V. 55. Ecce video caelos apertos. Non hinc ſequitur cælum fuiſſe diviſum, ut Stephanus videret Chriſtum, ſed aperti dicuntur cæli, quatenus Ieſus Dei filius in cælo exiſtens, oculis corporeis videbatur. Nec opus erat diviſione eum cælum ſit corpus diaphanum. Item cæli proprie non ſunt viſibiles, nec aer. Sic alibi aperti dicuntur cæli, quando Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ viſus eſt; quamquam hoc de cælo aerio potius accipiendum. Sic intelligi poteſt, quod aliquando dicunt patres, Chriſtum aperuiſſe ſibi uterum maternum, quia inde prodiit ſua virtute. Quæri poteſt, an Stephanus tunc etiam, quando lapidabatur, viderit apertos cœlos? Id hoc loco non dicitur, ſed tantum in eius officio canit Eccleſia: *Cum igitur ſaxorum crepitantium turbine quateretur, inter æthereos aulæ cæleſtis ſinus, divina ei claritas fulſit*. Idem Prud. in hymno Laur. *Talemque & ille prætulit oris coruſci gloriam, Stephanus per imbrem ſaxeum, cælos apertos intuens;* ubi tria diverſa coniungit Poeta. Item quæritur quomodo Chriſtus in cælo empyreo exiſtens, vel ut S. Thomas vult part. III. quæſt. LVII. artic. IV. ſupra cælum empyreum conſtitutus, potuerit a Stephano in terris poſito videri; cum neque acies oculorum ad tantum ſpatium pertingat, neque ſpecies viſibiles a corpore viſibili tam procul effundantur? Reſpond. Si viſio fieret emiſſione radiorum viſualium ex oculo, ut Plato voluit, dicere poſſemus virtutem viſivam a Deo fuiſſe confortatam, ut radios tam procul emittere poſſet. Sed cum longe probabilius ſit, ſpecierum receptione viſionem fieri; reſpondetur, vel naturaliter potuiſſe corpus Chriſti, utpote lucidiſſimum, tam procul videri, ſicut ſol & ſtellæ ob inſignem claritatem longiſſime videntur. Nam ſi corporis parvitatem obiicias, reſpondebo claritatem compenſaſſe, quod quantitati deerat, ut tam procul videri potuerit; vel certe divino miraculo, ſpecies in tam longinquum ſpatium fuiſſe diffuſas. Fruſtra quoque hic quidam imaginantur cæli factam diviſionem, ut Stephanus Chriſtum in cælo ſtantem videret: non ſolum quia cælum corpus eſt diaphanum, verum etiam quia diviſione poſita, aut hiatus ille alio corpore repleretur, aut non. Sic; quonam corpore? certe non alio dicent, quam aere. At quid opus diviſione ſi replendus erat hiatus alio corpore, & quidem eo quod non plus adferret adminiculi ad videndum, quam cælum ipſum faceret ſine hiatu? Deinde permagna aeris copia opus eſſet ad implendum hiatum ab immo cælo lunæ ſe protendentem uſque ad ſummum cælum; quod ſpatium tam magnum eſt, ut totum aeris elementum ei implendo non ſufficeret. Ut interim prætermittam quam parum apte, probabiliterque ponatur elementare corpus ad hoc ſolum ut Stephanus Chriſtum videat, ſurſum per hiatum, quaſi per fiſtulam vel caminum mitti per omnes cælos uſque ad ſummum. Quod ſi dicas hiatum nullo alio corpore fuiſſe repletum, iam vacuum ponis, a quo tota abhorret natura uſque adeo, ut nec per miraculum id uſquam admiſſum legamus. Immo hac ratione tollitur hoc ipſum, cuius gratia huiuſmodi hiatus ponebatur: ſcilicet ut Stephanus Chriſtum in cælo poſitum videret. Nam ut in naturali Philoſophia didicimus, per vacuum viſio fieri prorſus nequit. Et filium hominis stantem. Ad illud, *ſtantem*, poſſit intelligi, conſtitutum, ut non ſignificetur certus ſitus corporis, ſed tantum, quod erat a dextris Dei. Melius dicitur intelligi veram ſtationem; maxime ſi Stephanus eius humanam formam vidit corporalibus oculis. Dicunt enim theologi diſputantes de ſitu corporis Chriſti in cælis, eum ſtare, non ſedere; quod ſtatus ſit ſitus perfectiſſimus. Et filium hominis stantem a dextris Dei, Non, *virtutis Dei*. Nam illud *virtutis*, adiectitium eſt, quod nec in græcis eſt exemplaribus, nec MSS. Sed quomodo videre eum potuit ſtantem a dextris Dei ſcilicet patris, cum illa dextra ſit inviſibilis, immo proprie nulla; ut nec ſiniſtra, nec reliquæ poſitionum differentiæ, quæ ſolis aſſignantur corporibus? Reſp. Sermonem eſſe improprium, ita explicandum, video filium hominis, id eſt Chriſtum humana forma, eundemque in cælis regnantem ſupra omnem creaturam elevatum, & Deo proximum. Stan-

Digitized by Google

tem autem dicit, quia vere illo ſitu corporis Chriſtum tunc videbat. Ita vero ſe Chriſtus tunc videndum exhibuit, ut ſe ſignificaret paratum ad adiuvandum martyrem pro ſuo nomine pugnantem. Aut certe ſicut ſeſſio quietam felicitatis & regni poſſeſſionem ſignificat, ita ſtatus eiuſdem felicitatis & regni firmitas inconcuſſa perpetuaque poteſt intelligi. Nam per ſeſſionem ſignificari iudicandi poteſtatem, in hac quidem locutione, qua dicitur Chriſtus ſedere ad dexteram patris, non apparet. Nam nec filii *Zebedæi* poteſtatem iudicandi, ſed regni conſortium, primaſque poſt Chriſtum in eius gloria partes petebant, quando dicebant: *Da nobis ut unus ad dextram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua*. Quod etiam intelligitur ex Pſal. cvi. Patre ad filium dicente: *Sede a dextris meis, Donec ponam inimicos tuos*, &c. Non enim dicit: ut tu ponas inimicos tuos, &c. tamquam iudex; ſed: *ſede a dextris meis* ex nunc uſque ad illud tempus, quo ego de inimicis tuis ſum iudicaturus. Et utique fides noſtra prædicat, Chriſtum ex quo tempore aſcendit in cælum, ſediſſe ad dexteram patris; inde vero in fine ſæculi venturum ut iudicet vivos & mortuos. Unde facile colligitur, ſeſſionis nomine in hac phraſi, de qua nunc agimus, non ſignificari dignitatem iudiciariam, ſed id potius quod diximus. Vide annot. locis citatis. Porro primo martyri talis viſio oſtenſa fuit ad ſignificandum quod omnes martyres in certamine & labore martyrii debeant Chriſtum ſuum ἀγωνοθέτην, a quo præmium ſunt accepturi, ante oculos mentis habere, & continuo quaſi præſentem intueri; ut ea fide & ſpe roborati perdurent in certamine.

V. 58. SECUS PEDES ADOLESCENTIS. Vide Baronium tom. 1. de hoc loco & ætate Pauli. Putat enim eum tunc fuiſſe triginta quinque annorum. Sic Paulus ad Timotheum: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Nam Timotheus erat ut minimum triginta annorum; ſed *adoleſcentiam* dixit pro iuventute. Et Cicero ſcribit Hannibalem iuveniliter exultationem. Sic Romana iuventus, id eſt milites.

V. 59. DOMINE IESU SUSCIPE. Invocat Ieſum non in terris præſentem, ſed in cælis regnantem. Unde patet, quam male, immo impie quidam olim ſenſerint, ſolum patrem eſſe a nobis invocandum per filium, non autem invocandum ipſum filium: cum hic clare teſtetur Lucas Stephanum invocantem dixiſſe: *Domine Ieſu*, &c. Quæritur, cum Chriſtus in cruce pendens prius oraverit pro inimicis, deinde commendaverit ſpiritum ſuum patri, cur Stephanus ordine contrario, prius rogaverit ſuſcipi ſpiritum ſuum, deinde oraverit pro inimicis? Poſt reſponderi, Chriſtum, qui excidere a iuſtitia non poterat de ſe ſecurum oraſſe pro peccatoribus; ſimul ut oſtenderet eam fuiſſe ſui adventus & paſſionis unicam cauſam, ut peccatores ſalvos faceret; Stephanum autem, quod adhuc in via poſitus poſſet excidere, de ſe primo loco fuiſſe ſolicitum ordine caritatis; ideoque primum ſibi felicitatem cum Chriſto, deinde & inimicis indulgentiam petiviſſe. Memorabile eſt quod refert S. Auguſt. Lib. XX. de civit cap. viii. de Martiali quodam mirabiliter per interceſſionem & merita S Stephani converſo ad fidem chriſtianam in ſua infirmitate, in qua deinceps uſque ad mortem, qua paulo poſt extinctus fuit, continuo in ore habebat illa verba: Chriſte accipe ſpiritum meum, cum tamen neſciret eadem illa fuiſſe ultima S. Stephani verba.

MARIANAE.

Verſ. 1. DIXIT AUTEM PRINCEPS SACERDOTUM, ſcilicet, Stephano, an vera eſſent quæ teſtes obiiciebant.

V. 2. CUM ESSET IN MESOPOTAMIA, id eſt in Chaldæa, ubi fuit hæc viſio. IN CHARAN. Hæc proprie eſt Meſopotamia, quæ vocatur *Aram*, ſive *Haram nabarim*, id eſt *fluviorum*, ad differentiam Syriæ, quæ abſolute vocatur *Haram:* ſic hic verſus cum verſ. 4. conciliatur, ubi dicitur,

V. 4. TUNC EXIIT DE TERRA CHALDAEORUM, ET HABITAVIT IN CHARAN, id eſt in Meſopotamia. TRANSTULIT ILLUM, inde ex Meſopotamia in terram hanc. Auguſtinus XVI. de Civit. cap. xiii. ſic legit: *collocavit eum in terra hac, in qua vos habitatis*, non dicit, *tranſtulit*, an memoriæ lapſu?

V. 5. SED REPROMISIT; pro, repromiſerat.

ſerat. DARE ILLI; pro, *ſe dare*, ſic Gott. pro, ſe daturum terram hanc.

V. 6. LOCUTUS EST AUTEM ET DEUS: ſupple, *ita*, ut Gotth. addit. ACCOLA. Gotth. *advena*. Syr. *inquilinum*. Græc. πάροικον. *Peregrinum erit ſemen tuum in terra aliena*. ANNIS QUADRINGENTIS. Exod. XII. 40. fore dicitur, ut habitent filii Iſrael in AEgypto annis quadringentis triginta: id etiam Paulus ait ad Galat. III. verſ. 17. Quomodo ergo hic dicitur, fore ſemen Abrahæ in terra aliena annis quadringentis? Verum de re hac diximus Gen. XV. verſ. 13. Et ne lapſum tribuamus Stephano, quod quidam faciunt, ſimpliciſſime dicendum Stephanum ex Geneſis loco citato ſumpſiſſe, Paulum ex Exodo, ubi quadringenti triginta anni Iudæorum peregrinationi aſſignantur. Suis tamen locis eſt dictum quomodo concilientur, ne ſit repetitione opus.

V. 8. TESTAMENTUM. Διαθήκην, *pactum*, legem circumciſionis dedit Abrahæ, iuſſit ut circumcideretur.

V. 13. ET IN SECUNDO. Gotth. *& ſecundo*, ſcilicet adventu fratrum Ioſeph in AEgyptum cognitus eſt ab illis. Et Iacob ivit eo

V. 14. IN ANIMABUS SEPTUAGINTA-QUINQUE. Hunc numerum poſuere Sept. Genſ. XLVI. verſ. 27. Exodi I. verſ 5. ex illis ſumpſit Stephanus, de quo his locis dictum eſt; neque muto.

V. 16. ET TRANSLATI SUNT IN SICHEM. Abraham Geneſ. XXIII. 13. in Hebron, ubi mortua eſt Sara, emit ab Ephron agrum in ſepulturam ſiclis quadringentis. Iacob in Sichem emit ab Hemor patre Sichem partem agri centum agnis; Gen. XXXIII. 18. in Hebron ſepultus eſt Iacob, Gen. ultim. verſ. 33. in Sichem Ioſeph, Ioſue ult. verſ. 32. fortaſſe & alii eius fratres, quorum oſſa ſimul cum oſſibus Ioſeph translata ſunt ex AEgypto. Hic videntur omnia confundi: nam Abraham ait emiſſe ab Hemor, & patres poſitos in ſepulcro Abraham. Quidam ſe facile expediunt, Stephanum aiunt memoria lapſum: Canus de Locis, Lib. II. cap. ult. ſecutus tamen in eo Bedam & Gloſſam. Verum Stephani auctoritas & gratia, qua erat plenus, huic ſententiæ refragantur. Martinus Martinius Cantapetrenſis Hypotyp. VI. cap. I. putat *Abraham* eſſe in genitivo, & ſupplendum, nepos, ut emptio Iacob Abrahæ nepoti tribuatur. Acute; ſed obſtat quod argento emiſſe dicit, cum Iacob agrum agnis centum emerit. Verum vox *keſitah agnum* & *monetam* ſignificare eo Geneſis loco diximus. Obſtant alia. Lyranus aliam viam ſequitur non minus implexam. Alias alii. Hic locus eſt difficilis. Multi multa dicunt, nullus ſatisfacit plane. Liceat nobis noſtram inſcitiam fateri. QUOD EMIT... A FILIIS HEMOR FILII SICHEM. In Græco non eſt *filii*, ſed τοῦ Συχέμ, id eſt *Sichemi*. Gotth. *Hemor, qui erat Sichem*, ſcilicet pater, ut Cantapetr. vult, ut ſuam de emptione ſententiam magis ſtabiliat, Iacob emiſſe illum agrum, non Abraham, & ut hic locus cum Gen. conſentiat, ubi Hemor Sichemi pater eſſe dicitur. Cum autem venit tempus promiſſionis,

V. 17 QUAM CONFESSUS ERAT DEUS. Gotth. *promiſerat*. Gr. ὤμοσεν, *iuravit Deus*.

V. 22. ET ERAT POTENS IN VERBIS, ET IN OPERIBUS SUIS, ſcilicet Moyſes. Nullus potens in verbis, niſi ſit etiam in operibus.

V. 25. INTELLIGERE FRATRES putabat: *fratres* in accuſativo. Gotth. addit *ſuos*, ut etiam Græc. Quid putabat? ſcire illos, Moyſem liberaturum populum.

V. 33. SOLVE CALCEAMENTUM; pro, *calceos*, ut Syr. Gotth. *calceamenta*.

V. 35. QUIS TE CONSTITUIT PRINCIPEM ET IUDICEM? Sic lege, ut conſentiat cum verſ. 27. non *principem & ducem*, ut Lovan. legunt.

V. 39. SED REPULERUNT: ſupple *eum*, ut Syr. & Gott. ſupplent.

V. 43. ET SUSCEPISTIS TABERNACULUM MOLOCH. Locus difficilis, ſed explicatus Amos V. 25. unde hæc verba ſunt deſumpta. TRANS BABYLONEM. *Trans Damaſcum* ait Propheta: verum qui trans Babylonem transferebantur, etiam trans Damaſcum, quæ erat in itinere, ibant.

V. 51. DURA CERVICE, eſtis ſcilicet. ET INCIRCUMCISIS CORDIBUS. Gotth. *incircumciſi corde*: ſic Græc. & Syr. RESISTITIS. Gotth. *reſtitiſtis*. SICUT PATRES VESTRI ITA ET VOS. Redundat *& vos*, neque eſt in Gotth.

V. 54. DISSECABANTUR. Gotth. *fremebant*: id ſignificat verbum διαπρίομαι, audientes Iudæi quæ dicebat.

V. 57.

V. 57. Secus pedes adolescentis. Gotth. *cuiuſdam adoleſcentis*. Recte, ſed codices alii ſecus. Ergo lapidantium veſtes Saulus ſervavit.

MENOCHII.

Verſ. 1. SI HAEC; pro, an hæc.

V. 2. VIRI FRATRES, ET PATRES. Fratres vocat ſibi æquales, & coævos, Patres vero Seniores, Pontifices, & iudices, coram quibus cauſam ſuam agebat in concilio. DEUS GLORIAE, id eſt glorioſus. CUM ESSENT IN MESOPOTAMIA. Meſopotamia accipitur late prout comprehendit etiam Chaldæam, nam ex Geneſ. XII. 1. & XI. 31. conſtat Abrahamum vocatum, & eductum de Ur Chaldæorum. CHARAN: Charan, ſive Haran ſunt Charræ, quæ fuit urbs Parthorum, ſita in finibus Meſopotamiæ, verſus terram Chanaan.

V. 3. EXI DE TERRA, &c. Vide Geneſ. XII. 1.

V. 5. NEC PASSUM PEDIS. In Græco eſt, *οὐδὲ βῆμα ποδός*; ſignificat autem *βῆμα* veſtigium, aut paſſum. Intellige Dei munere, nam pretio emit ſpeluncam duplicem Geneſ. XXIII. 6. Deinde non poſſedit illam quaſi hereditatem, ſcilicet ut vivus eam quaſi prædium incoleret, ſed ut ſepulturam, in qua mortuus quieſceret.

V. 6. SEMEN, id eſt poſteri. ACCOLA: *πάροικος*, advena, & peregrinus in terra aliena, non incola, & civis in propria: vide Geneſ. XV. 13. ANNIS QUADRINGENTIS; computantur hi anni a nativitate Iſaac, qui natus eſt Abraham poſt 23. annos, hoc eſt anno vitæ eius centeſimo. Inde enim uſque ad exitum Hebræorum ex AEgypti ſervitute fluxerunt anni 405. præciſe, qui hic vocantur quadringenti numero rotundo, omiſſis quinque, qui hunc numerum excedunt: vide dicta Exod. XII. 40.

V. 7. IUDICABO: condemnabo, ulciſcar, & puniam. Deus enim occidit Pharaonem, & exercitum eius in mari rubro. ET POST HAEC EXIBUNT: de AEgypto in terram Chanaan, quam eis promiſi.

V. 8. TESTAMENTUM CIRCUMCISIONIS: pactum ſive fœdus: vide Geneſ. XVII. 10.

V. 9. AEMULANTES: invidentes. ET ERAT DEUS CUM EO: educens eum e carcere, & ad AEgypti præfecturam evehens, & omnia quæ ab illo gerebantur ſecundans, & proſperans.

V. 12. PATRES NOSTROS: filios ſuos, ex quibus Iſraelitarum genus omne prognatum eſt.

V. 13. ET IN SECUNDO, ſcilicet adventu, cum iterum rediiſſent in AEgyptum.

V. 14. IN ANIMABUS SEPTUAGINTA-QUINQUE. At Geneſ. XLVI. 27. numerantur tantum 70. vide ibi dicta ubi hanc antilogiam conciliavimus.

V. 16. IN SICHEM. Sichem, ſive Sichar, urbs erat Samariæ præcipua, de qua dixi Ioan. IV. 5. Et at Geneſ. XXV. 9. & L. 13. habemus Abraham, Iſaac, & Iacob ſepultos eſſe in Hebron. Reſpondeo; Abraham, Iſaac, & Iacob ſepultos eſſe in Hebron; duodecim vero Patriarchas filios Iacob, in Sichem. Ita Divus Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Aut certe hi quoque primum ex AEgypto tranſlati, & ſepulti ſunt in Sichem, inde in Hebron, ut docet Ioſephus Lib. II. Antiq. cap. IV. & hoc ipſum ſignificat hoc loco S. Stephanus cum ſubdit: *Et poſiti ſunt in ſepulcro quod emit Abraham*, utique in Hebron, ut patet ex Geneſ. XXIII.

IN SEPULCRO, QUOD EMIT ABRAHAM PRETIO ARGENTI A FILIIS HEMOR FILII SICHEM. Videtur hoc repugnare hiſtoriæ Geneſ. XXIII. 16. ubi narratur Abrahamum ſepulcrum emiſſe ab Ephron filio Seor, non autem a filiis Hemor, filii Sichem, a quibus tamen, ut habemus Geneſ. XXXIII. 19. partem agri in Sichem emit Iacob, non autem Abraham. Reſpondeo primo; ſi pro, *emit Abraham*, legatur, *emit Iacob*, ut nonnulli viri docti legendum putant, qui exiſtimant mendum in textum irrepſiſſe, tota ſublata eſſet difficultas; ſed cum omnium textuum fides repugnet, alia ſolutio quærenda eſt. Dicendum ergo videtur, Ephronis patrem fuiſſe binomium, & vocatum fuiſſe Seor, & etiam Hemor. Porro Hemor fuit filius Sichem, non illius a cuius filiis Iacob emit agrum, ſed eo longe antiquioris. Hemor autem multos habuit filios, inter quos maior, & primogenitus videtur fuiſſe Ephron, qui nomine cæterorum fratrum ſepulcrum vendidit Abrahæ.

V. 17. PROMISSIONIS: multiplicandi ſemen Abrahæ ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris. CONFES-

SUS.

Digitized by Google

sus. Aliqui legunt *profeſſus*. In Græco ὤμοσεν, *iuraverat*. Syrus, *iuramento promiſerat*: noſter interpres videtur legiſſe in textu Græco, ὡμολόγησε.

V. 18. NON SCIEBAT IOSEPH: ignotabat quanta beneficia Ioſeph Hebræus contuliſſet AEgypto, ideoque ab Hebræis averſus, eos affligebat.

V. 19. CIRCUMVENIENS GENUS NOSTRUM: κατασοφισάμενος, falſis, & ſophiſticis rationibus implicans. Hoc eſt quod Exod. I. 20. dicebat novus ille Pharao: *Venite, ſapienter opprimamus eum*. Porro hi doli, & fraudes Pharaonis narrantur Exod. I. ſcilicet primo, quod vectigalibus, & laboribus formandorum lapidum eos afflixerit. Secundo, quod obſtetricibus mandarit, ut infantes maſculos, in partu clam occiderent. Tertio, quod iuſſerit, ut iam natos in flumen proiicerent. EXPONERENT; ſcilicet, occidendos. NE VIVIFICARENTUR: ne vivi ſervarentur.

V. 20. QUI FUIT GRATUS DEO. Græcum ἀστεῖος ſignificat *elegantem*, ut vertit noſter Interpres, Exod. II. 2. de eodem Moyſe ſermonem faciens. Hic autem ponitur pro εὔχαρις, aut χαρίεις, *gratus, iucundus*.

V. 22. ERUDITUS EST OMNI SAPIENTIA AEGYPTIORUM. Scriptura in Exodo huius eruditionis non meminit, ſed ſolum tradit Exod. II. 10: adoptatum a filia Pharaonis, ſatis innuens regiam in artibus liberalibus educationem. POTENS IN VERBIS, &c. Sapiens, & efficax in verbis, & operibus ſuis.

V. 23. QUADRAGINTA ANNORUM TEMPUS: quo tempore perſeveravit Moyſes in domo regia, tamquam regius filius. ASCENDIT IN COR EIUS: incidit illi cogitatio a Deo immiſſa. UT VISITARET FRATRES SUOS: a quibus abeſſe, & eorum videre duram ſervitutem moleſtiſſimum erat.

V. 25. EXISTIMABANT AUTEM, &c. Cum tantus eſſet vir a Deo admirabili illa ratione ſervatus ab aquis, & inſigni illa vindicta animi, & etiam corporis fortitudinem, zelum ſalutis populi ſui oſtendiſſet. AT ILLI NON INTELLEXERUNT; quaſi dicat, Duri, & pervicaces, quod perpetuum & gentis huius vitium.

V. 26. SEQUENTI VERO DIE, &c. Hanc hiſtoriam explicavimus Exod. II. 11.

V. 29. IN VERBO ISTO: ad verbum iſtud, quia videbat propalatam eſſe ſuam cædem, quam putabat occultam.

V. 30. ET EXPLETIS, &c. Hanc hiſtoriam explicavimus Exod. III. vide ibi dicta.

V. 34. QUEM NEGAVERUNT: quem agnoſcere noluerunt liberatorem populi ſui. CUM MANU ANGELI, id eſt per manum, & ductum Angeli.

V. 37. QUI DIXIT: Deut. XVIII. 15. PROPHETAM SUSCITABIT, id eſt Ieſum Chriſtum. Hic eſt ſcopus dictorum de Moyſe a S. Stephano, nimirum ut oſtendat Moyſen prophetaſſe de Chriſto, ac proinde ſe non adverſari Moyſi, ſed potius conſentire, dum Chriſtum prædicat, Iudæos potius adverſantes Chriſto, adverſari quoque Moyſi, Chriſti prænuncio.

V. 38. HIC EST QUI FUIT IN ECCLESIA, &c. id eſt, in populi fidelis cœtu, & congregatione, cui ipſe præerat. VERBA VITAE. Decalogum, aliaſque Dei leges, quarum obſervatione ad vitam beatam, & æternum in cælis ingredimur.

V. 39. AVERSI SUNT CORDIBUS SUIS IN AEGYPTUM: AEgypti deſiderio flagrantes, & illuc redire volentes.

V. 41. ET LAETABANTUR IN OPERIBUS MANUUM SUARUM: circa idolum quod excitaverant cantantes, ſalıantes, convivia agitantes.

V. 42. CONVERTIT AUTEM DEUS: ἔστρεψε, avertit ſe ab eis Deus. Poteſt etiam active intelligi, ſicut & verbum ſequens, *tradidit*: ſic Pſalm. CIV. 25. habemus: *Convertit cor eorum ut odirent populum eius*, & ſenſus erit, Deum convertiſſe, & tradidiſſe eos, non poſitive impellendo, ſed permiſſive, & occaſionaliter, nimirum deſerendo eos ſua ope, & gratia, & occaſiones obiiciendo in pœnam rebellionis, & præcedentium peccatorum. MILITIAE CAELI, ſoli, lunæ, & aſtris, quæ phraſi Scripturæ militiæ cæli dicuntur. IN LIBRO PROPHETARUM: Amos V. 23. ubi hunc, & ſequentem verſiculum explicavimus.

V. 43. TRANS BABYLONEM: loco tamen citato Amos habetur, *trans Damaſcum*. Reſpondet D. Hieronymus, & alii, Stephanum magis ad ſententiam, quam ad verba reſpexiſſe, nam eadem captivitate, qua ducti ſunt Iſraelitæ trans Damaſcum in Aſſyrios, collocati etiam ſunt trans Babylo-

Babylonem in civitatibus Mediæ, & Perſidis. Vide IV. Reg. xvii. 6. & Ioſephum Lib. Antiq. cap. ult.

V. 44. Tabernaculum Testimonii, id eſt fœderis. Dicitur teſtimonii, quia continebat arcam, in quam erant tabulæ legis: vocatur teſtimonium, quia Iudæis teſtabatur voluntatem Dei, quid ſcilicet eis præciperet, quidque ab eis exigeret Deus. Disposuit: *διετάξατο, ordinavit*. Secundum formam quam viderat. Deus enim ideam tabernaculi Moyſi oſtendit in monte Sina, Exod. xxv. 40.

V. 45. Induxerunt: in terram promiſſionis. Suscipientes: *διαδεξάμενοι*, ſubeuntes onus illud ſacrum, & per vices portantes; hoc enim mihi ſignificare videtur Græcum *διαδέχεσθαι*. Cum Iesu: cum Ioſue. Usque in diebus David: uſque ad tempora David, nam poſtea Salomon templum ædificavit.

V. 46. Qui invenit gratiam ante Deum: qui gratus fuit Deo, & ab illo dilectus. Et petiit ut inveniret tabernaculum, &c. id eſt, ubi tabernaculum collocaretur, ſeu templum ædificaretur, iuxta illud Pſalmi cxxxi. 2. *Si introiero in tabernaculum domus meæ, &c. donec inveniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob*.

V. 47. Domum, id eſt templum.

V. 48. Sed non excelsus in manufactis habitat; quaſi dicat: Deus tamen non eget domibus fabrorum manibus ædificatis. Notat Stephanus Iudæos, qui Deum templo ſuo delectari, & quaſi illi affixum putabant. Sicut Propheta dicit. Iſaias cap. lxvi. 1. ubi ſequentem verſiculum explicavimus.

V. 51. Dura cervice, id eſt duri, cervicoſi, inflexibiles, pervicaces in reſiſtendo Chriſto, & Evangelio. Incircumcisis cordibus et auribus; quaſi dicat, Rebelles, & obſtinati, qui cor, & aures infidelitatis pelle obductas habetis, ut credere non poſſitis, quia illam circumcidere, & auferre non vultis. Sicut patres vestri: de quibus vere David Pſalm. xxvii. 8. *Ne fiant ſicut patres eorum generatio prava, & exaſperans, generatio, quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius*. Et occiderunt eos: nam Iſaias ſerra ſectus eſt; Ieremias lapidatus, alii aliter interempti. Iusti: Chriſti. Proditores et homicidae: quia per Iudam eum prodidiſtis, eiuſque proditioni conſenſiſtis, immo eam pecunia emiſtis. Rurſum prodidiſtis eum Pilato, poſtulantes ut crucifigeretur.

V. 53. In dispositione Angelorum: opera Angelorum. Angelus enim Dei perſonam ſuſtinens legem dedit in monte Sina; & illam ſervari præcepit. Græca vox *διαταγὴ* diſpoſitionem, ordinationem, præceptum ſignificat.

V. 54. Dissecabantur cordibus: ira, angore, indignatione: vide dicta ſupra cap. v. 33. Stridebant dentibus: ut rabidi canes ringebant, & ſigno illo externo internum furorem prodebant.

V. 55. Cum autem esset plenus Spiritu sancto: per novum gratiæ illapſum excitatus ad deſiderium martyrii, & cæleſtis patriæ. Vidit gloriam Dei; id eſt, claritatem quamdam corporalem eximiam, & auguſtam, quæ Dei præſentiam teſtaretur, & præſeferret. Et Iesum stantem: hic enim eſt ſitus naturalis corporis valentis, & glorioſi. Stabat etiam quaſi miles, aut Dux cum Stephano, & pro Stephano pugnaturus; aut quaſi Advocatus eius apud Patrem; aut quaſi Agonotheta bravium cæleſtis gloriæ oſtendens, ſtadium martyrii decurrere paranti. A dextris Dei: honeſtiſſimo enim loco apud Regem, quem multi circumſiſtunt, ille eſt, qui eſt a dextris.

V. 56. Caelos apertos. Vel vidit quaſi hiatum cæli, & in illo Chriſtum ſe viſibiliter exhibentem vel oculus eius per Dei concurſum ſupernaturalem elevatus, cælos omnes quaſi patentes penetravit, & porrectus fuit uſque ad cælum Empyreum, ibique vidit Ieſum ſtantem.

V. 57. Continuerunt aures suas: manuum obiectu obturaverunt, nam ut ait Eccl. cap. xxvii. 15. *Loquela multum iurans* (multo magis blaſphemans) *horripilationem capiti ſtatuet; & irreverentia ipſius obturatio aurium*.

V. 58. Eiicientes extra civitatem: ne videlicet pollueretur civitas noxio ſanguine. Vide legem Levit. xxiv. 14. Lapidabant: in valle Ioſaphat, quæ inter montem Oliveti, & Ieruſalem interiacet. Deposuerunt vestimenta sua, ſcilicet, extima, qualia ſunt pallia, ut expeditius lapides iacularentur. Adolescentis: iu-

iuvenis, hoc enim ſignificat vox νεανίας. Qui vocabatur Saulus: & poſtea mutato nomine dictus eſt Paulus Apoſtolus. Hic indigne ferebat Stephanum cognatum, & condiſcipulum ſuum a ſe, ſuaque lege, & ſchola defeciſſe.

V. 60. Positis genibus: ut genuflexione oſtenderet ſummam curam, & zelum ſalutis lapidatorum ſuorum. Clamavit voce magna: quantum vires illo articulo deficientes ferebant, nam cum hac voce expiravit, & alioqui ſpeciem habet miraculi quod in morte quis clamet, ut miraculum fuit in Chriſto quod expirans clamavit; *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Ne statuas illis hoc peccatum; id eſt, ne eos punias ob hoc peccatum, ne ita illis imputes hoc peccatum, ut eos propterea æternæ damnationi addicas. In Domino, id eſt in Domini fide, gratia, & ſinu. Uſurpare potuit illud Pſalmi: *In pace in id ipſum dormiam & requieſcam*, Pſalm. iv. 9.

T I R I N I.

Verſ. 2. Deus gloriae *a*, id eſt glorioſiſſimus, apparuit patri nostro Abrahae in Mesopotamia, id eſt in regione quæ eſt trans Euphratem, & complectitur etiam vicinam Chaldæam, e qua evocatum conſtat ex Geneſi *b*. Sic nomen *Meſopotamiæ* dilatat etiam Plinius. Et hanc eſſe mentem S. Stephani conſtat ex verſ. 4. ubi dicit, exiiſſe illum de terra Chaldaeorum.

V. 5. Non dedit illi Deus in Chanaan hereditatem, quam per ſe poſſideret inſtar prædii vel agri frugiferi. Nam quod poſſederit in ea *ſpeluncam duplicem*, Gen. xxiii. 9. ſolum pro ſepultura fuit, quæ non cenſetur hereditas vivorum, ſed carcer mortuorum. Neque Deus hanc illi per ſe dedit, ſed ipſe pretio illam coemit, inquit S. Auguſt. *c* & Gloſſa.

V. 6. Semen, id eſt poſteritas, eius accola, πάροικον, id eſt advena, *erit*, ſeu peregrinabitur, in terra aliena Chanaan & AEgypti, annis quadringentis, qui cœperunt eum ablactatione Iſaac, ut alibi *d* probavi.

V. 14. Animabus, id eſt hominibus, septuaginta quinque. Includunt LXX. interpretes quinque nepotes Ioſephi poſtea natos in AEgypto, ut dixi Gen. xlvi. 26.

V. 16. Translati sunt duodecim Patriarchæ, filii Iacobi, in Sichem, ſive *Sichar*, urbe primaria provinciæ Samariæ, dicta dein *Mabarta* Ioſepho, *Mamortha* Plinio, & *Flavia Cæſarea* a Flav. Domitiano Cæſare, & uſque nunc *Neapolis* vocatur. Poſtea tamen inde tranſlatos omnes, uno dempto Ioſepho *e*, & ſepultos in *Hebron*, inſinuat hic S. Stephanus, & diſerte docet Ioſephus *f*, Comeſtor, Dionyſ. & Gagneius, *poſitique in ſepulcro quod emit Abraham a filiis Hemor filii Sichem:* & ſic coniuncti ſunt oſſibus Abrahæ, Iſaaci & Iacobi ſepultorum in Hebron.

Dices, Abraham Gen. xxiii. 16. dicitur emiſſe agrum ſuum non a filiis Hemor filii Sichem, ſed *ab Ephron filio Seor.* Reſpondeo, Unus idemque eſt *Hemor & Seor*, & huius filius (ut apparet) primogenitus, erat *Ephron*, qui nomine tum ſuo, tum ceterorum fratrum ſuorum, vendidit Abrahamo ſpeluncam. Porro *Hemor* iſte filius fuit *Sichem*, non illius a cuius filiis emit Iacob agrum ſuum Gen. xxxiii. 19. ſed alterius longe antiquioris. Frequens enim uſus apud Hebræos erat, plures eiuſdem familiæ eodem nomine compellandi, & uni eidemque plura nomina indendi, ut patet ex primis capitibus libri primi Paralipomenon, & aliis Scripturæ locis: ita a Lapide.

V. 17. Pro confessus ſeu profeſſus est, ſeu promiſerat, Græce iam eſt, ὤμοσεν, id eſt *iuraverat*.

V. 19. Circumveniens; Græce, *doloſis artibus*. Quaſi retibus *capiens*, genus nostrum, obruendo parentes vectigalibus & laboribus iniuſtis: filios vero per obſtetrices, vel per emiſſarios ſuffocando, ſicque cogens parentes *exponere* infantes ſuos in antris vel ripis fluminum, ut a matre expoſitum conſtat Moyſen, Exod. ii. 3. Faciebat autem hæc omnia Pharao, ne vivificarentur, id eſt ne in vivis manerent infantes, & ſtirpem Hebræorum propagarent. Porro quæ de

Moyſe hic narrat Stephanus, explicui omnia in Exodo.

V. 35. HUNC MOYSEN, QUEM patres veſtri NEGAVERUNT, id eſt detrectarunt habere PRINCIPEM, vel invitis illis, MANU, id eſt ope & ductu ANGELI conſtituit DEUS PRINCIPEM ET REDEMPTOREM populi: ſupple, pari modo Chriſtum a vobis reprobatum, vel invitis vobis conſtituit redemptorem & principem tum veſtrum, tum totius univerſi.

V. 37. HIC MOYSES DIXIT *g*, PROPHETAM, nempe Chriſtum principem omnium Prophetarum, SUSCITABIT VOBIS DEUS. Quo igitur iure fingitis me adverſari Moyſi, dum Chriſtum a Moyſe promiſſum vobis ego denuntio? vos potius illi adverſamini, dum Chriſtum ab illo promiſſum & a me denuntiatum repellitis & opprimitis.

V. 43. CONVERTIT DEUS ET TRADIDIT, id eſt iterum tradidit, EOS SERVIRE MILITIAE CAELI, id eſt adorare ſolem, lunam & reliqua aſtra: tradidit, inquam, non impellendo, ſed permittendo, ut alias *h* expoſui. Per *librum* PROPHETARUM intelligi vult prophetiam Amos, cuius cap. v. 25. expoſita habes quæ hic S. Stephanus citat de *Moloch* ſeu Saturno, *&* *ſidere Rempham*, id eſt lucifero, ſeu Venere

V. 44. *&* 45. TABERNACULUM TESTIMONII, ſeu fœderis, quod Moyſes fabricavit Exodi XXVI. SECUNDUM FORMAM in monte Sinai ſibi exhibitam *i*, INDUXERUNT PATRES NOSTRI duce IESU, ſeu Ioſue, IN POSSESSIONEM GENTIUM, id eſt in terram Chanaan a Gentibus ante poſſeſſam, ut narratur Ioſue III & ſequentibus. Manſitque tabernaculum iſtud apud ipſos in perpetuo uſu, USQUE IN DIEBUS; Græce & Syriace, *uſque ad dies Davidis*.

V. 46. QUI INVENIT GRATIAM ANTE DEUM quam PETIIT, nempe UT deſignatione divina INVENIRET locum commodum condendo novo & fixo *tabernaculo*, ſeu templo, DEO Iſraelis k. Hunc locum ſibi deſignari petiit cum peſtis tam horrende ſæviret in populum, II. Regum XXIV. Et tunc per Gad Prophetam intellexit, velle Deum eodem in loco æternum coli, in quo Davidi apparuerat angelus gladium vibrans, id eſt in monte Moria. Unde & coemptum mox locum David, & illi uſui deſtinatum, transſcripſit Salomoni, qui templum ibi poſtea conſtruxit *l*.

V. 48 *&* 49. SED DEUS EXCELSUS, immenſus, NON HABITAT, ut vos putatis, IN MANUFACTIS templis, quaſi locis in quibus ſolis degat, & e quibus ſolis potentiam ſuam exerat. Nam ſic implet cælum & terram, teſte PROPHETA, ſcilicet Iſaia, qui totam *terram* VIX SCABELLUM facit PEDUM eius. Porro ſi quid ex omnibus a Stephano dictis pupugit Iudæos, poſtremum iſtud de templo Ieroſolymitano, quaſi non ita curæ eſſet Deo, ad extremam rabiem omnes concitavit, quam cum nec vultu, nec geſtu diſſimularent, acrius in eos inſurgit Stephanus.

V. 51. DURA CERVICE, & ad bonum flecti neſcia, pervicaces, obſtinati in malo: qui *cor & aures* tegmine infidelitatis obductas habetis, nec vultis illam circumcidere vel auferre. Prophetarum more *m* & Chriſti exemplo *n* invehitur magna libertate & zelo in Iudæorum perfidiam.

V. 53. QUI DISPOSITIONE, ſeu miniſterio & ordinatione, ANGELORUM, Michaelis eiuſque ſociorum concinnatam LEGEM ACCEPISTIS quidem, ſed NON CUSTODISTIS; ut iam *o* ante oſtendi. En blaſphemiam contemptæ legis in ſe detortam Stephanus iterum retorquet in ipſos adverſarios.

V. 54. DISSECABANTUR CORDIBUS : *διεπρίοντο*, id eſt diſſerrabantur, ſerra ſcilicet odii, iræ, indignationis. E contrario Stephanus

V. 55. PLENUS SPIRITU SANCTO, terrena omnia ut vilia & exilia deſpiciens, oculóſque tam corporis, quam animi, INTENDENS IN CAELUM, cæleſtis gloriæ iam candidatus, eo anhelans & ſuſpirans, VIDIT GLORIAM DEI, non eſſentia ſua (ſic enim Deum nemo mortalium vidit umquam, ſed nec videre *p* poteſt) ſed in imagine vel ſpecie Deum glorioſum repræſentante inſtar regis vel iudicis ſumma maieſtate effulgentis, ut in ſimili de Moyſe dixi in Exodo. *Vidit* & FILIUM HOMINIS, id eſt Ieſum, STANTEM A DEXTRIS DEI, loco Patri proximo, qui debetur illi ut homo eſt unitus Verbo divino.

Nota, dici Chriſtum *ſedere q. a dextris Dei*,

Digitized by Google

Dei, quando regia ipſius maieſtas, dominium & iudiciaria poteſtas deſignatur. *Stare* vero, quando inſtar militis vel ducis, vel advocati, vel agonothetæ inducitur, ut Stephano hic apparuit. Chryſoſt. Auguſt. & Gregor. *r* notant, *ſtare* ſitum eſſe naturalem corporis valentis & glorioſi. Et hic ſitus decebat Chriſtum certamen pugilis ſui coram ſpectantem, immo cum ipſo depugnantem. ECCE VIDEO CAELOS APERTOS, id eſt patentes, non illos in quibus ſtellæ, ut vult Caietanus & a Lapide; ſed aereos, ut dixi in baptiſmo Chriſti, Matth. III. in fine. Et ita cenſent Euthymius, Ianſenius, Suarez & alii in eum locum. Porro his verbis; primo, oſtendit Stephanus ſe nil curare minas, iras, tormenta Iudæorum, utpote cui cælum & ſinus Chriſti iam pateat. Secundo, invitat eos ad pœnitentiam, reſerato iam per Ieſum cælo, & ulnis miſericordiæ eius adhuc apertis. Tertio, terret illos, oſtenſo iudice & vindice. Quarto, teſtem ſe ipſis exhibet oculatum Chriſti redivivi. Et hæc etiam cauſa eſt cur potius vocet *Filium hominis*, quam Filium Dei: quia de Filio Dei nulla quæſtio erat apud Iudæos, ſed omnis controverſia erat de *Filio hominis*, ſeu Verbo incarnato, inquit S. Auguſt. *ſ*.

V. 56. & 57. CONTINUERUNT illi AURES SUAS, ne tam horrendas (ut interpretabantur) blaſphemias audirent: ET Stephanum verſ. 57. EXTRA CIVITATEM ſanctam, ne ulterius ſuis blaſphemiis illam contaminaret, EIICIENTES (cum Pilati præſidis conſenſu, inquit Caietanus, vel ſaltem conniventia, ut alii,) LAPIDABANT, ad inſtar alterius blaſphemi iſtius Levit. XXIV. verſ. 14. Baronius & alii paſſim cenſent lapidatum 26. Decembris anno I. a morte Chriſti. Aſſeverant peregrini, & ex iis Lorinus & a Lapide, etiamnum in valle Ioſaphat, ubi lapidatus eſt Stephanus, oſtendi ſigna & effigiem capitis eius ac ſcapularum, lapidi, dum exſpirans retrorſum caderet, impreſſa: oſtendi & alium lapidem, in quo B. Deipara cum ſuo Ioanne, preces pro Stephano, dum lapidaretur, profuderint. In loco lapidationis ingentem poſtea baſilicam exſtruxit Eudocia Auguſta, ut Evagrius, Nicephorus, Beda, Borchardus, Adrichom. *t* & alii teſtantur. TESTES (quibus ex præſcripto legis *u* incumbebat auſpicari lapidationem) quo expeditius lapides vibrarent, DEPOSUERUNT VESTIMENTA non Stephani (ut vult S. Bernardus *x*: quamvis etiam lapidandi ſpoliabantur veſtibus, ut alias dixi,) ſed SUA, SECUS PEDES ADOLESCENTIS SAULI. In Græco non eſt νεανίσκος, id eſt adoleſcentulus, ſed νεανίας, id eſt iuvenis iam adultus: expleverat enim iam tum SAULUS, ut & conſobrinus & antagoniſta & eius Stephanus, 34. annos, inquit S. Chryſoſt. *y* Quamquam etiam Pythagoras, Cicero *z*, & multi phyſici adoleſcentiam extenderint uſque ad quadrageſimum vitæ annum.

V. 58. DOMINE IESU SUSCIPE SPIRITUM MEUM, & tamquam ſupremus agonotheta tuis auſpiciis victorem ſiſte Deo Patri, corona gloriæ decorandum. En rationem recte moriendi. Primo, non corporis, non corporalium, ſed ſpiritus tui curam gere; ſecundo, fidem exerce, maxime Ieſu ſalvatoris tui; tertio, ſpem omnem in illum defige; quarto, eius amore condona inimicis offenſas, & animam tuam Chriſto conſigna, excepturo utique partim angelicis *aa*, partim propriis manibus ſuis, & æterno Patri ut nobiliſſimum ſpolium oblaturo.

V. 59. NE STATUAS ILLIS HOC PECCATUM; id eſt, ne ſtato fixoque ac perenni decreto decernas permittere illos hærere in hoc peccato: ſed fac cito illos pœnitere, & ſic a peccato expediri. *Neſciebat iis iraſci*, inquit Hilarius *bb*, *per quos videbat aulam regni cæleſtis ſibi aperiri*. Et Auguſtinus *cc*: *Putas verba iſta* Stephani *audivit Saulus? audivit ſubſannans, ſed irriſit*. Verum *ſi Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet*. Addit Occumen. plures etiam alios Stephani lapidatores, per has eius preces veniam, gratiam & ſalutem adeptos eſſe. Oratio enim pro inimicis, ut ex mera puraque caritate promanat, efficaciſſima eſt apud Deum. Nam ſi nos ignoſcimus, non ignoſcet qui infinite clementior eſt? De miraculis ad reliquias S. Stephani patratis, vide S. Auguſtinum, Proſperum, Gregor. *dd* Turonenſem, Gennadium, Nicetam, Lucianum *ff* Presbyterum & Baronium. Narrat S. Clemens *ee*, Apoſtolos ſanxiſſe, ut quotannis dies martyrii eius publice feſtus ha-

haberetur : quod exinde ad hæc uſque tempora toto orbe feſtivatum.

(a) Proleg. de Idiotiſmis. Hebr. num. 40.
(b) Gen. xvi. 1. & Gen. xi. 12.
(c) Aug. quæſt. lvi. in Geneſ.
(d) Chronici cap. xv. ſub medium.
(e) Ioſue xxiv. 32.
(f) Ioſeph. Lib. II. Antiq. cap. iv.
(g) Deut. xviii. 1.
(h) Gen xlv. 8. & Exod. vii. 3.
(i) Exod. xxv 40.
(k) Pſal cxxxi. 5.
(l) II. Par. iii. 1.
(m) Iſaiæ 1. 2. & 10. Ierem. xxii. & xxiii. Ezech. ii & iii. &c. item ii. Machab. vii. &c.
(n) Matth. xxiii. 13. & ſeqq. Lucæ xiii. 32. &c.
(o) Hic verſ. 37. & 52. &c.
(p) Exod. xxxiii. 19. & Ioan. i. 17. & 18. Exodi xxxi 1. 13.
(q) Marc. xvi. 19.
(r) Aug. quæſt. lxxxviii. inter quæſt. novi teſtamenti. Greg. hom. xix. in Evang.
(ſ) Aug. Serm. A. de Sanctis.
(t) Evagr. Lib. II. hiſt. cap. xii. Niceph. Lib. XIV. cap. xvi. Beda de Locis SS. cap. iii. Brochard. & Adrichom. in Deſcript. terræ Sanctæ.
(u) Deut. xvii. 7.
(x) Bern. Serm. de S. Stephano.
(y) Chryſoſt. homil. de Principibus Apoſtolor. tom. 5.
(z) Cicer. Lib. de Seneƈt. & orat. xxiii.
(aa) Zachar. iii. 1.
(bb) Hilar. Arelat. ſerm. de S. Stephano.
(cc) Auguſt. Serm. XCIV. de Diverſis, & Serm. I. de Sanctis.
(dd) Auguſt. Lib. XII. de Civit. cap. viii. Baron. anno Chriſti 418. Proſper. Lib. de Prædict. dimidii temp. cap. vi. Gregor. Turon. Lib. I. hiſt. cap. xxxi.
(ee) Clem. Lib. VIII. Conſtit. cap. xxviii.
(ff) Lucian. in hiſt. inventionis S. Stephani.

GORDONI.

Verſ. 1. *uſque ad* 5. STephanus in concilio coram ſenioribus (quos patres vocat) & aliis inferioris notæ hominibus, quos non male fratris nomine compellare putatur, dicturus de cauſæ ſuæ æquitate, orditur ab Abrahamo, & inde præclara inductione oſtendit Dei ſingularem providentiam non defuiſſe erga populum ſuum Iſraelem in prodigiis, propheitiis & promiſſionibus de futuro Meſſia. Nunc vero tandem adveniſſe, prout fuit per Prophetas prædictum. Sed addit graviſſime eos quos alloquitur, peccaſſe ; ut intelligerent pro remedio ad ſalutem reliquam illis eſſe ſolam pœnitentiam. Incidit hæc Stephani oratio & martyrium in annum Chriſti 34. ut ibidem notavi, & in diagrammate ad initium Matthæi, ubi de annis mundi, Olympiadis & V. C. Quod hic difficultatem habet, Topographicum eſt, ſed explicatum Gen. cap. xi. & xii. & in opere Chron. Tom. i. cap. v. num. 8. & initio cap. vi. Sunt ſane diverſæ regiones Chaldæa, Cananæa & interiecta Meſopotamia, Et quidem Abraham evocatus a Deo de Ur Chaldæorum venit in Meſopotamiam, in cuius confinio verſus Euphratem eſt Haram. Inde mortuo patre tranſtulit familiam totam in Canaan. Iam vero hic Lucas verſ. 2. Meſopotamiam accipit pro tota Meſopotamia & Chaldæa ſimul. Recte ergo antequam maneret Abraham in Haram, cum adhuc eſſet in ampliore illa Meſopotamia, iuſſus eſt venire in Canaan, quam Deus illi monſtravit, atque hunc ſenſum ordinemque rei geſtæ bene explicat. Verſ. 4. τὸ TRANSTULIT, intellige de ſecunda profectione Abrahæ in Canaan, quam citato loco Geneſeos ſatis probavi.

V. 5. ET NON DEDIT. Nullam dedit partem terræ Deus Abrahamo. Nec filium habebat. Recte proinde Paulus ad Rom. ait credidiſſe in ſpem contra ſpem. At quomodo nihil habebat? cum conſtet ex Gen. xxiii. 9. emiſſe iam ſpeluneam duplicem? Certe non fuit data proxime a Deo ; ſed empta poſt vocationem induſtria Abrahæ. Addunt alii ne hanc etiam ſpeluncam poſſediſſe, ut hereditatem viventium, ſed ut ſepulcrum morientium.

V. 6. QUIA ERIT SEMEN. Poſteri erunt in terra aliena & AEgypto, non incolæ ut cives, ſed accolæ, & velut precario Gen. xv. 13. At quomodo annis 400. Nam Exod. xii. 40. ponuntur anni 430. & Gal. iii. 17. Hic non hæreo : dedi rem hanc explicatam, tom. i. chr. cap. vii. & ad citatum locum Exo. Si enim numeres annos a nativitate Abrahæ ſunt 500. anni; ſi a prima promiſſione illi facta ſunt 430. Si vero a nativitate Iſaac ſunt 400. Anni autem promiſſione ſunt ad natum Iſaac xxv. inde ad natum Iacob 60. poſtea ad deſcenſum in AEgyptum 130. Manſio in AEgypto 215. Ex quibus omnibus exibunt anni 430. Iam vero numerando a nato Iſaac, ſubdue primos illos annos 25. & reſtabunt 400. vel 405. Eſt enim varietas in hoc quinario ob illam incertitudinem manſionis in AEgypto, an fuerit annorum 210. vel 215.

Digitized by Google

V. 7. Gentem cui servient. Hi ſunt AEgyptii ſub Pharaone poſt mortem Ioſeph, de qua ſervitute, & plagis AEgypti dixi ſatis ad initium Exod. Exibunt in terram Canaan, quam ingreſſi ſunt Iſraelitæ ſub Ioſue duce.

V. 8. Testamentum. Fœdus initum cum Abrahamo de Circumciſione & promiſſa protectione, de qua re actum eſt Gen. xvii. 7.

V. 9. 10. 11. 12. 13. Ioſeph venditus a fratribus, & tandem liberatus a carcere cognitus eſt a fratribus in ſecundo eorum adventu in AEgyptum, urgente fame.

V. 14. Mittens. Contigit hic deſcenſus in AEgyptum anno Iacobi cxxx. ut ſupra inſinuavi: numerus deſcendentium eſt 75. animarum, de quibus dixi Gen. xlvi. 26. At ibi numerantur tantum 70. vide hanc difficultatem explicatam ibidem. Stephanus enim ſequitur in hoc Septuaginta Interpretes, qui addiderunt priori numero filios & nepotes Iacob natos in AEgypto.

V. 15. 16. & 17. Et descendit. Sichem urbs eſt in Samaria, de quibus dixi Ioan. iv. 4. & 5. De ſepultura hæc eſt quæſtio: nam Gen. xxv. 9. & cap. l. 13. Abraham, Iſaac & Iacob ſepulti ſunt in Hebron. Ita ſane eſt, ſed duodecim Patriarchæ filii Iacob mortui in AEgypto, tranſlati primum ſunt in Sichem: poſtea ex Ioſepho tranſlati in Hebron, II. Antiq. cap. iv. At quomodo in sepulcro quod emit Abraham? nam Gen. xxxiii. 19. agrum illum emiſſe dicitur Iacob. Sane hic verſ. 16. putant aliqui eſſe mendum, & legi debere Iacob, pro Abraham. Sed his obſtat magnus Codicum conſenſus. Probabilior ſolutio eſt Stephanum loqui de ſpelunca quam emit Abraham Gen. xxiv. (non de agro quem emit Iacob Gen. xxxiii.) At quid ergo illud quod ait Stephanus, a filiis Hemor filii Sichem? Reſpondeo rem in hoc eſſe; Hermon iſte ſenior & Sichemi filius plures habuit filios, ex quibus primogenitus Ephron vendidit ſpeluncam Abrahamo: deinde multis poſt annis alius & minor Hermon (eiuſdem etiam Sichemi filius) vendidit agrum Iacob: nulla ergo pugna inter Stephanum & Moſen: ſolum quia Gen. xxiii. 16. eſt Seor, non vero apud Stephanum; ideo addunt aliqui Ephron patrem fuiſſe binomium, & vocatum Seor & Hemor. Quod eſt verſ. 17. confessus, Syrus habet, *iuramento promiſerat*. Græce ὤμοσεν, *iuraverat*: aliqui legunt, *profeſſus* Noſter forte legit ὡμολόγησε.

V. 19. 20. 22. 24. De dolo AEgyptiorum in Iſraelitas lege Exod. cap. i. De Moſe, Exod. cap. ii. Moſes gratus Deo ἀστεῖος, de quo & ſimilibus quæ hic refert Stephanus, dictum abunde eſt Exod. cap. ii. nec hic reponenda ſunt: poſt annos quadraginta in domo regia exactos, immiſſa eſt illa cogitatio de ſalute Iſraelitarum & libertate. Reliqua de fuga Moſis ſunt, & expletis quadraginta annis in terra Madian, mox de reditu & miſſione.

V. 30. & 35. Et expletis. Nihil ex his non explicatum eſt Exod. cap. iii. Deus cum ſit ubique non proprie deſcendit aut aſcendit; ſed hoc illi interdum tribuitur, quatenus aliquid novo effectu operatur in aliquo loco.

V. 35. *uſque ad* 42. Senſim accedit ad reprehenſionem Iudæorum, velut ad ſcopum; quaſi dicat: Talis fuit erga patres noſtros divina providentia: talis e contra pertinacia maiorum veſtrorum contra miſſos a Deo liberatores Moſen & Prophetas. Agnoſcite iam erga vos eandem Dei providentiam in Meſſia nunc miſſo, & veſtram pertinaciam: dum a Deo miſſum, & a vobis reiectum, occidiſtis. Addit Stephanus prophetiam de Chriſto per Moſen, Deuter. xviii. verſ. 15. Quem negaverunt. Liberatorem populi eſſe nolebant agnoſcere. In manu Angeli, per Angeli ductum, ut ſolebat Deus in veteri Teſtamento uti Angelorum miniſterio. Verba vitae, verſ. 38. Decalogum intelligit: In AEgyptum aversi: hoc deſiderio flagrabant in deſerto.

V. 44. Convertit. Sane avertit, ſeu permiſit ut averterentur a Deo: modus loquendi in Scripturis, ut etiam in voce tradidit, & alibi *induravit*: at Pſal. civ. 25. Convertit corda ut odirent; quæ omnia tantum promiſſionem deſignant, & occaſiones peccandi aliunde quam ob finem ut peccarent natas. Militiae caeli: ad idola itum eſt, ſtellas & lunam. Libro Prophetarum. Amos v. 25. quem conſule locum ibidem declaratum.

V. 43. Et suscepistis. Hæc ſunt apud citatum Amos ſub finem capitis, & ibidem explicata. Quod vero eſt ibi, *trans*

Da-

Damaſcum, verſ. 27. eſt hic TRANS BABYLONEM; ſed loquitur de captivitate Iſraelis ſub Salmanaſſar in Aſſyria, capta Samaria, IV. Reg. XVII. 6. Et ſic recte Stephanus: nam illa translatio, ut fuit trans Damaſcum, ita fuit etiam trans Babylonem.

V. 44. TABERNACULUM TESTIMONII, ſeu fœderis. In tabernaculo erat arca, & in arca cuſtodiebatur Lex, quæ vocabatur teſtimonium voluntatis Dei.

V. 45. 46. 47. INDUXERUNT. Tabernaculum in terram promiſſionis duce Ioſue. Induxerunt, inquit, Patres; qui alternis vicibus ſubibant oneri ſacro ferendo: ſic Græce ſonat *τὸ διαδέχεσθαι*. *Invenit* David locum, & domum ſeu templum deſignavit, ubi eſſet tabernaculum: vide quæ dixi ad Pſal. CXXXI. 2. ad quem locum alludit hic Stephanus. Quamvis, inquit, (verſ. 48.) Deus non egeat domibus: docta eſt *ἐπανόρθωσις*, & ſermonis emendatio: Excelſus enim eſt Deus עליון *hhelion*, & omnia ſuperans. Citat Stephanus verſu 47. Prophetam: hic eſt Iſaias cap. LXVI. 1. ubi videre licet loci huius interpretationem ampliorem.

V. 51. DURA CERVICE. Auguſt. Serm. I. de Sanctis, ait Stephanum hic perfecto odio invehi in Iudæos. At cur poſt lenem ſermonem nunc tam acerbe agit? Certe quia ex nutu, geſtu, ac forte etiam verbis videbat rem deſperatam fore animæquiores; ideo zelo divino accenſus merito exclamat perorando, ut hac conſtante profeſſione fidei & ſuo protomartyrio doceret, quam eſſet Eccleſia Dei futura invicta.

V. 55. VIDIT GLORIAM DEI. De hac gloria & viſione Stephani ſunt plurium diverſæ interpretationes. Probabilius eſt non vidiſſe Deum in ſe, ſeu eſſentiam. Ceterum nihil eſt impoſſibile, ſive dicas fuiſſe viſionem imaginariam & phantaſma, ſive per mentalem illuſtrationem & exſtaticam, ſive per formatam quandam auguſtam claritatem; in qua repræſentarentur omnia, quæ hic viſa narrat Lucas. Hoc poſtremum (quod ſuggeſſit Caietanus) videtur mihi probabilius, & aptum huic loco; ſicut eſt illud de ſtante Chriſto, valde ad rem eſt, ſive ſpectes ſitum beatorum in cælo futurum, ſive demonſtratum Chriſtum ſic paratum ad opem ſui protomartyris in hoc extremo agone. De reſerato cælo in baptiſmo Chriſti dixi ſuo loco, item de dextera Dei Marc. ultimo.

V. 56. &c. EXCLAMANTES. Poſt tragicas minas Iudæorum, en cataſtrophen. Eiiciunt vero extra civitatem, ne hoc ſanguine pollueretur: de qua lege vide Levit. cap. XXIV. 14. Acta res in valle Ioſaphat: eſt inter urbem & montem Oliveti. Adſuit Paulus iuvenis adhuc, veſtium cuſtos, Stephani cognatus & condiſcipulus: vides zelum Pauli, ſed præpoſterum, & quem poſtea damnabit. Excurrebat adhuc annus Chriſti triceſimus quartus, & tunc ab aliquibus eiuſdem ætatis putatur Paulus, *νεανίας*: nam aliqui cum Pythagora adoleſcentiam extendunt ab anno viceſimo ad quadrageſimum: ſed de ætate Pauli dicam cap. IX. 17.

CA-

Digitized by Google

C A P U T VIII.

In perſecutione diſperguntur omnes præter Apoſtolos, Saulo devaſtante Eccleſiam: Philippus plurimos in Samaria convertit, & in his Simonem magnum baptizat: miſſi ab Apoſtolis Petrus & Ioannes, oratione ac manuum impoſitione impetrant credentibus Samaritanis Spiritum ſanctum: Simon autem volens Spiritus ſancti dationem pecunia emere, dure a Petro corripitur: Philippus ab Angelo mittitur ad Eunuchum; quem ubi credentem baptizaſſet, a Spiritu raptus deſertur in Azotum.

1. Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apoſtolos. 2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. 3. Saulus autem devaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam. 4. Igitur qui diſperſi erant pertranſibant, evangelizantes verbum Dei. 5. Philippus autem deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum. 6. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes ſigna quæ faciebat. 7. Multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant. 8. Multi autem paralytici & claudi curati ſunt. 9. Factum eſt ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum: 10. cui auſcultabant omnes a minimo uſque ad maximum, dicens: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. 11. Attendebant autem eum, * propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet eos. 12. Cum vero credidiſſent Philippo evangelizanti * de regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri ac mulieres. 13. Tunc Simon & ipſe credidit: & cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo. Videns etiam ſigna & virtutes maximas fieri, ſtupens admirabatur. 14. Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Ieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. 15. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum: 16. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu. 17. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. 18. Cum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, 19. dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eum: 20. Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. 21. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto: cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. 22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 23. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. 24. Reſpondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum quæ dixiſtis. 25. Et illi quidem teſtificati & locuti verbum Domini, redibant Ieroſolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant. 26. Angelus autem Domini locutus eſt

Digitized by Google

eſt ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ
deſcendit ab Ieruſalem in Gazam: hæc eſt deſerta. 27. Et ſurgens abiit. Et
Ecce vir AEthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ AEthiopum, qui erat
ſuper omnes gazas eius, venerat adorare in Ieruſalem: 28. Et revertebatur
ſedens ſuper currum ſuum, legenſque Iſaiam prophetam. 29. Dixit autem
Spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum iſtum. 30. Accurrens au-
tem Philippus, audivit eum legentem Iſaiam Prophetam, & dixit: Putaſne
intelligis quæ legis? 31. Quit ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſten-
derit mihi? Rogavitque Philippum ut aſcenderet, & ſederet ſecum. 32. Lo-
cus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: (*a*) Tamquam ovis ad occi-
ſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non ape-
ruit os ſuum. 33. In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Generationem e-
ius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius? 34. Reſpondens autem
eunuchus Philippo, dixit: Obſecro te, de quo Propheta dicit hoc? de ſe,
an de alio aliquo? 35. Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens a Scri-
ptura iſta, evangelizavit illi Ieſum. 36. Et dum irent per viam, venerunt ad
quamdam aquam: & ait Eunuchus: * Ecce aqua, quid prohibet me baptiza-
ri? 37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpon-
dens ait: Credo, Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum. 38. Et iuſſit ſtare cur-
rum: & deſcenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & ba-
ptizavit eum. 39. Cum autem aſcendiſſent de aqua, Spiritus Domini rapuit
Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam ſuam
gaudens. 40. Philippus autem inventus eſt in Azoto, & pertranſiens evange-
lizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream:

(a) Iſa. liii. 7.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 11. *Propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet eos.* Pro ſubſtantivo *magiis* non eſt legendum adiectivum *magicis*, nec addendum *artibus*.

Verſ. 12. *De regno Dei in nomine Ieſu Chriſti.* Præpoſitionem *in* alii mutant in conjunctionem *&*.

Verſ. 36. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari.* Neutrum *quid* commutandum haud eſt cum maſculino *quis*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. IN ECCLESIA. Græc. *in Eccleſiam*, id eſt contra Eccleſiam.

V. 2. CURAVERUNT, ſcilicet efferendo, & ſepeliendo. Syr. *collectum in arcam ſepelierunt*. TIMORATI. Græc. *pii*, ſeu *religioſi*. Syr. *fideles*. PLANCTUM MAGNUM, id eſt pompam & exequiarum frequentiam: Hieron. ep. xxv.

V. 3. CUSTODIAM, id eſt carcerem.

V. 4. PERTRANSIBANT, id eſt huc illuc ſe conferebant.

V. 5. PHILIPPUS, ſcilicet diaconus, de quo ſupra.

V. 6. SIGNA, id eſt miracula.

V. 9. CIVITATE, ſcilicet Samaria.

V. 10. QUAE VOCATUR. Græc. *illa*.

V. 11. EUM; pro, ei. PROPTER; pro, propterea. DEMENTASSET, id eſt a mente alienaſſet.

V. 12. IN. Græc. *&*

V. 16. DOMINI IESU, ſcilicet & Trinitatis: oportet enim exprimi nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti.

V. 20.

V. 20. SIT IN PERDITIONEM, id eſt pereat. POSSIDERI, id eſt parari.

V. 21. SERMONE, id eſt *re*, ſeu *negotio*, Hebr.

V. 22. COGITATIO. Syr. *dolus*.

V. 23. FELLE. Syr. *hepate*; quaſi dicat, Peſſimo animo. OBLIGATIONE, id eſt colligatione.

V. 24. DIXISTIS. Apparet dixiſſe Petrum plura quam quæ ſupra ſcripta.

V. 25. REGIONIBUS. Græc. *viis*, ſeu *pagis*.

V. 26. CONTRA MERIDIANUM, id eſt verſus Meridiem.

V. 27. POTENS. Græc. δυνάστης, id eſt *Præfectus*. GAZAS, id eſt opes.

V. 30. PUTASNE. Græc. ἆρά γε, id eſt *numquid*.

V. 31. OSTENDERIT, id eſt explicaverit.

V. 32. SINE VOCE, id eſt vocem non edens.

V. 33. IN HUMILITATE, &c. quaſi dicat: Adeo contemptus fuit, ut contra ius omne ſit condemnatus. SUBLATUM, id eſt non redditum ei ius. QUONIAM; pro, qui tamen; quaſi dicat, Cum ſit Dei Filius, occidetur tamen.

V. 37. FILIUM DEI, &c. intelligendum eſt, etiam reliqua ad ſalutem neceſſaria credidiſſe, etſi hic non exprimantur: Auguſt. de Fide & op. cap. IX.

V. 40. AZOTO. Civitas eſt Palæſtinæ. CAESAREAM], ſcililicet Palæſtinæ. Vide cap. X.

ESTII.

Verſ. 1. PRAETER APOSTOLOS. Inſigne exemplum in Apoſtolis, imitandum omnibus paſtoribus, ut commota generali perſecutione fidelium, ipſi non fugiant, ſed permaneant & impetum ac furorem perſecutionis ſuſtineant. Aliud ſi ſoli ipſi quærantur ad mortem. Tunc enim, exemplo Petri & Pauli, fugere eis licet; dummodo non deſint alii, per quos neceſſaria ſacramenta fidelibus ſubminiſtrentur: quemadmodum B. Auguſt. docet in epiſtola ad Honorium, num. 80.

V. 2. CURAVERUNT AUTEM STEPHANUM VIRI TIMORATI. Græce εὐλαβεῖς, id eſt religioſi. *Curaverunt*, id eſt ea fecerunt quæ ad corpus eius honorifice ſepeliendum pertinebant, tum propter honorem protomartyrii, tum ad proteſtationem fidei reſurrectionis, in quo primo occiſo pro fide Chriſti. De hoc curationis officio & ſepultura Stephani, vide epiſtolam Luciani presbyteri de inventione reliquiarum S. Stephani apud Auguſtinum tom. X. ET FECERUNT PLANCTUM MAGNUM SUPER EUM. Non ſolum magnitudo luctus, ſed & pompæ funebris ſignificatur, teſte Hier. in epiſtola ad Marc. de obitu Bleſillæ, & adducit ſimile illud Geneſ. ult. de eo quod dicebant habitatores terræ Chanaan: *Planctus magnus eſt iſte AEgyptiis*. Nec hinc ſtatui poteſt, quod fideles oraverint pro martyre defuncto, quia ſine huiuſmodi oratione conſiſtit pompa exequiarum. Quæres quomodo planctum magnum, id eſt ſolemnes exequias facere potuerint ſuper Stephano a Iudæis lapidato, ut ab iiſdem Iudæis non prohiberentur? Reſp. Stephanus per tumultum lapidatus eſt a Iudæis, & tamen lapidati non prohibebantur ſepeliri, immo iubebantur ſecundum legem. Sepultura autem fiebat ab amicis & propinquis, ſicut & ſepultura Chriſti quamvis crucifixi. Itaque Iudæis difficile erat impedire, quo minus ad ſepeliendum Stephanum multi convenirent honoris gratia. Sed de hac re plura vide in Epiſtola Luciani presbyteri de revelatione corporis S. Stephani, ex narratione Gamalielis facta Luciano per viſionem, & de loco lapidationis, & de loco & tempore ſepulturæ, & de planctu ſeptuaginta dierum.

V. 5. PHILIPPUS AUTEM DESCENDENS, &c. Chryſ. homil. XXXV. in Geneſ. hunc Apoſtolum vocat; & alii nonnulli Philippum Apoſtolum fuiſſe putant, unum ex duodecim. Sed veriſimilius eſt fuiſſe diaconum, unum ex ſeptem de quibus cap. VI. Quod & pluribus placet, & probatur ex martyrologio Rom. 6. Iunii; ubi & dicitur habuiſſe quatuor virgines filias & Cæſareæ habitaſſe; quod certum eſt de Philippo uno ex ſeptem diaconis accipiendum, teſte Scriptura infra cap. XXV. IN CIVITATEM SAMARIAE PRAEDICABAT ILLIS CHRISTUM. Nondum gentibus prædicatur evangelium, hæc enim Petro prærogativa ſervatur, ut primus evangelizet gentibus: Samaritani vero ſemi-Iudæi erant utpote Iudæis commixti tam genere, quam religione. Vnde nulla offenſio erat,

ſi illis quoque evangelium prædicaretur. Nam & Chriſtus, quamvis aliquando dixerat diſcipulis; *In civitates Samaritanorum ne intraveritis;* ipſe tamen poſtea & civitates Samaritanorum intravit, & evangelium eis annunciavit, Ioan. IV. Ex quo Chriſti exemplo non dubitarunt Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum ſtatim ſe poſſe prædicare Samaritanis.

V. 9. VIR AUTEM QUIDAM NOMINE SIMON. De Simone Mago dicit S. Auguſt. in Pſal. IX. quod magicis &, ſceleratis artibus, cælum ſe ſperaverit adepturum. Cum autem dicatur verſ. 13. *Tunc Simon & ipſe credidit;* quæri poteſt, liceatne admittere quorumdam expoſitionem dicentium, ficte tantum & ſimulate Simonem crediditſſe, ut gratiæ patrandorum miraculorum particeps fieret. Sicut quod in Evangelio Marci VI. de Herode dicitur, quod Ioannem Baptiſtam libenter audiebat, ſic quidam intelligunt, eum, cum vulpina eſſet aſtutia, ſimulaſſe ſe libenter monita ſalutis accipere a ſancto viro. An ſenſus eſt: *Credidit*, id eſt fidem ſuſcepto ſacramento profeſſus eſt? Nam fideles appellantur qui baptizati ſunt; quod nomen catechumeni non habent, etiamſi vel maxime corde credant. Unde annot. Marci VI. Simonem vere crediditſſe, apparet ex verbis Petri, quibus eum poſtea hortatus eſt ad pœnitentiam peccati ſui, quo voluit emere donum Spiritus ſancti. Si enim non vere crediditſſet, primum exhortandus fuiſſet ad credendum. Sed reſponderi fortaſſis poſſet, Petrum qui cor non videbat, proceſſiſſe in ſua correptione ſecundum exteriora, quæ videbat & audiebat. Et quia Scriptura non ſolet narrare ſecreta cordium, nullo ſigno prodita, propterea de internis aliquando loquitur, prout exterius hominibus apparent. Et ſic poteſt accipi locus Marci VI. Auguſt. Lib. I. contra Don. cap. XI. & XII. quærit an Simoni fuerint in baptiſmo remiſſa peccata, & diſtingnit.

V. 13. ADHAEREBAT PHILIPPO. Græce ἦν προσχαρτερῶν τῷ φιλίππῳ erat adhærens Philippo, id eſt erat cum eo aſſiduus, ab eius latere non diſcedebat. Nam cupidus erat diſcendi facere miracula, quæ videbat ab eo fieri.

14. MISERUNT AD EOS PETRUM ET IOANNEM: ſcilicet ut impoſitione manuum darent eis Spiritum ſanctum, quemadmodum ex ſequentibus patet. Unde intelligitur Philippum, qui tantum diaconus erat, hoc ſacramentum impoſitionis manuum conferre non potuiſſe, quamvis populum baptizaſſet. Colligitur nec ſimplicem presbyterum poſſe: nam alioqui non miſiſſent Apoſtolos. Tametſi poſterior hæc collectio parum firma: quia dici poteſt Apoſtolos fuiſſe miſſos honoris cauſa, utque per eos magis ſolidarentur in fide Samaritani neophyti. Ceterum non ſolum ſuperior mittit inferiorem, ut dominus ſervum; ſed etiam æqualis æqualem; ut Pater filium, & uterque Spiritum ſanctum. Item inferior ſuperiorem; ut quando collegium mittit præfectum ad principem ſuum, vel alium alicuius negotii cauſa, ad quod induſtria ſimul & auctoritate requiratur; ut Capitulum Decanum. Sic Ioſue XXII. Iſraelitæ miſerunt Phinees ſummum ſacerdotem ad duas tribus. Item dum quis ad regem vel principem mittit aliquem interceſſorem ſe maiorem ac regis amicum; quod frequens eſt dum aliquid a Principe petitur.

V. 15. & 16. ORAVERUNT PRO IPSIS UT ACCIPERENT SPIRITUM SANCTUM, NONDUM ENIM IN QUEMQUAM ILLORUM VENERAT, SED BAPTIZATI TANTUM ERANT IN NOMINE DOMINI IESU. Acceperant quidem in baptiſmo Spiritum ſanctum ad ſanctificationem, quia renati erant ex Spiritu ſancto; in cuius rei typum ſuper Chriſtum in Iordane baptizatum deſcendit in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus; ſed non acceperant ad robur, quomodo acceperant Apoſtoli in die Pentecoſtes. Non eſt autem veriſimile omnes, quibus Apoſtoli manus imponebant, linguis fuiſſe locutos, ut eo ſigno cognoſceretur, quod Spiritum ſanctum accepiſſent. Dicit enim Paulus: *Numquid omnes linguis loquuntur?* quid ergo eſt, quod poſtea dicit Simon ad Apoſtolos: *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiant Spiritum ſanctum.* Neque enim de interiori robore conferendo fidelibus per ſuam manuum impoſitionem ſollicitus erat impius Simon; ſed externo miraculo famam & quæſtum aucupari cupiebat. Vide noſtra in 4. diſt. VII.

V. 18. CUM VIDISSET AUTEM SIMON, QUIA PER IMPOSITIONEM MANUS APOSTOLORUM DARETUR SPIRITUS SANCTUS,

OBTU-

OBTULIT EIS PECUNIAM. Quomodo hoc videbat, niſi quia viſibili ſigno locutionis linguarum, vel alio ſimili, foris oſtendebatur id, quod Spiritus ſanctus operabatur interius?

V. 20. **QUONIAM DONUM DEI EXISTIMASTI PECUNIA POSSIDERI**, id eſt comparari. Sic enim (*poſſideri*) ſæpe alibi accipitur in Scriptura.

V. 27. **EUNUCHUS POTENS CANDACIS**, &c. Græce δυνάστης, id eſt præfectus, primas, præpotens; quo græco nomine maximus dignitatis honor ſignificatur, ait Chryſoſt. hom. xxxv. in Geneſ. ubi & hunc locum pulchre tractat, ut excitet auditorem ad lectionem & ſtudium Scripturæ ſacræ exemplo huius Eunuchi. Ab hoc Eunucho deinde AEthiopes Chriſti fidem acceperunt & uſque hodie retinent, ſed erroribus & Iudaicis ceremoniis inquinatam. Vide in vita P. Ignatii Lib. IV. cap. xi. Nonnulli tamen dubitant, de quibus AEthiopibus hic ſermo ſit. Certum eſt enim quoſdam in Scriptura AEthiopes vocari, qui non adeo longe remoti erant a Palæſtina. Unde uxor Moyſi quæ Madianitis erat, AEthiopiſſa vocatur. Nec veriſimile eſt exercitum illum mille millium AEthiopum, quem Dei auxilio delevit Aſa rex Iuda II. Par. xiv. adductum fuiſſe ex AEthiopia, quam nos hodie ſic vocamus; ſed ex regione quapiam viciniore, ut etiam ſentit Pererius ſcribens in Geneſ. ubi agit de fluminibus paradiſi. An de his AEthiopibus, quorum Candace regina memoratur, ſimile quid dicendum ſit, cum non ſit veriſimile ex tam longinqua regione eunuchum orationis gratia veniſſe Ieroſolymam inquirendum. Quamvis autem hic ſola regina nominetur, non tamen ideo putandum eam non ſolam ſine viro regnaſſe, & coniugii expertem fuiſſe. Idcirco enim regina nominatur non rex, quia reginis adhiberi ſolent eunuchi, in regionibus ad orientem ſitis. Interim de Candace, deque hoc Eunucho vide Baronium. Quod hodierni AEthiopes dicunt ſe ab illo Eunucho fidem Chriſti accepiſſe; quærendum qua ratione id probent, & an ulla vetus illius rei extet hiſtoria. Hunc Eunuchum fuiſſe proſelytum probare nititur Bellar. Lib. I. de Rom. Pont. cap. xxii. vide etiam annot. infra cap. xi. Idem ſentit ac docet Baron. tom. I. dicitque ita ſentire omnes Eccleſiaſticos ſcriptores excepto Euſebio.

V. 30. **PUTASNE INTELLIGIS QUAE LEGIS? QUI AIT: ET QUOMODO POSSUM SI NON ALIQUIS OSTENDERIT MIHI?** Hæretici huius temporis, contra manifeſtam experientiam docere non verentur, Scripturam difficultatis nihil habere, ſed ad intelligendum facilem eſſe, & quemvis chriſtianum eo ſpiritu eſſe præditum, ut ſine externo magiſterio verum Scripturæ ſenſum aſſequi queat. Sed qui hoc docent, tantum abſunt a vera Scripturarum intelligentia, quantum a ſanitate abeſt phreneticus, qui morbum ſuum non agnoſcit. His inter cetera, recte obiiciunt Catholici exemplum huius eunuchi, qui cum Scripturarum ſtudioſus eſſet, ita ut etiam in itinere in curru ſedens eas evolveret; tamen interrogatus a Philippo num ea quæ legeret, intelligeret, negavit ſe intelligere poſſe niſi aliquo oſtendente. Quanto minus homines profanos & carnales, qui de ſcripturis inter pocula diſputant, earum veram intelligentiam aſſequi putandum eſt?

V 36. & 37. **ECCE AQUA, QUIS PROHIBET ME BAPTIZARI. DICIT PHILIPPUS, SI CREDIS EX TOTO CORDE, LICET. ET RESPONDENS AIT: CREDO FILIUM DEI ESSE IESUM CHRISTUM**. Non eſt putandum ſolum hoc ei fuiſſe propoſitum ad credendum, videlicet Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei. Nam illa ſola fides ad ſalutem ſufficere non poteſt; ſed hoc ſolum exprimitur, quia erat inter omnia credenda difficillimum. Unde propter huius articuli confeſſionem maxime laudatur fides Petri, quando dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Quod autem plura ad credendum ei fuerint propoſita, ſatis apparet ex eo quod præcedit: *Et incipiens a ſcriptura iſta, evangelizavit illi Ieſum*, id eſt catechizavit eum, docens quæ de Ieſu erant credenda ut nativitatem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, &c. Nam horum doctrinam manifeſte exigebat locus Iſaiæ, quem eunuchus habebat præ manibus. Neque ex hoc loco ſequitur de ſola fide interrogandos, qui baptizantur, eo quod hic non fiat mentio mutationis vitæ; nam eunuchus iſte vir erat laudabilis converſationis, quia religionis cauſa venerat ex AEthiopia ut adoraret Ieroſolymis in templo. Itaque non egebat niſi inſtructione in fide. Item conſtat quod Philippus

Digitized by Google

pus eum inſtruxerat de Sacramento baptiſmi, quia dicebat: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?*

MARIANAE.

Verſ. I. PERSECUTIO MAGNA IN ECCLESIA facta eſt;. Græc. *in Eccleſiam*.

V. 2. CURAVERUNT. Gotth. *comportaverunt* corpus Stephani: id ſignificat συνεκόμισαν, ſeu *coll gerunt*. ET FECERUNT PLANCTUM. Id Hieronymus in funere Paulæ refert ad funus, cantus lugubres, atras veſtes, & ritus alios; alioqui in nobiliſſimo Martyris triumpho lacrymis & mœrori locus non erat.

V. 5. PHILIPPUS. Is erat e diſcipulorum numero, & diaconus unus e ſeptem, qui proxime poſt Stephanum numeratur cap. VI. nam Apoſtoli Ieroſolymæ manſerunt. Tametſi Auguſtinus dubitet Tractatu VI. in Ioan.

V. 7. MULTI ENIM EORUM, &c. Conſtructio eſt inverſa. Sic ex Græco aliqui codices ordinant: *Multorum enim habentium ſpiritus immundi clamantes voce magna exibant*. Diverſa lectio dicere videtur, eos qui habebant ſpiritus exiiſſe. Quod ad rem non eſt. Sæpe in Sacris conſtructio inverſa eſt, ne quis offendat & cadat.

V. 9. NOMINE SIMON, QUI FUERAT IN CIVITATE MAGUS. *Magi* honeſtum nomen aliquando, deinde de iis eſt dictum qui artes magicas prohibitas exercebant. Talis hic Simon erat; cum quo diu Apoſtolis concertatio fuit, ac Romæ tandem eum Petrus vicit die ſabbati, eoque in Occidente eo die ieiunabatur, ſecus quam in Oriente. De quo certamine multi Patres, tum Caſſianus Lib. III. cap. x. & Epiphanius Lib I. tom. II.

V. 10. CUI AUSCULTABANT. Græc. ᾧ προσεῖχον, *cui intendebant:* ſic Gotth. & conſtructio eſt melior, ſententia non alia. Sed *auſcultare* pro, obedire ſumi poteſt, & conſtrui cum dativo. HIC EST VIRTUS DEI, QUAE VOCATUR MAGNA. Græce, *Hic eſt virtus Dei illa magna*, id eſt a Deo habet magnam poteſtatem.

V. 12. DE REGNO DEI, IN NOMINE, &c. Græc. *Philippo evangelizanti de regno Dei, & nomine Ieſu Chriſti eum credidiſſent, baptizabantur viri*. Sic Lovan. legunt, puncta tantum in iis caſtigo.

V. 16. IN NOMINE DOMINI IESU baptizabantur, id eſt baptiſmo Chriſti, non Ioannis; nec excludit formam conſuetam. Erant ergo tantum baptizati, nec acceperant Spiritum ſanctum.

V. 21. IN SERMONE ISTO non eſt tibi pars, o Simon; pro, in re hac. *Verbum* & *ſermo* pro *re* phraſi Hebr. ſumuntur.

V. 23 IN FELLE. Græc. *in fel amaritudinis*, id eſt amarum; quaſi dicat: Video te ſupplicio gravi deſtinari. ET OBLIGATIONE INIQUITATIS, id eſt in *vinculum*, σύνδεσμον deſtinaris. Culpa pœnam ſequitur; quaſi dicat: Irretitus es peccatis, proinde fel manet tibi & ſupplicium.

V. 26. ET VADE CONTRA MERIDIANUM, id eſt ad Auſtrum. *Gaza* Ieroſolymæ Auſtralis eſt. Id Philippo Angelus dixit.

V. 27. CANDACIS eunuchus. Plinius Lib. VI. cap. XXIX. regnare ait in AEthiopia reginam Candacem, quod nomen multis ſæculis ad Reginas tranſiit. Strabo Lib. XVII. quæ ſuo tempore regnabat, Candacem fuiſſe altero oculo captam. Puto poſt reginam Saba ſusceptum, ut feminæ regnarent. Sed cur eunuchis miniſtris uterentur, dictum eſt in Gen. cap. XXXVII. 36.

MENOCHII.

Verſ. I. IN ILLA DIE, id eſt, in illo tempore. OMNES FIDELES: qui erant de Eccleſia, eos intellige, qui facile eos fugere potuerunt, nam alias latebras quæſiviſſe, & illis ſibi conſuluiſſe credendum eſt. PRAETEREA APOSTOLOS: Dei enim conſilio, & protectione manſerunt Apoſtoli Ieroſolymis, ut inibi Eccleſiam inchoatam fundarent, & firmarent, ne Iudæi eam a ſe diſperſam, & everſam eriminarentur, ſed potius ipſa ibidem ſynagogæ ſuccederet, eamque ſepeliret.

V: 2. CURAVERUNT AUTEM STEPHANUM: συνεκόμισαν, *una*, vel, *pariter curaverunt*, ſignificatur viros timoratos unanimi conſenſu, collatiſque operibus funus compoſuiſſe, & curaſſe. Porro funus curare, aut corpus defuncti, eſt illud abluere, ungere, componere, efferre, ſepelire, iuſta

ſta perſolvere. Viri timorati: εὐλαβεῖς, id eſt pii, religioſi. Planctum magnum: lacrymis proſecuti ſunt, funebrem pompam adornarunt, & exequias magna fidelium frequentia celebrarunt.

V. 3. Devastabat Ecclesiam: ἐλυμαίνετο, damnum inferebat Eccleſiæ, illam perſequebatur.

V. 4. Pertransibant]. Syrus, *perluſtrabant regionem*, peragrabant.

V. 5. Philippus: Diaconus, cuius mentio ſupra cap. vi. 5. Descendens: Ieruſalem enim altiori erat ſitu quam Samaria. In civitatem Samariae: in Samariam civitatem, quæ erat Metropolis provinciæ Samariæ.

V. 6. Intendebant: non tantum audiendo, ſed credendo.

V. 8. Factum est gaudium magnum, &c. & propter beneficium curationum, & maxime propter lumen Evangelii.

V. 9. Qui ante fuerat: & etiamnum erat, ut mox patebit, ſed exterius ſimulabat velle ſe ad fidelium cœtum adiungere. Magus: μαγεύων, magicam artem exercens, & profitens. Seducens: ſuis incantationibus, & præſtigiis. Et dicens se esse aliquem magnum: Prophetam, vel Angelum, vel Semideum, immo Deum, & Dei Filium.

V. 10. Cui auscultabant: ᾧ προσεῖχον, quem audiebant, cui operam dabant. Hic est virtus Dei, quae vocatur magna: οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη: *Hic eſt potentia Dei illa magna*; quaſi dicant, Simon eſt Dei potentia, non qualis, ſed maxima, & maxime ſublimis.

V. 11. Attendebant autem eum: προσεῖχον δὲ αὐτῷ, auſcultabant, operam dabant, & credebant ei. Propter quod: eo quod, propterea quod. Dementasset: a mente alienaſſet.

V. 12. Evangelizanti de regno Dei: prædicanti, & docenti quæ ad Eccleſiam ſpectant militantem, & triumphantem. In nomine Iesu Chrsisti: Baptiſmo a Chriſto inſtituto, in quo inter ceteras perſonas divinas invocatur nomen Filii Dei Ieſu Chriſti.

V. 13. Credidit: ſimulavit ſe credere, tum ne a ſuis diſcipulis Philippo credentibus deſereretur, tum ut poteſtatem loquendi variis linguis, & faciendi miracula acciperet, ſicut videbat eam accepiſſe Philippum, & fideles in baptiſmo.

V. 14. Miserunt ad eos Petrum, et Ioannem. Mittitur hic Petrus non tamquam minor cui iubeatur; ſed ut caput, & ſuperior, qui rogatur, ut hoc iter ad Dei gloriam, & Eccleſiæ propagationem ſuſcipiat. Mittitur autem potius Petrus quam alius, tum ut quaſi Paſtor Eccleſiæ, in eam gentem exteram recipiat; tum ut quaſi caput omnium, Samaritas uniat Iudæis, a quibus ante implacabili ſchiſmate diſſidebant. Oraverunt pro ipsis: ut ſcilicet ipſi congrue ſe diſponerent ad Sacramentum Confirmationis, utque ſuper eos viſibiliter deſcenderet Spiritus ſanctus. In quemquem illorum venerat: οὐκ ἦν ἐπιπεπτωκός, *non erat lapſus*, ſcilicet per viſibile ſignum. Sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu; quaſi dicat: Non autem erant confirmati, nec acceperant inviſibiliter Spiritum ſanctum.

V. 17. Tunc imponebant manus super illos: conferendo illis Sacramentum Confirmationis. Pecunia tua tecum sit in perditionem; quaſi dicat, Pereas & damneris o ſacrilege, cum tuis nummis ſacrilegis. Subaudi, niſi pœnitentiam agas, unde paulo poſt ad illam eum hortatur, dicens: *Pœnitentiam itaque age*]. Donum Dei existimasti pecunia possideri. Voluit Simon emere pecunia donum illud, & poteſtatem admirabilem viſibiliter conferendi Spiritum ſanctum. Possideri: acquiri, parari, κτᾶσθαι.

V. 21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. In hoc negotio, in receptione, & collatione Spiritus ſancti. Non es dignus qui inter eos admittaris, qui hanc habent poteſtatem conferendi Spiritum ſanctum. Cor enim tuum non est rectum: ſed fictum per hypocriſim, & diſtortum per avaritiam, & ambitionem.

V. 22. Si forte remittatur. Particula *Forte* ſignificat dubium eventum, & effectum remiſſionis ex dubia cauſa: erat enim incertum an eſſet acturus pœnitentiam ut oportet. Cogitatio: ἐπίνοια, id eſt *conſilium*, *conceptus*, *machinatio*. Syrus habet, *dolus*.

V. 23. In felle. amaritudinis; in felle amariſſimo. Video te plane imbutum

ve-

Digitized by Google

veneno amariſſimo peccatorum, hypocriſis, avaritiæ, ambitionis, & peccati cui tu nomen dabis, ſcilicet Simoniæ. ET OBLIGATIONE INIQUITATIS. Græce, εἰς σύνδεσμον, id eſt *in colligatione*; quaſi dicat, Video te multis peccatis, quaſi funibus, & catenis undique colligatum eſſe. Syrus, *In vinculis iniquitatis te eſſe video*.

V. 24. PRECAMINI, &c. Fingit Simon ſe pœnitere, ut penam evadat; timebat enim ne morte mulctaretur, ut Ananias, & Saphira.

V. 25. ET ILLI QUIDEM TESTIFICATI, &c. διαμαρτυράμενοι, id eſt ſuo teſtimonio confirmantes ea quæ de Chriſto prædicata fuerant a Philippo. ET MULTIS REGIONIBUS SAMARITANORUM EVANGELIZABANT: ne reditus ſuo fructu careret. Quod vulgatus interpres dixit *regionibus*, in Græco eſt vox κώμη, quæ *oppidum*, *villam*, aut, *caſtellum*, ſignificat, nec enim in Samaria erant multæ regiones, ſed ipſa unica erat regio integra, ſive provincia.

V. 26. VADE CONTRA MERIDIANUM: vade verſus Meridiem, Samaria enim unde veniebat Philippus, erat ad Septemtrionem Gazæ. HAEC EST DESERTA. *Non via*, ſed *civitas* eſt deſerta, everſa ſcilicet ab Alexandro Magno. Dicitur autem, *Hæc eſt deſerta*, ut ab alia Gaza diſtinguatur, quæ eſt circa Sogdianam regionem ex Arriano Lib. IV. vide Orthelium in theſauro geographico.

V. 27. AETHIOPS: Abyſſinus gente, religione Iudæus, proſelytus. EUNUCHUS. Non conſtat an hoc nomen ſpadonem ſignificet, an vero miniſtrum regium; nam etiam hi, licet ſecti non eſſent, Eunuchi dicebantur; cum enim reges Perſarum, Medorum, Chaldæorum, &c. propter multitudinem feminarum quas habebant, Eunuchorum miniſterio uti ſolerent, ad Gynæceorum cuſtodiam, factum eſt, ut quilibet regii miniſtri eodem nomine cenſerentur. Probabilius tamen eſt fuiſſe ſpadonem. POTENS: δυνάστης, *Princeps*. GAZAS: opes, divitias, theſauros.

V. 28. LEGENS ISAIAM PROPHETAM: ex quo confirmatur quod diximus religione Iudæum fuiſſe.

V. 30. DIXIT AUTEM SPIRITUS: per internam inſpirationem. Aliqui per Spiritum, Angelum intelligunt.

V. 30. PUTASNE INTELLIGIS QUAE LEGIS? id eſt intelligis ne quæ legis?

V. 31. OSTENDERIT: explicaverit, interpretatus fuerit.

V. 32. TAMQUAM OVIS, &c. teſtimonium hoc deſumptum eſt ex Iſai. cap. LIII. 7. ubi illud explicavimus.

V. 34. RESPONDENS: fari exorſus.

V. 35. APERIENS OS SUUM. Pleonaſmus eſt Scripturæ ad ſignificandum principium ſermonis, præſertim paulo largioris, aut libera claraque voce, aut cum præmeditatione, & circumſpectione, aut poſt longum diuturnumque ſilentium, maxime cum quis rogatus de rebus magni momenti eſt verba facturus. EVANGELIZAVIT ILLI IESUM: prædicavit, & docuit Ieſum eſſe Meſſiam, & Dei Filium.

V. 36. ECCE AQUA: modeſte baptiſmum petit; quaſi dicat, Baptiza me. *Fides plena eſt, aqua prope, baptizator præſens*, ait gloſſa.

V. 37. CREDO FILIUM DEI, &c. intelligendum eſt etiam reliqua ad ſalutem neceſſaria credidiſſe, licet hic non exprimantur. Auguſt. de fide & oper. cap. IX.

V. 39. SPIRITUS DOMINI: Angelus. RAPUIT PHILIPPUM: ſicut raptus & tranſlatus eſt Habacuc ex Iudæa in Babylonem, Dan. XIV. 35. GAUDENS: ob beneficium divinitus acceptum.

V. 40. INVENTUS EST IN AZOTO: quo ab Angelo translatus eſt. Diſtat Azotus a Gaza quadraginta circiter milliaria, eſtque una ex quinque principibus Palæſtinorum civitatibus. PERTRANSIENS: luſtrans, peragrans oram illam. CAESAREAM: Cæſaream Palæſtinæ, quæ prius dicebatur turris Stratonis. Sunt aliæ urbes alibi quæ Cæſareæ dicuntur. Vide Ortelium in theſauro geographico, qui octo, vel novem numerat.

T I R I N I.

Verſ. 1. ILLA DIE; id eſt, illo eodem tempore Iudæi continuatis in Chriſtum odiis, ingentem excitant *perſecutionem* Ieroſolymis in Chriſtianos. Dorotheus *a* dicit, cum Stephano occiſos eſſe bis mille Chriſtianos: de quibus infra *b* Paulus, *Cum occiderentur, ego detuli ſententiam.* Et hæc eſt prima perſecutio, quam Iudæi irati ho-

Digitized by Google

hoſtes Chriſti moverunt Chriſtianis. Qua occaſione non ſoli ſeniores (ut ait Euſebius,) ſed & alii fideles *omnes*, qui tuto latere non poterant, & quibus fugere commodum erat, DISPERSI SUNT PER REGIONES IUDAEAE ET SAMARIAE. Unde Nyſſenus ait, perſecutionem S. Stephani Evangelium per orbem evulgaſſe. Magdalena cum Martha & Lazaro, & Ioſepho ab Arimathia in Galliam, *e* aliis alio dilapſis. Nec omnes continuerunt ſe intra fines Iudææ vel Samariæ, ſed quidam in Phœniciam, Cyprum, immo Antiochiam uſque penetrarunt, teſte S. Luca *f* Lucius Dexter & Baronius aiunt ſupra quindecim virorum millia Ieroſolymis tum profugiſſe; & ex his plus quam quingentos ait idem Lucius *g*, in Hiſpaniam traieciſſe, ſubſecutumque biennio poſt eodem Iacobum Zebedæi, ut dixi in Chronico *b*: reliquis Apoſtolis, ut decebat primos Eccleſiæ paſtores, in ſtatione ſua Ieroſolymis adhuc perſiſtentibus, ut Eccleſiam iſtic a Chriſto fundatam, & inchoatam altius firmarent ac ſtabilirent.

V. 2. STEPHANUM vita functum CURAVERUNT; Syrus, *poſitum in arca ſepelierunt*, VIRI TIMORATI. Tigurini & Pagninus, *viri pii ac religioſi*, quorum dux fuit Gamaliel *i*, ut ipſemet revelavit Luciano Presbytero *x*, addens, cadaver a Iudæis abiectum in agrum, ut a feris & volucribus abſumeretur, die una & nocte intactum manſiſſe: ac ſecunda demum nocte per emiſſarios Gamalielis ad villam eius ſeptem leucis ab urbe Ieroſolyma diſſitam deductum, ibique ſepultum, adhibito planctu 70. dierum *l*, quod tanto præfecto, tanto patrono, tanto doctore, tanto thaumaturgo privatos ſe ſentirent. Et ſtudio auxerunt Apoſtoli pompam funebrem, ut primi & nobiliſſimi Martyris illuſtrius eſſet funus, inquit S. Hieron. *m* Et ex hoc ritu putat Baronius originem ſumpſiſſe ritus ſacros in funeribus Chriſtianorum adhiberi conſuetos, puta lotiones, unctiones, ſuffimigationes, cereos accenſos, cantum, preces, ſacrificia.

V. 5. PHILIPPUS Stephano inter Diaconos proximus *n*, eius in pietate, doctrina, zelo heres, ut ait Gloſſa, DESCENDENS Ieroſolymis IN CIVITATEM SAMARIAE *o*, (quæ metropolis erat totius provinciæ Samariæ, & ſedecim leucis diſtabat Ieroſolymis: (PRAEDICABAT Samaritis CHRISTUM. Et hi ſunt primi qui poſt Iudæos fidem Chriſti amplexi ſunt. Miſſum eo Philippum ab Apoſtolis, dubium eſſe non poteſt, & expreſſe docet S. Cyprianus. Idque ut præcepto Chriſti facerent ſatis Act. 1. 8. *Eritis mihi teſtes in omni Iudæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.*

V. 9. SIMON ANTE MAGUS, ſimulat ſe credere in Chriſtum, ut facultatem extorqueat conferendi Spiritum ſanctum. Hic ab initio iactabat SE ESSE ALIQUEM MAGNUM, non modo Prophetam, angelum, vel ſemideum, ſed ipſummet Deum, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. In perſona Patris ſe legem dediſſe in monte Sinai: in perſona Filii ſe apparuiſſe in Ieſu: in perſona Spiritus ſancti ſe linguis igneis in diſcipulos delapſum: ita S. Auguſtinus, qui addit, illum apud Iudæos ſe vocaſſe *Meſſiam*, apud Gentiles *Iovem*, ut ab utriſque haberetur Deus. Similia de illo habent S. Hieron. Irenæus, Theodoretus *q*, Epiphanius, Philaſtrius, & quotquot de hæreſibus ſcripſerunt. En primum novi teſtamenti hæreſiarcham: en antagoniſtam Simonis Petri, & ipſum dictum Simonem, a Luciſero (ſimia, ut ſolet, Chriſti) immiſſum in ovile Chriſti.

V. 12. Quomodo *in nomine Chriſti* baptizati olim fuerint, & etiamnum baptizentur fideles, alibi *r* expoſui.

V. 13. TUNC SIMON ET IPSE CREDIDIT, fide, ut apparet, ſolum naturali, & humana, fere ſicut *dæmones credunt ſ*: ET BAPTIZATUS ADHAEREBAT PHILIPPO, plus delectatus potentia Apoſtolica, quam Chriſtiana iuſtitia, inquit S. Auguſtinus *t*. Sperabat enim hac via poteſtatem nanciſci variis linguis loquendi, & vera ſolidaque miracula patrandi.

V. 14. AD Samaritas MISERUNT APOSTOLI PETRUM ET IOANNEM non imperio, ſed fraterna caritate, ut Capitulares ſubinde mittunt Epiſcopum ad aulam, inquit Caietanus. Et vero opus erat præſentia ſummi Eccleſiæ Paſtoris, ut in Eccleſiam Chriſti adlegeretur gens Samaritana, quæ implacabili ſchiſmate ante a Iudæis diſſidebat.

V. 16. NONDUM IN QUEMQUAM Samaritanorum baptizatorum VENERAT *Spiritus ſanctus*; id eſt, uberior Spiritus ſancti gratia, quam per Sacramentum Con-

firmation catchword: fir-

firmationis impertit Deus, & fere ſig[no] aliquo viſibili linguarum vel ignis prodebatur tum temporis. Ex quo patet, Philippum hunc non fuiſſe Epiſcopum, nec poteſtatem habuiſſe Apoſtolicam (ut volebat Polycrates apud Euſebium *u*) nam ſic Spiritum Sanctum per Confirmationis Sacramentum Samaritis contuliſſet, nec debuiſſet ad id exſpectari adventus Apoſtolorum Petri & Ioannis. Porro de hoc Sacramento vide quæ Bellarminus, Suarez, & alii Theologi conſcripſerunt.

V. 17. Imponebant manus super illos, ungendo ſimul eos chriſmate, id eſt balſamo & oleo ſimul commixtis, & ab Epiſcopo benedictis. Qui enim inungit, manus imponit, inquit Hugo & VValdenſis *x*. Et phraſi Hebræa *manus imponere* idem eſt quod *tangere*. Porro per hanc unctionem accipiunt fideles, ut renati in baptiſmo & nova vita donati, iam per uberiorem Spiritus ſancti illapſum, & pleniorem gratiam, fiant milites, athletæ & pugiles Chriſti, ad intrepide fidem profitendam, maxime tempore perſecutionis.

V. 19. Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Et in hunc finem offert Simon Simoni *pecuniam*, utique non exiguam. Videtur conſequenter ambiviſſe & emere voluiſſe Epiſcopatum, & veriſimiliter Samaritanum, ut in ea regione inſtar Hierarchæ & gloria præcelleret, & opibus augeretur. Unde ab hoc *Simone* quotquot, vel Epiſcopatus, vel alia beneficia Eccleſiaſtica, vel res ſacras emunt aut vendunt, *Simoniaci* vocantur, inquit Bellarminus *y*. Etſi enim in antiquo teſtamento non pauci fuerint hoc ſcelere infames, Eſau, Balaam, Giezi, Iaſon *z* immo & Annas & Caiphas. Pontificatum pretio ementes a Romanis: potius tamen a *Simone* primo novi teſtamenti ſacrilego inſtitore, ad maiorem tantæ fœditatis deteſtationem placuit Eccleſiæ nomenclaturam ſordidiſſimi criminis mutuari.

V. 20. Pecunia tua, ut eſt ſceleris tanti materia & inſtrumentum, sit tecum in perditionem; id eſt, pereas & damneris, o ſacrilege, cum tuis ſacrilegis nummis. Tradit Clemens Romanus *aa*, conſilium Diaboli fuiſſe, per hunc Simonem emiſſarium ſuum Apoſtolos pecunia delinitos & captos dono Dei privare: ſicut *bb* Adamum olim per pomum vetitum promiſſa immortalitate, & iuſtitia accepta privarat. Sed generoſior, ſed cautior fuit Adamo Petrus: cuius verba non tam imprecationem continent, quam comminationem & Prophetiam, ſeu prædictionem, inquit Beda & Gloſſa: etſi ex officio hortetur illum ad pœnitentiam ſequenti verſ. 22. Si enim fuiſſet ſeria imprecatio, ſeu efficax ſententia, perdidiſſet extemplo Simonem, ſicut perdidit Ananiam & Saphiram initio cap. v. qui tamen minus peccarant quam Simon. Voluit nempe Deus Simonem in vivis adhuc ſervari, ad maiores S. Petro contra eumdem Romæ coram Nerone Imperatore procreandos agones & triumphos, de quibus alibi *cc*.

V. 21. Non est tibi pars, neque sors in sermone, ſeu negotio, isto, puta in receptione & collatione Spiritus ſancti; quaſi dicat: Non es dignus, immo nec capax tantæ rei. Syrus legit, non est tibi sors *in fide iſta*, & eodem modo legunt S. Clemens, Ambroſius, Auguſtinus *dd*, & quidam recentiores: qui hinc colligunt, Simonem hoc fulmine excommunicatum, & ab Eccleſia expulſum fuiſſe a Petro.

V. 22. Roga Deum tibi antea per *pœnitentiam* reconciliatum, si forte remittatur tibi quoad pœnam, quod pœnitenti remiſſum fuit quoad culpam, patet ex fine verſ. 24. Sæpe enim pœnitentibus non iam cito condonatur omnis pœna, ut patuit in Davide *ee*, & tot aliis.

V. 23. Video te esse in felle amaritudinis, ſeu amariſſimo *ff*, [nempe amariſſimorum ſcelerum, non conſcientiam ſolum, ſed & Deum ipſum *gg* exacerbantium, et obligatione. Græce, *in colligatione* iniquitatis; id eſt, video te multis peccatis, quaſi funibus *hh* & catenis undique conſtrictum teneri, puta ſuperbia, avaritia, invidia, hypocriſi, magia, ſacrilegio, &c. Ioannes Mariana per *fel & obligationem iniquitatis* intelligit pœnam imminentem peccato, ut ſæpe accipitur in Scripturis *ii*; quaſi dicat: Video te gravibus ſuppliciis deſtinari.

V. 24. Precamini vos pro me, non ut culpa mihi remittatur, ſed ut nihil

iſta-

iſtarum pœnarum, quas minamini!, VENIAT SUPER ME. Poſt diſceſſum Apoſtolorum idem Simon multos Samaritanos ſeduxit, ut Irenæus *kk* ait. Clemens addit, Petrum rurſus Cæſareæ cum Simone congreſſum, diſputando conviciſſe, & in Italiam profugere compuliſſe: ubi præſtigiis ſuis Neronem Imperatorem circumvenit, donec a Petro e ſublimi aere deiectus, & quaſi contritus eſt, ut in Chronico *ll* adnotavi.

V. 26. VADE CONTRA MERIDIANUM, id eſt *Meridiem verſus*, ut Tigurini & Pagninus vertunt: IN GAZAM, olim Samſonis *mm* geſtis & morte celebrem, ſed iam *deſertam*, utpote vaſtatam & exciſam ab Alexandro Magno, teſte Curtio *nn*: nam quæ temporibus Machabæorum, Ioſephi & Hieronymi floruit, nova fuit, haud procul a veteri iuxta mare conſtructa: de qua alibi *oo* fuſius.

V. 27. AETHIOPS Abyſſinus *pp*, ubi nunc regnat Preto Ioannes: EUNUCHUS, id eſt palatinus princeps *qq potens* opibus, dignitate, auctoritate, utpote theſaurorum regiorum ſumus præfectus. CANDACIS, quod teſte Plinio, Strabone & Euſebio *rr*, commune erat nomen omnium *reginarum AEthiopiæ*, ſicut Cleopatra reginarum AEgypti. Huic reginæ volunt AEthiopes *ſſ*, nomen proprium fuiſſe *Iudich* (non *Iudith*, ut corrupte Ortelius) eamque ab Eunucho converſam ad Chriſtum, convertiſſe pariter AEthiopiam, maxime cum Matthæus Apoſtolus eo poſtea ſubmitteretur. Et ſic *AEthiopiam prævenit*, id eſt prima venit, prima extendit, *manus Deo* ad fidem, obedientiam, & cultum debitum illi præſtandum, ut dixi Pſalmo LXVII. 32. & S. Hilarius, Baſilius, & alii ibidem.

Hic VENERAT ADORARE, id eſt ſacrificium offerre *tt* IN IERUSALEM *uu*. Ex quo colligo hunc Eunuchum non fuiſſe Gentilem religione (ut vult Beda, Hugo, Caietanus, Lorinus & Sanchez) ſed *proſelytum*, ut docent Irenæus *xx*, Carthuſianus, & alii apud Baronium.

V. 29. ut & 39. per *ſpiritum* intelligitur *angelus Domini*, de quo verſ. 26. ita Hieronymus, Chryſoſt. Didymus *yy*, Salmeron, Sanchez, Caietanus & Lorinus.

V. 31. QUOMODO POSSUM INTELLIGERE QUAE LEGO, SI NON ALIQUIS peritius interpres OSTENDERIT MIHI? Quid ad hoc noſtri hæretici, qui volunt Scripturam ubique tam apertam & facilem intellectu eſſe *zz*, ut cuivis etiam idiotæ ſenſus eius per ſe pateat? Porro principis huius exemplo etiam per iter Iſaiam lectitantis, valde commendat omnibus lectionem librorum piorum Hieronymus, Ambroſ. Chryſoſt. Auguſt. *aaa* & alii Patres.

V. 37. CREDO IESUM CHRISTUM ESSE FILIUM DEI incarnatum, paſſum, redivivum, redemptorem & iudicem mundi. Et ſic in his verbis Eunuchi plena erat profeſſio omnium neceſſariorum myſteriorum fidei Chriſtianæ, etiam SS. Trinitatis. Sicut expoſtulatione baptiſmi conſtat penituiſſe de peccatis, cetera que ad iuſtitiam & ſalutem conſequendam neceſſaria probe edoctum fuiſſe, inquit S. Auguſtinus *bbb*.

V. 39. SPIRITUS DOMINI, id eſt angelus, RAPUIT PHILIPPUM, ſubitoque tranſtulit *in Azotum*, 40. milliaribus diſſitam a Gaza. Sic habes hic innovatum exemplum Prophetæ Habacuc olim ſimili modo e Iudæa Babylonem tranſlati *ccc*, inquit Chryſoſt. Oecumenius, Lyranus & alii, qui addunt, id factum partim ut Philippus apud Eunuchum pluris fieret, utpote a Deo expreſſe & ſubmiſſus & ſubductus, partim ut pluribus aliis urbibus evangelizaret verbum Dei. Dorotheus & Nicephorus & Maffeius *ddd* noſter volunt, Eunuchum hunc, poſtquam S. Matth. excepiſſet in urbe *Nadaber* (ut addit Gagneius,) Evangelum prædicaſſe etiam in Arabia, Taprobana & univerſa Erythræa, tandemque martyrio ibidem coronatum, ſepulcro eius plurimis miraculis continuo coruſcante.

V. 40. *Cæſarea* urbs primaria Palæſtinæ ad mare, antea *Turris Stratonis*, ſed ab Herode Aſcalonita in honorem Cæſaris Auguſti, cui illam dedicavit, vocata eſt *Cæſarea*. Hic Philippus domicilium ſuum habebat *eee*: hic Agrippa rex ab angelo percuſſus interiit: hic a S. Petro baptizatus Cornelius Centurio *fff*: hic vincula Paulo prædixit Agabus *ggg*: hic coram Felice, Feſto, & rege

Agrippa peroravit Paulus *bbb*. Sed de hac urbe ſæpius alibi *iii*.

(a) Doroth. in Synopſi.
(b) Actor. xxvi. 10.
(c) Euſeb. Lib. II. hiſt. cap. 1.
(d) Nyſſen. hom. de S. Stephano.
(e) Chron. cap. ult. ſub init.
(f) Actor. xi. 19.
(g) Luc. Dexter. in Chron.
(h) Chron. cap. ult. ſupr.
(i) Actor. v. 34.
(K) Lucian. in Invent. reliquiarum S. Stephani.
(l) Gen. ult. 10.
(m) Hieron. epiſt. lxxx. ad Riparium.
(n) Actor. vi. 5.
(o) III. Reg. xvi. 24.
(p) Auguſt. de hæreſ. cap. 1.
(q) Hieron. in cap. xxiv. Matthæi. Iren. Lib. I. cap. xx. Theodor. Lib. I. de Fabulis hæret.
(r) Actor. ii. 38.
(ſ) Iacobi ii. 19.
(t) Aug. in Pſal. cxxx.
(u) Euſeb. Lib. V. hiſt. cap. xxiv.
(x) Hugo de S. Victore Lib. II. de Sacram. p. 7. §. 2. Thomas Vuald. t. 2. cap. cxiii.
(y) Bellar. Lib. IV. de Notis Eccl. cap. xiii.
(z) Gen. xxv. 21. & ad Hebr. xxii. 16. Num. xxii. 7. IV. Reg. v. 20. II. Mach. iv. 8.
(aa) Clem. Lib. VI. Conſtit. cap. vii.
(bb) Dan. iii. 1.
(cc) Chron. cap. ult. in Neronis anno 12.
(dd) Clem. Lib. VI. Conſtit. cap. vii. & can. 28. Apoſtolor. Ambr. Lib. II. de Pœnit. cap. iv. Auguſt. tract. vi. in Ioan.
(ee) II. Reg. xii. 14.
(ff) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 40.
(gg) Deut. xxix. 18. & xxxii. 32. Pſal. lxviii. 22. Oſee xii. 14.
(hh) Iſaiæ v. 18.
(ii) Iob xx. 14. Ierem. viii. 14. xxiii. 15. & Thren. iii. 15.
(kk) Iren. Lib. I. cap. xx.
(ll) Chron. ſup.
(mm) Iudic. xvi. 21. 29. &c.
(nn) Curtius Lib. IV. vitæ Alex.
(oo) Ierem. xlvii. 1.
(pp) III. Reg. x. 1.
(qq) Gen. xxxvii. 36. & Iſaiæ xxxix. 7.
(rr) Plin. Lib. VI. cap. 29. Strabo Lib. XVII. Euſeb. Lib. II. hiſt. cap. 1.
(ſſ) Apud Damianum Goens cap. xvi. de Moribus Æthiopum.
(tt) Actor. vi. 4. Sophoniæ ii. 25. &c.
(uu) Levit. xvii. Deut. xii. 6.
(xx) Iren. Lib. IV. xl.
(yy) Hieron. in Iſaiæ lxiii. Didym. Lib. III. de Spiritu ſancto.
(zz) Initio proœmii ad lectorem.
(aaa) Hier. ep. xvi. de Marcella. & ep. ciii. ad Paulinum. Ambr. Ser. XXXV. & Lib. I. Offic. cap. xx. Chriſoſt. homil. xxxv. in Gen. Auguſt. Serm. CXII. de Tempore.
(bbb) Auguſt. de Fide & oper. cap. viii. & ix.
(ccc) Dan. xiv. 35.
(ddd) Doroth. in Synopſi. Niceph. Lib. II. cap. vi. & vii. Pet. Maffejus Lib. III. hiſt. Indic.
(eee) Actor. xxi. 8.
(fff) Actor. xii. 13.
(ggg) Actor. x. 2.
(hhh) Actor. xxi. 20. Actor. xxiv. xxv. xxvi.
(iii) Matt. xvi. 13. & Actor. x. 1.

GORDONI.

Verſ. 1. FACTA EST AUTEM. Hæc eſt prima generalis perſecutio in Chriſtianos, & quidem a Iudæis: in qua cum Stephano tradit Dorothæus occiſos eſſe bis mille Chriſtianos. Nec ſoli ſeniores diſperſi ſunt. Hoc anno Chriſti triceſimo quinto Magdalena cum ſociis impoſita navi ſine velo & remis venit Maſſiliam. Baron. martyrol. 22. Iulii. Lege tamen quæ de Magdalena, & Iacobi profectione in Hiſpaniam ſcribit Lucius Dexter in Chronico, quod dicavit S. Hieronymo, cui coævus fuit. Addit Lucas verſ. 1. necdum diſperſos fuiſſe Apoſtolos. Hæſerunt, ut ait hic Lucas, Ieroſolymis, & ſucceſſit Synagogæ Apoſtolorum collegium. De Iacobo infra cap. xii.

V. 2. CURAVERUNT. Scribit Lucianus de inventione Stephani, corpus Stephani obiectum iacuiſſe in agro illo die, expoſitum feris, ſed manſiſſe intactum, & nocte iubente Gamaliele aſportatum in villam Gamalielis nomine Caphargamalem, quæ aliquot miliaribus aberat Ieroſolymis. Curatum ſolito apud Iudæos planctu, qui conſueverunt mortuum lavare, ungere, ſepelire & iuſta perſolvere.

Vides hic verſ. 3. Saulum vaſtatorem novi gregis, & iuxta vaticinium Iacob, Gen. ult. lupum rapacem, ſed brevi mutandum.

V. 5. *uſque ad* 12. Philippus hic eſt diaconus ille, de quo cap. vi. 5. INTENDEBANT. Syrus explicat audiendo & credendo: quod ſatis indicant quæ inſequuntur, ubi ad numerum credentium acceſſit etiam Simon Magus, ſed (quod credibilius eſt) ficto animo, ut exitus docuit. Profitebatur iſte magicam artem, multoſque ſeducebat præſtigiis, ſe Prophetam dicens vel Angelum, & quem vulgus potentiam Dei vocabat. Hinc verſ. 11. multi ATTENDEBANT, adhærebant, credebant ei. Samaria urbs, Samariæ Provinciæ Metropolis, immo & regni Iſrael: poſtea dicta σεβαστή. Auguſta, in honorem Auguſti, iubente Herode ſeniore. Matth. x. 5. prohibuit Chriſtus adire Samariam: ſed aſcendens liberam fecit poteſtatem.

V. 12. CUM AUTEM. Utrumque regnum

Dei

Dei prædicabant Apoſtoli, nempe quæ ſpectabant ad Eccleſiam tum militantem, tum futuram in cælo. At quomodo baptizati in nomine Ieſu? Hæc quidem expreſſio eſt, ac ſi diceret non fuiſſe baptiſmum Ioannis. Ceterum hic Chriſti baptiſmus exprimebat etiam Trinitatem: nam ex Chriſti inſtitutione requiritur expreſſa invocatio Trinitatis, etiam ſub nominibus exprimentibus proprietates perſonales, & non ſolum exprimentibus actus notionales. Nec puto admittendam diſpenſationem, quam S. Thomas ſuggerit art. 6. ad 1. Ergo hoc loco, IN NOMINE CHRISTI, id eſt in fide & ex auctoritate Chriſti inſtituto baptiſmo.

V. 14. & 16. MISERUNT. Qui mitti dicitur, non ſemper eſt inferior. Filius æternus a Patre miſſus eſt in mundum. Petrus mittitur, non ut inferior, ſed rogatus ut aptiſſimus iudicatus ad rem tantam, quanta eſt viſa tota Samaria ſub his initiis. Acceperant ſacramentum Confirmationis per impoſitionem manus: licet enim per baptiſmum eſſent iuſtificati, tamen nondum acceperunt viſibili ſigno Spiritum Sanctum per Confirmationem. Cuius ſacramenti proprius effectus eſt robur Spiritus ſancti ad certandum contra peccatum. Initio quidem aliquando in baptiſmo accedebat etiam iſta receptio Spiritus Sancti, ſed non erat res propria baptiſmo.

V. 19. DICENS DATE. Deſcribitur impius conatus ſacrilegi Simonis, qui dona Spiritus Sancti volebat ſacrilega emere pecunia: inde nomen Simoniæ. Reiicitur a Petro homo ficte converſus & impurus mercator: in felle amaritudinis poſitus, ſcilicet ambitionis, avaritiæ & hypocriſis. Simulat ille verſ. 24. pœnitentiam, timens ne, ut Ananias, morte puniretur. An quia Epiſcopus eſt miniſter Confirmationis, cenſebitur ideo putabilius hic voluiſſe Simonem emere Epiſcopatum?

V. 25. & 26. ANGELUS AUTEM. Poſt peragratas Samaritanorum regiones, ſeu villas & oppida varia, Angelus iubet Philippum proficiſci verſus Gazam, quæ Samaritanis eſt verſus meridiem. HAEC EST DESERTA; id eſt, hæc civitas eſt deſerta & everſa ab Alexandro Macedone: obvia eſt euntibus a Canaan in AEgyptum. Hac redibat Eunuchus in patriam: vocatur deſerta, ut appareat diſtincta ab altera Gaza, quæ erat Navale, diſtans ab illa deſerta paucis milliaribus ſeu viginti ſtadiis & vocata Maiuma eſt: Gazam illam deſertam reddidit memorabilem factum Samſonis Iud. XVI. 3. Eunuchus hic AEthiops & Abyſſinus (ubi nunc imperat Preto-Ioannes) genere gentilis erat, ſed religione forte Proſelyta. De *Eunuchis* alibi: variis temporibus varia erant eorum munera. Hic noſter præerat Theſauro regio. *Candaces* nomen eſt non Eunuchi, ſed Reginæ. Abyſſini enim a reginis feminis regebantur, & quas vocabant Candaces, ex Euſebio Lib. II hiſt. cap. 1.

V. 28. ET REVERTEBATUR. Philippus iubetur adiungere ſe currui, monitus vel ab Angelico ſpiritu, vel ab interna inſpiratione. Qui legebatur locus habetur Iſaiæ cap. LIII. 7. Philippus aperit myſterium redemptionis per Chriſtum, baptizat, & in Azotum in Palæſtina urbem transfertur. Vide de Abacuc translato in Babylonia Dan. XIV. 35. donec inquit veniret Cæſareum (in eadem Palæſtina) quæ olim turris Stratonis dicebatur. Alia erat Cæſarea Philippi ad radices Libani. Plura de hoc Philippo & quatuor filiabus cap. XXI. In hac noſtra Cæſarea baptizatus eſt Cornelius Centurio. Ab eadem urbe dictus eſt Euſebius Cæſarienſis hiſtoricus.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Admiranda Sauli perſecutoris converſio, Domino ei apparente, & Anania ad ipſum miſſo, a quo baptizatus cœpit Damaſci acerrime tueri Ieſum eſſe Chriſtum: *diſcipuli vero ipſum demittunt per murum propter Iudæorum inſidias: quem Barnabas Ieroſolymis ducit ad Apoſtolos, unde rurſum propter inſidias dimittitur Tarſum: Petrus Lyddæ ſanat Æneam paralyticum, & in Ioppe Tabitham reſuſcitat.*

1. SAulus autem adhuc ſpirans minarum, (*a*) & cædis in di-
ſcipulos Domini, acceſſit ad Principem ſacerdotum, 2. &
petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas: ut ſi
quos inveniſſet huius viæ viros, ac mulieres, vinctos per-
duceret in Ieruſalem. 3. (*b*) Et cum iter faceret, con-
tigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubito circumfulſit
eum lux de cælo. 4. Et cadens in terram audivit vocem
dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? 5. Qui
dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: du-
rum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. 6. Et tremens, ac ſtupens dixit:
Domine, quid me vis facere? 7. Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere
civitatem, * & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui
comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem
autem videntes. 8. Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil
videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum. 9. *
Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit. 10.
Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias: & dixit ad illum
in viſu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine. 11. Et Dominus
ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus: & quære in domo
Iudæ Saulum nomine Tarſenſem: ecce enim orat. (12. Et vidit virum Ana-
niam nomine, introeuntem, & imponentem ſibi manus ut viſum recipiat.)
13. Reſpondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta
mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem: 14. & hic habet poteſtatem a princi-
pibus ſacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. 15. Dixit au-
tem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet
nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael. 16. Ego enim o-
ſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. 17. Et abiit Ana-
nias, & introivit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater,
Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas,
& implearis Spiritu ſancto. 18. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tam-
quam ſquamæ, & viſum recepit: & ſurgens baptizatus eſt. 19. Et cum ac-
cepiſſet cibum, confortatus eſt. Fuit autem cum diſcipulis, qui erant Dama-
ſci, per dies aliquot. 20. * Et continuo in ſynagogis prædicabat Ieſum, quo-
niam hic eſt Filius Dei. 21. Stupebant autem omnes qui audiebant, & dice-
bant: Nonne hic eſt, qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui invocabant no-
men iſtud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes ſacer-
dotum? 22. Saulus autem multo magis convaleſcebat, & confundebat Iudæos,
qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus. 23. Cum autem
im-

Digitized by Google

implerentur dies multi, * conſilium fecerunt in unum Iudæi ut eum interfi-
cerent. 24. Notæ autem factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum. (c) Cuſtodiebant
autem & portas die ac nocte, ut eum interficerent. 25. * Accipientes autem
eum diſcipuli nocte, per murum dimiſerunt eum, ſubmitterentes in ſporta.
26. Cum autem veniſſent in Ieruſalem, tentabat ſe iungere diſcipulis, &
omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus. 27. Barnabas au-
tem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos: & narravit illis quomodo in via
vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiduciali-
ter egerit in nomine Ieſu. 28. Et erat cum illis intrans & exiens in Ieruſa-
lem, & fiducialiter agens in nomine Domini. 29. Loquebatur quoque Genti-
bus, & diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. 30. Quod
cum cognoviſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum.
31. Eccleſia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam, habebat
pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione ſancti
Spiritus replebatur. 32. Factum eſt autem, ut Petrus * dum pertranſiret uni-
verſos, deveniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ. 33. Invenit autem ibi
hominem quemdam, nomine AEneam, ab annis octo iacentem in grabato,
qui erat paralyticus. 34. Et ait Petrus: * AEnea, ſanat te Dominus Ieſus
Chriſtus: ſurge, & ſterne tibi. Et continuo ſurrexit. 35. Et viderunt eum
omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronæ: qui converſi ſunt ad Dominum.
36. In Ioppe autem fuit quædam diſcipula, nomine Tabitha, quæ interpre-
tata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas fa-
ciebat. 37. Factum eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam
cum laviſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. 38. * Cum autem prope eſſet Lyd-
da ad Ioppen, diſcipuli audientes quia Petrus eſſet in ea, miſerunt duos vi-
ros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire uſque ad nos. 39. Exurgens au-
tem Petrus venit cum illis. Et cum adveniſſet, duxerunt illum in cœnacu-
lum, & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas
& veſtes, quas faciebat illis Dorcas. 40. Eiectis autem omnibus foras, Petrus
ponens genua oravit: & converſus ad corpus, dixit: Tabitha, ſurge. At illa
aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit. 41. Dans autem illi manum, ere-
xit eam. Et cum vocaſſet ſanctos, & viduas, aſſignavit eam vivam. 42.
Notum autem factum eſt per univerſam Ioppen: & crediderunt multi in Do-
mino. 43. Factum eſt autem, ut dies multos moraretur in Ioppe, apud Si-
monem quemdam coriarium.

(a) Gal. I. 17. (b) Inf. xxii. 6. I. Cor. xv. 8. II. Cor. xii. 2. (c) II. Cor. xi. 32.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 7. Et ibi dicetur tibi. Correctores addiderunt adverbium *ibi*.

Verſ. 9. Et erat ibi tribus diebus. Correctores iudicarunt non auferendum adverbium *ibi*.

Verſ. 20. Et continuo in ſynagogis prædicabat Ieſum. Adverbio *continuo* non ſubiicias *ingreſſus*, nec mutes ablativum *Synagogis* in accuſativum.

Verſ. 23. Conſilium fecerunt in unum Iudæi. Non facile omittas *in unum*.

Verſ. 25. Accipientes autem eum diſcipuli nocte. Non addas pronomen *eius* nomini *diſcipuli*.

Verſ. 32. Dum pertranſiret univerſos. Non eſt auferenda præpoſitio *per* ex verbo *pertranſiret*.

Verſ. 34. AEnea, ſanat te Dominus Ieſu Chriſtus. Præſens indicativi *ſanat* non eſt vertendum in præſens imperativi ſanet.

Verſ. 38. Cum autem prope eſſet Lyda ad Ioppen. Alii mutata præpoſitione, ſcribunt ablativum *ab Ioppe*: parvo diſcrimine.

COM.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. SPIRANS, &c. id eſt minitans cædem diſcipulis, &c.

V. 2. VIAE, id eſt inſtituti,

V. 5. DURUM, id eſt damnoſum.

V. 7. CUM EO; pro, eum. VOCEM, ſcilicet Pauli, non Chriſti. Vide cap. XXII.

V. 8. NIHIL. Græc. *neminem*. TRAHENTES, id eſt ducentes.

V. 10. ECCE EGO, id eſt eccum me.

V. 14. HIC, id eſt hoc loco. NOMEN TUUM, id eſt te.

V. 15. VAS ELECTIONIS, id eſt inſtrumentum electum. PORTET NOMEN MEUM, id eſt me prædicet.

V. 17. VIDEAS, ἀναβλέψῃς, id eſt *viſum recipias*.

V. 20. IESUM. Græc. *Chriſtum*.

V. 23. DIES MULTI, ſcilicet poſt reditum ex Arabia, ſecundum quoſdam. Vide Gal. I. IN UNUM, id eſt ſimul, ſeu inter ſe.

V. 27. IN NOMINE IESU, id eſt prædicans ieſum.

V. 28. INTRANS, ET EXIENS, id eſt *converſans*, Hebr.

V. 29. GENTIBUS. Id non eſt Græce nec Syr. GRAECIS. Syr. *Iudæis qui ſciebant Græce*. Vide ſup. cap. VI.

V. 30. FRATRES. Sic olim Chriſtiani vocabantur.

V. 32. PERTRANSIRET, id eſt viſitaret.

V. 35. SARONAE. Civitatem quidam putant; alii regionem.

V. 36. DORCAS, id eſt *Caprea*.

V. 38. PIGRITERIS, id eſt graveris.

V. 41. SANCTOS, id eſt fideles: ſic etiam vocabantur Chriſtiani, quaſi ad ſanctitatem vocati, vel ſanctitatem profeſſi.

V. 42. IN DOMINO. Græc. *in Dominum*.

E S T I I.

Verſ. 1. SAULUS ADHUC SPIRANS MINARUM, &c. Pro pleniori intelligentia huius loci vide cap. XXII. & XXVI. ubi quædam dicuntur, quæ hic non habentur, maxime de perſecutione eius, cap. XXVI. notanda. Converſio Pauli accidit ſecundo poſt aſcenſionem Domini anno, ut teſtatur martyrolog. Rom. & Baron. tom. I. Annal. ACCESSIT AD PRINCIPEM SACERDOTUM, ET PETIIT AB EO EPISTOLAS IN DAMASCUM AD SYNAGOGAS, UT SI QUOS INVENISSET ..... VINCTOS PERDUCERET IN IERUSALEM. Notanda auctoritas ſummi ſacerdotis in his, quæ ad religionem Iudaicam pertinebant, ut etiam in civitate alieni iuris (nam Areta rex præerat Damaſco, II. Cor. XI.) ſineretur perquirere viros ac mulieres Iudæos exoſæ religionis, & vinctos adducere in Ieruſalem. Annot. hoc Baron. dicto tom. I.

V. 4. AUDIVIT VOCEM DICENTEM SIBI: vidit etiam loquentem. Quod quamvis hic tacetur, alibi tamen aperte dicitur: nam hoc cap. Ananias ſic ad eum loquitur: *Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via*. Et Barnabas narrabat de Paulo, quomodo in via vidiſſet Dominum. Et cap. XXII. *Deus præordinavit te ut videres iuſtum, & audires vocem ex ore eius*. Et cap. XXVI. ipſe Dominus ad Saulum: *Ad hoc enim apparuit tibi, ut conſtituam te miniſtrum*, &c. Et ipſe ibidem ad Agrippam: *Non fui incredulus cæleſti viſioni*. Quin & hoc loco cum dicitur de comitibus eius, quod *ſtabant ſtupefacti audientes quidem vocem, neminem autem videntes*, ſatis ſignificatur a Saulo viſum fuiſſe aliquem. Hoc ipſe Apoſt. diſerte affirmat I. Cor. IX. dicens: *Nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi?* & XV. *Noviſſime omnium tamquam abortivo viſus eſt & mihi*. Non enim reſpexit his verbis ad illam viſionem quam ſibi Ieroſolymam reverſo contigiſſe narrat apud populum Act. XXII. Ea enim viſio fuit exſtatica, ut ibidem ipſe fatetur. Neque ad raptum in paradiſum & in tertium cælum; de quo II. Cor. XII. Hic enim raptus utrum in corpore an extra corpus ſibi acciderit, neſcire ſe dicit. At I. Cor. XV. palam ſe iis annumerat, qui Chriſtum a reſurrectione viderunt oculis corporeis. Igitur in Paulo exce-

exceptionem patitur illa regula, quam ſtatuit Rupert. Lib. II. de operibus Spiritus ſancti cap. xxvii. dicens, hunc eſſe pene naturalem manifeſtationis Chriſti modum, ut a nullo umquam bene & utiliter viſus aut videndus ſit exterius, a quo non prius per fidem aut dilectionem viſus fuerit interius. Eſt etiam manifeſta exceptio in Thoma, qui credidit quia vidit. Nec dubium quin Iudæorum multi non prius in eum crediderint, quam illum vidiſſent oculis, & ſermones eius audiſſent. Certe Matthæus non prius credidit, quam vidit & audivit dicentem: *Sequere me*. Latro prius vidit, quam converſus eſt. Et Ioan. viii. ſic dicitur: *Hæc illo loquente multi crediderunt in eum*. Nec dubium quin id paſſim acciderit eo docente & prædicante evangelium; adeo ut qui miſſi fuerant ad eum comprehendendum Ioan. vii. eo viſo & audito repente fuerint mutati. Ac ſane illa Ruperti regula non parum detrahit efficaciæ, benigniſſimo vultui & ſermonibus Chriſti, quaſi per eos nemo fuerit converſus, ſed quicumque in eum credidit ac dilexit, iam prius quam illum coram videret & audiret, crediderit ac dilexerit. Ceterum *audivit*, non e cælo empyreo, ſed ex aere vicino. Quamvis enim Chriſto poſſibile fuerit, ſe conſpiciendum dare Paulo, & audiendum e ſummo cælo, ſicut Stephano conſpiciendum dedit (ſcribit enim de eo Lucas ſup. cap. vii. quod *intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem a dextris Dei: & ait, Ecce video cælos apertos &, filium hominis ſtantem a dextris Dei:*) tamen hoc loco contextus, & ſeries hiſtoriæ aliud vult intelligi; præſertim cum hic non dicatur, quod cælos apertos viderit, & Ieſum a dextris Dei ſtantem, aut aliquid tale, ex quo colligi poſſet, quod eum viderit & audiverit e ſummo cælo loquentem. Vide de hac re noſtram quamdam orationem, quæ inter impreſſas eſt undecima, & comment. locis ſupra citatis. Saule, Saule quid me perſequeris? Græce *Saul*, *Saul*, *quid*, &c. ubi is qui loquitur, Dominus Ieſus, non obſcure ſignificat ſuæ perſonæ typum præceſſiſſe in Davide, quem Saul Hebræi populi princeps tanta odii pertinacia perſecutus fuiſſe legitur. Infra cap. xxvi. dicit ſe audiviſſe vocem hebraice dicentem ſibi, *Saule*, *Saule*.

V. 5. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Iſta verba non habentur eodem ordine Act. xxvi. ubi eadem hiſtoria a Paulo narratur coram Agrippa; ſed & ibi alia quædam verba leguntur, quæ hic non ſunt. Unde diſcimus neque ex compoſito hæc ſcripta eſſe a Luca, cum in diverſis locis ſit verborum diſcrepantia; neque ad verbum ſemper res geſtas & dictas narrari, ſed ſecundum ſenſum; & quæ uno loco tacentur alio loco ſuppleri. Vide & confer hæc tria loca Act. ix. 22. & 26. Hinc etiam diſce Paulum compulſum fuiſſe ad fidem, quia ſcilicet proſternitur in terram, & quaſi ſtimulo pungitur. Notandum hoc eſſe contra hæreticos monet B. Thomas in I. Cor. xv. lect. 1. Et Auguſt. epiſt. 1. hoc argumento utitur contra Donatiſtas, ut doceat recte compelli hæreticos ad Eccleſiam. Item hoc exemplo probatur, quod Deus noſtram iuſtificationem a timore incipiat, Auguſt. epiſtola 1. ad Bonifacium.

V. 6. Domine quid me vis facere? Et Dominus ad eum: surge et ingredere civitatem, et dicetur tibi, quid te oporteat facere. Paulus tametſi externo miraculo, & externa voce ipſius Chriſti, ad fidem Chriſti converteretur; tamen iubetur ingredi civitatem & ibi diſcere, quid ipſum oporteat facere. Potuit quidem Dominus, qui eum tam evidenti & efficaci miraculo convertit, etiam eodem inſtanti in fide inſtruere & docere quæcumque ad pietatem eſſent neceſſaria; ſed ad hominum miniſterium remiſit, ut nemo alius dedignaretur humano magiſterio inſtrui, quando ipſe doctor gentium iuſſus eſt ab homine catechizari. Civitas autem eccleſiam ſignificat; unde & Apoſtolis dictum eſt: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Itaque ſignificatur neque extra eccleſiam quærendum eſſe magiſtrum fidei; neque extra eam exſpectandum Spiritum ſanctum. Sed quomodo cum hoc loco conſentit, quod Apoſtolus Gal. 1. de ſuo evangelio dicit: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; ſed per revelationem Ieſu Chriſti?* Reſp. Prima fidei rudimenta, quæ omnibus catechizandis ſolebant proponi, accepit quando baptizatus eſt, more aliorum catechumenorum. Ceterum profundiora Chriſtianæ religionis myſteria immediate a Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto edoctus eſt, eo fortaſſe tempore, quando raptus in tertium cælum audivit etiam alia arcana, quæ non licet homini loqui. De qua re vide comment. Gal. 1. & II. Cor. XII.

V. 7. STABANT STUPEFACTI, AUDIENTES QUIDEM VOCEM, NEMINEM AUTEM VIDENTES. Sic Dan. IX. de comitibus Danielis dicitur: *Vidi ego ſolus Daniel viſionem. Porro viri erant mecum, non viderant, ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum*. Ubi ſignificatur, quod audiverit vocem confuſam, de qua præcedit: *Et vox ſermonum eius ut vox multitudinis*. Facit hoc ad conciliandum locum hunc, cum eo qui eſt Act. XXII. vide ibi.

V. 9. ET ERAT TRIBUS DIEBUS NON VIDENS. An hoc triduo viderit Paulus myſteria arcana de quibus II. Cor. XII. vide Baron. tom. I. Annal. & noſtra in comment. II. Cor. XII. & Gal. I.

V. 10. NOMINE ANANIAS. De Ananiæ prædicatione Evangelii & martyrio, vide Martyr. Romanum 25. Ianuarii. Beda in Lucam cap. LXIX. innuit Ananiam fuiſſe ſacerdotem.

V. 15. QUONIAM VAS ELECTIONIS. Duplex Hebr. phraſis. Nam & *vas* pro inſtrumento, ſicut ſæpiſſime in veteri teſtamento, & vaſa belli, pro armis bellicis: & vaſa tranſmigrationis, id eſt ſupellex cum qua tranſmigratur, & vas interfectionis, id eſt telum ad interficiendum, ut gladius, &c. & genitivus abſtracti pro nominativo concreti ponitur. Senſus igitur eſt: quia iſte mihi erit inſtrumentum ſeu organum electiſſimum, aptiſſimum, qui nomen meum annunciet omni hominum generi; vel inſtrumentum a me electum ad hoc ut portet nomen meum, &c.

V. 17. ET IMPONENS EI MANUS DIXIT: SAULE FRATER, DOMINUS MISIT ME, UT VIDEAS ET IMPLEARIS SPIRITU SANCTO. Hic non ſignificatur, quod Saulus per impoſitionem manuum Ananiæ fuerit impletus Spiritu ſancto. Nam Ananias cum non eſſet Epiſcopus, poteſtatem non habebat impoſitionis manuum ad accipiendum Spiritum ſanctum, ut intelligi poteſt ex cap. proxime præcedenti de Philippo. Deinde ad illum effectum manus non debuit imponi ante baptiſmum. Sed impoſitio manuum facta eſt tantum ad hoc, ut viſum Saulus reciperet. Ita enim ſupra dicitur: *Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem & imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat*. Fuit enim hæc impoſitio manuum eiuſmodi, de qua Dominus Marci ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et implearis Spiritu ſancto*, ad baptiſmum referendum eſt: propter duo enim miſſus erat ad Saulum Ananias, nempe ut viſum reciperet, quod per manuum impoſitionem factum eſt; & ut impleretur Spiritu ſancto, quod baptiſmo ei collatum eſt. Nam & ipſe Ananias, ut habetur cap. XXII. poſtquam per impoſitionem manuum Saulo viſum reſtituiſſet, dixit ei: *Surge, & baptizare, & ablue peccata tua*. Non ergo ita adhuc Spiritum ſanctum acceperat Saulus, ut opinione Ananiæ baptiſmo ad abluenda peccata non egeret.

V. 25. PER MURUM DIMISERUNT EUM SUBMITTENTES IN SPORTA. Fugit Apoſtolus iuxta præceptum Domini, *ſi vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Quod autem dicitur Ioan. X. de mercenario qui videt lupum venientem & fugit, intelligendum eſt de lupo invadente oves, & de fuga non tam corporali, per quam interdum magis conſulitur ovibus, quam mentali, qua nimirum ob metum quis ceſſat ea facere ac dicere, quæ pertinent ad ſalutem ovium. Nihil tale Paulus; ſed ad tempus ſubtraxit ſe corporaliter propter perſecutionem, qua ipſe ſingulariter impetebatur; cum non deeſſent alii, per quos neceſſaria miniſteria populo exhiberentur; atque interim ipſe alibi oves Chriſti ſua prædicatione colligebat, & eccleſias fundabat. Non enim erat peculiariter paſtor ſeu Epiſcopus Damaſcenorum, ſed Apoſtolus Chriſti ad prædicandum quaquaverſum infidelibus Evangelium Chriſti; cui officio Apoſtolico exequendo perſecutio eius & fuga maiorem occaſionem dederunt. Ita fuga utebantur in bonum Eccleſiæ. Quin & ſatis liquet Paulum non ſponte fugiſſe, quaſi metuiſſet ſibi ab inſidiis Iudæorum, ſed diſcipulorum, id eſt fidelium, conſilio acquieviſſe, ut ſineret ſe dimitti per murum, ſicque evaderet inſidias & periculum. Similiter, Ieruſalem cum veniſſet, & illic quoque Iudæi eum quærerent occidere; fratres re cognita deduxerunt eum Cæſaream. Agebat hoc pia ſollicitudo fidelium pro Paulo, alioqui mori parato; ne tam electum vas & inſtrumentum propagandæ fidei, & ſtatim

ſtatim in initio opprimeretur; eaque in re ſubſerviebant divino conſilio. Nota Chriſtianos modo diſcipulos, modo fratres vocari.

V. 26. & 27. NON CREDENTES QUOD ESSET DISCIPULUS. BARNABAS AUTEM APPREHENSUM ILLUM DUXIT AD APOSTOLOS. Non prius ergo diſcipuli auſi ſunt ſe ſecure committere Paulo fidei magiſtro, quam probata eius doctrina fuiſſet ab Apoſtolis; ſicut ipſe ad Gal. II. teſtatur ſe, divina revelatione admonitum, aſcendiſſe Ieroſolymam, & contuliſſe cum Apoſtolis Evangelium ſuum; ne forte in vacuum curreret. Unde Auguſt. Lib. XXVIII. contra Fauſtum cap. IV. Ipſe Paulus Apoſtolus, inquit, poſt Aſcenſionem Domini de cælo vocatus, ſi non inveniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, eiuſdem ſocietatis eſſe appareret; Eccleſia illi omnino non crederet. Sed cum cognoviſſet eum hoc an nunciantem, quod etiam illi annunciabant, atque in eorum communione & unitate viventem; accedentibus etiam per eum talibus ſignis, qualia & illi operabantur, ita eum Domino commendante; meruit auctoritatem, ut verba illius hodie ſic audiantur in Eccleſia, tamquam in illo Chriſtus, ſicut ipſe veriſſime dixit, locutus audiatur. Vide comment. loco citato.

V. 28. ET ERAT CUM ILLIS INTRANS ET EXIENS IN IERUSALEM. *Intrans & exiens*; phraſi hebræa, pro eo quod eſt converſans cum eis, frequentans eos.

V. 29. LOQUEBATUR QUOQUE GENTIBUS ET DISPUTABAT CUM GRAECIS. *Gentibus* non eſt in græco. Veriſimile eſt ex alia verſione, quæ pro *græcis* poſuerit *gentibus* huc ad priorem locum tranſlatum eſſe. Nam & noſter interpres græcam vocem aliquando gentiles interpretatur; tametſi proprie græcos ſignificet, ſive (ut dicam) græciſtas, ἑλληνιστάς. Intelligit autem non gentiles, ſed Iudæos in Græciæ partibus natos, quaſi qui aliquid de græcorum indole ex loco nativitatis traxerint. Tale enim quid innuere videtur vocabulum ἑλληνιστὴν: quamquam forte ob ſolam linguam græcam, qua utebantur, ſic a Luca vocantur. Nam græce loqui, eſt ἑλληνίζειν λαλεῖν. Gentiles non fuiſſe ſatis liquet; tum quia nondum cœperant Apoſtoli gentibus prædicare Evangelium, tum quia gentiles diſputatores in Paulum non tanto odio ſtatim exarſiſſent, ut eum ad mortem quærerent; quod de his legimus. Sequitur enim: ILLI AUTEM QUAEREBANT EUM. Similiter Græci intelliguntur Act. VI. ubi dicitur ortum murmur Græcorum adverſus Hebræos. Nam & ibi legitur τῶν ἑλληνιστῶν, & infra cap. XI. Vide Bellar. Lib. I. cap. XXII. de Rom. Pontif. bene explicantem ex Chryſoſt. & Occumenio, qui hic græci dicantur.

V. 31. ET CONSOLATIONE SANCTI SPIRITUS REPLEBATUR. Ita impleta eſt promiſſio Chriſti Ioan. XIV. *Et alium paracletum* (id eſt conſolatorem) *dabit vobis*.

V. 32. FACTUM EST AUTEM, UT, DUM PETRUS PERTRANSIRET UNIVERSOS. De hoc loco vide Baron. Lib. I. annal. DEVENIRET AD SANCTOS QUI HABITABANT LYDDAE. Huius civitatis etiam fit mentio I. Machab. XI. Dicunt eamdem eſſe, quæ olim vocabatur Rama; poſtea vocata fuit Dioſpolis. In ea celebrata fuit ſynodus contra Pelagium; quæ paſſim Palæſtina a patribus appellatur, interdum Dioſpolitana. Vide Hieron. epiſtola LXXIX. & in commentario ſuper Abdiam, & præfatione comment. ſuper Ionam. Item Theodoretum Lib. I. hiſt. eccleſ. cap. V. ubi teſtatur Lyddam poſtea vocatam Dioſpolim. Idem habetur in epiſtola Luciani presbyteri de inventione S. Stephani.

V. 36. QUAEDAM DISCIPULA NOMINE TABITHA. S. Thomas ſuper Epheſ. III hanc vocat beghinam S. Petri: ſi tamen hoc non eſt a quopiam adiectum eius commentario. QUAE INTERPRETATA DICITUR DORCAS, id eſt Caprea. *Tabitha* ſyrum vocabulum eſt, ſignificans damulam vel capream. HAEC ERAT PLENA OPERIBUS BONIS, ET ELEEMOSYNIS, QUAS FACIEBAT. Non diceret Lucas eam plenam fuiſſe operibus bonis ſi nulla eſſent hominis opera bona, ſed omnia immunda & aſperſa labe concupiſcentiæ. Nam ita perinde eſſet atque ſi diceret, eam plenam fuiſſe immundis & contaminatis operibus. Deinde cum Scriptura ſacra utriuſque teſtamenti tam frequenter opera iuſtitiæ commendet; mirum eſt reperiri, qui ex Scriptura ſtatuere velint, opera ad iuſtitiam non pertinere, ſed eſſe prorſus indifferentia; aut quod peius eſt, eſſe quædam iuſtitiæ impedimenta. Præterea exemplum huius ſanctæ te-

feminæ a mortuis reſuſcitatæ interpellatio ne pauperum, qui de eius eleemoſynis acceperant; oſtendit illud ſapientis: *Eleemoſyna a morte liberat*, non tantum de morte æterna veritatem habere, verum etiam de temporali.

V. 43. FACTUM EST AUTEM UT DIES MULTOS MORARETUR IN IOPPE; non otioſus, ſed ſedulo propagans Evangelium, & miniſtros Eccleſiæ conſtituens, qui credentes baptizarent, & cetera miniſteria Eccleſiaſtica peragerent.

MARIANAE.

Verſ. 1. SPIRANS MINARUM, id eſt *ſpirans* (animo verſans) minas & cædes in diſcipulos Saulus.

V. 3. SAULE, SAULE. Geminatur vox, ad deſignandum gradum in quo erat, & ad quem aſſumebatur; quomodo Samuel, Moyſes, & Abraham ſunt vocati. Sic non nemo ait.

V. 5. DURUM EST TIBI, id eſt fruſtra. CONTRA STIMULUM. Terentius in Phorm. Act. 1. ſcen. 11. *Contra ſtimulum calces*, de eo qui fruſtra potentiori reſiſtit.

V. 6. ET TREMENS, AC STUPENS DIXIT: DOMINE, QUID ME VIS FACERE? ET DOMINUS AD EUM. Totum hoc in Syr. non eſt, in Regia Græc. obelo notatur. Paulus Act. XXII. 10. ubi ſuam converſionem refert, nil de hoc; ne in Goth. quidem eſt: ideo quidam quaſi adſcititium reiiciunt. Nobis Vulgatæ Romanæ fides ſit potior.

V. 7. SURGE. Græc. *ſed ſurge*: ſic Goth. & Syr. Nimirum ſublatis verbis ſuperioribus, ſic opus eſt ut connectantur quæ ſequuntur cum verbo *calcitrare*.

V. 9. AD MANUS AUTEM ILLUM TRAHENTES, id eſt eius manu apprehenſa ducentes: id ſignificat χειραγωγοῦντες.

V. 11. SURGE, ET VADE. Græc. *Surgens vade*: ſic Goth. Id Deus Ananiæ.

V. 12. ET VIDIT VIRUM. Græc. additur ἐν ὁράματι, *in viſione*, ſuntque verba non Dei, ſed Evangeliſtæ, & legenda per parentheſim, ut in correctis libris notatur.

V. 25. SAULUS AUTEM MULTO MAGIS. *Multo* non eſt Græc. nec Gotth. ſed tantum *magis clamabat*, *& confundebat Iudæos*. AFFIRMANS, ſeu *confirmans*, ſcilicet teſtimoniis Scripturæ, quod is eſſet Meſſias.

V. 28. INTRANS ET EXIENS, id eſt converſans Saulus cum Apoſtolis. ET FIDUCIALITER AGENS, ſeu *loquens*: παῤῥησιαζόμενος utrumque ſignificat.

V. 30. LOQUEBATUR QUOQUE GENTIBUS. Vox *Gentibus* Græc. Syr. & Goth. non eſt, & videtur redundare; nondum enim de Gentium converſione agebatur. ET DISPUTABAT CUM GRAECIS. Iudæi erant, ſed ex Græcia, & gnari eius linguæ.

V. 36. DORCAS, id eſt *Caprea*: id *Tabitha* ſignificat lingua Chald. & Syr. qua Hebræi eo tempore vulgo utebantur; mortuam ſuſcitavit Petrus.

V. 39. ET OSTENDENTES EI. *Ei* non eſt Græc. nec Goth. ſed bene ſuppletur: ſupplet Syr. Quid oſtendebant? veſtes quas faciebat Dorcas viduis.

V. 43. SIMONEM QUEMDAM CORIARIUM, qui pelles macerat, *Curtidor*. Apud hunc manſit Petrus in Ioppe diebus multis. Vide modeſtiam Petri, quo utebatur hoſpitio.

MENOCHII.

Verſ. 1. ADHUC; quaſi dicat: Nec dum ſuam ſæviriam, & aviditatem ſanguinis Chriſtiani expleverat nece Stephani, & aliorum Chriſtianorum, quos trahebat ad vincula, & tribunalia, cap. VIII. 2. SPIRANS MINARUM, ET CAEDIS: minas, & cædem proloquens, & eructans minas inferendæ mortis.

V. 2. IN DAMASCUM: eo quod multos ex diſperſis in nece Stephani eo confugiſſe audiſſet. AD SYNAGOGAS: quibus ex regis Damaſci conceſſione permittebatur, ut ſuæ gentis hominibus iis dicerent: vide III. Reg. XX. 34. *Fac tibi plateas*, &c. HUIUS VIAE VIROS, id eſt huius inſtituti, ſcilicet Chriſti ſectatores. CIRCUMFULSIT EUM LUX DE CAELO, licet eſſet meridies, ut ipſe Paulus teſtatur infra cap. XXII. 6. Magna vis ſplendoris, quæ meridianam lucem vicit. Hanc lucem ſpargebat glorioſum Chriſti corpus.

V. 4. ET CADENS IN TERRAM: percul-

fus,

Digitized by Google

ſus, & quaſi ſideratus a luce Chriſti fulgurante. AUDIVIT VOCEM: Hebraica lingua, ut refert Paulus infra XXVI. 14. & XXII. 9. aſſerit ſe ſolum hanc vocem audiviſſe, non autem comites ſuos. QUID ME PERSEQUERIS? Corpus enim myſticum Chriſti eſt Eccleſia, membra autem fideles ipſi, quos qui perſequitur, Chriſtum perſequitur.

V. 5. QUIS ES DOMINE? Videbat Chriſtum, ſed confuſe, interrogat ergo quiſnam ſit. Vidiſſe Chriſtum habemus infra verſ. 17. & 27. DURUM EST TIBI CONTRA STIMULUM CALCITRARE. Adagium ſumptum a bobus cervicoſis, quia contra ſtimulum quo punguntur, ſuo damno calcitrant; magis enim ſtimulum induunt, & alius fodiuntur. Significat Chriſtus Paulum hactenus contra ſe, quaſi ſtimulum calcitraſſe; ſtimulis enim miraculorum, & prædicationis Stephani, & aliorum, mentem Sauli pupugerat, & ad ſanitatem revocare ſtuduerat Dominus.

V. 6. TREMENS AC STUPENS: ad tantam lucem, vocem increpantem, maieſtatem, & potentiam, qua ſe in terram deiectum videbat. DOMINE QUID ME VIS FACERE? Sunt verba animi plane compuncti, & ſe totum Dei voluntati permittentis.

V. 7. CIVITATEM: Damaſcum.

V. 8. AD MANUS TRAHENTES: manu ducentes, ut cæci ſolent.

V. 9. ET NON MANDUCAVIT, NEQUE BIBIT: orationis, & pœnitentiæ cauſa.

V. 10. ANANIAS: fuit hic inter fideles inſignis, ait S. Chryſoſtomus, immo ipſe Paulus infra cap. XXII. 12. IN VISU: fortaſſe tempore nocturnæ quietis. ECCE EGO: ecce me, paratus ſum capeſſere tua iuſſa.

V. 11. ECCE ENIM ORAT; quaſi dicat: Ne timeas adire Saulum paulo ante perſecutorem Eccleſiæ, iam enim ex lupo factus eſt agnus, & nunc vacat orationi.

V. 12. ET VIDIT VIRUM, &c. Hic verſus parentheſi includitur, continet enim verba, non Chriſti loquentis ad Ananiam, ſed Lucæ hiſtorici referentis quid oranti Saulo oſtenſum ſit, eo tempore quo ad ipſum Ananias mittebatur. Ideo autem Saulo hæc viſio oblata eſt, ut mox veniente Anania, ex eius voce, & ſpecie, quam in viſione viderat, ab eo illuminatus eum agnoſceret, & reciperet quaſi a Deo ſe miſſum.

V. 13. QUANTA MALA: quam multa, & quam gravia mala. SANCTIS TUIS: fidelibus tuis: vide infra verſ. 32.

V. 15. VAS ELECTIONIS EST MIHI ISTE: vas electum, eximium inſtrumentum amplificationis Evangelii. Hebræi quodlibet inſtrumentum vocant vas, ideoque *vaſa belli*, *vaſa cantici*, *vaſa mortis*, ſunt ipſis arma bellica, muſica inſtrumenta, tela mortem afferentia. UT PORTET NOMEN MEUM: factus præco Evangelii.

V. 16. EGO ENIM OSTENDAM ILLI, &c. Quanta eſſet paſſurus oſtendit Dominus Paulo partim per internam inſpirationem, partim per externam revelationem, ut cum per Agabum prædixit ei vincula, infra cap. XXI. 11. ſæpe tamen in Scriptura oſtendere eſt idem quod exhibere, ut cum dicitur Pſalm. LXX. 20. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes*, &c. & Dan. III. 44. *Confundantur omnes, qui oſtendunt ſervis tuis mala*. Quæ etiam ſignificatio verbi *oſtendere* huic loco convenit. Porro nexus huius verſiculi cum ſuperiori eſt huiuſmodi: Tantum abeſt ut a vobis timendus ſit Saulus, ut potius ſit excipiendus amantiſſime, erit enim particeps veſtrorum laborum, & ærumnarum, & multa patietur pro Evangelii amplificatione.

V. 18. CECIDERUNT AB OCULIS EIUS TAMQUAM SQUAMAE. Neque enim cæcitas Sauli erat intrinſeca per læſionem organi, ſed tantum extrinſeca per obductionem pelliculæ, quæ ſimilis erat ſquamæ, quales ſunt in piſcibus. Similis fuit Tobiæ cæcitas de qua dicitur eius Libri cap. XI. 14. *Et cœpit albugo ex oculis eius quaſi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recepit*.

V. 19. CONFORTATUS EST: nam debilitatus erat ex itinere, ex metu, & triſtitia, ex triduano ieiunio, & diuturna oratione. PER DIES ALIQUOT; quibus diebus Chriſtum prædicavit, nam poſt baptiſmum ſtatim prædicare aggreſſus eſt. Ex quo patet Paulum illo triduo, quo cæcus manſit a Chriſto fuiſſe edoctum, & accepiſſe ſcientiam infuſam, & intelligentiam Scripturarum de Chriſto, illico enim cœpit eum præ-

prædicare, & cum Iudæis doctiſſimis diſputare, eoſque convincere.

V. 20. QUONIAM, ὅτι, *quod*.

V. 21. EXPUGNABAT: oppugnabat. In Græco, ὁ πορθήσας, qui graſſabatur, qui vaſtabat, qui populabatur.

V. 22. CONVALESCEBAT: invaleſcebat, valentior fiebat, vires, & animos ſumebat. CONFUNDEBAT IUDAEOS: vi argumentorum eos augens, unde ſe expedire non poſſent, ſed perplexi, & pudefacti tacere cogerentur.

V. 23. CUM AUTEM IMPLERENTUR DIES MULTI. Fuit enim Saulus, ut dictum eſt verſ. 19. cum diſcipulis qui erant Damaſci per dies aliquot. Baronius quæ hic narrantur poſt triennium contigiſſe putat.

V. 24. CUSTODIEBANT AUTEM ET PORTAS. Perſuaſerant enim Iudæi Aretæ regi Damaſci, Saulum eſſe proditorem, & exploratorem.

V. 25 SPORTA: vas eſt ex iuncis, ſeu ſcirpis contextum.

V. 26. DISCIPULIS, id eſt Chriſtianis.

V. 27. BARNABAS AUTEM: qui noverat intime Sauli indolem, & mores, certoque cognoverat eius converſionem, utpote Saulo a puero, familiaris, & condiſcipulus ſub Gamaliele magiſtro, quique perpetuo eum ad converſionem ſolicitabat, ut habet eius vita. FIDUCIALITER EGERIT: magna fiducia, & fortitudine in Synagogis Iudæorum docuiſſet, & prædicaſſet Ieſum eſſe verum Meſſiam. IN NOMINE IESU; pro, nomen Ieſu, eſt Hebraiſmus.

V. 28. INTRANS, ET EXIENS: familiariter, iugiter, & ubique commanens, & converſans.

V. 29. LOQUEBATUR QUOQUE GENTIBUS: non eas ad fidem pertrahendo, ſed fidem Chriſtianam ab earum calumniis defendendo: quamquam ex cap. XI. 20. colligitur etiam Gentilibus prædicatum fuiſſe Evangelium, antequam Petrus Cornelium Centurionem eiuſque domeſticos Eccleſiæ adiungeret, quod ſequenti cap. narratur. CUM GRAECIS: Iudæis in Græcia natis.

V. 30. CAESAREAM: quæ a Philippo Tetrarcha cognominata eſt Philippi. TARSUM: quæ erat Sauli patria, ſupra verſ. 11.

V. 31. HABEBAT PACEM. Mentio fit pacis, ne quis putet Petrum, ut mox narrabitur, egreſſum Ieroſolymis, metu perſecutionis ſolum vertiſſe. AEDIFICABATUR: creſcebat numero, & virtute fidelium: hi enim quaſi lapides vivi ædificant domum Dei, quæ eſt Eccleſia, Epheſ. II. 20. AMBULANS IN TIMORE DEI: filii enim Eccleſiæ religioſe pietatem colebant, & probatis erant moribus. CONSOLATIONE SANCTI SPIRITUS REPLEBATUR: eſt enim *magna multitudo dulcedinis Domini, quam abſcondit timentibus ſe*, Pſal. XXX. 20.

V. 32. DUM PERTRANSIRET UNIVERSOS: tamquam caput fidelium luſtrans Eccleſias. AD SANCTOS: ut ſupra verſ. 13 Olim omnes Chriſtiani vocabantur ſancti, quia vocati ad ſanctitatem, ſanctificati pietatem in baptiſmo, & ſancte plerique vivebant. LYDDA: civitas erat ad mare, ſita inter Ioppen, & Ieruſalem una ex undecim Iudææ toparchiis.

V. 34. STERNE TIBI: iubet parare lectum non ad recumbendum, ſed ad exportandum, ut cum Chriſtus dixit paralytico: *Tolle grabatum tuum, & ambula*.

V 35. SARONAE. Saron, Sarona, & Laſaron, Græce, Aſſaron, mons eſt, & urbs, cuius mentio Ioſue XII. 18. Inde tota regio campeſtris, quæ a Cæſaræa Palæſtinæ, uſque ad Ioppen protenditur, dicitur Saron, eſtque fertiliſſima, & ſaginandis pecoribus idonea.

V. 36. IN IOPPE: eſt oppidum, & portus ad mare mediterraneum in tribu Dan, ex D. Hieronymo. Hodie appellatur, *Iaſſo*, vel, *Zaffo*. DISCIPULA, id eſt Chriſtiana. TABITHA. Vox Syro hebræa. DORCAS. Vox Græca δορκάς, quæ ſignificat *damam, damulam, capream*.

V. 37. IN COENACULO: in altiore, & ampliore domus parte.

V. 38. NE PIGRITERIS: ne graveris huc venire. Italice dicimus: *Non vi rincreſca di venire*.

V. 39. OSTENDENTES ET TUNICAS: ad oſtendendam tum caritatem, & pietatem Tabithæ, tum ſuam orbitatem, quod tali eu. ratrice, & quaſi matre deſtitutæ eſſent.

V. 40. EIECTIS OMNIBUS: ut Deum ſecretius, & efficacius oraret.

V. 41. EREXIT: in pedes. SANCTOS: Chriſtianos fideles. ASSIGNAVIT: παρέστησεν: ſtetit, & exhibuit eam vivam.

V. 43. CORIARIUM: βυρσεῖ, apud Græcos ſunt qui coria macerant, vel concinnant, ut inde calcei, ocreæ, thoraces, & alia huiuſmodi fieri poſſint.

TI-

TIRINI.

Verſ. 1. SAULUS e tribu Beniamin, ut *lupus rapax a*, totus ſævit in ovile Chtiſti, *mane*, ſeu initio creſcentis ovilis, *comedit prædam*, ut ante *b* vidimus, nec ADHUC ſatur *ſpirat* novas *minas & cædes*. An hic Beniaminius non fuit verus *Benoni c*, id eſt filius doloris, poſteriori matri ſuæ Eccleſiæ? Nam Synagogæ, quæ prior illi mater erat, non doloris tantum, ſed & mortis occaſio fuit.

V. 2. A PRINCIPE SACERDOTUM, qui tunc adhuc erat Caiphas *d*, EPISTOLAS PETIIT IN DAMASCUM Syriæ Damaſcenæ metropolin, ad latus Libani, 50. leucis diſtans Ieroſolyma: *ut huius viæ*, ſeu inſtituti, puta Chriſtianiſmi ſectatores, in vincula abreptos PERDUCERET Ieroſolymam morte ibidem mulctandos. Sed cur non Damaſci? Reſpondeo, quia qui iſtic degebant principes ſynagogarum, expertus fuerat in hoc negotio ſegniores, & Chriſtianis minus infeſtos. Verum quid ad hæc Aretas *Rex e Damaſci*? Reſpondeo, Perſuaſus a Iudæis conſenſerat, & illis cooperabatur, ut alibi *f* videbimus.

V. 3. CUM APPROPINQUARET DAMASCO medio ab urbe milliari, inquit Guilielmus Tyrius apud Adrichomium *g* ubi in memoriam converſi Pauli, a poſteris inſigne templum erectum, in quo etiamnum Chriſtiani, qui Damaſci degunt, ſepeliri conſueverunt. SUBITO in meridie *h* CIRCUMFULSIT EUM LUX DE CAELO tam copioſa, ut *ſplendorem ſolis i* vinceret: nec ſolius Pauli, ſed & omnium comitum eius oculos perſtringeret, & omnes humi poſterneret k. Erat autem lux iſta exterior ſymbolum lucis Evangelicæ internæ, quam Chriſtus menti Pauli infundebat *l*, pulſis tenebris ignorantiæ, cacozeliæ & impietatis. Erat & ſymbolum lucidæ doctrinæ *m* & ſanctitatis, quam ſparſurus erat Paulus in univerſam terram. Lucem hanc ſpargebat ex ſe corpus Chriſti glorioſum, cum quo hic Paulo apparuit. Addit vocem horriſonam inſtar tonitrui.

V. 4. SAUL, SAUL, (ſic eſt in Græco & Syro) QUID ME, meam Eccleſiam, meum corpus, mea membra, meos diſcipulos, mihi vita ipſa chariores PERSEQUERIS? Hebræum *ſchaul* idem eſt quod *poſtulatus*. Et primus rex e tribu Beniamin vere poſtulatus erat a populo, ſed in regni perniciem, & (ni Deus caviſſet) in exitium Davidis. Simili modo, inquit S. Hieronymus *n* noſter Saulus a Diabolo poſtulatus fuit ad vexandum & perdendum regnum Chriſti, id eſt Eccleſiam, & perſequendum antitypum Davidis, id eſt Chriſtum: ita S. Auguſtinus *o*. Inſtruxit ergo ſatanas hunc pugilem ſuum omni conſilio neceſſario ad debellandum Chriſtianiſmum. Sed fortior ſuperveniens Chriſtus, primo ictu pugilem ſternit, excæcat, debellat. Saulum peditem ambulaſſe cum manipulo vel cohorte ſua ſentit Salmeron, & innuit S. Auguſtinus, & probabile putat Cornelius a Lapide: ſed Sanchez, Lorinus & alii volunt equitem fuiſſe, ut decebat prætorem, tam prolixum iter, circiter ſex dierum, inſtituentem.

V. 5. QUIS ES DOMINE? Viderat Saulus Chriſtum priuſquam proſterneretur, ut conſtat ex verſ. 17. & 27. & I. Corinth. XV. 8. ubi inter oculatos teſtes redivivi Chriſti Paulus ſe quoque citat: & ita docent Ambroſius, Tertull. Primaſius, S. Thomas *p* & Gloſſa iſtius loci. Fuit ergo tunc corpus Chriſti in duobus ſimul locis, puta in cælo (quod ante diem iudicii numquam relinquet *q*) ſimul & in aere vicino Paulo: niſi enim naturale iſtic corpus Chriſti præſens ſibi vidiſſet Paulus, quo iure poſſet inter oculatos redivivi Chriſti teſtes *r* ſeipſum recenſere? Rogat tamen, QUIS ES DOMINE? quia ob nimium corporis fulgorem non ſat diſtincte potuerat perſonam Chriſti agnoſcere: meritoque dubitabat an angelus quiſpiam eſſet. Quicumque tamen eſſet, Dominum illum agnoſcit ſuum, & ſe quaſi ſervum ultro illi ſubmittit, inquit S. Chryſoſtomus. EGO SUM IESUS Nazarenus *ſ*, QUEM TU PERSEQUERIS, dum membra mea perſequeris: DURUM EST TIBI CONTRA STIMULUM CALCITRARE, ut faciunt rebelles & cervicoſi boves, qui quo magis recalcitrant, eo gravius punguntur & læduntur. Niſi ceſſeris ergo mihi, o Saule, pergam ſtimulis te pungere, ſed acrioribus, & maiori damno tuo. Pupugi te tot miraculis, tot monitis, tot argumentis Stephani, Barnabæ, Apoſtolorum meorum: pupugi tot inſpirationibus

& exci-

Digitized by Google

& excitationibus internis, tot remorſibus conſcientiæ; ſed ſemper in vanum. Quod ſi ne iam quidem deiectus acriori verbere, mihi ceſſeris, duriores parabo ſtimulos. Neque enim decet, mancipium vel iumentum perpetuo rebelle eſſe domino ſuo. Sed *volet ne rhinoceros ſervire tibi?* An *alligabis* illum *ad arandum loro tuo?* inquit S. Gregorius.

V. 6. DOMINE, en me tibi ſervum perpetuum; QUID ME VIS FACERE? Habes deiectum, compunctum, reſignatum, tibi uni devotum, tibi in omnibus adſtrictum, tibi quoad omnia ſe dedentem. Porro quid hic ſeu violentiæ ſeu coactionis? ut ſomniat Lutherus, Calvinus & ipſorum ſequaces. Magnis quidem ſtimulis pungitur, inſolita luce tam interna, quam externa percellitur, ſed vim animo illatam nullam ſenſit: ultro cedit, libere ſuccumbit, ſponte ſe dedit, volens & libens tranſit in Chriſti caſtra. Et generatim loquendo, veriſſimum eſt quod docet S. Auguſt. & Concilium Tridentinum *u*, Deum internis externiſque ſuaſionibus mentem pulſare, ut ſe convertat; ſed pulſationi vel vocationi iſti conſentire vel diſſentire propriæ hominis voluntatis eſſe.

Nota hic ſchema perfecti ſervi, domino ſuo in omnibus obſequentis, ut olim Abraham, Jacob, Moyſes, Samuel, David, Iſaias, & Deipara *x*, & plures alii obſecuti ſunt. Qua ſubmiſſione obtinuit Saulus, ut non tantum remitteretur illi omnis culpa & pœna, ſed ut inſuper etiam Apoſtolus fieret & doctor totius orbis, ut ipſemet Chriſtus *y* hic ſubiicit.

V. 7. IBI, id eſt in Damaſco, DICETUR TIBI, QUID TE OPORTEAT FACERE, puta ſuſcipere baptiſmum, confirmari, &c. Nam quid te credere oporteat, iam ex me partim didiciſti, partim diſces proximo triduo; ut vere dicere olim poſſis *z*, te non ab homine, ſed a me Evangelium didiciſſe. VIRI AUTEM QUI COMITABANTUR, reſumptis a proſtratione animis & viribus, erecti in pedes STABANT, ſed *ſtupore pleni*, NEMINEM VIDENTES apparentem Saulo, ſolam VOCEM loquentis Chriſti AUDIENTES confuſam & inarticulatam, inſtar tonitrui: nam diſtinctam vel articulatam nullam audiviſſe, conſtat ex Act. XXII. 9.

V. 9. TRIBUS DIEBUS NON MANDUCAVIT Saulus, partim ex corporis debilitate, partim orationis & pœnitentiæ cauſa, ut vult Chryſoſt. Hoc triduo didicit a Deo myſteria omnia fidei Chriſtianæ & Evangelii: nam mox cœpit illa publice prædicare verſ. 20. Beda, Hugo & Gloſſa putant Paulum hoc triduo raptum fuiſſe in tertium cælum cuius meminit II. Cor. XII. 2. Sed ibi oſtendam, ſerius id ei contigiſſe.

V. 10. ANANIAS ſignificat gratiam Dei, ad quam ablegatur Saulus. S. Auguſtinus *aa* vult fuiſſe presbyterum: Oecumenius diaconum, ſed ex 72. diſcipulis unum: Dorotheus *bb*, creatum poſtea Damaſci Epiſcopum. In Martyrologio Rom. 25. Ianuarii dicitur, poſtquam *Damaſci, Eleutheropoli & alibi Evangelium prædicaſſet, ſub Licinio iudice nervis cæſus & laniatus, demum lapidibus oppreſſus martyrium conſumaſſe.*

V. 11. IN VICO, id eſt platea ceteris longiore & rectiore, QUAERE virum recens Damaſcum advectum NOMINE SAULUM, patria TARSENSEM, e Tarſo Ciliciæ *cc* metropoli oriundum. Neque metuas illum ut perſecutorem, ECCE ENIM iam converſus ORAT, ut ſe ad meliorem vitam, & ad baptiſmum diſponat. Interim vero dum Ananiæ apparet Deus, Ananias per viſum, ſeu imaginariam viſionem apparet Saulo, quaſi viſum illi reſtituens. Hoc divina providentia factum Lucas per parentheſin hic interſerit, ut oſtendat, perſonam Ananiæ cælitus innotuiſſe Saulo, quo magis illi mox acceſſuro fideret.

V. 15. VAS ELECTIONIS *dd*, id eſt inſtrumentum ſingulariter electum, EST MIHI ISTE, ex tot millenis hominum millibus, etiam præ aliis Apoſtolis, a me deſignatus ad evangelizandum ubique tam GENTIBUS, quam Iudæis, tam REGIBUS, quam plebeiis. Vere *vas ee admirabile Excelſi: vas ff auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo*, ut pulchre exponit eius encomiaſtes Chryſoſtomus, *gg* qui non tantum confert, ſed & præfert ipſum Patriarchis, Prophetis, Sanctis & Angelis, etiam Cherubinis ac Seraphinis. UT PORTET NOMEN MEUM, inſtar præconis, legati, Prophetæ, doctoris, ducis ac vexilliferi, non in corde modo vel ore, vel calamo, ſed & ipſo opere, per labores & paſſiones con.

Digitized by Google

continuas: unde ait *hh*: *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*. Coram regibus Agrippa, Nerone *ii*, & aliorum regnorum, quæ plurima obivit, præſidibus, a quibus ut multa magnaque *pro me* fortiter ac generoſe *patiatur*, *oſtendam*, id eſt præſtabo kk, concedam, *illi*. Et vero ſumma hæc dignitas & gloria eſt, quam Deus non omnibus, ſed dilectis ac ſelectis amicis ſuis impertire ſolet.

V. 17. *Impoſitio manus* Ananiæ non erat collatio Sacramenti Confirmationis, (Saulus enim nondum erat baptizatus & Ananias nondum erat Epiſcopus:) ſed erat ceremonia, quam curationi morborum perficiendæ adhibere ſolebant diſcipuli Chriſti, iuxta illud Marci ultimo, *Super ægros manus imponent*, *& bene habebunt*.

V. 18. ET CONFESTIM CECIDERUNT AB OCULIS EIUS TAMQUAM SQUAMAE piſcium. Lux enim illa copioſior a corpore Chriſti glorioſo in oculos Pauli vibrata, humores e cerebro in oculos deduxerat, ibique eos coagularat, ut in pelliculas inſtar ſquamarum duras concreſcerent, itaque oculos obtegerent ac cæcarent. Sic olim contigerat Tobiæ, qui felle piſcis, pelliculam excedente, curatus fuit. Et periti chirurgi norunt acu pelliculam detrahere. Sed Paulo ſine adminiculo medicinæ, ad ſolam manuum Ananiæ impoſitionem, & nominis Ieſu invocationem deciderunt ſponte ſua ambæ pelliculæ. ET BAPTIZATUS EST, ut chriſtianiſmo initiaretur, Spiritu ſancto repleretur, & ſacerdos ordinaretur. Reliquorum enim Sacramentorum ianua eſt baptiſmus: in cuius receptione plus ſolito gratiarum & donorum Spiritus ſancti infuſum fuit Paulo, ut ſtatim idoneus eſſet præco & doctor Evangelii. Contigit hæc Sauli converſio 25. Ianuarii, non quæ necem Chriſti & Stephani immediate conſecuta eſt, ſed poſt annum alium intricatum, cum iam 35. annorum eſſet Paulus. Unde ſubdutus calculo ab inchoante anno tertio a morte Chriſti, uſque ad annum 37. iam mediantem, quo conſtat *ll*, gladio cæſum Neroniano deprehendes eum Chriſto ſerviiſſe præciſe annos 34. cum medio: univerſim vero vixiſſe fere 70. annos: ita fere Martyrol. Romanum & Uſuardi, Iſidorus *mm*, Occumen. Sanchez, Lorinus, Pererius *nn*, Baronius, a Lapide & alii. Itaque totis 13. menſibus a nece Stephani permiſſus eſt Saulus pro libito ſævire in gregem Chriſti.

V. 23. SUM IMPLERENTUR DIES MULTI: nempe poſt triennium. Nam Saulus Damaſco abiit ad tempus in Arabiam *oo*: unde Damaſcum reverſo poſitæ ſunt ipſi inſidiæ quæ hic commemorantur: quibus cluſis, profectus eſt Ieroſolymam. Ubi propter diuturnam eius abſentiam in Arabia, in dubium vocabatur fides & conſtantia ipſius, timebantque ne forte exploratorem aut proditorem ageret.

V. 27. BARNABAS AUTEM, cui intime notus & familiaris erat Saulus, olim ſub Gamaliele condiſcipulus, & quem ſæpius ad converſionem ſolicitarat; perſuaſit Apoſtolis ut eum collegio ſua adcenſerent, utpote inſtrumentum aptiſſimum convertendis hominibus, & a Deo cælitus ad id electum.

V. 29. LOQUEBATUR QUOQUE GENTIBUS, ſeu GRAECIS de Chriſto. Quod ſi de Gentilibus in gentiliſmo adhuc hærentibus exponas, dic hæc contigiſſe poſt apertam a Petro Gentilibus portam Eccleſiæ in converſione Cornelii, quæ contigiſſe videtur anno primo a converſione Sauli *pp*, dum is adhuc in Arabia peregrinaretur. Alioquin poſſent etiam per Gentiles accipi proſelyti, ad iudaiſmum converſi, & nominatim qui erant e *Cilicia qq*, conterranei & olim familiares ipſius, qui ut nuper lapidarant Stephanum, quaſi ex ſua ſynagoga transfugam & proditorem, ita nunc videntur idem machinari velle Saulo Stephani conſobrino *rr*.

V. 31. ECCLESIA quarto iam anno a morte Chriſti, PER TOTAM IUDAEAM, GALILAEAM ET SAMARIAM HABEBAT PACEM, beneficio Tiberii Cæſaris, qui auditis ſtupendis Chriſti geſtis in Syria, eum inter deos referendum cenſuit: & licet ſenatus, reclamante maxime Seiano, id reſpueret, Cæſar tamen in ſententia manſit, comminatus ſupplicium accuſatoribus Chriſtianorum, inquit Tertull. Euſebius *ſſ* & alii.

V. 32. Pace bene uſus PETRUS, inſtar paſtoris & principis totius Eccleſiæ, *pertranſibat* UNIVERSOS, viſitans, curans, docens omnes SANCTOS. Sic olim vocabantur fideles, quod ſanctificati eſſent per baptiſmum, quod profeſſionem facerent vitæ ſanctæ, ut plurimum viverent etiam vitam

ſan-

ſanctam. LYDDA civitas eſt non procul a *Ioppe*, inter undecim Iudææ toparchias ordine quinta. Tempore S. Hieronymi vocabatur *Dioſpolis*, id eſt civitas Iovis: nunc S. *Georgii*, qui iſtic decollatus, ſepultus & a Iuſtiniano Imp. templo nobiliſſimo cohoneſtatus eſt, inquit Guliel. Tyrius, & Adrichomius *tt*.

V. 35. *Sarona* vel *'Aſſaron*, ut eſt in Græco, mons eſt, & in monte urbs egregia immo regia, ante Ioſue *uu*. Unde tota regio campeſtris a Cæſarea Palæſtinæ uſque Ioppen vocatur *Saron*, eſtque pinguis & fertiliſſima. Qua iam per Petrum ad fidem Chriſti converſa, impletum eſt illud Iſaiæ xxxv. 2. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron: ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri*.

V. 36. IOPPE qualis ſit urbs, quam celebris portus, dixi Ionæ I. 3. DISCIPULA: ſic vocabantur matronæ & puellæ fideles, ſicut viri *diſcipuli*, ſupple, Chriſti. TABITHA Syrohebræum a radice *nabat*, id eſt cerno, video, ſignificat capream, ſeu damulam, *δόρκαδα*, ob acrem oculorum aciem iſtius animalculi, quod teſte Plinio *xx*, numquam lippit, & noctu peræque cernit ac diu. Quod in noſtram *Tabitham* optime quadrabat, quæ mentis acie fideique penetrabat cælos & cæleſtia, inquit S. Ambroſius *yy*.

V. 38. NE PIGRITERIS; Tigurinus & Pagninus, *ne graveris;* alii, *ne cuncteris*, ne tardes, VENIRE.

V. 41. DANS Petrus Tabithæ MANUM, EREXIT adhuc debilem, & pedibus firmam ſtare fecit.

Notant Bellarminus *zz*, Lorinus & a Lapide, *Tabitham* hanc, & quicumque ſemel in ſtatu gratiæ vita exceſſerunt, vel ad extrema redacti ſunt, ſi contigerit miraculo in vitam reduci, certos eſſe de ſua ſalute: alioqui non beneficium ipſi, ſed ingens damnum inferretur.

Notant ſecundo, neque ex inferno damnatorum, neque ex cæleſti gloria quemquam revocari ad vitam. *Tabitham* ergo vel ex Purgatorio fuiſſe revocatam, vel, ſi nil purgandum habebat, ſuſpenſam fuiſſe eius ſententiam, & dilatam viſionem Dei, quia deſtinarat Deus illam in terras remittere.

V. 43. APUD SIMONEM, non eurialem, ut vult Hugo & Dionyſius; ſed CORIARIUM, id eſt qui coria macerabat, vel concinnabat, ut inde ocreæ, calcei vel aliæ veſtes confici poſſent. Sed cur *Tabithæ* domum declinavit? Reſpondeo, Ne pro miraculo videretur hoſpitii beneficium recipere. Forte etiam domi ſuæ viros illa nullos habebat, ut tale hoſpitium non deceret principem Apoſtolorum. Verum cur ad plebeium potius, quam ad aliquem e ditioribus deflexit? Reſpondet Oecumen. Petrum ſolitudinis & quietis cauſa ſegregatum ab urbe locum ſub rupe ad litus maris delegiſſe, ubi etiamnum peregrinis oſtenduntur ruinæ iſtius domus, cum ſacello ibidem erecto, inquit Gagneius. Crediderim & modeſtiæ cauſa, & paupertatis affectu, & ut poſteris exemplo eſſet, id Petrum factitaſſe, quod S. Bernardus vehementiſſime commendat.

(a) Gen. xlix. 27.
(b) Actor. vii. 57. & viii. 3.
(c) Gen. xxxi. 18.
(d) Chron. cap. xlii. ſub finem.
(e) II. Cor. xi. 31. (f) Ibid.
(g) Adrichom. in Damaſco.
(h) Actor. xxii. 6. & cap. xxvi. 13 (i) Ibid.
(K) Ibid. verſ. 14.
(l) II. Cor. iv. 6. & Epheſ. v. 8. & 13.
(m) Actor. xxvi. 18.
(n) Hieron. In epiſt. ad Philemonem.
(o) Auguſt. in Pſal. li.
(p) Ambr. Lib. de Benedict. Patriarchar. cap. ult. Tertull. Lib. contra Praxeam cap. xv. S. Thom. III. p. 8. 57. a 6. ad 3. & alii.
(q) Actor. iii. 21.
(r) I. Cor. xv. 8. (ſſ) Act. xxii. 8.
(t) Iob xxxix. 6. & 20. Greg. XXXI. Moral. cap. ii. & iii.
(u) Auguſt. Lib. de. Spiritu & littera cap. xiii. Trident. ſeſſ. vi. cap. v. &c.
(x) Gen. xii. 1. &c. Gen. xxxi. 11. Exod. iii. 4. I. Reg. iii. 10. Pſal. cvii. 2. Iſaiæ vi. 8. Lucæ I. verſ. 38.
(y) Act. xxv. 16.
(z) Initio ep. ad Gal. & cap. 2. 12.
(aa) Aug. Lib. II. qq. Evang. q. xlvii.
(bb) Doroth. in Synopſi.
(cc) II. Par. ix. verſ. 12.
(dd) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 40.
(ee) Eccl. xlviii. 2. (ff) Eccl. l. 10.
(gg) Chryſoſt. in fine epiſt. ad Rom. & homiliis octo de laudibus S. Pauli.
(hh) Galat. vi. 17. (ii) Actor. xxvi. 27.
(kk) Pſal. iv. 6. Pſal. lix. 5. Pſal. lxx. 20. Dan. iii. 44.
(ll) Chron. cap. ult. in anno ult. Neronis.
(mm) Iſidor. Lib de Vita & morte Sanctor. cap. lxxv.
(nn) Perer. in Proleg. ep. ad Rom. diſp. 1. n. 24.
(oo) Galat. I. 17. & II. Cor. xi. 32.
(pp) Chron. cap. ult. anno 4. a paſſione Chriſti.
(qq) Actor. vi. 9. (rr) Ibid verſ. 5.
(ſſ) Tertull. Apolog. cap. v. Euſeb. in Chronico.
(tt) Tyrius Lib. VII. Belli ſacri cap. xxii. Adrich. in Deſcript. terræ ſanctæ.
(uu) Ioſue xii. 16. Iſaiæ xxxv.
(xx) Plin. Lib. XXVIII. cap. xi.
(yy) Cant. ii. 9. cap. viii. 14. Prov. vi. 5. Ambr. Serm. VI.
(zz) Bellarm. Lib. II. de purgatorio cap. viii.

GORDONI.

Verſ. 1. SAULUS AUTEM. De hac miraculoſa Pauli converſione agit Lucas. uſque ad verſum 20. Eiuſdem Tribus & nominis cum primo Rege Hebræorum. שאול *Schaul*, *poſtulatus*; שאל, *petere*, *poſtulare*. Ibat nondum ſedato zelo legis Damaſcum, caput Syriæ eſt in latere montis Libani. Litteræ Paulo datæ a principe ſacerdotum Caipha, vel Anna ad magiſtratum in Damaſco urbis proprium, vel inter Iudæos ibidem habitantes olim permiſſum a Rege, vel Romanis, qui ius diceret Iudæis accolis: ad hunc magiſtratum deferebantur epiſtolæ.

V. 4. CADENS IN TERRAM. Hæc lux clarior erat meridiana: an eques vel pedes fuerit Paulus, certatur. Pictores & coniecturæ equitem faciunt: vox hæc audita fuit Hebraica ex cap. XXVI. 14. Qui aſtabant lumen videbant, vocem non audiebant, cap. XXII. 9. Facile potuit a Deo fieri ut vocis ſpecies deferrentur ad aures unius, & non alterius. ME PERSEQUERIS, Eccleſiam & me caput in membris. Certum eſt Paulum hic vidiſſe Chriſtum, ex I. Cor. XV. 8. & hoc capite IX. 27. Hoc convincit falſitatis Novatores negantes Chriſtum poſſe eſſe in duobus locis. Certe Chriſtus in hac apparitione non deſeruit cælum.

V. 5. DURUM EST. Vulgatum proverbium in pugnantes contra veritatem, ſumptum a bove cervicoſo, cui recalcitranti accreſcit malum. Ita ſe habet peccator non obediens ſtimulo conſcientiæ. In ſimilibus converſionem ad Deum morantibus: paucorum eſt hæc vox Pauli; DOMINE QUID ME VIS FACERE: verſ. 6. Notanda hic efficacia gratiæ, & tamen libera Pauli converſio, ut notat quoque Chryſoſtomus, & clare Auguſtinus de ſpiritu & littera cap. XIII. ac Trident. ſeſſ. VI. can. 4. 5. &c. Denique videmus hic Paulum per contritionem ſanctificatum.

At quomodo hic verſ. 6. dicuntur ſtantes ſocii: nam cap. XXVI. 16. narrantur proſtrati? Sane quid mirum ſi homo proſtratus poſtea reſurgat & ſtet. Porro dici poteſt eos ſtetiſſe; hoc eſt, ſubſtitiſſe & manſiſſe ibi aliquandiu: at dicuntur hic vocem audiviſſe, quod tamen negavi, & negatur infra cap. XXII. 9. vocem (inquit ibi Lucas) non audierunt. Reſpondeo ex utroque loco colligi eos vocem Pauli audiviſſe, non tamen vocem Chriſti loquentis cum Paulo.

V. 8. & 9. Chriſto iubente & iuvante ſurrexit Paulus. Sed de cæcitate diſcrepantes ſententiæ ſunt: noſter Interpres ait nihil vidiſſe; & debuit legiſſe οὐδὲν, licet nunc legamus οὐδένα, *neminem*. Certe ſi modum quæras, probabilius eſt oculis obductas fuiſſe ſquamas (ut poſtea apparuit ex verſ. 18.) & pelliculam: qua ſubducta, integrum ut antea aſpectum recepit. *Non manducans*, ieiunas orationi vacabat, ut notat Chryſoſtomus. En triduum pœnitentiæ operibus tributum. Paulum in hoc apparatu per triduum, multa a Chriſto per revelationem accepiſſe colligitur, ex initio Epiſtolæ ad Galatas. *Neque*, inquit, *per hominem*, *ſed per Ieſum Chriſtum*. Miſſus vero eſt ad Ananiam ut baptiſmum reciperet, & curationem.

V. 10. & 11. Ananias iſte, ex Oecumenio & Dorotheo fuit diaconus; unus ex 72. diſcipulis, & poſtea Epiſcopus Damaſci: vide Martirologium 25. Ian. qui dies eſt Pauli converſi. Interim hic mittitur Ananias ad Paulum (deſignato vico) quem Tarſenſem vocant a patria: natus enim eſt Tarſi, quæ erat metropolis Ciliciæ. ECCE ENIM ORAT: his verbis paucis adimit metum Ananiæ, ne timeat iam Paulum ut perſecutorem.

V. 12. ET VIDIT. Parentheſis eſt, in qua loquitur Lucas, narrans viſionem Pauli mentalem (nam adhuc cæcus erat) de veniente ad ſe Anania, a quo curaretur: & ſic factum eſt, ut ex hac viſione cognoſceret Ananiam recepta viſione.

V. 13. & 14. explicationem habent ex verſ. 1. & 2.

V. 15. VAS ELECTIONIS. כרי *Keli*, vas vel inſtrumentum quodvis, phraſi Hebraica, ut vaſa belli, vaſa mortis, vaſa Pſalmi, & tranſmigrationis: ac ſi hic diceret, vas electum; & certe ad multa opera, atque prædeſtinatum. UT PORTET NOMEN, coram Regibus Agrippa aliiſque principibus, fortia faciat & patiatur: his obnoxii ſunt præcones Evangelii.

V. 17. & 18. IMPONENS EI MANUS. Hæc manuum impoſitio per Ananiam diaconum fuit ad curationem & baptiſmum,

ut Lucas hic docet; non autem ad ſacramentum Confirmationis, ut falſo obiicit Calvinus, qui volebat inferre contra Catholicos, Epiſcopum non eſſe Confirmationis miniſtrum. ET SURGENS BAPTIZATUS EST. Cum hoc tamen baptiſmo præfatus eſt Ananias fore ut Paulus a Deo reciperet Spiritum Sanctum: quamvis ordinaria lege cum baptiſmo non detur; nec nunc datur gratia ſacramentalis quam dat Confirmatio per manus impoſitionem Ananiæ aut Epiſcopi: ergo in præſentia præter gratiam baptiſmi Deus ſpeciali favore contulit cum baptiſmo ſuo effectum ſacramenti Confirmationis, ſeu Spiritus Sancti gratiam illam quæ eſt ad fortiter certandum pro fide: quid enim vetat a Deo conferri immediate effectum alicuius ſacramenti, abſque ipſo ſacramento. An non etiam Act. II. datus eſt Spiritus Sanctus & gratia Confirmationis Apoſtolis ſine hoc ſacramento? De *ſquamis* vide verſ. 8. & 9. *Baptizatus eſt*; licet prius per contritionem iuſtificatus fuerit. De hoc Theologi, ubi de neceſſitate baptiſmi, & voto quod includit contritio. Huc ſpectat quæſtio de anno converſionis huius: ſed in diagrammate ad initium Matthæi notavi annum Chriſti 36. quando putant aliqui Paulum fuiſſe annorum triginta quatuor aut 36. & annis 34. vixiſſe ſub Chriſti regno. Unde exibit omnino vixiſſe annos ſexaginta octo, aut 70.

V. 19. uſque ad verſ. 23. Hæc plana ſunt. Paulus poſt baptiſmum ſtatim prædicat Chriſtum; nempe exacto triduano ieiunio, acceptaque, ut dixi, a Chriſto doctrina, expugnabat Iudæos: *πορθήσας*, populabatur, vaſtabat, & invaleſcens vi argumentorum quaſi mutus reddebat.

V. 23. CUM AUTEM IMPLERENTUR DIES MULTI. Quod hic narratur, contigit poſt triennium, hoc eſt anno Chriſti 39. ut ibidem notavi, quando Paulus ex Arabia rediit Damaſcum, & ob inſidias ibidem a Iudæis illi poſitas, dimiſſus per murum, venit Ieroſolymam, ut ipſe narrat Gal. I. 17.

V. 26. 27. *uſque ad verſ.* 32. Narrat paucis Lucas profectionem Pauli Damaſco (ubi regnabat Aretas Rex) Ieroſolimam, & inde Tarſum, ac quomodo a Barnaba (amico & condiſcipulo ſub Gamaliele) adductus fuerit ad Apoſtolos & diſcipulos, cum amplo Barnabæ teſtimonio de virtute & ſtudio Pauli pro fide. Scribit Paulus Gal. I. 18. ſe Ieroſolymam veniſſe ſtudio videndi Petrum. Effecit triennalis abſentia Pauli in Arabia, ut nondum plane conſtaret diſcipulis ibi de vita Pauli. *Intrare & exire* (verſ. 28.) eſt familiariter agere. Sed quid eſt verſ. 26. LOQUEBATUR GENTIBUS? Sane *τὸ gentibus* in multis editionibus non reperitur, licet ſit in Latina & emendata editione Clementis octavi. De ſenſu, & qui ſint hic gentes, certatur. Et quidem ex cap. VI. verſ. I. intelligi poſſunt Iudæi inter gentes, aut in Græcia nati. Alioqui ſi intelligas gentiles puros, & nondum ad fidem converſos, oporteret dicere hoc contigiſſe poſt acta capitis decimi, & converſionem Cornelii, in quo primum cæptum eſt agi cum gentibus. Cum ergo quæreretur Paulus ad necem ab his quos refutabat, & forte ſuæ antiquæ Synagogæ hominibus ſibi notis, & iam propter Chriſtum inimicis, ideo factum eſt, ut iret Cæſaream Philippi & Tarſum; quæ ex verſ. II. erat Pauli patria.

V. 32. & 33. FACTUM EST. Petrus Eccleſiarum caput poſt Chriſtum, luſtrans quæ in itinere erant Eccleſias, pervenit Lyddam urbem ad mare inter Ioppen & Ieruſalem, ubi AEneam Paralyticum ſanat: *Sterne*, inquit, tibi para lectum, tolle, ambula. *Ioppe*, urbs in Tribu Dan, & portus ad mediterraneum mare. *Saron*, & Sarona Græcis Aſſaron regionem habet fertilem inter Cæſaream Palæſtinæ & Ioppen. Vide Ioſue cap. XII. 18.

V. 39. & 40. Aliud Petri miraculum eſt de Tabitha revocata ad vitam. Qui hic ſancti dicuntur, ſunt Chriſtiani. Ita ſolebant initio vocari. TABITHA. צבי *tſebi*, decor, gloria, res iucunda. Vide Dan. XII. 15. ubi terra Iſrael vocatur tſebi & Syri mutata littera pro Tſebia, dicunt Tabitha. Græce dicitur *Δορκὰς ἀπὸ τοῦ δόρκειν*, quod eſt videre. Dorcades quippe ſeu Capreæ vident acute. At cur Tabitham Græci Dorcadem dixerunt? Agnomen eſt, & forte quia ſuis virtutibus Dorcadis exprimebat proprietates, quod animal eſt ſobrium, pervigil & ſymbolum gratiæ.

CA-

C A P U T X.

Iuſſu Angeli accerſit Cornelius Centurio Petrum, qui per lintei viſionem admonitus Gentes ad Evangelium admittendas eſſe, venit ad illum: cumque ſuper omnes verbum eius de Chriſto audientes Spiritus ſanctus deſcendiſſet, iuſſit eos baptizari.

1. VIr autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius,
Centurio cohortis quæ dicitur Italica, 2. religioſus, ac
timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas
multas plebi, & deprecans Deum, ſemper: 3. is vidit in
viſu manifeſte, quaſi hora diei nona, Angelum Dei in-
troeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli. 4. At ille
intuens eum, timore correptus, dixit: * Quid eſt, Do-
mine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemoſynæ
tuæ, aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. 5. Et nunc mitte viros in
Ioppen, & accerſi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: 6. hic ho-
ſpitatur apud Simonem quemdam coriarium, cuius eſt domus iuxta mare:
hic dicet tibi quid te oporteat facere. 7. Et cum diſceſſiſſet Angelus, qui lo-
quebatur illi, vocavit duos domeſticos ſuos, & militem metuentem Domi-
num, ex his qui illi parebant. 8. Quibus cum narraſſet omnia, miſit illos in
Ioppen. 9. Poſtera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ci-
vitati, aſcendit Petrus in ſuperiora ut oraret circa horam ſextam. 10. Et
cum eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum men-
tis exceſſus: 11. & vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut
linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cælo in terram, 12. in quo
erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. 13. Et facta
eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. 14. Ait autem Petrus:
Abſit Domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum. 15.
Et vox iterum ſecundo ad eum: * Quod Deus purificavit, tu commune ne
dixeris. 16. Hoc autem factum eſt per ter: & ſtatim receptum eſt vas in cæ-
lum. 17. Et dum intra ſe hæſitaret Petrus, quidnam eſſet viſio, quam vi-
diſſet: ecce viri, qui miſſi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis,
aſtiterunt ad ianuam. 18. Et cum vocaſſent, interrogabant, ſi Simon, qui
cognominatur Petrus, illic haberet hoſpitium. 19. Petro autem cogitante de
viſione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. 20. Surge itaque, de-
ſcende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego miſi illos. 21. Deſcendens
autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego ſum, quem quæritis: quæ cauſa eſt,
propter quam veniſtis? 22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iuſtus, &
timens Deum, & teſtimonium habens ab univerſa gente Iudæorum, reſpon-
ſum accepit ab Angelo ſancto, accerſire te in domum ſuam, & audire verba
abs te. 23. Introducens ergo eos, recepit hoſpitio. Sequenti autem die ſur-
gens profectus eſt cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati ſunt
eum. 24. Altera autem die introivit Cæſaream. Cornelius vero expectabat
illos, convocatis cognatis ſuis, & neceſſariis amicis. 25. Et factum eſt cum

introiſſet Petrus, obvius venit ei Cornelius, * & procidens ad pedes eius ado-
ravit . 26. Petrus vero elevavit eum , dicens : Surge , & ego ipſe ho-
mo ſum . 27. Et loquens cum illo intravit , & invenit multos qui con-
venerant : 28. dixitque ad illos : Vos ſcitis quomodo abominatum ſit vi-
ro Iudæo , coniungi aut accedere ad alienigenam : ſed mihi oſtendit Deus,
neminem communem aut immundum dicere hominem . 29. Propter
quod ſine dubitatione veni accerſitus . Interrogo ergo , quam ob cauſam
accerſiſtis me ? 30. Et Cornelius ait : A nudiuſquarta die uſque ad hanc
horam , orans eram hora nona in domo mea , & ecce vir ſtetit an-
te me in veſte candida , & ait : 31. Corneli , exaudita eſt oratio tua , &
eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei : 32. Mitte ergo in
Ioppen , & accerſi Simonem , qui cognominatur Petrus : hic hoſpitatur in
domo Simonis coriarii iuxta mare . 33. Confeſtim ergo miſi ad te : & tu
benefeciſti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus , au-
dire omnia quæcumque tibi præcepta ſunt a Domino . 34. Aperiens autem
Petrus os ſuum , dixit : In veritate comperi , (a) quia non eſt perſonarum
acceptor Deus : 35. ſed in omni gente , qui timet eum , & operatur iuſti-
tiam, acceptus eſt illi. 36. Verbum miſit Deus filiis Iſrael, annuntians pa-
cem per Ieſum Chriſtum : (hic eſt omnium Dominus.) 37. Vos ſcitis quod
factum eſt verbum per univerſam Iudæam : incipiens enim a (b) Galilæa ,
poſt baptiſmum quod prædicavit Ioannes , 38. Ieſum a Nazareth : quomodo
unxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute , qui pertranſiit benefaciendo &
ſanando omnes oppreſſos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo . 39. Et
nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum , & Ieruſalem ,
quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. 40. Hunc Deus ſuſcitavit tertia die,
& dedit eum manifeſtum fieri , 41. non omni populo , ſed teſtibus præordi-
natis a Deo : nobis , qui manducavimus & bibimus cum illo , * poſtquam
reſurrexit a mortuis. 42. Et præcepit nobis prædicare populo , & teſtificari
quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo iudex vivorum & mortuorum . 43.
(c) Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent , remiſſionem peccatorum
accipere per nomen eius omnes , qui credunt in eum. 44. Adhuc loquente
Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.
45. Et obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro : quia
& in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. 46. Audiebant enim illos lo-
quentes linguis , & magnificantes Deum. 47. Tunc reſpondit Petrus : Num-
quid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum ſan-
ctum acceperunt ſicut & nos ? 48. Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini
Ieſu Chriſti. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

(a) Deut. xix. 17. II. Par. xix. 7. Iob xxxiv. 19. Sap. vi. 8. Eccli. xxxv. 16. Rom. ii. 11. Gal. ii. 6. Eph. vi. 9. Col. iii. 25. I. Pet. i. 17. (b) Luc. iv. 14. (c) Ier. xxxi. 34. Mich. vii. 18.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 4. *Quid eſt Domine* . Multi mutatis genere neutro in maſculino , & perſona tertia in ſecundam, legunt, *Quis es Domine*, minus recte .

Verſ. 15. *Quod Deus purificavit*. Non mutes ſingulare *quod* in *quæ* plurale .

Verſ. 25. *Et procidens ad pedes eius adoravit* . Non ſubiicias pronomen *eum*.

Verſ. 41. *Poſtquam reſurrexit a mortuis* . Quod ſequitur in quibuſdam libris *per dies quadraginta* ſuperfluit.

N o t a t i o.

Verſ. 41. **Q**Ui *manducavimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit a mortuis*. Beda in Retractationibus in Acta ſcriptis: " In Græco, inquit, additum eſt, „ *per dies quadraginta*: " & S. Auguſtinus in ſuo codice ita haberi declaravit, atque exponendo ſubiunxit: „ non quod quotidie per dies 40. cum illo manducaſſent, atque bibiſſent. Nos id in Græcis nec codicibus, nec enarratoribus invenimus, ut neque in Syricis libris; tantum in uno Latino ſcripto M. N. Auguſtini Hunnæi O notato, inſigni ſane illo, at non admodum antiquo: *Qui manducavimus*, *habet*, *& bibimus cum illo poſtquam reſurrexit a mortuis per dies quadraginta*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. **C**AEsarea. Ita ab Herode Aſcalonita, in Auguſti gratiam vocata poſtquam ea inſtauravit, cum antea Turris Stratonis diceretur. Vide Matt. xvi. Cohortis. Græc. *ex cohorte*.

V. 4. Ascenderunt, &c. quaſi dicat, Fecerunt Deum recordari tui; vel, recordatus eſt Deus earum.

V. 7. Domesticos. Græc. *famulos*. Metuentem Dominum. Græc. *pium*, ſeu *religioſum*.

V. 9. Superiora. Græc. δῶμα], id eſt *tectum*, ſcilicet ſunt in Palæſtina tecta plana. Sextam, ſcilicet meridiem.

V. 10. Gustare, id eſt edere. Mentis excessus. Græc. ἔκστασις.

V. 11. Initiis, id eſt angulis, ſcilicet alligatum.

V. 12. Omnia. Syr. *omne genus*. Iuſtinus qæſt. lxxxix. ait omnia fuiſſe immunda. Quadrupedia. Græc. additur καὶ τὰ θηρία, id eſt *feræ*. Vide cap. ſequens. Serpentia, id eſt reptilia.

V. 14. Omne; pro *quidquam*, Hebr. Et; pro, id eſt. Iudæi enim immunda vocant *communia*. Græc. *aut*, ſcilicet eſt præcedentis explicatio.

V. 16 Per ter, id eſt ter. Statim. Græc. *rurſum*.

V. 17. Esset, id eſt ſignificaret, ſeu ſibi vellet.

V. 19. Spiritus, ſcilicet ſanctus.

V. 24. Altera, id eſt poſtea. Necessariis, id eſt valde familiaribus.

V. 26. Homo sum. Modeſte honorem recuſat, alioqui licitum: ſæpe enim adorantur in Scriptura, qui re aliqua eminent.

V. 28. Alienigenam, id eſt gentilem. Ostendit, ſcilicet viſione ſingulari confirmans, quod olim præceperat, ut doceret omnes Gentes, &c. Matth. xxvi. & Marc. xvi.

V. 29. Sine dubitatione. Syr. *expedite*.

V. 30. A nudius quarta, &c. id eſt quarta ab hinc dic. Orans. Græc. & Syr. *ieiunans & orans*. Candida. Græc. λαμπρά, id eſt *ſplendida*.

V. 31. Commemoratae, id eſt reductæ in memoriam. Vide ſupra.

V. 32. Mare. Græc. & Syr. additur, *qui adveniens loquetur tibi*.

V. 33. Tuo. Græc. *Dei*. Syr. *tuo*.

V. 35. Omni, id eſt quavis.

V. 36. Verbum, id eſt prædicationem.

V. 37. Enim abundat, nec eſt Græc.

V. 42. Constitutus. Græc. & Syr. *definitus*.

V. 43. Nomen eius, id eſt eum.

V. 45. Nationes, id eſt Gentes. Gratia. Græc. & Syr. *donum*. Est; pro, eſſet.

E S T I I.

Verſ. 1, **C**Enturio cohortis, quae dicitur Italica. Non cohortis Italicæ præfectus, ſed unus ex centurionibus cohortis. Nam cohorti toti præficiebatur tribunus, Gr. χιλίαρχος: erant autem ſub tribuno Centuriones, ut etiam patet infra, Act. xxii. vide etiam Annot. cap. xxvii.

V. 2. Religiosus ac timens Deum. Hic Centurio appellatur *Religioſus*, *ac timens Deum*; & Angelus operibus eius teſtimonium perhibet tamquam Deo gratis, quando dicit: *Corneli*, *exaudita eſt oratio tua*, *& eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt*

in

in conſpectu Dei. Cum igitur vir iſte talis eſſet qui a Scriptura, & ab Angelo commendationem haberet; quæritur, utrum ea opera, propter quæ commendatur, ex fide proceſſerint, an facta ſint ſine fide? Oecumenius ex Chryſoſt. putat bona quidem fuiſſe, ſed mortua, quod fidem nondum haberet, ideoque miſſum ad eum Petrum, qui opera eius dirigeret, eis præmium acquireret, Auguſt. Lib. de Prædeſt. cap. VII. dicit eleemoſynas Cornelii acceptas fuiſſe, & exauditam orationem, antequam credidiſſet in Chriſtum. *Nec tamen*, inquit, *ſine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed ſi poſſet eſſe ſine fide Chriſti ſalvus, non ad eum mitteretur Architectus Apoſtolus Petrus*. Et Conc. Arauſicanum 2. can. ult. fidem in eo agnoſcit. Vult ergo Auguſtinus eum habuiſſe fidem unius Dei, quia eum invocabat orando, & ex ea fide dabat eleemoſynas; non tamen, ut apparet, ſine aliqua implicita fide mediatoris. Verſabatur enim inter Iudæos, & eorum religionem colebat, hoc tamen excepto, quod circumciſus non eſſet, quod patet ex eo, quod poſtea Petrus a Iudæis fidelibus culpatur, quod ad incircumciſos introiſſet. Quia autem aderat tempus revelati evangelii, oportebat eum, ſicut & Iudæos omnes inſtrui explicite in fide Chriſti, ut videlicet crederent hunc, nempe Ieſum crucifixum eſſe filium Dei, & Redemptorem mundi. Vide & Gregor. Homil. XIX. in Ezechiel. ſimilia ſentientem. S. Thom. II. 2. quæſt. X. art. IV. ſentit cum Auguſtino, & dicit; eum habuiſſe fidem implicitam, nondum manifeſtata Evangelii veritate. ET DEPRECANS DEUM SEMPER. Noverat ergo Deum, quem timeret & oraret. Quæ notitia non erat tantum naturalis: nam Cornelius non Philoſophus, ſed miles erat. Quantulam ergo notitiam Dei ex rerum creatarum contemplatione poterat eſſe conſecutus? ſed erat fides ſupernaturalis, per Dei gratiam accepta. Morabatur enim inter Iudæos, & de uno vero Deo veriſimiliter ab illis erat inſtitutus: nam, ut hic dicitur verſ. 22. teſtimonium habebat ab univerſa plebe Iudæorum. Quid vero ſit ſemper orare Deum, vide Annot. Luc. XVIII. Porro quæri poteſt; quando Cornelius fuerit iuſtificatus, utrum iam ante Petri adventum & auditam fidem Chriſti, quia iam implicite credebat, an tunc quando accepit Spiritum ſanctum, ut plurimi putant; an denique quando baptizatus eſt, ut quorundam eſt opinio. Et hæc ſingula videntur probabiliter poſſe defendi. Vide noſtra in IV. diſt. IV.

V. 6 HIC DICET TIBI, QUID TE OPORTEAT FACERE. Huius loco dicitur cap. ſequenti: *Qui loquetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu, & univerſa domus tua*, ubi quæri poteſt; Si Cornelius habebat fidem implicitam mediatoris, priuſquam ad eum mitteretur Petrus; quomodo non poterat eſſe ſalvus, niſi a Petro audiret fidem explicitam, cum fides implicita omni tempore ſuffecerit ad ſalutem, iis qui plenius non eſſent de hoc myſterio inſtituti? Et quæro, quod ſi Cornelius fuiſſet mortuus, antequam fuiſſet ei annuntiata fides explicita, nonne ſalvus fuiſſet? Reſp. fuiſſet. Et tamen quia iam venerat tempus manifeſtandi myſterii per Apoſtolorum prædicationem; oportebat illud palam hominibus prædicari, & inter hos, etiam Cornelio. Ad quem ſi Petrus non fuiſſet miſſus ſingulari beneficio providentiæ divinæ; potuiſſet ea quæ audiebat publico rumore ſpargi de Ieſu crucifixo, eiuſque mirandis operibus, & doctrina, contemnere, tamquam homo Romanus & nobilis; ſicut multi etiam Iudæi contemnebant quibus crux Chriſti ſcandalum fuit: aut certe potuiſſet animum non attendere. Et ita fuiſſet periclitata eius ſalus.

V. 10. CECIDIT SUPER EUM MENTIS EXCESSUS. Aug. concione 3. in Pſal. CIII. facta eſt illi mentis alienatio; id eſt, averſa eſt mens eius a conſuetudine corporali ad viſum quendam contemplandum alienum a præſentibus.

V. 11. QUATUOR INITIIS SUBMITTI DE CAELO IN TERRAM. Quatuor lineis, ſeu initiis vas dependebat, quia quatuor partes ſunt orbis, unde futuri populi erant. Et ideo quatuor evangelia prædicant Chriſtum, ut gratia ipſius ad omnes quatuor partes orbis pertinere intelligatur. Aug. in Pſal. XCVI. & concione 3. Pſal. CIII.

V. 14. ABSIT DOMINE. Quod quidam dicunt, Petrum hic admonitum iam adeſſe tempus prædicandi gentibus evangelii, dubitari poteſt; tum quia Petro non fuerat præceptum ut differret gentibus prædicare, donec admoneretur, ſed abſolute dictum fuerat; *Docete omnes gentes*; (quamquam de-

Digitized by Google

debebat expectare opportunitatem, tum quia viſio non admonuit eum de tempore, ſed de re ipſa. Igitur videtur dicendum quod hæc viſio fuerit ei oſtenſa, non propter ipſum, ſed propter alios Iudæos; quibus erat magnum paradoxum, & myſterium abſconditum a ſæculis, gentes fore cohæredes, & corporales, & comparticipes promiſſionis in Chriſto, ad Epheſ. III. Liquet id etiam ex cap. ſeq. Nec repugnat quod verſ. 34. ſequitur: *In veritate comperi*; quia iis verbis non dicit ſe id prius ignoraſſe. Sæpe enim quæ iam ſcimus, adhuc per experientiam, vel alia ratione plenius diſcimus. NUMQUAM MANDUCAVI OMNE COMMUNE, ET IMMUNDUM. Commune, & immundum eadem ſunt, eſtque unum alterius interpretatio. Immunda enim in commune relinquuntur; munda vero ſeparantur, & aſſervantur. Et immunditia legalis facile in publico per converſationem hominum, vel uſum rerum alioqui indifferentem, contrahebatur. Hic quoque notandum Chriſtum in ſua familia cum ſuis Apoſtolis ſervaſſe legem qua parte prohibet immundorum eſum; cuius familiæ poſt Chriſtum coryphæus fuerat Petrus. Munditias autem phariſaicas velut de lotione manuum ante cibum & ſimilia, non obſervabat Chriſtus, neque diſcipuli eius. Ceterum ex his non recte collegerit quiſpiam Petrum hæc dicentem in fide erraſſe, aut fide infirmum fuiſſe, quales erant de quibus Paulus agit Rom. XIV. Primum, quia hæc facta ſunt in ecſtaſi, in qua nihilo magis videtur eius, qui ecſtaſim patitur, voluntas aliquid agere libere, quam in ſomno. Deinde, quia non dicit Petrus ſe peccaturum ſi id faceret, quod iubebatur; ſed prætendit conſuetudinem, a qua, quamdiu inter Iudæos verſabatur, non erat recedendum ne infirmiores offenderentur, quales erant plerique, teſtante S. Iacobo, infra cap. XXI. *Et omnes æmulatores ſunt legis*.

V. 20. ET VADE CUM EIS, NIHIL DUBITANS. Græce, διακρινόμενος, quod Eraſmus vertit; *hæſitans*. Cauſa hæſitandi fortaſſe eſſe poterat quod metueret fratrum reprehenſionem ſi ad gentes præputium habentes accederet, & cum eis communicaret. Hæc enim reprehenſio ſequitur cap. ſequenti: ubi etiam noſter interpres habet hæſitandi vocabulum.

V. 23. ET QUIDAM EX FRATRIBUS AB IOPPE: ſex numero, ut dicitur cap. ſeq.

V. 25. & 26. PROCIDENS AD PEDES EIUS ADORAVIT. PETRUS VERO ELEVAVIT EUM, DICENS: SURGE, ET EGO IPSE HOMO SUM. Non eſt putandum quod Cornelius, qui unum Deum invocabat, & colebat, Petrum, quem ſciebat eſſe hominem, voluerit adorare pro Deo. Sed adoraſſe dicitur, quia externa corporis inclinatione honoravit eum tamquam fidei doctorem, & Apoſtolum. Petrus autem dicens: *& ego ipſe homo ſum*; non ſignificat ſe repellere honorem divinum, ſed conſideratione humanæ conditionis, quam cum illo habebat communem, humiliter, & honeſte honorem recuſat. Unde & Angelus in Apoc. honorem recuſat, propter communionem miniſterii; *quia*, inquit, *conſervus tuus ſuum*. Hæc exempla nos docent inferiores hoc debere conſiderare in ſuperioribus, propter quod honore digni ſunt, ut præfecturam, ſcientiam; ſuperiores autem, propter ſuperbiæ tentationem, debere viciſſim conſiderare, quod commune, aut etiam minus habent, quam qui honorat, ut inde humilientur.

V. 28. VOS SCITIS QUOMODO ABOMINATUM SIT VIRO IUDAEO. Veriſimile eſt Petrum habuiſſe hanc orationem græco, aut latino ſermone. Non enim exiſtimo, Cornelium aut familiam eius (cum eſſent Romani) ſciviſſe, aut intellexiſſe Hebraice, utebatur ergo Petrus dono linguarum accepto in die Pentecoſtes.

V. 35. IN OMNI GENTE, QUI TIMET DEUM, ET OPERATUR IUSTITIAM, ACCEPTUS EST ILLI. Non eſſe mentem B. Petri, quod homo prius timet Deum, & operatur iuſtitiam; & per hoc acceptus Deo, poſtea vocetur ad fidem Chriſti; patet primo ex viſione Petri, in qua præcipitur ei eſus animalium immundorum, quæ in viſione ei oſtendebantur. Ergo mittitur vocaturus immundos, id eſt peccatores, non autem iuſtitiam operantes, ac Deum timentes. Nec obſtat, quod dicitur ei: *Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris*; quia ſenſus eſt, Deum purificaſſe prædeſtinatione. Unde Petrus ab illis per Deum ipſius opera purificandis abhorrere non debuit, ſed potius Deo ad ipſorum purificationem operam ſuam præſtare. Secundo, ex eo, quod Petrus ait: *Verbum miſit Deus*

filiis

Digitized by Google

filiis Iſrael, *annuntians pacem*, *per Ieſum Chriſtum*; ergo pax, & iuſtitia ſine Chriſto haberi non potuit. Item ex eo quod ait: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum*. Nomine autem remiſſionis peccatorum ſolet in Scriptura tota iuſtificatio noſtra comprehendi; ergo priuſquam crederent, nihil habebant iuſtificationis. Denique ſequenti capite dicebant fideles: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*, utique per Chriſtum. Unde ſequitur, quod nec pœnitentiam ſalutarem malæ vitæ anteactæ habere poterant, niſi Deo dante per Chriſtum; quanto minus ipſam iuſtitiam? Quod ergo Petrus dicit: *In omni gente*, *qui timet Deum*, hunc ſenſum habet: In quibuſcumque vera invenitur iuſtitia, quæ eſſe non poteſt, niſi per fidem Chriſti, accepti ſunt Deo. Atqui etiam gentibus conſtituit Deus impertiri veram iuſtitiam, vocando eos ad fidem Chriſti; ergo erunt accepti Deo, & proinde a nobis minime repellendi. Si tamen referas ad Cornelium iam timentem Deum, & operantem iuſtitiam, id eſt bona opera, ſicut in textu dicitur; ſenſus erit quod eatenus fuerit Deo acceptus, quia iam habebat fidem Chriſti implicitam, & per eam bona operabatur, etſi nondum iuſtificatus; acceptus tamen ad iuſtificationem; quia per fidem, & bonorum operum exercitium de congruo quis meretur, ut ad ipſam iuſtitiam perducatur. Sed inde non ſequitur gratiam dari ex merito; quia totum illud ex Deo, & totum eſt gratis.

V. 36. & 37. VERBUM MISIT DEUS FILIIS ISRAEL ANNUNCIANS PACEM, &c. Græce; *Verbum quod miſit*, vel *ſermonem* (λόγον) *quem miſit filiis Iſrael*. Videtur intelligi, verbum Evangelicum. Non accipitur λόγος, ſicut Ioan. I. & alibi pro filio Dei; quia ſequitur; PER IESUM CHRISTUM. Et ſtatim poſt: VOS SCITIS QUOD FACTUM EST VERBUM PER UNIVERSAM IUDAEAM, græce ῥῆμα. Vide tamen an ſic recte accipiatur ſecundum Græcos: Sermo, λόγος, quem miſit Deus filiis Iſrael, annuncians pacem per Ieſum Chriſtum; is ipſe, inquam, ſermo eſt omnium Dominus; an potius ſit Eclipſis aliqua in ſermone ut ſubaudiatur; *Annuntio vobis*; vel ex parte ſequenti *noſtis*.

V. 42. QUI CONSTITUTUS EST A DEO IUDEX VIVORUM ET MORTUORUM. Viſo de comment. II. ad Timoth. IV.

V. 43. HUIC OMNES PROPHETAE TESTIMONIUM PERHIBENT, &c. Quomodo omnes Prophetæ, vide Annotat. Lucæ XXIV.

V. 47. UT NON BAPTIZENTUR HI QUI SPIRITUM SANCTUM ACCEPERUNT, SICUT ET NOS? *Nos*; an Apoſtoli, an Iudæi? videtur enim velle dicere quod gentiles non ſint prohibendi a baptiſmo, quo nomen dent Chriſto, quandoquidem iam Spiritum ſanctum acceperunt ſigno viſibili, ſicut & Iudæi acceperant. Ita cap. ſequenti: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus*, *ſicut & nobis qui credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum*, id eſt Iudæis fidelibus. Et notandum quod Iudæi fideles non abſolute putabant gentiles ab evangelio repellendos, ſed volebant eos prius circumcidi: Petrus autem docet id non eſſe opus; quia ſine circumciſione iam acceperant Spiritum ſanctum. Idem repetit Actor. XV. pro argumento ſuæ ſententiæ, quod lex non ſit gentibus imponenda.

V. 48. ET IUSSIT EOS BAPTIZARI. Per quos? utique per fratres illos quos ſecum adduxerat. Erant ergo illi fratres aut preſbyteri, aut ſaltem diaconi, quos Petrus iam ante, multis diebus moratus in Ioppe, miniſtros Eccleſiæ ordinaverat. Itaque ſicut Chriſtus ipſe non baptizabat, nec Paulus I. Cor. I. & Act. XIX. ita nec Petrus per ſe, ſed iuſſit id fieri per alios. Fuerunt ergo ab initio in Eccleſia qui Sacramenta adminiſtrarent, ſed ad evangelizandum verbum Dei, minus erant idonei.

MARIANAE.

Verſ. I. ERAT IN CAESAREA. Hæc erat Cæſaræa Palæſtinæ, ſita ad Mare mediterraneum ædificata ab Herode primo, ubi erat turris Stratonis in honorem Auguſti. Fuit Palæſtinæ caput Romanorum tempore, ut Tacitus ait Libro XVIII. diſtincta a *Cæſarea Philippi*, de qua dictum eſt Matth. XVI. 13. Huius urbis Epiſcopus fuit Cornelius Centurio, de quo hic agitur, a Petro conſtitutus, ut ait Iſidorus in Chron. ſeu potius Lucas Tudenſis in ſuis ad illud Additionibus. CEN-

Google

TURIO COHORTIS; pro, ex cohorte. Continebat *cohors* fere mille milites.

V. 3. IS VIDIT. Græc. *vidit:* ſic Gotth. ſine *is*, ſed non refert.

V. 6. HIC DICET TIBI QUID TE OPORTEAT FACERE. Hoc totum in multis Græcis codicibus non eſt: quinque notat Robertus; ait tamen in uno codice pro his verbis eſſe Græce: *Hic loquetur verba ad te, in quibus ſalvus eris tu & omnis domus tua:* ſed ſumptum videtur ex cap. XI. 14. In Reg. & Roberti, ſuperiora verba obelo ſunt notata; in Gotth. penitus deſunt, & Syr. Neque huic vulneri Veleſius medetur, qui ſolet ſanare cetera. Nec nos a Vulgata recedimus.

V. 10. MENTIS EXCESSUS. Gotth. *mentis ſtupor*: ſic vox ἔκστασις, quæ hic eſt, vertitur ab Interprete cap. XXII. 17.

V. 12. IN QUO ERANT OMNIA QUADRUPEDIA, non vera, ſed in imagine, ut Cyrillus ait Lib. IX. contra Iulianum Apoſtatam.

V. 18. ET CUM VOCASSENT, ſcilicet aliquem e domeſticis, aut *vocare* ſumatur pro pulſare ianuam, qua phraſi Hiſpani vulgo utimur.

V. 21. DESCENDENS AUTEM PETRUS AD VIROS. Græc. additur, *miſſos a Cornelio ad ipſum*. Quod unus Veleſius notat obelo.

V. 25. CUM INTROISSET PETRUS, aut *introiret*; ut Syr. & Gotth. ADORAVIT Cornelius, ſeu *oſculatus eſt* Petrum: id eſt Græcum verbum ſignificat, ſeu *adoravit*, id eſt veneratus eſt.

V. 28. ABOMINATUM: ἀθέμιτον, *illicitum*, ut Gotth. viro Iudæo accedere ad alienigenam.

V. 30. A NUDIUSQUARTA DIE, id eſt ante quatuor dies. USQUE AD HANC HORAM, ſupple ex Græco, *ieiunas*. ORANS ERAM HORA NONA: nempe, hac ipſa loquor. ET ECCE VIR, id eſt Angelus ſpecie humana. IN VESTE CANDIDA. Græc. *ſplendida*: ſic Gotth. ſed *candidum*, *ſplendens* vocari iam diximus. Porro *nudius* eſt ex Feſto, quaſi *nunc dies*, eſtque ut dies communis generis.

V. 36. VERBUM MISIT DEUS. Gotth. *verbum enim ſuum miſit filiis Iſrael:* ſic Græc. dempta coniunctione *enim*.

V. 41. POSTQUAM RESURREXIT A MORTUIS. Beda ait, in quibuſdam codicibus addi *per quadraginta dies*, ſcilicet dedit Chriſtum manifeſtum fieri. Nos tamen eius lectionis nullum veſtigium invenimus.

V. 45. ET OBSTUPUERUNT: ἐξέστησαν; vide quod de *ecſtaſi* diximus verſ. 10. EX CIRCUMCISIONE *qui erant* (ſupplet Gotth) *ex circumciſione fideles*, ii obſtupuerunt.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN CAESAREA: Palæſtinæ, quæ ſita erat ad mare mediterraneum, & prius dicebatur turris Stratonis, ut ſupra monuimus. CORNELIUS CENTURIO, &c. Videtur fuiſſe Italus, & Romanus, nam gens Corneliorum Romæ fuit nobiliſſima. Flavius Dexter anno Chriſti 34. ait fuiſſe Hiſpanum. Franciſcus Binarius in locum illum Dextri comment. III. contendit probare cohortem hanc Italicam cuius hic mentio, ex Italica urbe Hiſpaniæ collectam fuiſſe. Vide ipſum Bivarium de hoc multis diſputantem.

V. 2. RELIGIOSUS, AC TIMENS DEUM: pius, & religioſus erga Deum. DEPRECANS DEUM SEMPER, id eſt frequenter, aſſidue, quatenus ſcilicet illi licebat per domeſtica, & militaria negotia.

V. 3. IN VISU MANIFESTE: oculis corporis. QUASI HORA DIEI NONA: tertia pomeridiana: vide dicta ſupra III. 1. ANGELUM DEI: videtur fuiſſe Angelus Cornelii cuſtos.

V. 4. ASCENDERUNT IN MEMORIAM: εἰς μνημόσυνον, ut ſcilicet quaſi memoriale a te ſubmiſſum ad Deum, ſerventur, & ſemper obverſentur ante conſpectum Dei.

V. 5. ET NUNC: itaque. ACCERSI SIMONEM: non iubet Cornelium ire ad Petrum, ſed ipſum Petrum accerſiri; quia cum Cornelio totam eius familiam fidem edoceri, & baptizari volebat.

V. 9. IN SUPERIORA: in ſuperiorem domus partem, in tectum quod planum erat de more regionis, ut ibi commodius oraret. CIRCA HORAM SEXTAM: quæ hora inſignis eſt morte Chriſti in cruce.

V. 10. VOLUIT GUSTARE: cibum capere. Vox *guſtare*, ſobrietatem Petri indicat in cibo capiendo. CECIDIT SUPER EUM MENTIS EXCESSUS: raptus eſt in extaſim. Vox *cecidit* oſtendit extaſim fuiſſe divinitus immiſſam.

V. 11. VIDIT CAELUM APERTUM: imaginarie, & in mentis exceſſu, de quo proxime. VAS QUODDAM: linteum quoddam vaſis formam quodammodo referens, ſubmiſſum e cælo per quatuor ſummitates, id eſt per quatuor extremos angulos.

V. 12. OMNIA QUADRUPEDIA: omne genus quadrupedum.

V. 13. ET FACTA EST VOX: imaginaria, & mentalis; talis enim ſolet fieri in extaſi. OCCIDE: θῦσον, quod etiam verti poteſt, *ſacrifica*, vel immola: olim enim manducabant etiam laici ex victima occiſa, & immolata Deo.

V. 14. OMNE COMMUNE: quidquam impurum, & profanum. Iudæi ne gentiles offenderent cibos lege Moſis vetitos non vocabant immundos, ſed communes.

V. 15. QUOD DEUS PURIFICAVIT: legem veterem vetantem aliquos cibos quaſi legaliter immundos per novam Chriſti legem abolendo. COMMUNE NE DIXERIS: μὴ κοινοῦ, *ne commune facias*, hoc eſt ne contamines, ne polluas, hoc eſt, ne contaminatum, & pollutum dixeris, aut cenſueris.

V. 16. HOC FACTUM EST PER TER: ter vidit vas ad ſe demitti, ter repetitus eſt totus dialogiſmus præcedens. RECEPTUM EST VAS IN CAELUM: ita ut amplius non fuerit demiſſum. Quid viſione hac lintei vaſis ſignificatum fuerit patebit ex ſequentibus.

V. 17. QUIDNAM ESSET VISIO: quidnam ſignificaret.

V. 19. DIXIT SPIRITUS: per internam inſpirationem. NIHIL DUBITANS: illos ſequi, & ad Cornelium proficiſci.

V. 22. TESTIMONIUM HABENS, &c. omnes enim Iudæi teſtantur Cornelium eſſe virum bonum, iuſtum, timentem Deum, &c. AUDIRE VERBA A TE, ſcilicet verba ſalutis, & Evangelii.

V. 23. EXCEPIT HOSPITIO, ἐξένισεν, id eſt *hoſpitio recepit*, laute pro præſenti copia habuit; hoc enim ſignificat Gr. ξενίζειν. ET QUIDAM EX FRATRIBUS: ut minimum ſex, ut habetur cap. XI. 12.

V. 24. ALTERA DIE INTROIVIT CAESAREAM: ut enim patet ex tabulis Adrichomii diſtat a Ioppe ſpatio quindecim leucarum, ſive horarum. CONVOCATIS COGNATIS SUIS, &c. & officii cauſa ut venientem Petrum magis honorifice exciperet, & præcipue ut verba ſalutis audirent, & tanti boni eſſent participes. NECESSARIIS AMICIS: amicis magis intimis.

V. 25. CUM INTROIISSET: domum. ADORAVIT: non tamquam Deum, aut Angelum, ſed adoratione civili, & religioſa, ut ſolemus etiamnum viris principibus, præſertim Eccleſiaſticis, etiam genuflexo nos ſubmittere.

V. 26. ET EGO IPSE HOMO SUM. Ita loquitur Petrus modeſtiæ cauſa; quaſi dicat, Surge Corneli, ergo enim homo ſum tui ſimilis, ac proinde nolo ut te ante me proſternas.

V. 28. ABOMINATUM: ἀθέμιτον, nefas, contra ius, illicitum. Iudæi enim abominantur Gentiles quaſi infideles, impios, impuros, pollutos. OSTENDIT MIHI DEUS, &c. Ex hoc iam apparet quid proxime narrata viſione ſignificare voluerit Dominus. COMMUNEM: vide dicta verſ. 14.

V. 29. SINE DUBITATIONE: ἀναντιῤῥήτως, id eſt *expedite*, *incunctanter*, *citra contradictionem*. INTERROGO, &c. Sciebat Petrus ex viſione lintei, ex inſtinctu Spiritus ſancti, ex nuntiis præmiſſis quid vellet Cornelius. Interrogat tamen eum ut plenius animum illius perſcrutetur, & acuat eius deſiderium audiendi res fidei, & ſalutis.

V. 30. A NUDIUS QUARTA DIE: ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας, id eſt *die ab hinc quarta*. Prima die viderat Angelum, & miſerat nuntios; ſecunda hi pervenerant Ioppen; tertia iidem cum Petro profecti ſunt; quarta Cæſaream pervenerunt. USQUE AD HANC HORAM, &c. Senſus eſt, quaſi dicat: Quarto ab hinc die eram ieiunans uſque ad horam hanc veſpertinam, quando more meo orans hora nona, vidi Angelum; vel ſenſus eſt: Sed ad hanc horam computemus, erit nunc dies quarta quaſi completa, in qua die hora nona orabam. Aliter vertit S. Chryſoſt. ſcilicet *a quatuor diebus eram ieiunans, cum hora nona orans vidi Angelum*, &c. ita ut quatriduanum ieiunium Angelicam viſionem præceſſerit, quæ explicatio textui græco bene convenit. IN VESTE CANDIDA: λαμπρᾷ, id eſt *ſplendida*, color enim candidus eſt lucidus, & ſplendidus.

V. 31. EXAUDITA EST ORATIO TUA: qua oraſti pro ſalute tua, & tuorum. ELEEMOSINAE TUAE COMMEMORATAE

SUNT;

Digitized by Google

SUNT; quaſi dicat: Deus recordatus eſt eleemoſynarum tuarum, ac propter eas impertiet tibi lucem Evangelii. Vide dicta verſ. 4.

V. 33. BENEFECISTI VENIENDO: bene de nobis meritus es veniendo. IN CONSPECTU TUO ADSUMUS: parati audire, & facere quæcumque ex Deo iuſſeris.

V. 34. APERIENS OS SUUM. Vide dicta ſupra cap. VIII. 35. COMPERI: καταλαμβάνομαι, id eſt comperio, deprehendo, video. PERSONARUM ACCEPTOR: ut ſcilicet Iudæos præ Gentibus ad Eccleſiam ſuam elegerit.

V. 35. OMNI GENTE: qualibet gente, aut natione. OPERATUR IUSTITIAM: bene agit, recte ſentiens, & bonis utens moribus.

V. 36. VERBUM MISIT DEUS. Prædicationem intelligit, vel res a Chriſto dictas, & factas, videturque alludere ad illud Iſa. IX. 8. *Verbum miſit Dominus in Iacob, & cecidit in Iſrael.* PACEM, id eſt reconciliationem cum Deo. HIC EST OMNIUM DOMINUS. *Hic*, ſcilicet, Ieſus Chriſtus.

V. 37. VOS SCITIS; id eſt, rumore audiſtis, ex fama, quæ late vagata eſt. QUOD FACTUM EST VERBUM PER UNIVERSAM IUDAEAM, id eſt quæ dixerit, ac fecerit Ieſus per univerſam Iudæam; quæ acciderint Ieſu Chriſto prædicante, & miracula patrante. PER BAPTISMUM QUOD. Pronomen *quod*, refertur ad *baptiſmum*, in Græco enim eſt βάπτισμα ὃ, *baptiſma quod*.

V. 38. IESU A NAZARETH; ſcilicet, ſcitis eſſe verbum iam dictum, auctorem illuſtrium facinorum quæ audiſtis. UNXIT EUM DEUS SPIRITU SANCTO. Abundantia Spiritus ſancti eum perfudit. Euſeb. Lib. IV. demonſt. cap. XV. docet gratiam Spiritus ſancti recte vocari oleum & unctionem, quia inſtar olei nitidos facit, lucidos, fortes, vegetos, & hilares. ET VIRTUTE: δυνάμει, id eſt *potentia*. Chriſtus enim divinam oſtendit potentiam, præſertim patrando miracula, mortuos ſuſcitando, &c. QUI PERTRANSIIT BENEFACIENDO: qui Iudæam peragravit beneficiis afficiens populos. OPPRESSOS A DIABOLO: tyrannide Diaboli in poteſtatem eius redactos. Poſſeſſos a Diabolo, vel quoad animam, vel quoad corpus, vel quoad utrumque. QUONIAM DEUS ERAT CUM ILLO: per unionem hypoſtaticam, per eximiam gratiam, & per potentem operationem miraculorum, & ſanitatum, & efficacem prædicationem, &c.

V. 39. QUEM OCCIDERUNT: Iudæi. IN LIGNO; Crucis.

V. 40. HUNC DEUS SUSCITAVIT, id eſt hic reſurrexit virtute divinitatis ſuæ. ET DEDIT EUM MANIFESTUM FIERI: variis apparitionibus poſt reſurrectionem.

V. 41. NON OMNI POPULO: ſed Apoſtolis tantum, aliiſque fidelibus ſuis. POSTQUAM RESURREXIT A MORTUIS: vide dicta ſupra cap. I. 4.

V. 42. CONSTITUTUS: ὡρισμένος, id eſt definitus, deſtinatus, deſignatus, ſcilicet qua homo eſt. VIVORUM ET MORTUORUM. Vivi vocantur, qui in die iudicii vivi reperientur, qui tamen morientur, & reſurgent; mortui, qui pridem erant defuncti.

V. 43. HUIC OMNES PROPHETAE TESTIMONIUM PERHIBENT, &c. Per hunc ut patet ex omnium Prophetarum teſtimonio remiſſio datur peccatorum, &c. PER NOMEN EIUS, id eſt per eum.

V. 44. CECIDIT SPIRITUS SANCTUS: viſibili ſpecie, ſcilicet in igneis linguis, incumbens capiti Cornelii, & domeſticorum eius. Id patet ex capite ſequenti verſ. 15. ubi dicitur: *Cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & ſuper nos initio.* AUDIEBANT VERBUM: Petri, eos ad fidem inſtituentis.

V. 45. EX CIRCUMCISIONE FIDELES: fideles, qui ex Iudaiſmo converſi in Chriſtum crediderant. IN NATIONES: ἔθνη, Gentes, & Gentiles. Putabant Iudæi Chriſtum, Chriſtique gratiam, & Eccleſiam Iudæis ſolis eſſe promiſſam, & deſtinatam a Deo, gentes autem ab illa excludendas.

V. 46. LOQUENTES LINGUIS: donum enim linguarum conſecuti fuerant, ſicut Apoſtoli in die Pentecoſtes. MAGNIFICANTES DEUM: divinas laudes celebrantes.

V. 47. RESPONDIT PETRUS: exorſus eſt ſermonem. NUMQUID AQUAM PROHIBERE QUIS POTEST? id eſt, num aliquid obſtat quo minus hi baptiſmo initientur, qui S. Spiritu repleti ſunt ut nos? quaſi dicat, Sane nihil.

V. 48. IN NOMINE DOMINI IESU, id

Digitized by Google

eſt baptiſmo Chriſti, qui perficiebatur per ablutionem aquæ, & invocationem divinarum perſonarum. UT MANERET APUD EOS, &c. ut nimirum plenius inſtruerentur in rebus ad fidem ſpectantibus.

TIRINI.

Verſ. 1. *&* 2. CAESAREA Palæſtinæ metropolis ad mare ſita, ut alias *a* dixi, maxima civitatum Iudææ, inquit Ioſephus *b*, ac proinde firmo Romanorum præſidio communita, utpote arx & antemurale Palæſtinæ. Unde & converſa ad Chriſtum Metropolitanæ Eccleſiæ titulo præcellebat toti terræ ſanctæ poſt exciſam a Tito Ieroſolymam, adeo ut Epiſcopus Ieroſolymitanus ſubiiceretur Cæſareenſi, donec anno demum Chriſti 553. Vigilius Papa in Concilio Conſtantinopolitano Ieroſolymitanam Eccleſiam in Patriarchalem evexit, & Cæſareenſem illi ſubiecit: ita Baronius *c*. Huic urbi inter alios duces pro præſidio erat CORNELIUS, Italus, Romanus, ex illuſtri (ut apparet) Corneliorum familia *d*, CENTURIO COHORTIS, ſeu in cohorte, QUAE vocatur ITALICA, ex Italis ſolis conflata. Putat Baronius, hanc cognominatam fuiſſe *ferratam*, quam ſcribit Dio in Iudæa ab Auguſto Cæſare collocatam. Caietanus vult *Cornelium* fuiſſe centurionem primæ cohortis ex decem, quibus legio conſtabat, proinde *primipilus*, ſeu primi ordinis ductor dicebatur & aquila illi præferebatur, inſigne Romanorum, & quadringentos milites in prima acie gubernabat, teſte Vegetio *e*, & equeſtribus ornamentis, & equeſtri cenſu gaudebat, ut docet Lipſius *f*. Tanti militis necdum Chriſtiani audi inſignes quatuor virtutes. Primo RELIGIOSUS erat AC TIMENS DEUM. Secundo, curabat ut & *omnis domus*, id eſt tota familia, *ſua* talis eſſet. Tertio, *faciebat* ELEEMOSYNAS MULTAS PLEBI. Quarto, *deprecabatur* DEUM SEMPER, id eſt aſſidue orationi vacabat, nempe quantum illi per negotia liceret. Imitentur id noſtri duces & principes Chriſtiani. Porro ex his, ni fallor, contra S. Baſilium *g*, Chryſoſt. Oecumen. & Stapletonum conſtat, Cornelium antequam Petrum acceſſeret, iuſtum fuiſſe & in ſtatu gratiæ: quod verſ. 22. & 34. diſerte affirmatur, & eſt pene communis Doctorum ſententia. Colebat ergo Deum Cornelius, ſicut olim Iob eiuſque amici. Et iam Petrus ad illum mittitur, ut inſtruat de adventu Meſſiæ, baptizet & in Eccleſiam admittat: facta enim iam promulgatione novæ legis, opus erat fide explicita in Chriſtum, itemque baptiſmo, non ad acquirendam, ſed ad fovendam ſtabiliendamque Cornelio iuſtitiam. Et hoc ſibi vult S. Gregorius *h* cum ait, *Cornelium per fidem*, ſcilicet implicitam in Chriſtum, *veniſſe ad bona opera: & per bona opera meruiſſe fidem*, ſcilicet explicitam: meruiſſe, inquam, non viribus vel operibus ſolius naturæ, ut fingebat Pelagius, ſed adiutum gratia Dei tum excitante, tum cooperante, ut recte docet S. Proſper & alii Doctores.

V. 3. HORA DIEI NONA: quæ eſt poſt meridiem tertia Cornelio, veriſimiliter occupato oratione veſpertina horæ nonæ apparet illi Angelus MANIFESTE, id eſt corporaliter & viſibiliter, ut omnem illuſionis metum excluderet. Lyranus & Dionyſius volunt angelum hunc fuiſſe cuſtodem Cornelii.

V. 5. ACCERSI PETRUM: vult enim Deus homines inſtrui per homines. Et hic quidem hos Gentiles per *Petrum*, id eſt per principem & caput ſupremum Eccleſiæ: quia huius erat aperire ianuam Eccleſiæ Gentilibus: & volebat Deus Petrum, ſicut primus omnium poſt Chriſtum *k* prædicarat Evangelium Iudæis, ita etiam primum prædicare illud Gentilibus.

V. 10. CECIDIT SUPER Petrum MENTIS EXCESSUS, id eſt raptus eſt in exſtaſin Petrus, mente eius a terrenis & ſenſibilibus abducta ad percipienda cæleſtia & ſpiritualia myſteria.

V. 11. & 12. VIDIT ergo, non oculo corporeo, ſed mente, CAELUM APERTUM, quod haſtenus clauſum fuerat Gentibus, ſed iam per cæli clavigerum *l* reſerari illis debebat. VAS, id eſt receptaculum ingens, ſed linteum, inferne concavum, ſuperne apertum, QUATUOR ſui INITIIS, id eſt angulis, e *cælo demiſſum*, IN QUO ERANT OMNIA, id eſt omnis generis, QUADRUPEDIA ET SERPENTIA ET VOLATILIA, id eſt animalia tam immunda, quam munda; ex mente Origenis, Ambroſii, Hieronymi, Auguſt. *m* Gregorii, Bedæ & aliorum,

ſym-

ſymbolum erat *Eccleſiæ*: quæ inſtar lini puriſſima, non modo fide & doctrina, ſed & moribus, *non habens maculam, neque rugam n*, de cælo ad nos delapſa *o*, & per quatuor mundi plagas expanſa, complectitur ſinu ſuo quævis gentes, quantumcumque turpibus ante ac ferinis moribus, atque a legali Iudæorum munditie alienas. Ter demittitur e cælo; primo, in lege naturæ; ſecundo, in lege Moſaica; tertio, in lege Chriſti.

V. 13. OCCIDE ET MANDUCA. Leonino ſit animo, & ſtruthionis habeat ſtomachum Prælatus Eccleſiæ, qui etiam ſerpentes & quævis alia venenata animalia in bonum Chriſti ſuccum & Eccleſiæ alimentum convertat, qui errores omnes, pravos mores & affectus iugulet, & digerat, inquit S. Gregorius *p*.

V. 14. COMMUNE, id eſt immundum, impurum, profanum. Iudæi enim, ne Gentiles offenderent, cibos eorum qui lege Moſaica vetabantur *q*, non vocabant *immundos* aut profanos, ſed *communes*, quod communiter a quovis Gentili comedi poſſent. Rabbi Moyſes & R. Salomon apud Lyranum tradunt, tempore Meſſiæ nulla amplius animalia fore immunda, ſed omnia mundanda per ipſius legem, qua

V. 15. DEUS PURIFICAVIT omnia, eo ipſo quo legem Moſaicam, certos cibos quaſi immundos vetantem, per novam Chriſti legem nil tale vetantem, abolevit. Nihil ergo hic contra ieiunium Eccleſiæ, & abſtinentiam pœnitentiæ cauſa a certis cibis ſubinde indictam.

V. 22. VERBA: ſupple, vitæ & ſalutis æternæ, ut explicatur cap. ſeq. verſ. 14. Sic enim ſolet antonomaſtice ſumi *verbum* in Scripturis, maxime in Epiſtolis S. Pauli: ſicut *Scriptura* pro libris ſacris ac divinis.

V. 25. & 26. CORNELIUS Petrum ut Prophetam & patrem ſuum ſpiritualem ADORAVIT adoratione profunda & religioſa, non tamen latreutica, ſed humana, quo modo olim Abraham adoravit filios Heth, & Alexander Magnus *ſ* Iaddum pontificem Iudæorum, & modo Catholici adorant Pontificem Romanum, aliosque Eccleſiæ Prælatos.

Petes, Si non adoravit latria, cur Petrus dum modeſtiæ cauſa recuſat adorari, cauſam affert, EGO IPSE HOMO SUM? Reſpondeo, Quia tam profunda proſtratio Iudæis Petri comitibus eiuſmodi ceremoniæ inſuetis, poterat quaſi latreutica videri ac proinde ſcandalo eſſe: quare nolo inquit Petrus, a te talem mihi deferri honorem, qui angelis potius debetur: ut enim purus ſum homo, ita inſtar puri hominis volo comiter & familiariter vobiſcum agere. Simili de cauſa noluit angelus a Ioanne adorari genuflexione, ut videbimus in Apocalypſi XIX. 10.

V. 30. A NUDIUS QUARTA DIE, ſeu nudius quartus, vel quarta ab hinc die, ERAM ORANS (in Græco & Syro additur *ieiunus*) HORA NONA USQUE AD HANC undecimam, ſeu veſpertinam, *hanc*, qua tu nunc Petre domum meam ingrederis.

V. 31. EXAUDITA EST ORATIO TUA: qua continuo & inſtanter oras pro tua tuorumque ſalute.

V. 34. & 35. DEUS NON EST ACCEPTOR PERSONARUM, nempe in diſtribuendis ſuis fidei & gratiæ donis non reſpicit natales vel ſimiles qualitates perſonarum, an videlicet ex Iudæis ortæ ſint, an ex Gentilibus, an *circumciſus* quis ſit, an præputiatus. Solam reſpicit, *an quis timeat*, id eſt colat, *Deum* & *operetur* IUSTITIAM, id eſt iuſte vivat. Huic enim omni tali, ex quacumque demum GENTE, ſeu natione fuerit, ſinum aperit ut gratiæ, ita & Eccleſiæ ſuæ.

V. 36. VERBUM, nempe Evangelii, ut ſupra dixi verſ. 22. MISIT quidem DEUS primum FILIIS ISRAEL, id eſt Iudæis, ſed dein etiam omnibus Gentibus, omnibus *pacem* & reconciliationem cum Deo ANNUNTIANS & impertiens PER IESUM qui EST OMNIUM DOMINUS.

V. 38. UNXIT, id eſt quaſi infuſo oleo copioſiſſime replevit, SPIRITU SANCTO ET VIRTUTE, ſeu potentia, v. g. expellendorum dæmonum, patrandorum miraculorum, convertendarum animarum, &c

V. 43. ACCIPERE, id eſt quod accipiant, REMISSIONEM PECCATORUM OMNES QUI CREDUNT IN Chriſtum fide non mortua, ſed viva, quæ in ſpei, timoris, cultus divini, & caritatis actus ſeſe exerit, ut alibi *t* exponitur.

V. 44.

V. 44. Spiritus sanctus viſibili ſpecie, puta linguis igneis *u*, incumbendo capitibus ſingulorum, cecidit super Cornelium, eiuſque domeſticos & amicos præſentes. Etſi enim hi nondum eſſent baptizati, per contritionem tamen & baptiſmum in voto iam erant iuſtificati, atque ita capaces donorum Spiritus ſancti. Hoc autem voluit Deus ex ſingulari privilegio concedere his primis Gentilibus, ut palam faceret Iudæis haud dubie obmurmuraturis admiſſioni Gentilium, velle ſe etiam illos in Eccleſiam & ad Sacramenta admitti. Quis enim audeat repellere quos Deus admiſit?

V. 48. Et iussit Petrus eos per comites ſuos Iudæos baptizari in nomine Domini Iesu, id eſt baptiſmo Chriſti, de quo ſupra *x*. Atque ita per Cornelium Gentibus publice apertum eſt oſtium Eccleſiæ. Nam ante non niſi tecte, & quaſi ex privilegio, paucuis, & forte non niſi proſelytis ante factis id conceſſum fuerat, v. g. Centurioni in Capharnaum, Syrophœniſſe *y*, & quibuſdam aliis Gentibus Chriſtum videre volentibus *z*, item eunucho Candacis *aa* reginæ AEthiopum, &c. Sed cum *Cornelio* ſolemniter & ex profeſſo cœpit Gentilibus Evangelium prædicari & baptiſmus impertiri; & hoc deinceps toto orbe uſurpatum. Clemens Romanus *bb* & Martyrologium 2. Februarii dicunt, hunc Cornelium poſt Zachæum a S. Petro creatum eſſe Epiſcopum Cæſareenſem: ipſamque Cornelii domum converſam in Eccleſiam, extitiſſe adhuc tempore S. Hieronymi, docet ipſe Hieronymus *cc*. Quarto anno a morte Chriſti hæc contigiſſe, dixi in Chronico *dd*. Porro reſerato iam oſtio Iacobus Apoſtolus in Hiſpaniam excurrit, ut ibidem adnotavi. Et Antiochiæ in Syria tantus converſus eſt numerus Græcorum, id eſt Gentilium, ut Petrus cathedram ſuam Epiſcopalem uno alterove poſt anno ibidem figere voluerit, ducto ſecum Cornelio, uti habes in eius Vita apud Surium *ee*, in qua tamen non pauca apocrypha, inquit Lorinus.

(a) Actor. VIII. 40.
(b) Ioſeph. Lib. III. Belli cap. XIV.
(c) Baron. anno 35.
(d) Ant. Auguſtinus Lib. de Familiis Romanorum.

(e) Veget. Lib. II. cap. VI.
(f) Lipſ. Lib. II. de Militia Roman.
(g) Baſil. in Regulis breviorib. reg. 224.
(h) Greg. homil. IX. & XIX. in Ezechiel.
(i) Proſper. II de Libertate arbitrii. Chron. cap. II.
(k) Actor. II. & III.
(l) Matth. XVI. 17.
(m) Orig. hom. VII. in Levit. inter opera Cirillo aſcripta. Ambroſ. Serm. X. Hieron. epi. lxxxix. ad S. Auguſt. Auguſt. Serm. XXXVI. de Diverſis.
(n) Epheſ. V. 27.
(o) Apocal. II. 2.
(p) Greg. Lib. XXX. Moral. cap. VII. & XI.
(r) Levit. XI.
(r) Liranus Gen. IX. 4.
(ſ) Geneſ. XXIII. 7. Ioſeph. Lib. XI. Antiq. cap. VIII. & in Chronico noſtro cap. XIII.
(t) Iacobi II. 24.
(u) Hic verſ. 46. & cap. ſeq. 15.
(x) Cap. II. 38.
(y) Matt. VIII. 5. Matt. XV. 22. Marc. VII. 26.
(z) Ioan. XII. 20.
(aa) Actor. VIII. 27.
(bb) Clem. Lib VIII. Conſtitut. cap. XLVI.
(cc) Hieron. epiſt. XXVII. de peregrinat. S. Paulæ.
(dd) Chronic. cap. ult.
(ee) Surius 13. Sept.

GORDONI.

Verſ. 1. IN Palæſtina ad mare mediterraneum eſt hæc Cæſarea, olim dicta Turris Stratonis; a Romanis cuſtodiebatur firmo præſidio, cui præerat iſte Cornelius, vir (ex probabiliori ſententia) Romanus, ſed pius & religioſus erga Deum; ſeu deprecans Deum semper: ſane prout licebat. Centurio præerat centuriæ, ſeu centum militibus. (poſtea tamen auctus eſt numerus) Cohors (decima pars legionis) conſtabat 50. manipulis: manipulus viginti quinque militibus, ac proinde cohors conſtat militibus 1250. Gallis vocatur *Regiment*: ſunt ſtatarii milites. Erat olim cohors, ut dicebam, decima pars legionis: verum licet tempore Cæſaris legio conſtaret 12500. militibus, poſtea tamen reducta eſt ad 6600. *Italicæ*, cohortis: conſtabat Italis.

V. 3. & 4. Et vidit in visu. Quia eſt manifeſta viſio, ideo ocularis cenſetur: notatur hora diei nona; eſt tertia pomeridiana. Supra de horis Iudaicis. Matt. XXVIII. In horis orationis præcipuis erat hæc nona. Narrat Angelus probatas Deo fuiſſe Cornelii orationes & eleemoſynas; unde conſequi videtur Cornelium fuiſſe iuſtum, & iuſtificatum antequam veniret ad eum Petrus. Et quamvis id negetur a Chryſoſto-

mo

mo & Oecumenio; verius tamen affirmant Gregorius hom. ix. & xix. in Ezech. S. Thomas iii. p. quæſt. lxix. art. 4. ad 2. Lorinus in hunc locum, Valentia, & alii recentiores. Ratio optima eſt, quia hic vocatur pius ac timens Deum; & opera eius grata Deo: hoc, inquam, ponit eſſe iuſtum, cum peccator gratus Deo non ſit. Ergo, inquies, non egebat opera Petri? Reſpondeo eguiſſe: nam præter præceptum Angeli de vocando Petro, & iuſtificationem hanc primam includentem votum baptiſmi, porro ex baptiſmo accepit gratiæ incrementum, acceſſit manuum impoſitio; & denique ſic aperiendum erat oſtium gentibus ad ſalutem, ut infra verſ. 48.

V. 9. ASCENDIT PETRUS. Hic iam de altera viſione, quæ Petro obvenit. Superiora domus in Palæſtina ſunt tecta plana. Erat hora ſexta ab ortu ſolis, & meridies, & per mentis exceſſum, *ἔκςασιν*, non, inquam, per oculorum viſionem, ſed mentis & imaginariam: ſicut etiam vox, quæ hic dicitur facta, fuit imaginaria.

In vaſe hoc ſeu receptaculo linteo erant quadrupedia, non quidem ſingula omnia, ſed ex omni genere aliqua, ut explicat Syrus. An vero fuerint tantum immunda ſine mundis animalibus, certatur: verum quia exhortet Petrus, veriſimilius eſt non fuiſſe munda ulla, ſaltem repræſentata Petro. Ad intentionem litteræ, animalia immunda ſunt gentiles admittendi ad fidem: moralia ſunt quæ plerique proferunt de variis vitiorum generibus, ad quæ extirpanda mittuntur paſtores Eccleſiæ.

V. 15. & 16. QUOD DEUS PURIFICA CAVIT. Abiit & abrogata eſt lex vetus: nihil deinceps commune vel pollutum in cibis, nihil etiam eſt, cur Eccleſia Chriſtiana non admittat ad fidem gentes: omnes potens eſt purificare Sanguis Chriſti. Ceterum verſ. 16. ter dicitur res hæc peracta: ter vas dimiſſum; ter dictum, ne putes eſſe aliquid commune & pollutum: repetitio hæc, gravior aſſertio eſt.

V. 16. & 17. ET STATIM. Hoc dialogiſmo explicata redditur utraque viſio: Petrus Cæſaream veniens (iter eſt quindecim leucarum) excipitur a Cornelio: nec ſunt quæ narrantur, obſcura. DIXIT SPIRITUS, verſ. 19. ſanctus certe, & movens per internam mentis illuſtrationem. TESTIMONIUM, verſ. 22. ſcilicet probitatis, AUDIRE VERBA *Evangelii*, & de ſalute. ADORAVIT, verſ. 25. civilem intellige adorationem, non latriam, ut Geneſ. xxiii. verſ. 7. nec tam rudis iam erat Cornelius doctus a Deo, ut putaret Petrum eſſe Deum, immo nec Angelum, ſolum ut Prophetam & ſanctum honorat. Quod ergo addit Petrus, HOMO SUM: & tui ſimilis, eſt hoc humilitatis & modeſtiæ in Petro recuſante inſignes honores, quod etiam pertinebat ad inſtructionem aliorum.

V. 28. VOS SCITIS. Præfatus Petrus de introducta conſuetudine Iudæorum cum Gentibus, ut iam ſublato hoc obſtaculo ſciant omnes deinceps aditum gentibus aperiri ad ſalutem. ABOMINATUM, abominabile, nefarium, *ἀθέμιτον*, deducta vox a *θέμις* lex vel fas.

V. 29. & 30. ET CORNELIUS AIT. Explorat Cornelii animum Petrus. A NUDIUS QUARTA DIE: clare in Græco, quarta ab hinc die: hic verborum ſenſus eſt; quarto ab hinc die eram ieiunans uſque ad hanc horam veſpertinam, quando more meo orans ad hanc horam vidi Angelum. Alii & maxime Chryſoſtomus aliter interpretantur; volunt quatriduanum fuiſſe ieiunium: potior eſt prior ſenſus: ſolum *τό uſque ad hanc horam*, poteſt notare horam adventus Petri, vel horam qua orabat ante triduum. Reliqua clara ſunt.

V. 34. APERIENS AUTEM PETRUS OS. Petrus hac bervi oratione docet apertam eſſe ianuam ad ſalutem gentium: & evangelizans Chriſtum explicat materiam fidei, ut ſic cum fide ſatis explicata (ut loquuntur Theologi) accedat ad baptiſmum Cornelius cum ſuis. His conformia ſunt quæ habentur ſupra cap. ii. non eſt, inquit, Deus *προσωπολήπτης*: gentiles admittit ad fidem æque ac Iudæos; tamen libere & ſine obligatione deſtribuit hæc dona vocationis, & ſane cui vult: non ſic inter homines, ubi ſcilicet ut vitet acceptionem perſonarum diſtributor, manet obligatus: nec quilibet cui vult dare poteſt.

V. 37. &c. VOS SCITIS. Ex fama & rumore didiciſtis, QUOD FACTUM EST VERBUM; quæ dicta & facta ſunt. *τὸ Ieſum*, pen-

pendet a verbo ſcitis. Baptiſmum neutre dictum.

V. 41. & 42. QUI CONSTITUTUS A DEO IUDEX. Deſtinatus, ὡρισμένος: nimirum qua homo eſt: debita hæc poteſtas humanitati ratione unionis hypoſtaticæ; & proinde quam habuit ab inſtanti conceptionis. VIVORUM. Vivi hic ſunt, qui inchoante die iudicii invenientur vivi, mortui qui ante illud momentum diem clauſerunt. Hinc ſatis notum evadit, omnes omnino etiam parvulos reſurrecturos. Auguſtino libro tertio de liber. arbitr. cap. XXIII.

V. 43. REMISSIONEM PECCATORUM ACCIPERE. Iis datur remiſſio, quibus eſt fides cum caritate & gratia. QUI CREDUNT IN EUM: videat hic Novator conferri homini ſolidam remiſſionem & extinctionem peccati, & non fictam per imputationem. Diſcant porro fidem habere, eſſe idem quod credere, & non eſſe fiduciam.

V. 44. CECIDIT SPIRITUS SANCTUS Puto eadem ſpecie, qua in Apoſtolos cecidiſſe linguis igneis; ut docet caput inſequens, verſ. 15. *ſicut & in nos in initio*. At quomodo ante baptiſmum datus Spiritus ſanctus Cornelio & domeſticis eius? Hoc ſane docet eos per contritionem iuſtificatos ante baptiſmum, audita iam concione & inſtructione per Petrum. Hic falluntur Sectarii novi, dum ignorant eundem effectum poſſe a diverſis cauſis provenire, præſertim divinis Baptiſmus iuſtificat, & contritio quoque iuſtificationem affert. Inepte ergo argumentantur: per contritionem Cornelius iuſtificatus eſt; Ergo baptiſmus numquam iuſtificat. Accedit quod contritio includat votum baptiſmi.

V. 48. &c. ET IUSSIT EOS BAPTIZARI: ſcilicet ab aſtantibus diaconis vel ſacerdotibus. IN NOMINE DOMINI: baptiſmo Chriſti invocata Trinitate. De hoc Cornelio, vide martyrologium 2. Febr. ubi de eius Epiſcopatu. De anno converſi & baptizati Cornelii certatur. Nos ei dedimus ſuo loco annum Chriſti 41. Merito tamen quæri poteſt, an Cornelius fuerit inter omnes gentiles primus ad fidem conveſus. Et quidem longe certius videtur ante illum aliquot gentiles veniſſe ad fidem ſub Chriſto. Nam Chriſtus in Aſcenſione amplam ad hoc fecit poteſtatem. Nec dubium videri debet quin in prima concione Petri fuerint permoti ad fidem gentilium aliqui. Quid de Chananæa, quid de Eunucho Candacis, quid de aliis Apoſtolorum laboribus ante hunc annum 41. Ceterum recte adhuc in Cornelio ſtatuitur ſolemne initium ad converſionem gentium, quando Petrus Apoſtolorum princeps ſolemni functione, & deſcenſu Spiritus palam docuit fieri poſſe & debere, ut deinceps opera ponatur in converſione gentilium.

CA-

CAPUT XI.

Petrus diſceptantibus fratribus quod ad Gentes acceſſiſſet, rei ordinem exponit: multis Antiochiæ converſis prædicatione diſcipulorum, mittitur ad eos Barnabas ab Eccleſia Ieroſolymitana, qui multis converſis adducit eo & Saulum a Tarſo: cum quo mittitur Ieruſalem, ut in famem ab Agabo prædictam ferant fratribus eleemoſynam.

1. AUdierunt autem Apoſtoli, & fratres, qui erant in Iudæa:
quoniam & Gentes receperunt verbum Dei. 2. Cum au-
tem aſcendiſſet Petrus Ieroſolymam, diſceptabant adverſus
illum, qui erant ex circumciſione, 3. dicentes: Quare in-
troiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum
illis? 4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem,
dicens: 5. Ego eram in civitate Ioppe orans, & vidi in ex-
ceſſu mentis viſionem, deſcendens vas quoddam velut lin-
teum magnum quatuor initiis ſummitti de cælo, & venit uſque ad me. 6.
In quod intuens conſiderabam, & vidi quadrupedia terræ, & beſtias, & re-
ptilia, & volatilia cæli. 7. Audivi autem & vocem dicentem mihi: Surge
Petre, occide, & manduca. 8. Dixi autem: Nequaquam Domine; quia com-
mune aut immundum numquam introivit in os meum. 9 Reſpondit autem
vox ſecundo de cælo: Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris. 10. Hoc
autem factum eſt per ter: & recepta ſunt omnia rurſum in cælum. 11. Et
ecce viri tres confeſtim aſtiterunt in domo, in qua eram, miſſi a Cæſarea ad
me. 12. Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæſitans. Ve-
nerunt autem mecum & ſex fratres iſti, & ingreſſi ſumus in domum viri.
13. Narravit autem nobis, quomodo vidiſſet Angelum in domo ſua, ſtantem
& dicentem ſibi: Mitte in Ioppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur
Petrus, 14. qui loquetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu, & univerſa do-
mus tua. 15. Cum autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos,
ſicut & in nos in initio. 16. Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut di-
cebat: (*a*) Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiri-
tu ſancto. 17. Si ergo eamdem gratiam dedit illi Deus, ſicut & nobis, qui
credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum: ego quis eram, qui poſſem prohi-
bere Deum? 18. His auditis, tacuerunt: & glorificaverunt Deum, dicentes:
Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. 19. Et illi quidem,
qui diſperſi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerant ſub Stephano, peram-
bulaverunt uſque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes
verbum, niſi ſolis Iudæis. 20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, &
Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, an-
nuntiantes Dominum Ieſum. 21. Et erat manus Domini cum eis: multuſque
numerus credentium converſus eſt ad Dominum. 22. Pervenit autem ſermo
ad aures Eccleſiæ, quæ erat Ieroſolymis, ſuper iſtis: & miſerunt Barnabam
uſque ad Antiochiam. 23. Qui cum perveniſſet, & vidiſſet gratiam Dei,
gaviſus eſt: & hortabatur omnes * in propoſito cordis permanere in Domi-
no: 24. quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto, & fide. Et appoſita eſt
multa turba Domino. 25. * Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæ-

reret Saulum: quem cum inveniſſet, perduxit Antiochiam. 26. Et annum totum converſati ſunt ibi in Eccleſia: & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli, Chriſtiani. 27. In his autem diebus ſupervenerunt ab Ieroſolymis prophetæ Antiochiam: 28. & ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio. 29. Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: 30. quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.

(a) Sup. I. 5. Matth. III. II. Marc. I. 7. Luc. III. 16. Ioan. I. 26. infra XIX. 4.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 23. *In propoſito cordis*. Alii libri omittunt præpoſitionem.

Verſ. 25. *Profectus eſt autem Barnabas Tarſum*. Non auferas nomen *Barnabas*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. DISCEPTABANT, id eſt contendebant. CIRCUMCISIONE, id eſt Iudæis.

V. 6. BESTIAS. Græc. *feras*.

V. 9. COMMUNE; pro, communia.

V. 14. VERBA, id eſt res. IN QUIBUS, id eſt per quæ.

V. 17. PROHIBERE DEUM, id eſt Deo reſiſtere.

V. 18. AD VITAM, id eſt ut vivant, ſcilicet ſpiritualiter, ſeu iuſte.

V. 19. SUB STEPHANO. Syr. *ob Stephanum*.

V. 20. GRAECOS; id eſt Græcizantes Iudæos. Vide cap. VI. quamquam hic forte intelliguntur Gentiles. ANNUNTIANTES. Græc. *evangelizantes*.

V. 23. IN DOMINO, id eſt Domini fide, ſeu ſecundum Domini voluntatem.

V. 28. PER SPIRITUM, id eſt Spiritus ſancti revelatione: vel per ſpiritum Propheticum. TERRARUM, ſcilicet Iudææ, ſecundum quoſdam.

V. 29. MINISTETIUM. Syr. *ſubſidium*.

V. 30. SENIORES. Græc. πρεσβυτέρους, *Preſbyteros*. PER MANUS, id eſt opera.

E S T I I.

Verſ. 2. & 3. DISCEPTABANT ADVERSUS ILLUM, QUI ERANT EX CIRCUMCISIONE, DICENTES: QUARE INTROISTI AD VIROS PRAEPUTIUM HABENTES, ET MANDUCASTI CUM EIS? Hæc diſceptatio ſuſcitata eſt adverſus Petrum, non ab infidelibus Iudæis, ſed ab iis qui Chriſti fidem ſuſceperant. Proinde quæritur; Quomodo Petrum putaverint reprehendendum, cum ſcirent Apoſtolis a Chriſto præceptum eſſe, ut docerent & baptizarent omnes gentes? Reſp. Primos. illos Chriſtianos, qui erant ex circumciſione, tametſi in Chriſtum crederent; non tamen plene fuiſſe inſtitutos in myſteriis Chriſtianis religionis; quippe quorum non eſſent capaces, eo quod nimis tenaciter adhærebant legi & circumciſioni. Unde hæc duo, gentium vocatio, & legis abrogatio, paulatim debuerunt eis perſuaderi, non tam Apoſtolorum teſtimonio, quam divina ſignificatione; qualis hæc erat per viſionem Petro oſtenſam, & datum viſibiliter Spiritum ſanctum. Quod ſi ſtatim initio hæc fuiſſent annuntiata, multi Iudæorum a fide reſiliiſſent; immo nec fidem ſic annuntiatam recepiſſent. Nota inſignem Petri manſuetudinem, qui, cum eſſet princeps Apoſtolorum, & totius eccleſiæ paſtor; diſceptantes adverſus

ſus ſe fideles placide audivit, & ſuſtinuit, iiſque cum ratione ſatisfecit. Res omnibus eccleſiarum prælatis imitanda, iuxta ipſius præceptum I. Petri III. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem*, idque cum modeſtia; & ſecundum id, quod Paulus monet epiſcopum Timotheum II. Timot. II. ut ſit manſuetus ad omnes, docibilis, patiens, cum modeſtia corripiens reſiſtentes. Sed dicet aliquis; ſi primi illi fideles tam libere diſceptabant adverſus Petrum, idque de facto eius ad Chriſtianam religionem pertinente; non ergo perſuaſum habebant, aut Petrum eſſe totius Eccleſiæ Paſtorem ac magiſtrum, aut in negotio religionis errare non poſſe; nam alioqui factum eius humiliter venerati fuiſſent, ac ſententiam ſine contradictione recepiſſent. Reſp. primos illos fideles non ſtatim de omnibus Chriſtianæ religionis myſteriis fuiſſe inſtitutos; velut de iis, quæ ad gierarchiam eccleſiaſticam pertinerent; quia nondum erant ſchiſmata quæ egerent huiuſmodi myſteria omnibus declarari; ſed tantum, aut præcipue inſtituebantur de myſteriis ad Chriſtum, qui caput eſt eccleſiæ, ſpectantibus: nec de iis ſtatim omnibus, ſed paulatim, prout capaces erant, & expedire videbatur; quemadmodum alicubi docet B. Ambr. Adde quod humilitas, & manſuetudo Petri reddebat fratres illos audaciores ad expoſtulandum cum eo, quamvis Apoſtolorum principe; quod non ignorabant.

V. 3. Ad viros praeputium habentes. Non dicunt ad gentiles, nam cum gentilibus ſi circumciſi eſſent, & proſelyti facti, licitum habebatur converſari, quia habebantur eodem loco cum Iudæis. Sed tota quæſtio erat de non circumciſis, an cum illis converſari liceret, eiuſque ſalutem quæ in Chriſto eſt, prædicare. Exiſtimabant enim gentiles priuſquam in ſocietatem fidelium reciperentur, debere circumcidi, & fieri proſelytos: & ita interpretabantur Chriſti mandatum de Evangelio prædicando per omnes gentes.

V. 15. Sicut et in nos in initio, id eſt in Iudæos. Non enim de ſolis Apoſtolis loquitur, ſed de Iudæis fidelibus, qui initio Spiritum ſanctum accipiebant viſibiliter. Unde ſequitur paulo poſt: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Ieſum.*

V. 16. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidem, &c. Vide annot. Actor. I.

V. 18. Ergo et gentibus dedit Deus poenitentiam ad vitam. Nota conſuetudinem fidelium, qui quoties in hominibus bonum aliquod obſervabant, ſtatim illud atque immediate in Deum auctorem referebant. Sic Gal. I. *Et in me clarificabant Deum*. Vide eius loci comment. Iſtud, *ergo*, &c colligi quidem poſſet per bonam conſequentiam ex eo quod Petrus narraverit ſibi dictum a Deo; *Quæ Deus mundavit tu commune ne dixeris*. Et rurſum ex illis verbis Petri: *Si ergo eandem gratiam dedit Deus, ſicut & nobis*. Sed magis apparet fideles id intuliſſe ex tota re geſta. Nam eo ipſo quo intelligebant gentes ad fidem Chriſti vocatas eſſe; totum bonum illud ſciebant Deo eſſe tribuendum. Sic enim erant inſtituti, ut quoties de aliquo boni aliquid audirent, ſtatim Dei beneficium agnoſcerent, & in eo bono Deum glorificarent. Nam & hic dicitur; *glorificaverunt Deum, dicentes: ergo*, &c.

V. 19. Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione, quae facta fuerat sub Stephano. Recapitulatio eſt & reflexus hiſtoriæ ad anteriora de diſperſione poſt Stephani necem. *Sub Stephano:* Græce, ἐπὶ Στεφάνῳ. Quod Eraſmus male vertit, *ob Stephanum*. Senſus eſt, tempore Stephani. Sic Heb. VII. *Populus enim ſub ipſo legem accepit*, id eſt tempore illius ſacerdotii. Vide eius loci comment. Sic infra hoc eodem cap. *ſub Claudio, nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis*. Sub Iudæis etiam proſelyti comprehenduntur: hi enim pro Iudæis habebantur propter legis Moſaicæ profeſſionem. Proinde nec a Iudæis Chriſtianis repellebantur, tamquam indigni quibus annuntiaretur fides Chriſti. Sed forte dices hoc loco ſubiungi exceptionem cum dicitur: *Erant autem quidam ex iis viri Cyprii & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum Ieſum; & erat manus Domini cum eis*. Ex quibus verbis illud etiam everti videtur, quod a nonnullis dicitur, Petrum fuiſſe primum qui gentibus annuntiaverit Evangelium Chriſti, tunc ſcilicet quando monitus cæleſti viſione, Cornelio & iis qui cum illo erant Chriſtum prædicavit. Vera ſolutio eſt Græ-

Digitized by Google

cos hic intelligi, non gentiles, ſed Iudæos in Græcia natos, & græca lingua utentes. Nam græce non eſt ἕλληνας, ſed ἑλληνιστάς, id eſt Græciſtas. Sic ſupra accipitur manifeſte cap. VI. & IX. Cyprii ergo, & Cyrenæi quoniam Græci erant, loquebantur verbum ad Græcos, & quia res fœliciter ceſſit viſa fuit digna gratulatione, & ideo miſerunt Barnabam, &c.

V. 29. & 30. DISCIPULI AUTEM, PROUT QUIS HABEBAT, PROPOSUERUNT SINGULI IN MINISTERIUM MITTERE HABITANTIBUS IN IUDAEA FRATRIBUS. QUOD ET FECERUNT MITTENTES AD SENIORES, PER MANUS BARNABAE, ET SAULI. *Ad ſeniores*, id eſt Preſbyteros; de quibus Actor. XV. & XXVI. Hæc prima fuit legatio Pauli pro eleemoſyna perferenda pauperibus ſanctis in Iudæa. Quam & perfeciſſe; cum Barnaba legitur in fine cap. ſequentis. Secunda eiuſdem generis legatio longe poſt facta eſt, de qua ipſe meminit coram Felice cap. XXIV. Vide ibi, & Comment. Galat. II. Rom. XV. I. Corinth. XVI. & late II. Cor. VIII. & IX.

MARIANAE.

Verſ. 5. IN EXCESSU MENTIS, ſcilicet meæ. Græc. ἐν ἐκστάσει, *in ecſtaſi* vidi viſionem. Verba Petri. QUATUOR INITIIS, id eſt extremitatibus de cælo demitti: ſic cap. X. 11.

V. 18. AD VITAM; ſupple, æternam conſequendam dedit Deus Gentibus ad pœnitentiam.

V. 20. LOQUEBANTUR ET AD GRAECOS. Conſequentia ſermonis poſcit, ut per *Græcos*, qui ſæpe ſignificare ſolent Iudæos natione Græcos, hic Gentiles intelligamus. Alii nempe loquebantur ſolis Iudæis, hi Gentibus, ſcilicet Cyprii, & Cyrænei iis quæ Antiochiæ erant.

V. 22. PERVENIT AUTEM SERMO; ſupple, hic. Res hæc & converſio Antiochenſium ad fideles qui Ieroſolymæ erant.

V. 23. IN PROPOSITO CORDIS; ſupple *ſui*, uti Syr. ſupplet, PERMANERE, Barnabas illos hortabatur.

V. 24. QUIA ERAT VIR BONUS. Vitæ probitate & exemplò doctrina fit efficacior.

V. 26. CONVERSATI SUNT IBI Saulus & Barnabas. Græc. non eſt *ibi*, nec Gotth. ſed bene ſuppletur.

V. 28. SUB CLAUDIO. Quidam cod. addunt *Cæſare*, atque ita eſt Græc. & Syr. Veleſius ſolus id iugulat. Ergo Agabus famem fore annuntiabat, quæ fuit Claudii tempore.

V. 29. PROUT QUIS, id eſt prout quiſque habebat. PROPOSUERUNT SINGULI, ſcilicet *eorum*, ut eſt Græc. & in Vulgata Regia, & Gotth. mittere. IN MINISTERIUM, id eſt ſubſidium fratrum qui erat in Iudæa, eleemoſynam.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET FRATRES, id eſt ceteri fideles Apoſtolis inferiores, & ſubditi. RECEPERUNT VERBUM DEI: legem Evangelicam.

V. 2. DISCEPTABANT ADVERSUS ILLUM. Syrus, *litigabat*; tamquam offenſi expoſtulabant. QUI ERANT EX CIRCUMCISIONE: ex Iudæis Chriſtiani, ut ſuperiori cap. verſ. 45.

V. 3. QUARE INTROISTI AD VIROS PRAEPUTIUM HABENTES; quaſi dicat, Quos non ſolum noſtro cœtui adiungere nefas eſt, ſed nec permiſſum cum illis habere conſuetudinem. PRAEPUTIUM HABENTES: Gentiles non circumciſos.

V. 4. INCIPIENS AUTEM PETRUS, id eſt rem ab initio repetens.

V. 5. IN EXCESSU MENTIS: in extaſi, in raptu. Cetera quæ hic habentur, repetita ſunt ex ſuperiori capite, ubi ea explicavimus.

V. 16. BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO: in Pentecoſte.

V. 17. EAMDEM GRATIAM: ἴσην δωρεὰν, *par donum:* par in ſubſtantia, licet in quantitate pro diſpoſitione vel Dei, vel hominis diſpar, & maius, vel minus. QUI POSSEM PROHIBERE DEUM? quod tentare fuiſſet impium, & impoſſibile.

V. 18. TACUERUNT: ἡσύχασαν, *quieverunt*. POENITENTIAM, id eſt tempus, & locum pœnitentiæ. AD VITAM: ut vivant, ſcilicet vita gratiæ, & poſtea etiam gloriæ, & felicitatis æternæ.

V. 19. SUB STEPHANO, id eſt tempore Stephani. Syrus, *ob Stephanum*. PHOENICEN. Phœnice, vel Phœnicia regio eſt Syriæ, cuius metropolis erat Tyrus. ANTIOCHIAM: Syriæ Metropolim. NEMINI LOQUENTES VERBUM: nemini Evangelium prædicantes.

V. 20.

Digitized by Google

V. 20. QUIDAM EX EIS : qui ab Ieroſolymis diſperſi fuerant. LOQUEBANTUR AD GRAECOS, id eſt Gentiles.

V. 21. MANUS DOMINI : aſſiſtentia, potentia, & cooperatio. CREDENTIUM : *πιστεύσας, cum credidiſſet*.

V. 23. GRATIAM DEI ; ſcilicet, converſionem Gentilium, & religioſos ac pios eorum mores. IN DOMINO : in Domini fide, amore, gratia, in Eccleſia, & Chriſtianiſmo.

V. 24. VIR BONUS. Videtur ſumi bonitas pro facilitate morum & manſuetudine. PLENUS SPIRITU SANCTO, id eſt zelo, & caritate, quæ ſunt dona Spiritus ſancti. ET FIDE: fide theologica, & fidelitate in obeundo munere ſuo. APPOSITA EST MULTA TURBA DOMINO: ad Chriſtum converſa, & Eccleſiæ Chriſtianæ addita.

V. 25. UT QUAERERET SAULUM : veterem amicum ſuum, & ſub Gamaliele condiſcipulum. ET ANNUM TOTUM CONVERSATI SUNT IBI IN ECCLESIA. Syrus habet: *Totoque anno ſimul congregabantur in Eccleſia*: nimirum ad ſacras ſynaxes, ad orationem, & ad Dei verbum audiendum.

V. 27. IN HIS AUTEM DIEBUS: illo ſcilicet anno, quo Antiochiæ docuerunt Saulus, & Barnabas. SUPERVENERUNT AB IEROSOLYMIS PROPHETAE: miſſi ab Apoſtolis Antiochiam, ut Eccleſiam illam iam efflorescentem ſuæ prophetiæ dote confirmarent, & illuſtrarent.

V. 28. AGABUS: quem Dorotheus in Synopſi Sanctorum ait, fuiſſe unum e 72. Chriſti diſcipulis. SIGNIFICABAT PER SPIRITUM: prædicebat ſpiritu prophetiæ, quo pollebat. FAMEM FUTURAM: ſub Claudio Imperatore, ut ſtatim additur, nimirum ſecundo eius imperii anno, qui fuit annus Chriſti 43. & ex parte 44. ut ait Baron.

V. 29. IN MINISTERIUM: in ſubſidium, ut ſcilicet ex eo quod mittebant miniſtraretur egentibus. HABITANTIBUS IN IUDAEA FRATRIBUS; tum religionis ergo, agnoſcebant enim eos quaſi patres ſuos, utpote primos fideles: tum quia fideles in Iudæa ſpoliati fuerant bonis a Iudæis, partim etiam ſe illis ſponte abdicaverunt, ideoque præ ceteris merebantur.

V. 30. MITTENTES AD SENIORES: ad Apoſtolos, ait Oecumenius. Alii, ad Preſbyteros, & Primores fidelium, præſertim Diaconos, horum enim erat eleemoſynas diſtribuere.

TIRINI.

Verſ. 2. DISCEPTABANT. Syrus, *litigabant*; S. Chryſoſtomus, *valde offenſi expoſtulabant*. Auctorem huius expoſtulationis facit S. Epiphanius *a* Corinthum, qui proximus poſt *Simonem Magum b* hæreſiarcha fuit: & hunc eumdem vult excitaſſe Iudæos ut Paulum caperent, Actor. XXI. 28. & contra hunc ab Apoſtolis celebratum fuiſſe Ieroſolymis primum Concilium, Actor. XV.

V. 3. QUARE INTROISTI AD Gentiles, ET MANDUCASTI CUM *incircumciſis*? Neſciebant, per Chriſtum ſublatam veterem legem, & legales immunditias atque irregularitates.

Notat Chryſoſtomus, non auſos rogare, Quare baptizaſti, quare prædicaſti Gentibus Chriſtum? Nam hoc iniurium fuiſſet Chriſto, eiuſque præcepto contrarium, quo iuſſerat promiſcue omnes baptizari, & Evangelium prædicari *omni creaturæ*, etiam *Gentibus, uſque ad ultimum terræ c*. Petrus tamen etiam huius facti rationem reddit:

V. 17. EGO QUIS ERAM, QUI POSSEM PROHIBERE DEUM? Nempe, Spiritus ſanctus chariſmata ſua cæleſtia impertiens Cornelio totique familiæ ipſius, hoc ſigno iubebat aperiri illis per me (ad id evocatum) ianuam Eccleſiæ, id eſt baptiſmum iubebat impertiri. An vultis ego me opponam Spiritui ſancto.

V. 18. ERGO ETIAM GENTIBUS DEDIT DEUS POENITENTIAM, id eſt tempus, locum, fructum pœnitentiæ, puta remiſſionem peccatorum & reconciliationem cum Deo, AD VITAM, id eſt ut vivant, inquit Vatablus, nempe hic vita fidei & gratiæ, in futuro vita gloriæ & felicitatis æternæ.

V. 19. *Phœnice*, ſeu Phœnicia, regio eſt Syriæ *d*, cuius metropolis erat Tyrus. ANTIOCHIA. Syriæ metropolis, *tertium inter omnes Romani orbis urbes locum obtinebat*, inquit S. Hieronymus, id eſt *poſt Romam & Alexandriam*. In Hierarchia vero Eccleſiaſtica & ordine Sedium Patriarchalium, quia Petrus ſedem ibi aliquamdiu fixit, locum ſecundum obtinuit, præpoſita Alexandriæ, in qua S. Marcus præſe-

Digitized by Google

ſedit, inquit Sigonius *e*, Baronius & alii. Porro qui huc confugerant Chriſtiani, *nemini loquebantur verbum f* Evangelii, *niſi ſolis Iudæis*, nempe, quouſque per Petrum reſerata eſt etiam Gentibus ianua Cæſareæ *g* apud Cornelium. Ex eo enim tempore paſſim & promiſcue

V. 20. LOQUEBANTUR Antiochiæ ET AD GRAECOS, id eſt Gentiles, inquit Lyranus, Hugo & Caietanus.

V. 21. MULTUSQUE NUMERUS CREDENTIUM recepta fide (ut Tigurini vertunt) CONVERSUS EST AD DOMINUM. Quibus confirmandis

V. 22. MISERUNT Apoſtoli ANTHIOCHIAM BARNABAM: Syriis prædicatoribus *Cyprium h* prædicatorem iungentes, inquit Caietanus.

V. 23. CUM VIDISSET GRATIAM DEI cælitus impertitam Gentilibus Antiochenis, puta egregiam & conſtantem illorum fidem, & charismata Spiritus ſancti ipſis infuſa, GAVISUS EST VALDE. Evocat eodem veterem amicum & condiſcipulum ſuum.

V. 25. & 26. SAULUM, qui in patriam ſuam TARSUM *i* Ciliciæ ad tempus ſeceſſerat. Hi duo unius anni ſpatio tantam fidelium meſſem collegerunt Antiochiæ, ut novum militiæ nomen inde per totum Orientem percrebuerit, ac proſeminatum ſit, & qui hactenus *fideles*, vel *credentes*, vel *Nazareni*, vel *Galilæi*, vel DISCIPULI dicti fuerant, iam CHRISTIANI *cognominati ſint*, a duce & magiſtro ſuo *Chriſto*. Suidas k & Baronius putant id factum paulo ante quam Petrus ſedem ſuam inde Romam tranſtulit, puta anno decimo a morte Chriſti. De excellentia huius nominis vide quæ Baronius, Lorinus & a Lapide collegerunt.

V. 27. & 28. IN HIS DIEBUS, nempe eodem illo anno 10. a morte Chriſti. AGABUS PER SPIRITUM propheticum *prædixit* FAMEM MAGNAM FUTURAM *toto*, ORBE. QUAE, ut prædixerat, mox biennio poſt FACTA EST SUB CLAUDIO, inchoata anno imperii eius ſecundo, ut vult Dio Caſſius *l*, & protenſa uſque ad annum eiuſdem quartum, quo Ioſephus, Euſebius & Oroſius *m* illam conſignant. Adduntque hi duo poſtremi, Helenam Adiabenorum reginam ad Chriſtum converſam, in hac fame Iudæis munificentia magna ſuccurſſe. Sed & Antiocheni Chriſtiani FRATRIBUS IN IUDAEA, qui divenditis omnibus ſuis, in commune vivebant *n*, & ob annonæ penuriam pluſculum egebant, opportune ſuccurrerunt. Romæ vero adeo ſævit fames, ut ob illam plebs in Claudium Imperatorem medio in foro inſurrexit, ait Svetonius *o*. Huic malo ut tempeſtive occurrerent Chriſtiani, voluit Deus illam ipſis prædici per *Agabum*, unum e 72. Chriſti diſcipulis, inquit Dorotheus *p*; cuius nomen Martyrologio inſcriptum 13. Februarii.

(a) Epiph. hæreſi 28.
(b) Actor. VIII. 9.
(c) Marc. ult. 15. Matt. ult. 19. Actor. I. 8.
(d) Marc. VII. 26.
(e) Sigon. Lib. I. de Regno Italiæ.
(f) Actor. X. 22.
(g) Ibid. 48.
(h) Actor. XV. 36.
(i) II. Par. IX. 21.
(k) Suidas verbo Chriſtiani.
(l) Dio Caſſ. Lib. IX.
(m) Ioſeph. Lib. XX. Antiq. cap. II. Euſeb. in Chronico. Oroſ. Lib. VII. cap. VI.
(n) Actor. II. 44.
(o) Sveton. in Claudio cap. XVIII.
(p) Doroth. in Synopſi Sanctorum.

GORDONI.

Verſ. 1. *&c.* MUlti fideles ex Iudæis Chriſtiani queruntur tamquam offenſi de admiſſis gentibus. Hi queruli Apoſtolis inferiores fuerunt; & murmuris auctorem putat Cerinthum Epiphanius Hæreſi 28. Cetera uſque ad verſum 18. nota ſunt & explicata capite X.

V. 20. ERANT AUTEM. Diſperſi in perſecutione Stephani evangelizant locis hic recenſitis. Opera Pauli & Barnabæ verſ. 22. & 25. LOQUEBANTUR AD GRAECOS, hoc eſt (ex plurium interpretatione) ad veros gentiles, ut hinc videas quod dixi cap. X. 48. ante Cornelium, actum eſſe cum gentibus de Evangelio. *Phœnices*: Phœniciæ (in Syria eſt) metropolis erat Tyrus. Ab his Tyriis Phœnicibus condita Carthago; unde dicti Pœni quaſi Phœni. Hodie Tripolis. Tyrum & Sydonem continet urbes nobiles. Antiochia Syriæ metropolis, prima ſedes Petri, ſecunda ſedes Patriarchalis poſt Romam; tertia Alexandrina. Acceſſit tandem quarta Ieroſolymitana anno 1553. poſtea aliæ.

V. 23. HORTABANTUR IN PROPOSITO MANE-

Digitized by Google

NERE. Textus clarus eſt. De dono perſeverantiæ diſſerunt Theologi: ſicut ad iuſtificationem eſt quædam gratia ſufficiens, alia eſt efficax & ſpecialis; ita in perſeverantia: ubi certa illa quæ ultimam continet, tam eſt ſpeciale & excellens donum, ut non cadat in meritum. Sed de hoc alibi. Lege Tridentinum Concilium ſeſſ. VI. cap. XVI. Ita diem claudere tantum eſt prædeſtinatorum. Notatur hic verſ. 26. nunc primum fideles Antiochiæ vocatos Chriſtianos, anno quidem Chriſti 43. ut dixi in Chronologia.

V. 28. ET SURGENS. Putatur unus ex 72. diſcipulis, & vir ſanctus, teſte Dorotheo. Hic ſpiritu prophetico illam prædixit famem, quæ contigit anno Chriſti 44. ad annum Claudii tertium exeuntem, ut ibidem notavi. Ubi etiam de collecta tunc facta, quæ miſſa eſt Ieroſolymam in miniſterium ſeu ſubſidium egenorum.

CAPUT XII.

Herodes occiſo Iacobo Petrum retrudit in carcerem, cupiens poſt Paſcha eum tradere populo occidendum; ſed orante pro eo ſine intermiſſione Eccleſia, Angelico eductus auxilio, fratribus magnum attulit gaudium: facta autem de carceris cuſtodibus inquiſitione, Herodes proficiſcitur Cæſaream: cumque divinos honores a populo oblatos non reſpueret, percuſſus eſt ab Angelo, & conſumptus a vermibus expiravit.

1. EOdem autem tempore miſit Herodes rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. 2. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. 3. Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum. 4. Quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, * tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo. 5. Et Petrus quidem ſervabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. 6. Cum autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. 7. Et ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. 8. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. 9. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verum eſt, quod fiebat per Angelum: exiſtimabat autem ſe viſum videre. 10. Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultro aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum: & continuo diſceſſit Angelus ab eo. 11. Et Petrus ad ſe reverſus, dixit: Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. 12. Conſideranſque venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes. 13. Pulſante autem eo oſtium ianuæ, * proceſſit puella ad audiendum, nomine Rhode. 14. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, ſed intro currens nuntiavit ſtare Petrum ante ianuam. 15. At illi dixerunt ad eam: Inſanis.

Illa

Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant: Angelus eius eſt.
16. Petrus autem perſeverabat pulſans. * Cum autem aperuiſſent, viderunt
eum, & obſtupuerunt. 17. Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit
quomodo Dominus eduxiſſet eum de carcere, dixitque: Nuntiate Iacobo &
fratribus hæc. Et egreſſus abiit in alium locum. 18. Facta autem die, erat non
parva turbatio inter milites, quidnam factum eſſet de Petro. 19. Herodes au-
tem cum requiſiſſet eum, & non inveniſſet, inquiſitione facta de cuſtodibus,
iuſſit eos duci: deſcendenſque a Iudæa in Cæſaream, ibi commoratus eſt.
20. Erat autem iratus Tyriis, & Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum,
& perſuaſo Blaſto, qui erat ſuper cubiculum regis, poſtulabant pacem, eo
quod alerentur regiones eorum ab illo. 21. Statuto autem die, Herodes ve-
ſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. 22. Populus
autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. 23. Confeſtim autem percuſ-
ſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo: & conſum-
ptus a vermibus, expiravit. 24. Verbum autem Domini creſcebat, & multi-
plicabatur. 25. Barnabas autem & Saulus reverſi ſunt ab Ieroſolymis (a) ex-
pleto miniſterio, aſſumpto Ioanne, qui cognominatus eſt Marcus.

(a) Sup. xi. 29.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 4. *Tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum*. Nec priori participio addas coniunctionem *tradenſque*; nec poſteriori præpoſitionem cum pronomine *ad cuſtodiendum eum*.

Verſ. 13. *Proceſſit puella ad audiendum*. Pro *audiendum* non ſubſtituas *videndum*, quod eſt adſpiciendum.

Verſ. 16. *Cum autem aperuiſſent*. Non addas oſtium.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. HERODES, ſcilicet Agrippa, frater Herodiadis, filius Ariſtobuli filii Herodis Aſcalonitæ, Iudææ Rex. MANUS, id eſt poteſtatem; vel quaſi dicat, Id egit: Vulgo quidem *mittere manum*, eſt comprehendere, ſeu male tractare.

V. 3. APPOSUIT, &c. id eſt id etiam addidit, *ut apprehenderet*, &c.

V. 4. QUATUOR, &c. ſcilicet ſexdecim militibus. PASCHA, id eſt dies Azymorum. PRODUCERE. Syr. *tradere*.

V. 8 CALIGAS. Græc. σανδάλια, id eſt *ſoleas*, ſcilicet ſimiles iis quibus utuntur Franciſcani. VESTIMENTUM. Græc. & Syr. *pallium*.

V. 10. CUSTODIAM, ſcilicet militum turmam, cuſtodientium carcerem. PORTAM, ſcilicet carceris. CIVITATEM, ſcilicet Ieruſalem. Quidam putant extra eam fuiſſe carcerem: putarim potius intra, ſed ſemoto loco, ut ſolent, militum præſidia: dicuntur enim ſtatim in vicum proceſſiſſe. Sunt qui dicant fuiſſe intra unum murum, & extra alium, duobus enim circumdatam urbem.

V. 12. MARCUS. Hic eſt de quo etiam inf. cap. XIII. & XV. alius vero ab eo qui Evangelium ſcripſit, ſecundum quoſdam. Vide Marc. I.

V. 13. OSTIUM IANUAE. Græc. *oſtium veſtibuli*. Syr. *fores atrii*.

V. 14. IANUAM. Græc. *veſtibulum*.

V. 19. DUCI, ſcilicet ad ſupplicium. Syr. *necari*.

V. 20. SUPER CUBICULUM. Syr. *Cubicularius*. ALERENTUR forte commercio, ſeu annonæ emptione. ILLO. Græc. *regia*. Syr. *eius regno*.

V. 23. HONOREM. Græc. δόξαν, id eſt *glo-*

gloriam. VERMIBUS: forte pediculis. EXPIRAVIT, ſcilicet anno ſeptimo regni ſui, relicto filio Agrippa, & filiabus Berenice & Druſilla, de quibus inf.

ESTII.

Verſ. 2. OCCIDIT AUTEM IACOBUM, FRATREM IOANNIS GLADIO. An Iacobus in Hiſpaniam profectus fuerit, & Evangelium illi genti prædicaverit, quæritur. De quo vide Martyrologia, & Baron. in Notis ad Martyrolog. Rom. & in Annalibus. Certe non videtur, ob multas rationes. Non enim Spiritus inſtinctu in illam regionem erat profecturus, ubi nullum erat facturus fructum, ac ſine fructu ſtatim Ieroſolymam rediturus. Deinde, quid in Hiſpania paſſus eſt? Quid egit? Num ullam fundavit Eccleſiam, aut ullum reliquit ſucceſſorem Epiſcopum, aut presbyterum? Deinde quando occiſus eſt, vix dum cœperat Evangelium gentibus prædicari, ut ex præcedentibus, & ſequentibus patet. Necdum Apoſtoli diſperſi erant in remotas gentes; ſed eius rei commodum tempus exſpectabant. Denique nullus ſcriptor antiquus certæ fidei refert Iacobum Hiſpanias vidiſſe: & Martyrologium Uſuardi negat.

V. 5. ORATIO AUTEM FIEBAT SINE INTERMISSIONE AB ECCLESIA AD DEUM PRO EO. Cur non ita pro Iacobo? niſi quia corpus multo magis ſollicitum eſſe debet pro ſalute capitis, quam alterius cuiuſcumque membri.

V. 6. IN IPSA NOCTE ERAT PETRUS DORMIENS INTER DUOS MILITES. An ideo dormiens, & ſecurus, quamvis poſtera die producendus ad ſupplicium, quia ſciebat ſe tunc non moriturum? Prædixerat enim ei Dominus Ioan. XXI. *Cum ſenueris alius cinget te, & ducet quo tu non vis*. Itaque ſciebat ſe non moriturum ante ſenium. Præterea hanc ſecuritatem ei præſtabat conſcientiæ tranquillitas.

V. 7. ET ECCE ANGELUS DOMINI ADSTITIT. Quæritur, an hic Angelus fuerit idem cum Angelo Petri cuſtode. Et probabile eſt eundem fuiſſe; quia & hoc ipſum ad Petri cuſtodiam pertinebat, ut e carcere liberaretur. Nec obſtabat, quod infra Petrus dicit: *Nunc ſcio vere quia miſit Dominus Angelum ſuum*; quaſi hic Angelus prius non adfuerit Petro, ſed cælitus ad eum liberandum miſſus fuerit; non obſtat, inquam; quia ſicut divina perſona, ſic & Angelus mitti dicitur propter novum aliquod opus exhibendum, etiamſi prius in eo loco fuerit, in quo operari iubetur.

V. 9. ET EXIENS SEQUEBATUR EUM. Videri poteſt, quod oſtiis clauſis exiverit; nam de ſola porta ferrea dicitur, quod ultro fuerit eis aperta. Sic Actor. V. *Carcerem quidem invenimus clauſum cum omni diligentia*, &c. Vide annot. eius loci. Quin & portam ferream hactenus tantum apertam fuiſſe quidam volunt, quia tranſitum illorum non impedivit; quomodo dicit Stephanus: *video cælos apertos*, quia Chriſti ſuper cælos conſtituti conſpectum cæli non impediebant; non enim diviſum fuit cælum, ut Stephanus Chriſtum videret.

V. 12. MARIAE MATRIS IOANNIS, QUI COGNOMINATUS EST MARCUS. Vide infra cap. XV. Hic Marcus cap. XIII. bis tantum vocatur Ioannes. Alibi vocatur conſobrinus Barnabæ a Paulo. Petrus in epiſtola filium ſuum vocat. An autem hic idem ſit cum Marco Evangeliſta, vide Baron. in Annalibus, ubi bene probat diverſum eſſe.

V. 15. ILLI AUTEM DICEBANT; ANGELUS EIUS EST. Quidam per *Angelum* intelligunt quem vulgo dicunt, ſpiritum, hoc eſt animam hominis mortui; quam divina permiſſione contigit redire. Sed per Angelum animam hominis intelligi nuſquam alibi, quod ſciam, legitur: at nec res ipſa patitur animam Petri intelligi; neque enim adhuc Petrus mortuus erat, neque mortuum eum exiſtimabant fideles, qui hoc dicebant; ſed poſtera die producendum ad ſupplicium expectabant. Itaque multo rectius Angelus Petri intelligitur is, qui Petro ab ortu nativitatis datus eſt in cuſtodiam. Eſt enim Eccleſiæ ſententia, unicuique fidelium ab initio nativitatis a Deo attributum eſſe Angelum tamquam cuſtodem, pædagogum ac directorem vitæ. Ita ſentit Hieron. in illud XVIII. Matth. *Angeli eorum*, &c. & Baſil. Lib. I. contra Eunomium, & alii complures. Et hic locus ſatis oſtendit fuiſſe communem fidelium perſuaſionem, unicuique ſuum Angelum eſſe deputatum a Deo, eamque a maioribus quadam traditione acceptam. Nam & Iacob Patriarcha meminit Angeli ſui,

& Chriſtus eandem perſuaſionem confirmans, dixit: *Angeli eorum in cœlis*, &c.

V. 17. Et egressus abiit in alium locum. Petrus etiam poſt ductum Angeli non omittit ea, quæ humanæ ſunt induſtriæ & curæ pro ſua ſalute. Factum eſt enim per Angelum, quod per hominem ſolum fieri non potuit. Ceſſare autem homo non debuit in iis quæ per ipſum, atque humanitus fieri poterant.

V. 19. Iussit eos duci. Subaudi, ad quæſtiones, vel ad ſupplicium, vel aliquid tale. Phraſis eſt etiam Latinis auctoribus uſitata. Plinius in epiſtola ad Traianum de Chriſtianis; *Confitentes iterum, ac tertio interrogavi, ſupplicium minatus; perſeverantes duci iuſſi. Neque enim dubitabam, qualecumque eſſet quod faterentur, pervicaciam certe, & inflexibilem obſtinationem debere puniri*. Itaque ducebantur ad punitionem, ſed innoxii.

V. 20. Eo quod alerentur regiones eorum ab illo. Gr. *Eo quod aleretur ipſorum regio, ab ea quæ Regis eſſet*: ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. Quod Eraſmus vertit; *annonam regiam*. Rectius videtur intelligi regio regia, ut ſubaudiatur, quod preceſſerat, χώρα. Senſus enim videtur eſſe, quod Tyrii, & Sidonii frumenti annonam compararent ex regione Herodi ſubiecta, quomodo Italia frumentatur a Sicilia.

V. 23. Percussit eum Angelus Domini. Utique bonus Angelus tamquam ultor iniuriæ divinæ. Nec abſurde quis dixerit fuiſſe Angelum cuſtodem Herodis; qui Deo iubente ex cuſtode factus ſit percuſſor, & exterminator; ſicut ille Angelus cuſtos, ac præſes populi Iſraelitici in deſerto, de quo dicit Dominus Exod. xxiii. *Non dimittet, cum peccaveritis*. Vide eius loci annot. Ioſephus huius rei narrans hiſtoriam non Angeli meminit, ſed bubonis ab Herode conſpecti, ſcilicet, eiuſdem qui ei aliquando fœlicioris fortunæ index viſus fuerat. Sed ut de bubone res habeat, (in quo certe apparet aliquid ſuperſtitioſum) non eſt dubitandum, (quod Lucas refert) Herodem, dum divinos ſibi patitur honores deferri, percuſſum fuiſſe ab Angelo Domini, ſcilicet pro Domini ſui honore zelante. Miror autem Euſebium Lib. II Eccleſ. cap. referentem verba Ioſephi pro bubone Angelum legere, cum ex hiſtoriæ contextu manifeſtum ſit Ioſephum, non Angelum ſcripſiſſe, ſed bubonem. Neque dici poteſt Euſebii textum corruptum eſſe: nam ſi Euſebius bubonem ſcripſiſſet, aliquid de ea Lucæ & Ioſephi diſſonantia adiici ab illo res poſtulaſſet, quod in aliis huiuſmodi facere ſolet. Eo quod non dedisset honorem Deo; id eſt, honores divinos ſibi delatos non recuſaſſet, ſed libens accepiſſet. Minus enim dicitur, & plus intelligitur. Nec tamen putandum ſolam hanc fuiſſe cauſam illius dedecoroſæ mortis, ſed & ea quæ ſupra narrata ſunt de iniuſta vexatione Chriſtianorum, cæde Iacobi, & incarceratione Petri. Eiuſdem enim pœnæ plures ſæpe ſunt cauſæ meritoriæ, vel totales vel partiales. Idque ſignificatum voluit S. Lucas, quando continue poſt narrata illa de Iacobo & Petro, ſubiungit de Herode, quemadmodum extinctus fuerit. Quidam illud; *Eo quod non dediſſet honorem Deo*, referunt ad miraculoſam Petri liberationem, in qua divinum opus agnoſcere debuit. Sed melius ad divinos honores ſibi delatos refertur. Et consumptus a vermibus. Græce unum vocabulum, σκωληκόβρωτος; quaſi dicat, *Vermicomeſtus*. Naſcebantur hi vermes in corpore, & corpus exedebant.

V. 25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Ierosolymis, expleto ministerio. Vide annot. cap. præcedenti, ad finem.

MARIANAE.

Verſ. 1. Eodem autem tempore. Græc. *per illud autem tempus*, Goth. *in illo tempore*. Misit Herodes rex manus; pro, iniecit manus in quoſdam. Hic *Herodes* ab aliis *Agrippa* vocatur: vulgo *Herodes Agrippa*, ut diſtinguatur a primo & ſecundo Herode. Fuit filius Ariſtobuli, quem pater Herodes primus necavit, Romæ diu nutritus: a Caio regium nomen, a Claudio avi ditionem omnem accepit; ſic Ieroſolyma in poteſtatem redacta, in pios ibi graſſatus eſt.

V. 3. Erant autem dies Azymorum, quod ad Iacobi cædem, & ad Petri vincula refero: nam Iacobum occiſum ſecunda Azymorum die, Martii 25. anno Chriſti 42. in diſputatione pro D. Iacobi adventu in Hiſpaniam cap. 11. certa ratione conſtituimus.

V. 4.

V. 4. CUSTODIENDUM. Græc. *cuſtodire eum*: ſic Goth. pro, *ad cuſtodiendum eum*, ut eſt in Reg. Vulgat. ſcilicet Petrum vinctum.

V. 8. ET CALCEA TE CALIGAS TUAS. Græc. *ſandalia*, quæ plantas tegunt, ſed & *caligæ* calceos ſignificant. Gen. xiv. 23. *A filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt.*

V. 9. EXISTIMABAT AUTEM; pro *enim*, ut Syr. & Gotth. Cauſalis melior quam adverſativa. SE VISUM VIDERE, id eſt ſomniare, ludi ea imagine.

V. 12. QUI COGNOMINATUS EST MARCUS. Hic non fuit Evangeliſta Petri comes, ſed alius e diſcipulis, Mariæ filius, qui ſecutus Paulum & Barnabam, deinde diſceſſit ab eis, ac tandem cum Paulo fuit Romæ, & de eo mentio fit ad Coloſ. ult. verſ. 10. Mariæ filius fuit; cuius ex Apoſtolis cognatus, incertum. Dorotheus hos duos *Marcos* diſtinguit, uti initio Evangelii Marci dixi.

V. 19. IUSSIT EOS DUCI, ſcilicet cuſtodes, non invento Petro, iuſſit Herodes duci, nempe in carcerem, aut patibulum.

V. 21. HERODES VESTITUS VESTE REGIA, SEDIT PRO TRIBUNALI. De loco, & die, & veſte regia, & occaſione occiſi huius Herodis, Ioſephus multa Lib. XIX. Antiq. cap. vii. Euſebius Lib. II. Hiſt. cap. ix. Huius filius fuit Agrippa, qui Cæſareæ Paulum dicentem cauſam audivit, Act. xxv. 23. una cum ſorore ſua Berenice. De quo plura Diſp. noſtra de Pauli in Hiſpan. adventu, cap. iv.

MENOCHII.

Verſ. 1. EODEM TEMPORE, id eſt anno ſecundo Claudii. HERODES REX: Herodes Agrippa. MISIT MANUS, id eſt aggreſſus eſt.

V. 2. OCCIDIT AUTEM IACOBUM: probabile eſt ceteros pleroſque Apoſtolos abfuiſſe Ieroſolymis.

V. 3. APPOSUIT: id etiam addidit, ut apprehenderet & Petrum. ERANT AUTEM DIES AZYMORUM. Addit hoc Lucas, rum ut denotet tempus necis ſancti Iacobi, tum ut indicet cauſam cur non illico occiſus ſit ſanctus Petrus, ſed dilatus poſt Paſcha, quia ſcilicet erant dies feſti azymorum, quos ſanguine effuſo maculare & funeſtare nolebat Herodes.

V. 4. TRADENS QUATUOR QUATERNIONIBUS MILITUM; hoc eſt, ſexdecim militibus, ut ſingulis noctis vigiliis, hoc eſt ternis horis, quatuor advigilarent cuſtodes, & prioribus feſſis, alii quatuor integri, & recentes ſuccederent. PRODUCERE EUM POPULO: morti publice tradendum.

V. 5. SINE INTERMISSIONE: ἐκτενὴς continuata, & longa, ut efficacius impetrarent quod volebant.

V. 6. ERAT PETRUS DORMIENS: ſecure quieſcens in divina providentia. VINCTUS CATENIS DUABUS: medius inter duos milites, qui catenas tenebant, ne quo modo eos falleret, aut elaberetur. Mos etiam vetus fuit, ut diſcimus ex Seneca epiſt. v. ut eadem catena reum copularet, & militem cuſtodientem, quod fortaſſe in Petro ſervatum eſt.

V. 7. ANGELUS DOMINI: in corpore aſſumpto. Nonnulli opinantur hunc Angelum fuiſſe S. Michaelem præſidem Eccleſiæ. LUMEN REFULSIT IN HABITACULO: quod lumen ſolus Petrus vidit, militibus fortaſſe dormientibus.

V. 8. PRAECINGERE: Iudæi longas gerebant veſtes, quas ituri, aut operaturi cingebant; & ſi veſtibus non depoſitis eſſent dormituri cingulo detracto laxabant. CALIGAS: ſandalia, ut eſt in] Græco. CIRCUMDA TIBI VESTIMENTUM TUUM: *ἱμάτιον*, ſuperiorem veſtem, vel pallium.

V. 9. NESCIEBAT QUIA VERUM EST: nova enim admodum res fiebat, qua idcirco videbatur incredibilis.

V. 10. TRANSEUNTES PRIMAM ET SECUNDAM VIGILIAM: militum cuſtodientium Petrum, a quibus viſus non eſt. PORTAM FERREAM: ipſius palatii Herodis, per quam tamquam ex arce in civitatem reliquam ibatur. PROCESSERUNT VICUM UNUM: donec ſanctus Petrus in tuto collocaretur, & a ſomno plane expergefactus, & mentis ſtupore, intelligeret quid fieret, & ſibi conſulere poſſet. EXPECTATIONE. Syrus, *machinatione*. PLEBIS IUDAEORUM: Pontificum præſertim, Scribarum, & Phariſæorum.

V. 12. CONSIDERANSQUE: periculum unde ereptus erat, & divini beneficii magnitudinem. VENIT AD DOMUM MARIAE: in qua erat cœtus fidelium orantium pro Pe-

Digitized by Google

Petro. QUI COGNOMINATUS EST MARCUS. Non eſt Marcus Evangeliſta, ſed alius qui fuit ſocius peregrinationis ſancti Pauli, & Barnabæ: de quo ſermo redibit inferius.

V. 13. PUELLA: παιδίσκη, quod etiam verti poſſet *ancilla*. Noſter tamen Interpres æque ac Syrus puellam vertentes, ſubindicant non fuiſſe ancillam, ſed honeſtam, fortaſſe filiam, aut neptem matris familias illius domus. NOMINE RHODE: ῥόδη, id eſt *Roſa*.

V. 14. PRAE GAUDIO: cupiens ſtatim diſcipulis fidelibus nuntiare adeſſe Petrum.

V. 15. INSANIS: deliras. ANGELUS EIUS EST. Ex hoc colligitur eo etiam tempore fideles exiſtimaſſe unicuique Angelum ſuum cuſtodem adeſſe.

V. 16. PERSEVERABAT PULSANS: vel metuens deprehendi: vel deſiderio ardens reviſendi fratres & forſan Rhode præ gaudio non aperiens, nihil etiam reſponſi Petro dederat.

V. 17. ANNUENS UT TACERENT: ne ſcilicet ſtrepitu confuſo vocum narrationem rei geſtæ impedirent. NUNTIATE IACOBO: minori, nam maior iam erat occiſus, ut dicitur huius capitis verſ. 10. ABIIT IN ALIUM LOCUM: nimirum Cæſaræam, Sidonem, Berythum, &c. donec tandem Romam pervenit.

V. 19. INQUISITIONE FACTA DE CUSTODIBUS: ἀνακρίνας τὰς φύλακας; eſt autem ἀνακρίνειν, inquirere, examinare, torturæ admovere, iudicare etiam, & condemnare: unde Syrus vertit, *Condemnavit cuſtodes*. IUSSIT EOS DUCI: ad extremum ſupplicium. Boni auctores Latini *duci*, ſine alio addito, dicunt pro trahi ad mortem. IN CAESAREAM: Palæſtinæ, quæ prius dicebatur *Turris Stratonis*. ERAT AUTEM IRATUS, &c. θυμομαχῶν, pugnacem, & infenſum gerens animum; bellum animo agitans. Cauſa iræ Herodis nos latet. Baronius ſuſpicatur fuiſſe, quod Sidonii Petrum e carcere elapſum ſuſcepiſſent, & facti Chriſtiani, ab eo Epiſcopum accepiſſent. PERSUASO BLASTO: conciliato Blaſto, datis fortaſſe muneribus. QUI ERAT SUPER CUBICULUM REGIS: præfectus regii cubiculi: EO QUOD ALERENTUR REGIONES EORUM AB ILLO: ſoliciti erant de concilianda pace, ne Herodes frumenti exportatione prohibita, eos fame conficeret.

V. 21. STATUTO AUTEM DIE. Erat dies ſecundus ludorum pro Cæſaris ſalute, ut ait Ioſephus Lib. XIX. Antiquit cap. VIII. VESTITUS VESTE REGIA: purpura, ſceptro, corona inſignis. CONCIONABATUR: verba faciebat.

V. 22. DEI VOCES, NON HOMINIS: proiecta adulatio. Videtur acclamatio orta a Tyriis, & Sidoniis, qui gratiam Herodis aucupabantur, ad reliquos Cæſarienſes proſerpſiſſe.

V. 23. CONFESTIM. Syrus, *eadem hora*. PERCUSSIT, id eſt plaga lethali illum feriit, viſcerum ſcilicet doloribus, & torminibus ex Ioſepho. Item corporis putrefactione, & fœtore; inde enim vermes ebullierunt. EO QUOD NON DEDISSET HONOREM DEO: ſed qui illum arrogaſſet, conſentiendo inſanæ illi adulationi.

V. 24. VERBUM DOMINI, &c. Evangelii prædicatio creſcebat, & multiplicabatur Eccleſia.

V. 25. REVERSI SUNT AB IEROSOLYMIS: ſcilicet Antiochiam, unde miſſi fuerant, ut eleemoſynam deferrent Ieroſolymitis pauperibus fame laborantibus, ſupra cap. XI. 28. EXPLETO MINISTERIO: ad quod fuerant deſtinati deferendarum eleemoſynarum.

T I R I N I.

Verſ. 1. EODEM TEMPORE: puta anno 2. Claudii, 12. a morte Chriſti inchoante, pridie Paſchæ Iudæorum Herodes Agrippa, Herodiadis Ioannicidæ germanus frater, a Caio Caligula Imp. (cui ob prædictum ipſi a morte Tiberii imperium *a*, chariſſimus erat) rex Iudææ, Galilææ, Trachonitidis, Samariæ & Ceſareæ creatus, cum Iudaiſmi & Iudæorum eſſet ſtudioſiſſimus *b*, complacendi illis cauſa

V. 2. IACOBUM Zebedæi filium, IOANNIS FRATREM OCCIDIT GLADIO. Cuius uſum apud Iudæos in reorum ſuppliciis vix *c* legimus niſi poſtquam in Romanorum poteſtatem venerunt. Sic Herodes Antipas, patruus huius Agrippæ gladio occidit Ioannem Baptiſtam *d*. Sed cur *Iacobum* præ ceteris Apoſtolis? Reſpondeo, Eo quod Chriſti eſſet conſobrinus, *e* & unus e tribus primariis Apoſtolis, atque inſtar tonitrui ceteris ferventior, & ex obita Hiſpania, Gallia, Britannia (ut vult Lucius Dexter) re-

Digitized by Google

reliquis celebrior, ideoque extreme exoſus Iudæis & regi ac fautori Iudæorum Herodi. Addit Lucius Dexter *f*, diſcipulos S. Iacobi, & corpus magiſtri ſui, divino inſtinctu & Deiparæ conſilio, Ioppe in navi depoſitum revexiſſe in Hiſpaniam, & in Gallieiæ urbe Iria Flavia ſub altari depoſuiſſe. Subdit, Petrum quoque novennio poſt adiiſſe Hiſpanias, indeque multis comitantibus in Africam & AEgyptum traieciſſe. Fides ſit penes auctorem. Occiſo Iacobo, primaria columna Eccleſiæ, etiam caput & fundamentum aggreditur Herodes,

V. 3. & 4. PETRUM *mittit* IN CARCEREM, POST PASCHA, exactis ſeptem diebus azymorum *g*, *producendum*, coram POPULO in publicum tribunal, ad cauſam cognoſcendam, & in commune theatrum, ad oculos grato tanti Præſulis ſupplicio paſcendos. Nolebat hypocrita dies feſtos azymorum fuſo Petri ſanguine funeſtare: ſed non veretur iniuſto carcere, indignis catenis, iniqua militum vexatione innocentem torquere. Sed Petrus his omnibus fortior, iucunda & ſecura hilaritate milites confundebat, cuſtodes in ruborem convertebat, inquit Chryſoſtomus *h*.

V. 5. ORATIO AUTEM FIEBAT SINE INTERMISSIONE, etiam noctu *i*, AB univerſa ECCLESIA PRO EO: utpote ſummo capite & Pontifice totius Eccleſiæ, quem omnes intime diligebant & colebant, ut qui inſtar Atlantis totum Eccleſiæ pondus ſuis humeris ſuſtentaret. Nec fruſtra fuſæ preces. Hæ angelos e cælo evocarunt, carceres perfregerunt, catenas diſſolverunt, tyranni conſilia everterunt, ſatanam profligarunt, Eccleſiam conſervarunt.

V. 6. VINCTUS CATENIS DUABUS: quarum ſingulas ſinguli milites, inter quos medius cubabat, manu tenebant ſtringebantque, inquit Arias, ne quo modo dormientes falleret aut elaberetur Petrus. Miris encomiis catenas iſtas proſequitur Chryſoſt. *k* mira ad eaſdem patrata miracula narrat Magnus Gregorius *l* & alii apud Baronium & Ribadeneiram *m*. Unde & ſolemni feſto memoriam illarum celebrat Eccleſia quotannis 1. Auguſti, ob cauſam quæ in Officio eiuſdem diei fuſe enarratur. Vinctum Petrum vinculis extricat & e carcere educit.

V. 7. ANGELUS DOMINI, cuſtos S. Petri. Pantaleon *n* putat fuiſſe Archangelum Michaelem, Eccleſiæ præſidem, ac proinde capitis Eccleſiæ ſingularem cuſtodem, ut alibi *o* etiam dixi.

V. 8. PRAECINGERE *cingulo ſuper extimam tunicam*, ET CALCEA TE CALIGAS TUAS. Græce, *ſubliga ſandalia tua*, id eſt indue & adſtringe ſoleas vel calceos tuos. *Caligæ* enim a *ligando calce* ſic dicta, quaſi *calciliga*, Latinis olim calceum vel ſandalium, ſeu ſoleam deſignabat, inquit Salmeron & omnes eruditi. Et colligitur ex Geneſ. XIV. 23. ubi Abraham regi Sodomæ ait, *Non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, a filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ*, id eſt calcei: calceus enim habet corrigiam quæ pedi advincitur, non tibiale. Vide Iulium Nigronium *p*. Myſtice, inquit Beda, iubetur Petrus reſumere inſignia prædicationis, quæ ſunt *cingulum* & *calcei*, & *pallium*, de quo fuſe Tertullianus *q*.

V. 9. NESCIEBAT Petrus præ ſtupore, VERUM & ſolidum *eſſe* QUOD FIEBAT: puta egreſſionem e carcere, ſed EXISTIMABAT eſſe VISUM, ſeu viſionem. Interea reſeratis per angelum oſtiis omnibus, militibus gravi ſopore depreſſis,

V. 10. *Tranſeunt* omnes *cuſtodias*, ac demum etiam PORTAM FERREAM, ULTRO ope angeli *apertam*: atque ita e carcere & palatio regis, (quod erat in arce Sion, & tres turres habebat munitiſſimas Hippicum, Phaſelum & Mariamnem; teſte Ioſepho *r*;) ieiunt verſus *civitatem* veterem, quæ erat loco inferiore, & vulgo *Ieruſalem* vel *filia Sion* vocabatur. Cumque VICUM, ſeu plateam *unam proceſſiſſent*, Petro iam in tuto poſito, ANGELUS quaſi officio & legatione ſua perfunctus, diſparuit, corpus quod ex aere aſſumpſerat, in aerem rurſus reſolvendo, & Petri induſtriæ reliquum committendo, inquit Chryſoſtomus.

V. 11. PETRUS AD SE REVERSUS; græce, *factus in ſeipſo*, quaſi qui antea prorſus attonitus, extra ſe fuiſſet, mente a ſe alienato, DIXIT, NUNC SCIO VERE; quaſi dicat: Hucuſque putavi me in extaſi mentis vidiſſe quæ vidi: at nunc vera, reali & experimentali notitia diſco non extaſin fuiſſe, ſed veram rei per angelum peractæ hiſtoriam.

V. 12. CONSIDERANS Petrus periculum in quo erat, nempe quod iterum poſſet facile incidere in manus Herodianorum, ſubduxit ſe ſtatim e plateis, & ingreſſus eſt DOMUM MARIAE MATRIS JOANNIS *Marci*, qui ſocius inde fuit SS. Pauli & Barnabæ, ut

dici-

dicitur in fine capitis, ac denique Bybli in Phœnicia Epiſcopus, ut eſt in Martyrologio die 27. Septembr.

V. 13. *De puella* RHODE, id eſt roſa, forte filia vel nepie domus, quæ AD AUDIENDUM quis noctu fores pulſaret, prima procurrit, ſcribit Helecas Cæſarauguſtanus, *f*, alio nomine dictam fuiſſe *Roſuliam*, forte Roſaliam, & *in perſecutione Traiani paſſam pro fide, cum aliis Martyribus in Sardania*.

V. 15. ANGELUS EIUS EST: ſcilicet cuſtos: qualem cuique hominum a prima nativitate cælitus adiungi, communis ſemper fuit opinio fidelium, ut ex hoc & aliis Scripturis *t* colligit S. Chriſoſt. Beda & alii Doctores. Et ſolent ſæpiuſcule angeli induere ſpeciem, ſeu perſonam clientum ſuorum, ut res eorum curent, & negotia peragant, inquit noſter Thyræus *u* & a Lapide, & plurimis exemplis id demonſtrant.

V. 17. NUNCIATE HAEC IACOBO Alphæi, Ieroſolymorum Epiſcopo, ET FRATRIBUS, puta reliquis Apoſtolis ac diſcipulis. Nam pleroſque Apoſtolorum Ieroſolymis etiamnum ſubſtitiſſe, vel ſaltem non procul inde abſceſſiſſe, patet ex iis quæ in Chronico ad 2. annum Claudii Imper. adnotavi. E quibus patet, hoc demum anno, & occaſione huius Herodianæ perſecutionis Apoſtolos a Iudæa & a ſe mutuo divulſos, in ſuas ſingulos provincias demigraſſe: Petrum quoque, rebus iam Antiochiæ totoque Oriente utcumque diſpoſitis, (nam peragrarat non modo Sidonem, Berytum, Tripolim, Aradum, Antaradum, totamque Syriam, ſed & Galatiam, Cappadociam, Pontum, Aſiam, Bithyniam, ubique evangelizans, ubique Eccleſias, ubique Epiſcopos inſtituens:) Romam finientem hoc eodem anno ſecundo Claudii, cathedram ſuam pontificalem 18. Ianuarii tranſtuliſſe, idque iuſſu divino, atque illi Eccleſiæ, in qua ad mortem uſque pene per 25. annos Epiſcopus ſedit, pontificatum perpetuo adnexum reliquiſſe, ut plurimis argumentis & SS. Patrum certiſſimis teſtimoniis fuſe probant Baronius, Bellarminus, Suarez, Valentia & alii Doctores. Congruum autem erat, Romæ potius, quam alibi ſedem figi pontificiam, ut ubi caput erat imperii & orbis, etiam caput eſſet Eccleſiæ, & converſis aliquando Romanis principibus, facilius orbis univerſus Evangelio ſubiiceretur. Primum, quem Romæ Petrus convertit, aiunt fuiſſe Pudentem ſenatorem, quem cum filiis Timotheo ac Novato, filiabus Pudentiana & Praxede, totaque familia Chriſto adiunxit, domo eius in eccleſiam (quæ prima Romæ fuit) conſecrata, & *titulo Paſtoris* nuncupata, ubi etiamnum oſtenditur altare, in quo S. Petrus celebrare conſuevit. Vide acta iſtorum Martyrum. Sed quid rex Herodes audita fuga Petri?

V. 19. INQUISITIONE FACTA DE CUSTODIBUS, & torturæ veriſimiliter admotis, IUSSIT EOS DUCI ad ſupplicium, inquit Chryſoſt. Syrus, *iuſſit eos necari*. Petrus Alexand. tradit, ſtrangulatos ſeu ſuffocatos fuiſſe, in iuſtam crediderim pœnam multiplicis iniuriæ & inhumanitatis erga vinctum Petrum *x* nuper exhibitæ. Porro rex COMMORATUS aliquamdiu *Cæſareæ*, (quæ prius dicta fuerat Turris Stratonis,) ſolemnes ibi ludos celebravit pro ſalute Claudii Cæſaris, ad quos magna undique multitudo nobilium confluxit, teſte Ioſepho *y*. Hic

V. 20. A TYRIIS ET SIDONIIS, quibus IRATUS ERAT (ob receptum e fuga Petrum, inquit Baronius, ſed hoc incertum) veritis, ne frumenti advectionem inhiberet, itaque famem *z* augeret, interpellarat de *pace* Quibus.

V. 21. STATUTO DIE percelebri, addit *Syrus*; nempe die ſecundo ludorum, inquit Ioſephus; magnificentia regia ſedens pro tribunali, redimitus corona & ſceptro regio, veſteque ex argento & purpura novo opere ita contexta, ut radiis ſolis percuſſa quaſi divinum fulgorem emittere videretur; dum verbis ſolito blandioribus pacem ex inſperato impertit, adulantibus cauſam dat acclamandi quaſi novo Deo, & divinos illi honores adſcribendi. Quibus cum non repugnat rex, ſed potius conſentit,

V. 23. *nec dat* divinum HONOREM DEO, ſed ſibi ſacrilege adſcribit, inſanæ populi aſſentationi & acclamationi animo, forſan & nutu conſentiens; CONFESTIM; Syrus, *eadem hora*, *percutitur* ab *angelo Domini*, divini honoris zelote ac vindice: percutitur, inquam, plaga lethali, ex viſcerum dolore & torminibus, inquit Ioſephus: item corporis putrefactione, e qua vermium, id

iN eſt pediculorum, agmina enata *aa* miſerum homuncionem quinto poſt die, incredibili tormento abſumpſerunt: ut abſumpſerant etiam avum eius Herodem Aſcalonitam infaticidam *bb*. Et ſolet ſæpe tali ſupplicio Deus punire blaſphemos, Eccleſiæ perſecutores; ſed maxime divinitatis appetitores, ut patuit in Antiocho Epiphane, in Pherecyde *cc* Pythagoræ magiſtro atheo, in Maximiano Imp. in Neſtorio hæreſiarcha, in Ioanne Calvino *dd*, & tot aliis Theomachis. Mortuum Herodem Gæſarenſes non tam luctu, inquit Ioſephus *ee*, quam conviciis proſecuti ſunt, æque ac viventem, præſentem ac videntem impetiverant nuper Alexandrini, in publicum theatrum inducto neſcio quo inſano Carabba (Baronius putat legendum *Barabba*) qui Herodis perſonam referret, cuius capiti diadema impoſuerunt papyraceum; pro paludamento induerunt ſtorea, pro ſceptro arundine manui impoſita, ſic eum *marim*, id eſt dominum ſeu regem, acclamantes uti narrat Philo *ff*. Herodi defuncto ſucceſſit filius & ipſe *Herodes Agrippa*, ſed iunior dictus, cuius ſorores erant *Mariamne*, *Berenice & Druſilla*, de quibus infra *gg*.

(a) Ioſeph. Lib. XVIII. cap. VIII. & Lib. XIX. cap. V. & Chronici noſtri cap. ult. a morte Chriſti 7. anno.
(b) Ioſeph. Lib. XIX. cap. VII.
(c) IV. Reg. VI. 11. & 32.
(d) Marci VI. 16. & 27.
(e) Chron. cap. XLVI. in fine ult. tabulæ.
(f) Luc. Dext. anno Chriſti 41.
(g) Exod. XII. 15.
(h) Chryſoſt. in Encomio vinculorum S. Petri.
(i) Hic verſ. 12.
(k) Chriſoſt. homil. VIII. in epiſt. ad Epheſios. & apud Surium 1. Auguſt.
(l) Greg. Lib. V. epiſt. VI. & Lib. VI. epiſt. XXIII.
(m) Ribaden. 1. Auguſt.
(n) Pantaleon Chartophylax in Encomio S. Michaelis.
(o) Zach. III. 1.
(p) Nigron in libello de Caliga cap. IV. num. 6.
(q) Tertul. de Pallio.
(r) Ioſeph. Lib. VI. Bellic. VI.
(ſ) Heleeas in addit. ad Chronica L. Dextri & M. Maximi.
(t) Gen. XLVIII. 16. Dan. III. 29. Tob. V. 18. & Matt. XVIII. 10. &c.
(u) Thyreus Lib. de Spirit. apparit. cap. XII. &c.
(x) Petr. Alex. canon. XIII. apud Theod. Balſamonam.
(y) Ioſeph. Lib. XIX. Antiq. cap. VIII.
(z) Actor. XI. 28.
(aa) Galen de Compoſ. medic. ſecundum loca cap. VII.
(bb) Chron. cap. XLV. & XLIX.
(cc) II. Mach. IX. 5. Rhodigin. Lib. XIX. cap. XXX.
(dd) Euſeb. Lib. VIII. cap. XXVIII. Niceph. Lib XIV. cap. XXXVI. Bolſec. in Vita Calvini.
(ee) Ioſeph. Lib. XIX. cap. VIII.
(ff) Philo in Flaccum cap. XXXI.
(gg) Actor. XXIV. 24. & XXV. 13.

GORDONI.

Verſ. 1. EODEM AUTEM TEMPORE. Quæ toto fere hoc capite referuntur, dedi explicata in Chron. ad annum Chriſti 44. & Claudii 2. quo contigit mors Iacobi Maioris & Apoſtoli; qui filius Zebedæi & frater Ioannis, fuit inter Apoſtolos protomartyr; nunc occiſus circa tempus Paſchale ab Herode Agrippa: duo ante hunc fuerunt Herodes, unus actor infanticidii; alter dictus Antipas, tempore Paſſionis; qui anno Chriſti 40. relegatus eſt Lugdunum in Gallia, accuſatus apud Caium per litteras Agrippæ de proditione Imperii. De hoc Herode Agrippa nunc agitur, qui ſenior Agrippa eſt, ex fratre nepos Antipæ. Herodis Antipæ Tetrarchiam Caius adiecit regno Agrippæ (quem regem nominavit) putant tamen plerique cum Baronio numquam fuiſſe regem Iudææ, quippe quæ iam ante erat ſub Syria redacta. Erat hic ſenior Agrippa Iudaiſmi ſtudioſiſſimus: inde nata hæc eius perſecutio in Chriſtianos.

V. 2. OCCIDIT .... GLADIO, ut rex erat. Notatur tempus Azymorum. Iacobus dum eliet in agone Martyrii curavit paralyticum, ex S. Iſidoro. De Iacobi protectione in Hiſpaniam dixi ad annum 44.

V. 3. & 4. APPOSUIT UT APPREHENDERET. Acta res eſt excurrentibus octo diebus Paſchalibus. De azymis ſæpe alias: vide quæ dixi Exod. cap. XII. QUATUOR QUATERNIONIBUS, ſunt ſexdecim milites; nempe ut ſic explerent quatuor noctis vigilias, deſtinatis cuilibet vigiliæ quatuor militibus. Ne Petrus occideretur ſtatim primo die carceris, effecit tempus Azymorum. Hic eſt ſecundus carcer Petri, ut vides Act. v. 19.

V. 7. & 8. CUM AUTEM PRODUCTURUS. Ventum erat ad extrema; & en tunc præſentem opem: ſic ſuos probat Deus. Excutit, frangit vel ſolvit Angelus catenas, & educit. CALCEA TE CALIGAS. Græcus, *ſubliga ſandalia tua*: ſandalia ſunt calcei. Noſter vero habet *caligas*; nec male;

Digitized by Google

le; nam olim apud Latinos caliga calceus vocabatur: ſic Caius Imperator a calceo cognominatus eſt Caligula. Aurel. Victor in Caligula. Sandalium ſolea eſt, qualem nunc geſtant aliqui ſtrictioris ordinis Franciſcani.

V. 10. Venerunt ad portam ferream. Aliquibus videtur carcerem hunc fuiſſe iuxta locum Calvariæ, & extra civitatem. Sane carceres ſolent eſſe intra urbes. Immo cur non hic in ipſo Regis Palatio? Locum deſcribit Adricom. Exeunte Petro nulla hic penetratio fuit, cum Lucas dicat reſeratas fuiſſe portas; quod ab Angelo facile fieri potuit; immo etiam ut non videretur Petrus a cuſtodibus. Notum Thelogis eſt, quid poſſint Angeli nativa virtute.

V. 17. Abiit in alium locum. Pleraque in hunc annum 44. inciderunt, quæ notavi in diagrammate ad initium Matthæi, ut ſunt fames, diſperſio Apoſtolorum, & Petri profectio Romam. In quo itinere Petrus luſtravit Cæſaream, Sydonem, Tripolim, aliaque loca in minore Aſia. Hic annus ſeptimus eſt ab initio Cathedræ Antiochenæ. Videri poſſunt quæ dixi in Chron. anno Chriſti. 44.

V. 19. Inquisitione facta: *ἀνακρίνας*, examinare, inquirere, admovere torturæ, condemnare. Iussit duci ad ſupplicium extremum; alii duci in carcerem; quos tamen occiſo mox Herode ſcribunt aliqui dimiſſos.

V. 20. Blasto. Conciliato ipſis Blaſto, ut faveret apud Regem, a quo timebant Sydonii, ne prohiberet exportationem frumenti, quo magnopere egebant. Sed funeſtum fuit pro tribunali his honor Agrippæ, ut narrat Lucas, impie exhibitus. Hunc interitum Agrippæ narrat Ioſephus Lib. XIX. cap. viii. ubi tamen aliqua ſuppreſſit, minuens pœnam a Deo immiſſam. Succeſſit Agrippa iunior ſeptemdecim annos natus. Hic eſt coram quo cauſam dicit Paulus cap. xxv. 22. vidit iſte iunior excidium. In eo extinctum eſt regnum, tres filias reliquit, Mariannam, Berenicem (quæ nupſit Fœlici præſidi) & Druſillam.

V. 25. Paulus et Barnabas. De Ioanne Marco ſupra. Petrus liberatus e carcere reperit Paulum & Barnabam qui venerant Ieroſolymam, eo miſſi, qui deferrent eleemoſynas pauperum: at nunc regrediuntur Antiochiam.

CAPUT XIII.

Saulus & Barnabas iubentur a Spiritu ſancto ſegregari ad opus prædicationis inter Gentes, & Barieſu ſive Elyma mago, qui eorum prædicationi reſiſtebat, ad Pauli verbum excæcato, credit Sergius Paulus: in Antiochia Piſidiæ Paulus in ſynagoga latius de Chriſto diſſerit: ſed Iudæis blaſphemantibus, & perſecutionem in eos excitantibus, convertuntur ad Gentes iuxta Iſaiæ vaticinium.

1. Erant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactenus, & Saulus. 2. Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos. 3. Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos. 4. Et ipſi quidem miſſi a Spiritu ſancto abierunt Seleuciam; & inde navigaverunt Cyprum. 5. Et cum veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in ſynagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in miniſterio. 6. Et cum perambulaſſent univerſam inſulam uſque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pſeudoprophetam, Iudæum, * cui nomen erat Barieſu, 7. qui erat

cum

cum Proconſule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accerſitis Barnaba & Sau-
lo, deſiderabat audire verbum Dei. 8. Reſiſtebat autem illis Elymas magus,
(ſic enim interpretatur nomen eius) quærens avertere Proconſulem a fide,
9. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu ſancto, intuens in eum,
10. dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis
iuſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. 11. Et nunc ecce manus
Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus. Et con-
feſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei ma-
num daret. 12. Tunc Proconſul cum vidiſſet factum, credidit admirans ſuper
doctrina Domini. 13. Et cum a Papho navigaſſent Paulus & qui cum eo erant,
venerunt Pergen Pamphyliæ. Ioannes autem diſcedens ab eis, reverſus eſt
Ieroſolymam. 14. Illi vero pertranſeuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pi-
ſidiæ: & ingreſſi ſynagogam die ſabbatorum, ſederunt. 15. Poſt lectionem
autem legis, & Prophetarum, miſerunt principes ſynagogæ ad eos, dicentes:
Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite. 16.
Surgens autem Paulus & manu ſilentium indicens, ait: Viri Iſraelitæ, &
qui timetis Deum, audite: 17. Deus plebis Iſrael elegit patres noſtros, &
plebem exaltavit cum eſſent in colæ (a) in terra AEgypti, (b) & in bra-
chio excelſo eduxit eos ex ea, 18. (c) & per quadraginta annorum tempus mo-
res eorum ſuſtinuit in deſerto. 19. Et deſtruens gentes ſeptem in terra Cha-
naam, (d) ſorte diſtribuit eis terram eorum, 20. quaſi poſt quadringentos &
quinquaginta annos: (e) & poſt hæc dedit iudices uſque ad Samuel Prophe-
tam. 21. Et exinde (f) poſtulaverunt regem: * & dedit illis Deus Saul fi-
lium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta: 22. & amoto illo,
(g) ſuſcitavit illis David regem: cui teſtimonium perhibens, dixit: (h) In-
veni David filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui facit omnes volun-
tates meas. 23. Huius Deus ex ſemine (i) ſecundum promiſſionem eduxit
Iſrael ſalvatorem Ieſum, 24. (k) prædicante Ioanne ante faciem adventus eius
baptiſmum pœnitentiæ omni populo Iſrael. 25. Cum impleret autem Ioan-
nes curſum ſuum, dicebat: Quem me arbitramini eſſe, (l) non ſum ego,
ſed ecce venit poſt me, cuius non ſum dignus calceamenta pedum ſolvere.
26. Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vo-
bis verbum ſalutis huius miſſum eſt. 27. Qui enim habitabant Ieruſalem, &
principes eius, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne ſab-
batum leguntur, iudicantes impleverunt: 28. & nullam cauſam mortis inve-
nientes in eo, (m) petierunt a Pilato, ut interficerent eum. 29. Cumque
conſummaſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno,
poſuerunt eum in monumento. 30. (n) Deus vero ſuſcitavit eum a mortuis
tertia die: qui viſus eſt per dies multos his, 31. qui ſimul aſcenderant cum
eo de Galilæa in Ieruſalem: qui uſque nunc ſunt teſtes eius ad plebem. 32.
Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt:
33. * quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut
& in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: (o) Filius meus es tu, ego hodie genui
te. 34. Quod autem ſuſcitavit eum a mortuis, amplius iam non reverſurum
in corruptionem, ita dixit: (p) Quia dabo vobis ſancta David fidelia. 35.
Ideoque & alias dicit: (q) Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.
36. David enim in ſua generatione cum adminiſtraſſet, voluntati Dei (r)
dormivit: & appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem. * 37. Quem
vero Deus ſuſcitavit a mortuis, non vidit corruptionem. 38. Notum igitur
ſit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur,
* & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari, 39. in hoc

omnis, qui credit, iuſtificatur. 40. Videte ergo ne ſuperveniat vobis quod dictum eſt in Prophetis: 41. (ſ) Videte contemptores, & admiramini, & diſperdimini; quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarraverit vobis. 42. Exeuntibus autem illis, rogabant ut ſequenti ſabbato loquerentur ſibi verba hæc. 43. Cumque dimiſſa eſſet ſynagoga, ſecuti ſunt multi Iudæorum, * & colentium advenarum, Paulum & Barnabam: qui loquentes ſuadebant eis ut permanerent in gratia Dei. 44. Sequenti vero ſabbato pæne univerſa civitas convenit audire verbum Dei. 45. Videntes autem turbas Iudæi, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blaſphemantes. 46. Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes: 47. ſic enim præcepit nobis Dominus: (t) Poſui te in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ. 48. Audientes autem Gentes gaviſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. 49. Diſſeminabatur autem verbum Domini per univerſam regionem. 50. Iudæi autem concitaverunt mulieres religioſas, & honeſtas, & primos civitatis, & excitaverunt perſecutionem in Paulum & Barnabam: & eiecerunt eos de finibus ſuis. 51. (u) At illi, excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. 52. Diſcipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu ſancto.

(a) Exo. I. 8. (b) Exod. XIII. 21. 22. (c) Exod. XVI. 3. (d) Ioſ. XIV. 2. (e) Iud. III. 9.
(f) I. Reg. VIII. 5 & IX. 16. & X. 1. (g) I. Reg. XVI. 13. (h) Pſal. LXXXVIII. 21 (i) Iſa. XI. 1.
(K) Mar. I. 2. Luc. III. 3. (l) Ioan. I. 20. Mat. I. 7. Matth. III. 11. (m) Matt. XXVII. 20. 21. Mar. XV. 13. Luc. XXIII. 21. 23. Ioan. XIX. 16 (n) Matt. XXVIII. Marc. XV. Luc. XXVI. Ioan. XX. (o) Pſ. II. 7.
(p) Iſ. LV. 3. (q) Pſ. XV. 10. (r) II. Reg. II. 10. (s) Habac. I. 5. (t) Iſa. XLIX. 6.
(u) Marc. VI. 11. Matt. X. 14. Luc. IX. 5.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 7. Cui nomen erat Barieſu. Legendum eſt *Barieſu*, non, dempta ſemivocali *ſ*, *Barieu*.

Verſ. 21. Et dedit illis Deus Saul. Non eſt omittendum nomen *Deus*.

Verſ. 33. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris. Pro *noſtris* primæ perſonæ non ſcribas *veſtris* ſecundæ, nec *ſuis* tertiæ, nec denique *Iſrael*.

Ibidem. *Sicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt.* Non facile vel omittas *ſecundo*, vel mutes cum *primo*: qua de re legere licet Notationes noſtras.

Verſ. 37. Quem vero Deus ſuſcitavit a mortuis. Patres non iudicarunt auferendum illud *a mortuis*.

Verſ. 38. Et ab omnibus, quibus non potuiſtis. Non eſt prætermittenda præpoſita his verbis coniunctio *&*.

Verſ. 43. Et colentium advenarum. Non addas participio *colentium* nomen *Deum*.

Notationes.

Verſ. 6. **I***Nvenerunt quemdam virum magum, pſeudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bar-ieſu.* Latinorum codicum quidam *Barieſu* legunt, plerique *Barieu*, quamquam Barien, *n* pro *u* multi perperam, habeant. *Barieu* interpreteris filium Ieu, ſive Iehu (Moguntinæ Colonienſis, & Nurenburgenſis, primogeniæ Chalcographorum editiones *Bariehu* ſcribunt) vel filium Dei a nomine *ἀνεκφωνήτῳ*, יהוה. Hieronymus explicans Hebraica nomina, ſi tamen Hieronymus eius libri eſt auctor, *Barieu* legit, & maleficum ſive in malo interpretatur: (*a*) qua ratione etſi *Barieu* efferas, non בר *bar filium* comprehendat; id quod interlinearis Gloſſæ auctor exiſtimavit; ſed a ב *B* præpoſitione *in* & רע *rab* nomine quod *malum* ſignat, deducatur. Addit eo loco Hieronymus corrupte a nonnullis *Barieſu* legi. Beda Hieronymum ſequutus *Barieu*, non *Barieſu* legendum putat; quod indignum ſit, magum Ieſu, id eſt Salvatoris filium dici, quem e contrario Paulus filium Diaboli nuncu-

cu-

cupat Exemplaria Græca conſtanter *βαριησοῦς*, aut *βαριησοῦν* habent, eiſque quæ apud Græcos Tractatores Chryſoſtomum. Theophylactum, Oecumenium eſt lectio, conſonat. Suſpicatur. Beda depravationem accidiſſe quod *βαρὶησοῦ Barieu*, ſi virgulam abbreviationis notam ſuperponas, idem quod *βαριησοῦ Barieſu* plene ſcriptum ſignificet. Ceterum *Barieſu* ut in Græcis omnibus, ita in Latinis libris manuſcriptis fide digniſſimis invenio (nam quod Græcis eſt *Barieſus*, hoc eſt filius Ieſu) noſtris Brug. Lob. L, Pariſienſium, D1. o. l. Lyrani correctis, Epanorthotæ antiquis. Cui „ *nomen erat Barieſu*, ſcribit Lyranus, ſic eſt in Græcn, & in libris „ correctis & tantum valet ſicut filius Ieſu. Epanorthotes: “ Item b. *cui nomen erat Ba-* „ *rieſu*. Græcus, antiqui ſic habent. „ Hentenius etiam caſtigator textu hoc donavit, expulſo *Barieu*. Neque vero abſurdum videri debeat magum Ieſu filium dictum fuiſſe: erat enim Ieſu vulgare tunc multorum nomen, tametſi ſua ſignificatione ſoli Domino noſtro convenerit, debitumque fuerit, ac deinceps ita ſanctum habendum ſit, ut nec ſanctiſſimo cuiquam imponi poſſit. Barabbam exiſtimarunt quidam Ieſum proprio nomine vocatum, atque hinc additum a Pilato diſcriminis ergo, *qui dicitur Chriſtus*: *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus?* Matth. xxvii. verſ. 17. Si igitur latro vocatus fuiſſe potuit Ieſus, quamvis ita vocatum fuiſſe mihi non ſit veriſimile: potuit facilius magus filius patris, qui Ieſus fuerit dictus, fuiſſe. Verum enim vero incertum id relinquitur, an nomen *Barieſu*; ſi quidem ea germana ſit lectio (quamquam de *Barieu* ſimile ſit iudicium) a patris nomine magus acceperit, an ſibi ipſe impoſuerit, tamquam Dei ſervatoris filio. Deus enim noſter, Deus ſalvos faciendi dicitur. Ceterum facile poſſit, etiamſi Latine, & Græce, eodem utrumque modo efferatur; aliud patris magi eſſe nomen, aliud Domini noſtri, unica in Hebræo littera, vel addita, vel dempta, vel immutata. Adde quod quidam *Barieſu* adverſarium Ieſu interpretentur a Græco nomine *βαρύς*, quod *gravem* ac *moleſtum*, denotat. Editio Syrica *Barſchoumo* ſcribit: id quod ſignificat, filium nominis, hoc eſt virum nominatum ac celebrem. Magiis, veriſimile eſt, ac præſtigiis nomen hic ſibi fecerat.

V. 33. Et nos vobis annunciamus eam (*ea* z. MS.) *quæ ad patres noſtros* [Hil. G.] *repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Ieſum*. (*Chriſtum dominum noſtrum* o.) Latinorum librorum multi *filiis veſtris* legunt, plures iique meliores *filiis noſtris*; quare hoc in textum Hentenius, ac Zegerus referendum cenſuere. Verum quia neutrum loco ſatis convenit, ſcripſerunt quidam *filiis Iſrael*, quidam *filiis ſuis*: hoc enim eſt in codice A, illud in codice G. ſignato. O ſignatum exemplar, *filiis eorum vobis* habet; quæ Græci ennarratoris Theophylacti eſt lectio probe loco congruens. Sed quæ apud Chryſoſtomum, atque Oecumenium, & in Græcis, ac Syricis novi teſtamenti editionibus lectio eſt, *τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν*, *filiis eorum nobis*, optime quadrat. Duo ex noſtris Latinis ſcriptis E, & J, habent: *Filiis veſtris reſuſcitans vobis Ieſum*; alia duo, Pl m. & Atr. ſ. *filiis noſtris reſuſcitans nobis Ieſum*. Unde videri certe poſſit Interpretem quidem vertiſſe *filiis eorum nobis* aut *vobis*; ſed eos qui id non intellexerint, quoſdam omiſiſſe *eorum*, ac ſcripſiſſe *veſtris* & *noſtris* pro *vobis* & *nobis*, quoſdam *nobis* & *vobis* cum *reſuſcitans* iunxiſſe, ac *eorum* cum *veſtris* & *noſtris* mutaviſſe.

Sequitur: *Sicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Nonnulli codices: *Sicut & in Pſalmo ſcriptum eſt* legunt, & ex noſtris quidem alter ſcriptorum quos Atrebatenſis Collegii Præſidens clariſſimus M. N. Cornelius Reineri Goudanus commodavit. Nonnulli, Beda teſte, *Sicut & in primo Pſalmo ſcriptum eſt*, quibus hodie Quenteliana Biblia, & Zegeri Teſtamentum novum conſonant. Poſtremo hoc modo, *ſicut in Pſalmo primo ſcriptum eſt*, B. Hilarium, alioſque eius æquales legiſſe, ex commentariis eius in Pſalmum ſecundum claro clarius eſt. Quærit, quod multos ait feciſſe ambiguos, quo modo Pſalmum *Quare fremuerunt gentes*, quem Doctor gentium primum eſſe hoc loco teſtatur, nos ſecundum habeamus? tandemque reſpondet, Apoſtolum Hebræum Hebræis ſecundum Hebraicam cognitionem & fidem Pſalmum hunc primum eſſe dixiſſe, qui iuxta 70. translatorum diſtinctionem nobis eſt ſecundus. Hilario Hieronymum legiſſe ſimiliter ex enarratione Pſalmi primi colligitur; ait enim: „ Apud „ Hebræos & primus, & ſecundus unus „ eſt Pſalmus; quod in Apoſtolorum quoque „ Actibus comprobatur. Denique quia a bea„ titudine cœperat, in beatitudine deſinit, „ dicens: Beati omnes qui confidunt in „ eum. „ His conformiter textum Oecumenii commentariis adiunctum, & ſex Græca novi Teſtamenti exemplaria, diverſis locis excuſa legere notavimus: *ὡς καὶ* (*γάρ* 1.) *ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ πρώτῳ γέγραπται*. Ceterum ple-

plerique Latinorum, pluresque Græcorum codicum, eorum quidem quos nos vidimus, Chryſoſtomi etiam, Theophylacti, & Syrorum textus: *Sicut & [7. MS. Hil. Sy.] in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt* habent. Hebræi quoque ita hodie Pſalmos diſtinguunt, ut ſecundus ſit hic: *Quare fremuerunt gentes*: & ſi primo hunc iungerent, 150. non eſſent Pſalmi, niſi ut nonum Pſalmum noſtrum, ita 147. ſuum dividerent. Verum enim vero non eſt hæc primi Pſalmi lectio facile reiicienda tantis fulta ſuffragiis: haud enim facile Latinorum, aut Græcorum quiſquam pro ſecundo primum ſcripſerit, aut cum nullus eſſet expreſſus numerus, primum addiderit: facilius cum primum legerent, quem ſecundum conſtanter habent, aut ſecundum ſubſtituerint, aut numerum omnem ademerint.

(*a*). V. Beda legit *Barieu*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. COLLACTANEUS. Græ. σύντροφος, id eſt *ſimul nutritus*.

V. 2. MINISTRANTIBUS. Græc. λειτουργούντων, id eſt *ſacrificantibus*. Miſſæ enim ſacrificium λειτουργία. ASSUMPSI. Græc. *advocavi*. Syr. *vocavi*.

V. 4 SELEUCIAM: eſt in Cœleſyria.

V. 5. SALAMINAM. Cypri civitas, dicta poſtea *Conſtantia*: eſt autem ad Orientem, *Paphus* vero ad Occidentem.

V. 8. ELYMAS. Forte id erat ei nomen, quamquam Græc. ſignificat *magum* & *impoſtorem*. SIC, id eſt magus, ſeu Elymas. NOMEN, ſcilicet Bar. Ieu; quaſi dicat, Ille *magus* qui Elymas dici poteſt: id enim ſignificat *Bar-Iou*.

V. 10. FALLACIA, id eſt verſutia. Syr. *flagitio*. SUBVERTERE, id eſt impedire, ſeu interturbare.

V. 11. ET NUNC; pro, itaque nunc. MANUS, id eſt vindicta, ſeu punitio.

V. 14. SABBATORUM, pro, ſabbati.

V. 17. BRACHIO EXCELSO, id eſt magna potentia.

V. 18. PER. Græc. *circiter*. MORES EORUM SUSTINUIT. Syr. *nutrivit eos*.

V. 20. QUASI, &c. Græc. *& poſt hæc annis circiter quadringentis & quinquaginta, dedit Iudices*, &c. ubi ſenſus poteſt eſſe, tamdiu Iudices duraſſe.

V. 22. REGEM. Græc. *in regem*. DIXIT. Vide I. Reg. XIII. 14. QUI FACIET, &c. explicat Paulus, quid ſignificet, *ſecundum cor meum*.

V. 23. ISRAEL: dativus eſt.

V. 24. ANTE FACIEM, &c. id eſt priuſquam ille veniret, ſcilicet ad prædicandum.

V. 25. CURSUM. Syr. *miniſterium*; quaſi dicat, Cum fungeretur munere Præcurſoris. NON SUM, ſcilicet Chriſtus.

V. 26. GENERIS, id eſt poſterorum. EX QUI; pro, id eſt qui.

27. 27. IMPLEVERUNT, ſcilicet de eo ſcripta, ut inf. dicitur.

V. 29. DEPONENTES, ſcilicet viri quidam pii.

V. 32. ANNUNTIAMUS. Græc. *evangelizamus*. REPROMISSIO; pro, promiſſio.

V. 33. NOSTRIS. Græc. & Syr. *nobis eorum filiis*. GENUI, ſcilicet regeneratio quædam eſt ipſa reſurrectio.

V. 34. SUSCITAVIT; pro, ſuſcitaturus eſſet. CORRUPTIONEM, id eſt mortem, qua vita corrumpitur. DIXIT, ſcilicet ſecundum LXX. SANCTA, id eſt ſancte promiſſa. Syr. *beneficentia*. FIDELIA, id eſt certa; quaſi dicat: Faciam omnino quod promiſi ei, de Rege æterno naſcituro ex ipſo.

V. 36. GENERATIONE, id eſt ætate. ADMINISTRASSET, id eſt inſerviſſet, ſeu obediſſet.

V. 40. PROPHETIS; pro, uno ex Prophetis, ſcilicet Habacuc, iuxta LXX.

V. 41. DISPERDIMINI. Græc. *exterminamini*. Imperativi pro futuris; quaſi dicat, Videbitis, & mirabimini; & quia non credetis, peribitis.

V. 52. VERBA HAEC, id eſt de rebus his.

V. 43. SYNAGOGA, id eſt cœtus. ADVENARUM. Græc. *proſelytorum*.

V. 45. ZELO, id eſt invidia, ſeu indignatione.

V. 46. CONSTANTER. Græc. *libere & confidenter* Syr. *aperte*.

V. 48.

Digitized by Google

V. 48. GLORIFICABANT, id eſt honorabant, ſeu laudabant.

V. 49. PRAEORDINATI, ſcilicet a Deo per æternam electionem, ſeu prædeſtinationem.

V. 50. HONESTAS, id eſt honorabiles, ſeu nobiles.

E S T I I.

Verſ. 1. ET LUCIUS CYRENENSIS. An iſte idem cum Luca Evangeliſta; non, quia Lucas Antiochenus: neque tunc adhuc Lucas videtur fuiſſe tantæ auctoritatis. An idem cum Lucio, de quo Rom. XVI. vide ibi Comment. noſtrum.

V. 2. MINISTRANTIBUS AUTEM ILLIS DOMINO. Eraſmus, *Cumque illi ſacrificarent Domino*. Græce λειτουργούντων. Sed mirandum eundem Eraſmum in paraphraſi hoc ſacrificium detorquere ad eam ſervitutem, qua omne ſuum ſtudium, ac dotes conceſſas conferunt pii ad Eccleſiæ profectum. Hodie etiam Gallica & Teutonica lingua Miſſæ actio vocatur miniſterium. Gallice, *le ſervice:* Teutonice, *den dienſt*. At dices, loco verbi, *Miniſtrantes*, mox ſubſtitui verbum, *Orantes*, cum dicitur: *tunc ieiunantes, & orantes;* ex quo ſuſpicari quiſpiam poſſet, miniſterium hic non aliud intelligi, quam orationis. Cui reſponſum ſit, orationis nomine ſæpe in Scripturis, maxime ubi orationis publicæ mentio fit, intelligi totum cultum Dei externum, cuius vel præcipua pars eſt ſacrificium. Ita ſcriptum eſt: *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Quia cum ubique orare liceret, in ea tamen ſola licuit offerre ſacrificium. Ita mulier illa Samaritana ad Dominum: *Vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, ubi oportet adorare*. Sic Apoſtoli Actor. VI. *Nos autem orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus*. Sic Paulus I. Timoth. II. vult *orationes fieri pro omnibus hominibus*, quas Patres interpretantur, quæ fiunt in Miſſæ ſacrificio. DIXIT ILLIS SPIRITUS SANCTUS. *Dixit*, revelando, vel palam in Eccleſia dum ſacrificarent Domino, vel uni ex Prophetis, quorum præcipuus videtur fuiſſe Agabus. Nam & ille Antiochiæ per id tempus morabatur, ut intelligi poteſt ex fine capitis XI. SEGREGATE MIHI SAULUM, ET BARNABAM. Electio Dei non ſolum in eo, quod hos duos præ aliis aſſumat ad hoc opus; verum etiam, quod Saulum Barnabæ præponat, quaſi minorem maiori, tyronem veterano. Nec tamen Barnabas invidit, ſed libens ſuſcepit cum eo communem legationem. Erat enim vir bonus.

V. 3 IMPONENTESQUE EIS MANUS, DIMISERUNT ILLOS. Non videtur hic ſignificari ſacra ordinatio ad Presbyterium, vel Epiſcopatum. Nam Barnabam iam ante fuiſſe Apoſtolum ſatis liquet ex cap. XI. de Saulo idem videtur. Certe uterque huius capitis initio numeratur inter Prophetas, & doctores qui erant in Eccleſia Antiochena præcipui; & Barnabas quidem primo loco. Significatur ergo Barnabam, & Saulum cum ceræmonia impoſitionis manuum adhibita oratione, & ieiunio miſſos fuiſſe ad opus prædicationis Evangelicæ, ad quod aſſumpti, & nominatim deſignati erant a Spiritu ſancto. Hanc manuum impoſitionem Arator tribuit Petro, ita canens:

Quem mox ſacravit euntem.
Impoſita Petrus ille manu, cui ſermo Magiſtri
Omnia poſſe dedit.

V. 6. CUI NOMEN ERAT BARIESU. Vide hic prolixam annotationem Franciſci Lucæ in Notationibus ad ſacra Biblia.

V. 7. SERGIO PAULO VIRO PRUDENTE. *Prudente* eo modo quo prudentia poteſt infidelibus competere, ſcilicet imperfecte. Vide noſtra in 3. ſent. diſt. 39.

DESIDERABAT AUDIRE VERBUM DEI. Hoc deſiderium erat Dei donum. De quo iße in 2. diſtinct. 26.

V. 7. ELYMAS MAGUS (*ſic enim interpretatur nomen eius.*) Non illud nomen *Bar-Ieſu* (hoc enim interpretatur filius Salvatoris) ſed aliud nomen ei proprium, quod Lucas non expreſſit. Nam *Bar-Ieſu* non videtur fuiſſe nomen proprium, ſed ita dictus, quia filius erat Iudæi cuiuſdam nomine Ieſu. Nam multi erant hoc nomine, ut patet ex Ioſepho. Sic alibi Bartimæus filius Timæi. Sic puto Nathanael dictum fuiſſe Bartholomæum, id eſt Tholomæi filium. In libro interpretationis Heb. nominum ſcripturæ, ſic legitur, *Elymas*, id eſt *magus, corruptor, pernicioſus*. Hieron autem in nominibus hebraicis de Actis Apoſt. ſic hebraice interpretatur, *ad tranſgreſſionem*, ſive *tranſgredi faciens*. Sed quia per y ſcribitur a Luca; veriſimilius eſt græcum

Digitized by Google

eum eſſe vocabulum, & græcam habere etymologiam. Et neſcio qua lingua Elymas ſignificet magnum. Quare veriſimilius eſt ſenſum eſſe, Iudæum illum, cui nomen Barieſus & Elymas, fuiſſe magum; ſicut Simon qui Petro reſtitit. Ceterum de hac re vide Prateolum de hæreſibus, in Elyma mago. Item Dionyſ. Areopagitam, cap VIII. de divinis nominibus, ubi refert aliquid huc pertinens. Vide quoque Baronium tom. I. Annal. *Fili Diaboli*, alludit ad nomen, quadam antiphraſi, quaſi dicat; Vocaris Barieſu, id eſt filius Ieſu. At tu eo nomine indignus es, dignior qui voceris filius Diaboli qui eſt Ieſu adverſarius.

V. 11. ET ERIS CAECUS, NON VIDENS SOLEM USQUE AD TEMPUS. Interpretatio eſt: *Cæcus*, hoc eſt, *non videns ſolem uſque ad tempus*. Qui enim eſt non videns ſolem uſque ad tempus, non proprie cæcus eſt, niſi poſtea viſum per miraculum recipiat, ut ex cæco videns fiat. Quod non eſt de illo credendum, niſi dicatur fuiſſe converſus; quod non apparet, quia Lucas id non tacuiſſet. Unde apparet quod ad tempus fuerit in oculis eius immiſſum divinitus impedimentum videndi, ſalva potentia videndi, ſicut qui leguntur percuſſi *ἀορασίᾳ*, ut Sodumitæ, Syrii, & alii, ad tempus non potuerunt videre, id quod quærebant, etſi præſens; & ſicut Iudæi, qui Chriſtum capere volebant, ad verbum dicentis, *Ego ſum*, ceciderunt in terram, per immiſſam debilitatem ſtandi, qua ſubmota ſtatim ſurrexerunt. Sicut autem hoc factum eſt a Chriſto, ut ſuam demonſtraret potentiam; nec tamen continuatum, ne paſſio ſua impediretur: ita & hoc a Paulo factum ut Proconſul crederet; nec tamen continuatum, ne ad nocendum gratia miraculorum Apoſtolis data videretur. In vita S. Ianuarii Epiſcopi legitur Timotheo iudici reſtitutum lumen, qui tamen non fuit converſus. Id forte eodem modo intelligendum, nempe ad tempus impeditum, ne videret. Vide Breviarium Romanum in Ianuario, die 19. Septemb.

V. 16. VIRI ISRAELITAE, ET QUI TIMETIS DEUM, AUDITE. Et infra: *Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum*. Timentes Deum quos ab Iſraelitis, & filiis Abrahæ diſtinguit, intelligit proſelytos, quos paſſim Lucas hoc libro vocat *colentes*. Unde hoc eodem capite poſt Pauli orationem, verſ. 43. *Secuti ſunt*, inquit, *multi Iudæorum & colentium advenarum Paulum, & Barnbaam*. Quo loco advenas dicit proſelytos. Hoc enim nomen eſt in Græco.

V. 22. SUSCITAVIT ILLIS DAVID REGEM, CUI TESTIMONIUM PERHIBENS DIXIT: INVENI DAVID FILIUM IESSE, VIRUM SECUNDUM COR MEUM, QUI FACIAT OMNES VOLUNTATES MEAS. Quæritur, ubi Deus hoc dixerit? videtur teſtimonium ex pluribus locis conflatum. Nam I. Reg. XIII. Samuel ait: *Quæſivit Dominus ſibi virum, ſecundum cor ſuum*, & capite XVI. ait Dominus: *Providi in filiis Iſai mihi Regem*. Et Pſal. LXXXVIII. rurſum ait: *Inveni David ſervum meum*. Quod autem addidit Paulus; *Qui faciet omnes voluntates meas*, explicatio eſt eius quod dixerat; *Virum ſecundum cor meum*.

V. 26. VOBIS VERBUM SALUTIS HUIUS MISSUM EST; ſcilicet, iuxta promiſſiones factas Patribus noſtris. Vide Comment. Rom. XV.

V. 27. ET PRINCIPES EIUS HUNC IGNORANTES. Sic Petrus ſupra cap. III. *Per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri*. Hic additur: ET VOCES PROPHETARUM, QUAE PER OMNE SABBATUM LEGUNTUR. Ergo ſcripturas de Chriſto non intelligebant. Vide annot. ſupra cap. III. & Luc. XXIV.

V. 28. PETIERUNT A PILATO, UT INTERFICERENT EUM. Atqui ipſi noluerunt eum interficere, etiam dicente Pilato: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram crucifigite*. Reſpondebant enim: *Nobis non licet interficere quemquam*. In græco ad verbum legitur; *Petierunt Pilatum tollere eum*, quod forte ſic intelligitur; Petierunt a Pilato, ut ipſe tolleret eum e medio, & interficeret; hoc enim conſtat eos petiiſſe.

V. 29 CUMQUE CONSUMMASSENT OMNIA QUAE DE EO SCRIPTA ERANT: *de eo paſſuro*. Nam multa alia de eo ſcripta erant quæ per manus Iudæorum non erant conſummanda. Inter quæ erat id quod ſequitur: DEPONENTES EUM DE LIGNO, POSUERUNT IN MONUMENTO. Hoc non ad eoſdem principes populi refertur, qui petierunt eum a Pilato ad mortem, ſed videtur imperſonaliter dictum, ut interdum alibi Scriptura loquitur: *Dabunt in ſinum* ve-

Google

veſtrum: *Repetunt a te animam*. Referendum autem eſt ad Nicodemum, & Ioſeph Arimathæum, qui non conſenſerant in necem Domini.

V. 33. ADIMPLEVIT FILIIS NOSTRIS. Dicit hoc Paulus in perſona populi Iudaici; ne quis ex hoc loco cavilletur Paulum filios habuiſſe, & proinde uxoratum fuiſſe. At in Græco eſt, *filiis eorum nobis*. SICUT ET IN PSALMO SECUNDO SCRIPTUM EST. Quædam exemplaria; *ſicut & Pſalmo primo ſcriptum eſt*. Sed vide Genebrard. in Pſal. II. & Not. Franc. Lucæ in hunc locum.

V. 34. QUIA DABO VOBIS SANCTA DAVID FIDELIA. Ex Iſaiæ LV.° ſecundum Septuag. ubi nos ex Heb. legimus: *Miſericordias David fideles*. Vide illius loci Annot.

V. 38. QUIA PER HUNC VOBIS REMISSIO PECCATORUM ANNUNTIATUR AB OMNIBUS, QUIBUS NON POTUISTIS IN LEGE MOYSI IUSTIFICARI. Græce, & *ab omnibus*. Sic etiam nonnulli codices latini. *Iuſtificari*, id eſt mundari, ſanctificari, quod fit non ſolæ ac nuda peccatorum remiſſione, ſed inſuper interna mentis renovatione per effuſa in illam dona Spiritus ſancti. Ceterum hic indicatur verum diſcrimen inter Sacramenta veteris, & novæ legis; quia videlicet, ex lege non eſt iuſtitia, ſed ex fide in Chriſtum, Dicit autem: *Omnis qui credit iuſtificatur*, quia ſub fide comprehenduntur cetera quæ fides præſcribit; ſicut nomine circumciſionis ſolet ſignificari tota lex Moyſi. Sic infra cap. XVI. *Crede in Dominum Ieſum, & ſalvus eris tu, & domus tua*. Senſus enim eſt; Suſcipe fidem, & religionem Chriſti, qua ſuſcepta, & ſervata ſalvus eris. Nam de baptiſmo ſtatim ſequitur; quod *baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius*.

V. 48. ET CREDIDERUNT, QUOTQUOT ERANT PRAEORDINATI AD VITAM AETERNAM. Non ſignificatur ſolos electos credere, ſed omnes eos, qui electi ſunt & præordinati a Deo ad vitam æternam, credere, fidemque ſuſcipere eo tempore, quo Deus prædeſtinavit, etſi multæ tribulationes & perſecutiones obſtare videantur, eoſque a ſuſcipienda fide alienare. Igitur hic locus facit ad declarandam vim prædeſtinationis divinæ. Ideo enim crediderunt, quia præordinati erant ad vitam æternam; in qua præordinatione continetur & præordinatio mediorum, quorum primum eſt fides. Eſt igitur prædeſtinatio ad vitam æternam prior præordinatione meritorum, ſicut prior eſt, deſtinatio finis, quam mediorum. Vide de hoc loco Lorinum varia adferentem, non omnia ſana.

V. 50. IUDAEI AUTEM CONCITAVERUNT MULIERES RELIGIOSAS, ET HONESTAS. *Religioſas*, græce σεβομένας, id eſt colentes. Unde videntur ſignificari proſelytæ mulieres.

V. 51. AT ILLI EXCUSSO PULVERE PEDUM IN EOS: nempe iuxta præceptum Domini ſcriptum a tribus Evangeliſtis. Vide annot. Matth. X. Sic infra cap. XVIII. excutit Paulus veſtimenta ſua in Iudæos, prædicationi eius contradicentes, & blaſphemantes, dicens: *Sanguis veſter*, &c. Vide eius loci annot.

MARIANAE.

Verſ. I. COLLACTANEUS. Græc. σύντροφος, *ſimul nutritus*, ſcilicet cum Herode erat Manahen. Id hic *collactaneus* ſignificat.

V. 3. SEGREGATE MIHI SAULUM. An hoc fuit Epiſcopos illos ordinare? ut Sotus contra Brentium ait Lib. I.

V. 4. ABIERUNT SELEUCIAM Saulus & Barnabas. *Seleucia* urbs Syriæ, a Seleuco Nicanore Rege Syriæ fundata.

V. 4. ET IOANNEM IN MINISTERIO habebant. Hic eſt *Ioannes Marcus*, de quo ſup. cap. verſ. 12.

V. 6. UNIVERSAM INSULAM, Cyprum cum perambulaſſent. In Græcis cod. non eſt *univerſam*: eſt tamen in Syr. & in aliquot Græcis, ut notant Robertus & Veleſius ad marginem. USQUE PAPHUM. Hieronymus in Locis ait *Paphum* eſſe inſulam (lege, urbem) maritimam in Cypro. Iſidorus Lib. XIV. Etym. cap. VI. *Cyprus inſula a civitate Cypro, quæ in ea eſt, nomen accepit, ipſa eſt & Paphus*) *Veneri conſecrata*. *Ipſa* ad urbem refer, *Veneri conſecrata* ad utramque. Nam *Venus*, *Cypria* vocatur, & præcipuum Veneris templum Paphi erat, auctore Plinio Lib. II. cap XCVI. CUI NOMEN ERAT BARIESU. Græc. *Barieſus* ſeu *Barieſum*. Hieronymus de Nominibus Hebr. *Barieu* legit, & *maleficum* ſignificare ait. Hæc

lectio

lectio multorum Latinorum codicum eſt. Syr. legit *Bar ſchumo*, id eſt *filius nominis*, vir famoſus.

V. 8. Elymas magus. Hic nodus difficilior, quoniam addit, sic enim interpretatur nomen eius. Non enim ſatis conſtat, an ea interpretatio ſit vocis *Barieu*, non vocis *magus*, nam is homo utroque nomine vocatur *magus* ab officio ſeu arte, *Barieu* a nativitate. Ego credam vocem *magus* interpretari, ut *Elymas* ſit idem quod *magus*. In Perſide regio præcipua *Elymais*. In ea magicæ artes frequentes effecerunt, ut *magi*, *Elymaides*, ſive *Elymæi* vocarentur, ut in Proverbiorum libro xxxi. 24. *mercator* vocatur *Chananæus*. Itaque *ſic interpretatur nomen eius*, id eſt perinde eſt vocari *magum*, & *Elymam*, ſive *Elymæum*. Huius certaminis cum hoc mago occaſione Iulianus Apoſtata dixiſſe videtur, Paulum ubique terrarum magos & impoſtores ſuperaſſe. Refert id Cyrillus Lib. III. contra Iulianum.

V. 9 Saulus autem, qui et Paulus. Syr. *qui vocatus eſt Paulus*, ſcilicet ab hoc tempore, & ab ea converſione Pauli Proconſulis. Ita Lucas non amplius eum *Saulum* vocat. Ita nomen *Pauli* a Proconſule ſumpſit *Saulus*.

V. 10. Vias Domini rectas, id eſt rationes varias, quibus Deus ad ſe homines vocat, tu ſubvertis.

V 14. Antiochiam Pisidiae. Eſt alia *Antiochia Syriæ*, atque eius provinciæ caput ſub Romanis. Tacitus Lib. XVIII. quæ & *Antiochia ad Orontem* dicitur ab eo flumine: ſedes Antiocheni patriarchæ. Piſidia in Aſia minori eſt Ciliciæ pars & regio.

V. 19. Et destruens gentes septem. Goth. *Reges ſeptem:* unde? forte quia dicit, *diſtribuit eis terram eorum;* ſed Græc. *gens* eſt neutrius generis, ſic manſit id relativum.

V. 20. Quasi post quadringentos et quinquaginta annos. Græc. *dedit eis terram eorum, & poſt hæc quaſi annis quadringentis & quinquaginta dedit eis Iudices*: ita Syr. ita iuxta noſtram litteram Iudices cœperunt poſt id tempus quadringentorum & quinquaginta annorum, quod Beda inchoat ab ortu Iſaac, unde ad egreſſum ex AEgypto fluxerunt anni quadringenti & quinque: iis ſi adiungas quadraginta, quibus in deſerto, & quinque, quibus Ioſue ſubegit eas gentes, efficies annos quadringentos quinquaginta. Sin vero Græcam lectionem ſequimur, oportet rationem inchoare ab egreſſu ex AEgypto, & per Moyſem, Ioſue, & ſingulos Iudices pervenire uſque ad Saul, quæ ratio ob interregna non eſt facilis, neque operæ prætium diutius immorari: ſane noſter ſic Græca legit: Τὴν γῆν αὐτῶν ὡσεὶ μετὰ τετρακόσια καὶ πεντήκοντα ἔτη, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε Κριτάς: quam lectionem Veleſius invenit alicub.

V. 23 Eduxit, ſeu *ſuſcitavit*, ut eſt Græc. Israel, pro, Iſraeli ſalvatorem ex David ſemine.

V. 25. Non sum ego, ſcilicet Chriſtus: id Ioannes.

V. 30. Suscitavit eum a mortuis tertia die Deus. Illud *tertia die* Græc. non eſt, nec Syr. nec in Gotth. nec Veleſius ſupplet.

V. 33. Filiis nostris. Alii *veſtris*. Græc. *implevit filiis eorum vobis hanc promiſſionem*. Et in Psalmo secundo. Beda, Hilar. in Pſal. II. Hieronymus in Pſ. I. haud dubie legerunt *in Pſalmo primo*: ſic non pauca Græca exemplaria. Nimirum olim *primus* & *ſecundus* unus Pſalmus erant, etiam Hebræis ea occaſio variæ lectionis. De quo Pſalmo II. dictum eſt, nec repeto.

V. 38. Et ab omnibus, quibus, ſcilicet prædicatur remiſſio a peccatis & cærimoniis Legis, quibus iuſtificari non potuerunt.

MENOCHII.

Verſ. I. Antiochiae: Syriæ, quo diximus in fine capitis præcedentis reverſos Saulum, & Barnabam. *Prophetæ*, qui divino Spiritu afflati futura prædicabant. Doctores, qui ſacras ſcripturas interpretabantur, & fideles docebant credenda & facienda. Lucius Cyrenensis: qui Cyrenes fuit Epiſcopus ex Romano Martyrologio die ſexta Maii. Manahen: de quo Martyrol. Rom. 24. Maii. Herodis Tetrarchae: Herodis Antipæ, qui Chriſtum induit veſte alba, & irriſit, & Ioannem Baptiſtam occidit. Collactaneus: quia puer cum puero Herode fuerat enutritus, & eiuſdem nutricis lacte lactatus. Significat Manahen fuiſſe inſignis, & il-

& illuſtris familiæ, utpote qui Herodis Principis viri fuerit collactaneus.

V. 2. MINISTRANTIBUS ILLIS DOMINO: λειτουργούντων, id eſt ſacrificantibus, nam & ſacrificium Miſſæ dicitur λειτουργία. DIXIT ILLIS SPIRITUS SANCTUS: inſtinctu interno, quem Prophetis & primoribus ingeſſit. SEGREGATE, &c. Segregate eum per executionem & miſſionem, quem Deus ab æterno ſegregavit per electionem ad hanc miſſionem, & opus Evangelizandi ubique gentium. ASSUMPSI: προσκέκλημαι, id eſt *accerſivi*, alii vertunt, *in auxilium advocavi*.

V. 3. IEIUNANTES, &c. cum ieiunaſſent & oraſſent, νηστεύσαντες, καὶ προσευξάμενοι. IMPONENTESQUE EI MANUS, illos in Epiſcopos ordinando. MISSI A SPIRITU SANCTO: ut pater ex dictis verſ. 2. SELEUCIAM: urbem vicinam Antiochiæ frequentem, & celebrem. ET INDE NAVIGAVERUNT CYPRUM: quia ex Seleucia commodus eſt traiectus in Cyprum.

V 5. SALAMINAM: quæ poſtea a Conſtantio Imperatore dicta eſt Conſtantia, & nunc appellatur Famagoſta. HABEBANT IOANNEM: cognomento Marcum, de quo cap. XII. 25. IN MINISTERIO: ὑπηρέτην, *miniſtrum*; quaſi dicat: Ioannes Marcus miniſtrabat Saulo, & Barnabæ, præſertim in cura rerum temporalium, eoſque adiuvabat, ut facilius, & plenius evangelizarent.

V. 6. USQUE PAPHUM: Cypri urbem, celebrem carminibus Poetarum. MAGUM PSEUDOPROPHETAM: qui cum eſſet magus, ſe ut prophetam venditabat. BAR-IESU, id eſt *filius Ieſu*; Filius Salvatoris. Videtur pater huius magi vocatus fuiſſe Ieſus, vel Ioſue.

V. 7. CUM PROCONSULE: magiſtratu Romano, qui conſulari poteſtate provinciam gubernabat.

V. 8. ELYMAS MAGUS. Elymas videtur eſſe barbarum nomen, ac fortaſſe Cyprium antiquum, ſignificans *Magum*.

V. 9. SAULUS AUTEM, QUI ET PAULUS. Hic primum Saulus vocatur Paulus, quod nomen deinceps ſemper ei tribuit Lucas. Unde videtur quod occaſione Sergii Pauli Proconſulis, & Apoſtolatus ſui ad Gentes nomen Hebræum Saulus, in Romanum & Græcum Paulus commutarit, ut facilius & blandius ſe Romanis, & Græcis, quaſi re, & nomine Romanus inſinuaret. REPLETUS SPIRITU SANCTO: novum ſenſit hic Paulus Spiritus ſancti ardorem, & inſtinctum ad patrandum miraculum, quod narratur. INTUENS IN EUM: iracundis, & ardentibus oculis.

V. 10. FILI DIABOLI: imitatione malorum operum. NON DESINES: οὐ παύσῃ, *non deſines*. SUBVERTERE VIAS DOMINI: oppugnare Evangelium, quod eſt via Domini, quæ recta nos ducit ad ſalutem.

V. 11. ET NUNC: *itaque nunc*, ut habet Syrus. MANUS DOMINI: ultrix punitio, vindicta. USQUE AD TEMPUS: temporariam, non perpetuam cæcitatem illi inflixit Paulus, ut reſipiſceret. CALIGO: quæ inſtar nubis, vaporis, val nebulæ oculos eius velaret, eique vim cernendi adimeret.

V. 12. SUPER DOCTRINA DOMINI: doctrinam Evangelicam.

V. 13. IOANNES AUTEM: cognomento Marcus. REVERSUS EST IEROSOLYMAM: ex puſillanimitate aliqua, nolens tot itinera conficere, & tanta ſubire pericula, ait S. Chryſoſt. & Baron. Aliqui putant affectu matris degentis Ieruſalem.

V. 14 ANTIOCHIAM PISIDIAE: quæ differt ab Antiochia Syriæ, de qua ſup. verſ. 1. DIE SABBATORUM: uno die e Sabbatis. SEDERUNT: ut auditores, captantes hac modeſtia opportunitatem cum aliorum gratia, & utilitate docendi.

V. 15. POST LECTIONEM LEGIS, ET PROPHETARUM: lectione enim peracta aliquis vel e Synagoga, vel advena ſermonem habebat ad ſimul collectos, ut etiamnum fit in Eccleſiis poſt lectionem epiſtolæ, & Evangelii. MISERUNT AD EOS, &c. honoris cauſa illos invitantes ad exhibendum exhortatorium ſermonem. SI QUIS EST IN VOBIS SERMO EXHORTATIONIS, id eſt ſi lubet ſermocinari, & exhortari.

V. 16. MANU SILENTIUM INDICENS: hoc enim geſtu olim verba facturi ſilentium indicebant. ET QUI TIMETIS DEUM: ſpectare hoc videtur ad Gentiles proſelytos, & alios, qui ſtudio religionis conveniebant ad ſermones audiendos in Synagogis.

V. 17. PLEBIS ISRAEL: Iſraelitici populi. ELEGIT PATRES NOSTROS: ex omnibus gentibus, ut eſſent populus, & Eccleſia Dei. PLEBEM EXALTAVIT: per Moiſen,

ſen, multis patratis mirabilibus inclytam faciens gentem illam, quam Dominus tam inſignibus prodigiis oſtenderet ſe tueri. BRACHIO EXCELSO: maximo robore, & potentia.

V. 18. MORES EORUM SUSTINUIT: inconditos, rudes, duros, rebelles, erat enim populus duræ cervicis.

V. 19. GENTES SEPTEM: quæ numerantur Deut. VII. I. TERRAM EORUM: populorum, gentium illarum.

V. 20. POST QUADRINGENTOS, ET QUINQUAGINTA ANNOS: inchoando a nativitate Iſaac, uſque ad diviſionem terræ promiſſæ.

V. 21. ANNIS QUADRAGINTA: in his quadraginta annis includuntur anni Samuelis, quibus ipſe ante Saulem præfuit Iſraeli. Ita paſſim Interpretes. Ergo tempus Samuelis non Iudicibus ſed Regibus, qui Iudices ſecuti ſunt, annumerat; ac proinde totum illud tempus quod ab exitu Iudicum, ſeu a morte Heli fluxit uſque ad finem Saulis, quadraginta annis definit.

V. 22. SECUNDUM COR MEUM: habetur hoc I. Reg. XIII. 14. ſecundum mentem, & voluntatem meam. FACIET OMNES VOLUNTATES MEAS: præcepta mea ad unguem ſervabit.

V. 23. EDUXIT ISRAEL: ſuſcitavit Iſrael Salvatorem Ieſum. Græce enim eſt dativus, *τῷ Ἰσραήλ*. SECUNDUM PROMISSIONEM: Patriarchis factam, & ipſimet David. II. Reg. VII. 12. Pſal. LXXXVIII. 4. 36. & alibi.

V. 24. PRAEDICANTE IOANNE: *προκηρύξαντος*, id eſt cum ante prædicaſſet, cum ante præceſſiſſet ut præco. BAPTISMUM POENITENTIAE, id eſt baptiſmum qui erat ſymbolum, & incitamentum pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam baptiſmo Chriſti recipiendam.

V. 25. CUM IMPLERET CURSUM SUUM? vitæ ſcilicet & miniſterii ſui, quod erat Chriſto dare teſtimonium, eumque Iſraeli oſtendere, ac corda hominum ad eum recipiendum præparare. QUEM ME ARBITRAMINI ESSE? quaſi dicat, Vos me putatis eſſe Meſſiam, fallimini, non ſum ego Chriſtus; ſed ecce Chriſtus poſt me illico veniet, cui ego non ſum dignus calceamenta ſolvere.

V. 26. VOBIS VERBUM SALUTIS HUIUS MISSUM EST. Syrus. *Vobis ille miſſus eſt, verbum vitæ*, id eſt Chriſtus vitæ auctor miſſus eſt ad veſtram ſalutem.

V. 27. HUNC IGNORANTES: etiam Petrus ſupra III. 17. ignorantiam Iudæorum Chriſtum occidentium excuſavit: vide ibi dicta. IUDICANTES, id eſt Chriſtum ad Crucem condemnantes. IMPLEVERUNT, ſcilicet, voces Prophetarum, qui mortem Chriſti predixerunt.

V. 29. CONSUMMASSENT OMNIA: feciſſent omnia. DEPONENTES; ſcilicet viri quidam pii.

V. 30. DEUS SUSCITAVIT A MORTUIS, id eſt ſurrexit a mortuis vi ſuæ divinitatis.

V. 31. QUI VISUS EST PER DIES MULTOS: ſcilicet, per quadraginta, etſi non per ſingulos: vide ſupra cap. I. 3. HIS QUI SIMUS ASCENDERANT CUM EO DE GALILAEA: in qua tamen ſe illis oſtenderat, ut habemus Matth. XXVI. 32. SUNT TESTES: reſurrectionis illius.

V. 32. QUAE AD PATRES REPROMISSIO FACTA EST: de Chriſti incarnatione, & redemptione mundi.

V. 33 HANC DEUS ADIMPLEVIT FILIIS NOSTRIS: filiis patrum noſtrorum, generationi, & genti noſtræ. EGO HODIE GENUI TE: per reſurrectionem, quæ in Scripturis vocatur regeneratio. Unde & Chriſtus vocatur *primogenitus mortuorum*. Vide dicta Pſalm. II. 7.

V. 34. QUANDO AUTEM SUSCITAVIT, &c. Probat hic Paulus Chriſtum iam reſuſcitatum amplius non eſſe moriturum, idque teſtimonio Iſaiæ LV. 3. de quo mox dicam. AMPLIUS IAM NON REVERSURUM IN CORRUPTIONEM, id eſt in mortem; mors enim hominis eſt corruptio. Chriſtus enim ſemel mortuus & reſurgens, amplius non moritur: alioqui nec in morte quam obiit corruptus, id eſt putrefactus, aut in cineres redactus eſt. ITA DIXIT: Deus in Scriptura per Iſaiam cap. LV. 3. iuxta interpretationem LXX. DABO VOBIS SANCTA DAVID FIDELIA. Senſus eſt: Sanctas promiſſiones Dei factas Davidi, faciam fideles, id eſt ratas, firmas, & ſtabiles, quia præſtabo quidquid pollicitus ſum de Chriſto ex ſemine eius naſcituro. Inter alias autem quæ de Chriſto ei promiſit eſt reſurrectio, ut Pſalm XV. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, qui locus ſequenti verſiculo citatur. Vide ſupra cap. II. 31.

V. 36. DAVID ENIM IN SUA GENERATIONE. Colligit argumentum, cum in David non queat incorruptibilitatis promiſſio

lo.

Digitized by Google

locum habere, de Chriſto intelligendam. Eadem fuit ratiocinatio Petri ſupra cap. II. 27. & ſeq. IN SUA GENERATIONE: ſua ætate, ſuo ſæculo. ADMINISTRASSET: ſerviſſet, obediviſſet. DORMIVIT: mortuus eſt. APPOSITUS EST AD PATRES NOSTROS: reliquis maioribus ſuis defunctis aggregatus eſt. VIDIT CORRUPTIONEM: paſſus eſt corporis diſſolutionem, quæ mortem ſequitur.

V. 37. QUEM DEUS SUSCITAVIT; ſcilicet, Chriſtus.

V. 38. NOTUM IGITUR SIT VOBIS, &c. Clauſula eſt totius ſermonis, qua colligitur Chriſto tamquam redemptori, & Salvatori adhærendum. PER HUNC: Ieſum Chriſtum. ANNUNCIATUR: promittitur, & exhibetur. ET AB OMNIBUS, QUIBUS NON POTUISTIS, &c. nam veteris legis ſacramenta, & cæremoniæ vos ſalvare, & iuſtificare non poterant, ſed ſolus Chriſtus, eiuſque fides, gratia, & ſacramenta.

V. 39. IN HOC: per hunc, in hunc, ſcilicet Chriſtum. OMNIS QUI CREDIT: fide viva, quæ per caritatem operatur. IUSTIFICATUR: per gratiam, & iuſtitiam infuſam, quam ſcilicet Deus animæ ob merita Chriſti infundit.

V 40. IN PROPHETIS: in uno e prophetis, nimirum in Habacuc cap. I. 5.

V. 41. VIDETE CONTEMPTORES. Paulus ſecutus LXX. legit בגדים *bogedim*, id eſt *prævaricatores, contemptores*, ſed noſter, Aquila, Symmach. Theodot. & Chald. legunt בגוים *bagoim*, id eſt *in gentibus*. Uſurpat D. Paulus hæc verba in ſenſu allegorico de reprobatione, & excæcatione Iudæorum & ſpirituali vaſtitate, & ablatione Scripturæ, & eius intelligentiæ, & ſacerdotii, & iuris ad regnum cæleſte, & ſenſus eſt, Aſpicite o contemptores eorum, quæ vobis prædicantur, &c. DISPERDIMINI: *ἀφανίσθητε*; quaſi dicat, Perite, exanimamini præ admiratione, & metu. Vel, Evaneſcite, marceſcite, hinc abite. OPUS OPEROR: intelligit ſpiritualem cladem, quam diximus. OPUS QUOD NON CREDETIS: opus adeo inſolens, & grave, ut omnem fidem veſtram ſuperet.

V. 42. EXEUNTIBUS: *e ſynagoga*, ut eſt in Græco.

V. 43. COLENTIUM ADVENARUM, *σεβομένων προσηλύτων, proſelytorum Deum colentium*, piorum, religioſorum.

V. 44. PENE UNIVERSA CIVITAS: mos enim erat ut Gentiles ab auditione verbi Dei non excluderentur.

V. 45. VIDENTES TURBAS: frequentiam, & concurſum auditorum ſolito maiorem. ZELO: invidia, & indignatione. BLASPHEMANTES: erat autem horum aut in Apoſtolos blaſphemia, quaſi eſſent ſeductores; aut in doctrinam eorum, ut falſam; aut in Chriſtum, quaſi non eſſet Meſſias.

V. 46. VOBIS: qui eſtis e populo Dei, & ad quos primum Chriſtus miſſus eſt. INDIGNOS VOS IUDICATIS: dum enim iudicatis ſpernendam eſſe Chriſti fidem, ſimul tacite iudicatis vos indignos vita æterna. Illa enim nemo dignus eſt, niſi qui fidem Chriſti capeſſit. CONVERTIMUR AD GENTES: & illis Evangelium, & Chriſtum prædicamus.

V. 47. PRAECEPIT: Deus enim prædixit per Iſaiam ſe decreviſſe, & velle ut Chriſtus ſit lux, & ſalus gentium, conſequenter hoc ipſo decrevit, & voluit, præcepitque Apoſtolis, quos Chriſti præcones deſtinavit, ut Gentibus Chriſtum prædicent, atque ita eius lucem, & ſalutem illis impertiant. Vel ſimpliciter ſignificat Paulus, hoc ſibi a Domino præceptum fuiſſe, ut ſcilicet iret, & prædicaret Evangelium omni creaturæ. POSUI: ponam, præteritum pro futuro, ut frequenter uſurpare ſolent prophetæ, ob certitudinem rei futuræ, tamquam præteritæ. IN LUCEM GENTIUM, &c. ut veritatis Evangelicæ lucem Gentibus afferas: & ſalutarem doctrinam omnibus prædices.

V. 48. GENTES: Gentiles. GAVISAE SUNT: ſuo bono, non malo Iudæorum. VERBUM DOMINI: Evangelium. CREDIDERUNT QUOTQUOT ERANT PRAEORDINATI AD VITAM AETERNAM. Vox *præordinati*, in Græco *eſt τεταγμένοι*, ordinati, diſpoſiti: loquitur de prædeſtinatione, non completa, quæ eſt ad gloriam, ſed de incompleta, quæ eſt ad fidem, & gratiam iuſtificationis. Et ſenſus eſt, crediſſe eos quibus erat præordinatum ut daretur auxilium efficax ut crederent. Porro per *vitam æternam* metonymice intelliguntur auxilia gratiæ quibus ad æternam vitam pervenitur. Sic I. Ioan. III. 15. dicitur: *Omnis homicida non habet vitam æternam in ſeipſo manentem*, id eſt gratiam, quæ eſt via ad vitam æternam, ſic ſæpe in Evangeliis re-

gnum cælorum vocatur Eccleſia, quia hæc per Sacramenta, fidem, & gratiam nos dirigit, & ducit ad cælum.

V. 50. Religiosas: mulieres Gentiles, aut Iudaici ritus, religionis, aut ſuperſtitionis ſuæ tenaces. Mulieres enim cum blandiloquæ ſint, & pertinaces, aptæ ſunt magnos motus ciere, viros aut propinquos ſuos incitantes. Honestas: εὐσχήμονας, primarias, & divites; hæ enim habitu compoſito, & ornato (εὐσχήμονοι) uti ſolent. Italice diceremus, *Donne onorate, & principali.*

V. 53. Excusso pulvere pedum: iuxta id quod iuſſerat Dominus Matth. x. 14. ut facerent Apoſtoli apud eos, qui Evangelium non admittebant. Vide ibi dicta. Iconium: quæ eſt Lycaoniæ urbs celebris ad Taurum montem.

V. 52. Replebantur gaudio. Hoc enim Deus fidelibus aſpirare ſolet in perſecutionibus. Sic Apoſtoli ſupra cap v. 41. *Ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Spiritui sancto, ſcilicet robore fidei, ſpei & caritatis, aliorumque donorum Spiritus ſancti.

TIRINI.

Verſ. 1. Niger cognumen erat familiæ; ſicut & *Flavius. Ruffus, Albinus,* a colore nigro, flavo, ruſo, albo, nominibus olim mutuatis. Lucius Epiſcopus erat Cyrenenſis *a*, inquit Beda, Ado, Uſuardus & Romanum Martyrol. 6. Maii. Manahen Herodis Antipæ *b* Ioannicidæ collactaneus, id eſt eiuſdem cum Herode nutricis lacte olim lactatus. Erat ergo ex illuſtri familia, ſed Chriſtiano doctoratu, & prophetia, ac vitæ ſanctitate longe illuſtrior, ut patet ex eodem Martyrologio 24. die Maii.

V. 3. Ministrantibus illis Domino: λειτουργούντων, id eſt, *ſacrificantibus illis*, ut vertit etiam Eraſmus. Licet enim λειτουργεῖν, ſignificet in genere *miniſtrare*; tamen antonomaſtice uſurpari ſolet pro *ſacrificare*. Et quod aliud, quæſo, *miniſterium* dices hic exhibitum *Domino?* inquit Bellarminus *c*. Dixit Spiritus sanctus per Prophetas, Segregate mihi quaſi ſelecta inſtrumenta Saulum et Barnabam, in opus Evangelizandi etiam aliis promiſcue Gentibus, ad quod divina electione mea assumpsi eos; Græce, *accerſivi eos*, ut Pagninus & Tigurini vertunt. Ab hac vocula *ſegregate ſegregatum d*, nempe in Apoſtolum Gentium & orbis doctorem. Iubet ergo Spiritus ſanctus, ut hi duo, qui iam pridem ſecreto & quaſi in actu inchoato deſignati erant *e* Apoſtoli Gentium, iam in actu completo & publice ad id munus deputentur & mittantur. Ex hoc & ſimilibus locis *f* colligunt Patres, non poſſe quemque pro libito ſe ingerere in miniſteria Eccleſiaſtica, ſed debere vocari a Spiritu ſancto, & mitti a Prælatis Eccleſiæ. Quod velim attendant hæreticorum Miniſtri, nobiſque palam faciant a quo vocati, a quo miſſi ſint.

V. 3. Tunc ieiunantes (ſicut & nunc ieiunat tota Eccleſia quando ſacri Ordines conferuntur,) imponentesque eis manus, hoc ritu illos conſecrarunt Epiſcopos, inquit S. Leo *g* & Chryſoſt. Iam pridem enim ordinati fuerant *ſacerdotes*, inquit Turrianus *h*. Addit Oecumen. & Lyranus, *Simonem, Lucium* & *Manahen* hos ordinaſſe Epiſcopos, anno 3. Claudii Imper. id eſt, 13. a morte Chriſti *i*, ut vult Baronius: nempe paulo poſt quam Paulus raptus eſſet in tertium cælum k, & Petrus Romam conceſſiſſet. Volebat enim Spiritus ſanctus ſub idem tempus gentiliſmum in Occidente per Petrum, in Oriente per Paulum unanimiter convelli. Porro ordinati iam Epiſcopi, prima expeditione adierunt vicinam Antiochiæ.

V. 4. Seleuciam, urbem frequentem ac celebrem in Cœleſyria, oppoſitam Cypro, ſic dictam a Seleuco *l* Nicanore primo poſt Alexandrum Magnum Aſiæ rege.

V. 5. *Salamina* urbs eſt ad Orientem inſulæ Cypri: poſtea a Conſtantino Imp. dicta *Conſtantia*, cuius Epiſcopus fuit aliquando S. Epiphanius. Nunc *Famagoſta*, ſeu fama Auguſta vocatur, a Selymo Turcarum Imper. ante centum annos Chriſtianis erepta. Habebant autem et Ioannem Marcum *m* in ministerio ſuo; *Græce* ὑπηρέτην, id eſt *miniſtrum*, nempe in cura victus, veſtitus, rerumque temporalium. Quod longe aliud miniſterii genus eſt a *liturgia* de qua verſ. 2.

V. 7. Proconsul Romanis erat vicarius Conſulis *n*, & poteſtate conſulari provinciam cui præerat, adminiſtrabat.

V. 8.

Digitized by Google

V. 8. ELYMAS barbarum eſt nomen, inquit Sanchez & a Lapide, Cyprus forte proprium, & ſignificat ipſis *magum:* veri ſimiliter ab Hebræo, *alam*, id eſt abſcondere, vel a Græco εἰλύω, id eſt involvo: ut *Elymas* idem ſit quod abſcondens, involvens, ſupple, myſteria & artes arcanas: quod proprium eſt magorum & præſtigiatorum, quantumcumque abſurda involventium neſcio quo pietatis prætextu, vel ſcientiæ aut potentiæ naturalis involucro. Et ideo forte nomen aſſumpſerat hic magus *Barieſu*, id eſt filius ſalvatoris, id eſt ſalvator *o*, eo quod per ſuas magias multis ægris ſalutem afferret. Sed potuit etiam pater eius nomen habuiſſe Ieſu, ſeu Ioſue, ut multis tum erat familiare, inquit Sanchez.

V. 9. SAULUS hic primun vocatur *Paulus*, & ſic ſemper deinceps. Unde videtur occaſione *Sergii Pauli* Proconſulis, nomen Hebræum *Saulus* in Romanum & Græcum *Paulus* commutaſſe, quo ſe facilius & blandius Romanis & Græcis inſinuaret.

V. 10. FILI, id eſt imitator, DIABOLI, NON DESINIS; Græce & Syriace, *non de ſinis* SUBVERTERE VIAS DOMINI, id eſt Evangelium, fidem, legem Chriſti. His enim viis in animam ingreditur Deus, & anima graditur in cælum.

V. 11. ERIS CAECUS AD TEMPUS. Iſidorus Peluſiota *p* & Gloſſa cenſent magum hunc hac pœna reſipuiſſe, Paulo crediſſe, & a cæcitate curatum eſſe. Sed rurſus poſtea relapſum eſſe colligitur ex S. Dionyſio *q*, qui aſſerit, eum Paulo iterum reſtitiſſe. Et Beda damnatum affirmat. Paulus vero Proconſul a Paulo Apoſtolo creatus Epiſcopus, eo munere functus eſt, non tantum in Cypro, ſed & Narbonæ in Gallia, Evangelium Chriſti etiam per totam Hiſpaniam diſſeminans, inquit Lucius Dexter *r*, & Martyrologium Romanum 22. Martii.

V. 13. IOANNES *Marcus*, de quo verſ. 5. forte pertæſus prolixioris itineris (ut Chryſoſt. & Baronius cenſent) diſcedens a *Paulo & Barnaba*, reverſus eſt Ieroſolymam: quæ cauſa poſt fuit diſſidii & diviſionis Pauli Barnaba, cap. xv. 37

V. 14. *Antiochia* PISIDIAE metropolis. Multas & varias urbes Aſiæ nomen habuiſſe Antiochiæ, vel ex eo collige quod Volaterranus *s* tradit, Seleucum Nicanorem *ſedecim* urbes in honorem & memoriam Antiochi patris ſui vocaſſe *Antiochias*. Uti a ſe, novem vocarat *Seleucias:* a matre ſua *Laodiceæ*: ab uxore *Apamea*, tres *Apamias*. Sed *Antiochia* ad Orontem, Syriæ metropolis, poſtea a Iuſtiniano Imp. dicta *Theopolis*, antonomaſtice vocabatur *Antiochia*: ceteræ cum addito, *Antiochia Piſidiæ*. *Antiochia Epiphaniæ*, &c.

V. 16. QUI TIMETIS, id eſt colitis, DEUM verum. Sic Iudæi vocabant *proſelytos*, ſeu Gentiles ad iudaiſmum converſos, inquit Arias, Lorinus, a Lapide, & alii.

Nota. Hæc eſt prima S. Pauli concio a Luca deſcripta, cuius ſumma, inquit Lyranus, hæc eſt: Deus qui patribus noſtris tot tantaque beneficia contulit; inter alia vobis ex ſemine David promiſit Meſſiam & redemptionem ab omnibus malis. Hanc promiſſionem nunc per Ieſum Nazarenum implevit: ergo Ieſu ut redemptori credite, ſervite & adhærete.

V. 20. Anni iſti *quadringenti & quinquaginta* inchoantur a nativitate Iſaaci, ut probavi in Chronico *t*. Ubi etiam vide *u* de 40. annis Samuelis, ſimul & Saulis quorum hic verſ. 22. meminit S. Paulus.

V. 23. ISRAEL eſt darivi caſus, ut patet ex Græco.

V. 24. ANTE FACIEM ADVENTUS, id eſt ante adventum Chriſti prædicavit *Ioannes* BAPTISMUM POENITENTIAE, id eſt baptiſmum qui erat ſymbolum & incitamentum ad pœnitentiam, ut alibi *x* vidimus.

V. 27. IGNORANTES, an & quomodo dici poſſint fuiſſe Iudæi, IUDICANTES, id eſt condemnantes & occidentes Chriſtum, dixit ſupra *r*. Saltem ſic IMPLEVERUNT VOCES PROPHETARUM qui uno ore prædixerunt *z* Chriſtum paſſurum & moriturum.

V. 32. PROMISSIO, ſupple, de Chriſto & ſalvatione mundi per Chriſtum, FACTA EST patribus noſtris, ſed

V. 33 adimpleta FILIIS NOSTRIS; Græce, *filiis eorum*, ſupple, patrum noſtrorum, ſcilicet *nobis & vobis*, Pagninus, Vatablus, Eraſmus & alii. EGO HODIE GENUI TE. Id etiam exponi poſſe de reſuſcitatione Chriſti, alias *aa* docui. De reſuſcitatione, inquam, in vitam immortalem, ſine regreſſu *in corruptionem*, id eſt

in

Digitized by Google

in mortem, iuxta illud Iſaiæ LV. ubi nobis addicit Deus.

V. 34. QUOD SANCTA (ita LXX. verterunt) nempe promiſſa *Davidi* olim facta, (Iſaias vocat *miſericordias*, quia miſericorditer promiſſa) DABO VOBIS FIDELIA, id eſt faciam rata, firma, ſtabilia, complendo reipſa quidquid promiſit; atque inter alia, quod *ſanctus* meus *non videbit* *bb* non percipiet, *corruptionem*, id eſt putrefactionem, vel incinerationem cadaveris. Quod ad Davidem non ſpectat, ſed ad filium Davidis Chriſtum.

V. 36. DAVID ENIM IN SUA GENERATIONE, id eſt ſuo ſæculo, ſua ætate, CUM ADMINISTRASSET, id eſt ſerviſſet, VOLUNTATI DEI, perfunctus adminiſtratione regni a Deo ipſi commiſſi, DORMIVIT, id eſt mortuus eſt, ET APPOSITUS AD PATRES SUOS in terra, corruptione & putredine. Hæc enim via eſt univerſæ carnis.

V. 38. PER HUNC Chriſtum ANNUNCIATUR & offertur VOBIS REMISSIO PECCATORUM, æque ac liberatio AB OMNIBUS ceremoniis, obligationibus & oneribus *legis Moſaicæ*, QUIBUS (utpote inanibus & gratia vacuis) NON POTUISTIS IUSTIFICARI vel ſalvari. Nam ſolum

V. 39. IN HOC, id eſt per hunc Chriſtum, IUSTIFICATUR & ſalvatur OMNIS QUI CREDIT fide non mortua, ſed viva, quæ per ſpem & caritatem operatur.

V. 41. OPUS OPEROR, &c. Habacuc *ee* ad litteram intelligit vindictam divinam per Chaldæos exercendam in impios & pervicaces Iudæos & alias vicinas Gentes. Sed poteſt extendi ad quamlibet Dei vindictam de iiſdem pervicacibus ſumendam, ſive hæc ſit ſpiritualis, v. g. excæcatio, reprobatio, deſertio: ſive corporalis, v. g. excidium per Romanos inve hendum.

V. 43. *Colentes* Deum *advenæ* vocantur iidem qui ſupra *dd*, *timentes Deum*, nempe proſelyti, ut *eſt* in Græco.

V. 46. VOBIS, utpote filiis & heredibus patrum, quibus promiſſus eſt Chriſtus, OPORTEBAT PRIMUM & ante omnes alios LOQUI VERBUM DEI, & Evangelium annuntiare: SED QUONIAM repellendo illud, INDIGNOS VOS IUDICATIS, ſeu manifeſtum facitis, vos *indignos* eſſe VITAE AETERNAE: nemo enim illa dignus eſſe poteſt, niſi qui fidem Chriſti capeſſit: ECCE CONVERTIMUR AD GENTES Chriſto adiungendas.

V. 47. SIC ENIM PRAECEPIT NOBIS DOMINUS *ee* Ieſus, iuxta illud quod Iſaiæ XLIX. 6. ei promiſſum fuit a Deo Patre, POSUI TE UT SIS *lux & ſalus* non ſolis Iudæis, ſed & *Gentibus* totius univerſi.

V. 48. CREDIDERUNT in Chriſtum QUOTQUOT ERANT PRAEORDINATI, id eſt prædiſpoſiti, AD VITAM AETERNAM, nempe ex libera ſua diſpoſitione ſibi a Deo indita. Quæ diſpoſitio in eo ſita erat, quod ſincero veritatis indagandæ ſtudio, & ſalutis aſſequendæ affectu attenderent prædicationi S. Pauli. Atque ita antitheſis eſt cum verſ. 46. Vos repellendo prædicationem noſtram redditis vos indignos vitæ æternæ: Gentiles vero auſcultando & obſequendo prædicationi noſtræ præordinantur, ſeu prædiſponuntur ad vitam æternam, quaſi tirones adſcripti militiæ cæleſti ſub vexillo Chriſti. Græcum enim *τεταγμένοι* verbum militare eſt, ſignificat, ordinatos, ſeu diſpoſitos in acie vel in ordine militari: ita Iſidorus Clarius, Salmeron, a Lapide & alii. Unde nihil facit hic locus pro Dionyſio Carthuſiano, & aliis quibuſdam ex eo probare conantibus, electionem ad gloriam fieri ante prævisa cuiuſpiam merita. Neque enim agitur hic de illa ſpeciali, abſoluta, completa & ſolis prædeſtinatis propria electione, ſed (ut ſummum) de conditionata, inchoata & remota, ut patet ex dictis. Quis enim credat, S. Lucam hic, ubi tantum agit de fide, id eſt de initio ſalutis, velle dicere, hos omnes & ſolos perſeveraſſe in fide & gratia, eſſeque ſalvatos? cum conſtet, multos alios poſtea credidiſſe & ſalvatos eſſe: neque veriſimile ſit omnes ſalvatos eſſe qui tunc crediderunt.

V. 50. MULIERES RELIGIOSAS VOCAT quæ ceremoniis Moſaicæ legis & traditionum Iudaicarum plus ceteris addictæ erant, & maiore zelo religionis ſuæ tuendæ ac propagandæ agebantur, ac proinde repugnabant Chriſtianæ doctrinæ pro viribus & ad æmulationem. Quam noxiæ vero ſint eiuſmodi mulierculæ, depingit graphice S. Hieronymus & Anaſtaſius Nicenus. *ff*

V. 51. EXCUSSO PULVERE PEDUM, quod

ſuiſſe-

Digitized by Google

iuſſerat Chriſtus Matt. x. 14. ut ubi dixi. Iconium: urbs eſt famoſa in Lycaonia ad Taurum montem, de qua Plinius *gg*, Eſt & altera eiuſdem nominis, ſed in Cilicia, de qua alibi.

(a) IV. Reg. xvi. 9.
(b) Chron. cap. xlv. & Marc. vi. 22.
(c) Bellar. Lib. I. de Miſſa cap. xiii.
(d) Galat. i. 15.
(e) Actor. ix. 15. & xi. 22. & 25.
(f) Rom. x. 14.
(g) Leo epiſt. lxxxi. verſ. 81. ad Dioſcorum Alexandr.
(h) Turrian. Lib. I. de Hierarc. cap. xx.
(i) Chronic. cap. ult. Claudii anno 3.
(k) II. Cor. xii. 2. & I. Timot. iii. 10. &c.
(l) Chron. cap. xl.
(m) Actor. xii. 25.
(n) Sigonius de Magiſtr. Rom.
(o) Proleg. de Idiotiſmis. Hebr. num. 40.
(p) Iſidor. Lib. I. epiſt. 354.
(q) Dionyſ. de Divin. nom. cap. viii.
(r) Lucius Dexter in Chronico ad annum Chriſti 76.
(ſ) Volater. Lib. XI. Geogr.
(t) Chron. cap. xxii.
(u) Ibid. cap. xxvi.
(x) Matt. xii. 12.
(y) Actor. iii. 17.
(z) Ibid. verſ. 18.
(aa) Pſal. ii. 7. & Pſal. cix. 3. Iſaiæ lv. 3.
(bb) Pſal. xv. 10.
(cc) Habac. i. 5.
(dd) Hic verſ. 16.
(ee) Actor. i. 8. & Matt. ult. 19.
(ff) Hieron. ad Cteſiphontem. tom. iv. Anaſtaſ. Nicen. tom. vi. Biblioth. SS. Patrum. quæſt. lxii. 5. omnis qui aſpexerit.
(gg) Plin. Lib. V. cap. xxvii.

GORDONI.

Verſ. 1. Erant. Eſt hæc Antiochia Syriæ, in quam urbem dixi cap. xii. in fine, rediiſſe Paulum: diverſa ab Antiochia Piſidiæ, & ab altera Epiphaniæ. Hic per Prophetas, aliqui intelligunt Doctores Scripturæ interpretes: quin etiam veri prophetæ intelligi poſſunt: nam Lucas hos diſtinguit a doctoribus. Lucius hic eſt Cyrenes Epiſcopus. Martyrolog. 6. Maii. De Manahem ibidem 24. Maii. Herodem hic accipe Antipam, de quo ſupra cap. xii.

V. 2. Ministrantibus. Ex Græco ſacrificantibus, ut vertit Eraſmus. Tigurina, cum operarentur Domino. Syrus cum preces auſpicarentur, ſcilicet uſitatas in ſacrificiis. Hinc liturgia Baſilii, Chyſoſtomi, & S. Iacobi, ſacrificium Miſſæ eſt. Et vero miniſtrare Domino (ut loquitur Lucas) non eſt prædicare Evangelium; quamvis hoc aliqui proferant ex Caietano & Oecumenio. Acceſſit manuum impoſitio, nempe in Miſſæ ſacrificio, quando hi ordinati ſunt Epiſcopi. Bellarm. Lib. I. de Miſſa cap. xiii. Additum eſt ieiunium, ut nunc fit in Eccleſia, ante promotionem ad ordines. Sed an non Paulus Actor. ix. 15. ordinatus eſt Apoſtolus. Negant aliqui cùm Suarez, hic cap. xiii. Paulum ordinatum Epiſcopum. Sane prius erat ſacerdos utpote diu iam verſatus in erudienda plebe: ex cap. xi. 26. Nuſquam vero leguntur hi duo ordinati Epiſcopi, niſi cap. xiii. Antiochiæ. Unde & ab hoc iam tempore legimus eos ordinaſſe presbyteros ex cap. xiv. recteque cum hac ſuprema ordinatione Pauli, contigit raptus Pauli ille inſignis, quem notavi in Chron. incidiſſe in annum Chriſti 44. vel 45. ineuntem. Denique de hac promotione Pauli Antiochiæ eſt Leonis Epiſt. lxxxi. ad Dioſcorum, vel ex alia editione lxxix. & Chryſoſtomi ſententia hoc loco. Scribit vero citatus Leo Paulum ordinatum Epiſcopum ab Apoſtolis: verum ſit; ſed a quibus, non conſtat. Poterant quidem ad hoc Ieroſolymis advocari Iacobus, Ioannes aut Matthæus: nam hoc tantum anno ſortiti ſunt Apoſtoli provincias. Et quid ſi a Petro antequam iter Romam ingrederetur; nam hoc anno Chriſti 44. cœpit Romam proficiſci.

V. 4. & 5. Venerunt Saulus & Barnabas Seleuciam vicinam Antiochiæ, ut inde ſolverent in Cyprum. De Seleucia, Seleuco urbis conditore, & annis Græcorum a Seleuco epocham habentibus, dixi ad initium Machabæorum. *Salamina* hodie Famaguſta ſub ditione Turcica olim Epiſcopatus Epiphanii. De Ioanne Marco vide cap. xii. 25.

V. 6. & 7. Bar-Iesu, Filius ſalvatoris ſic impoſtor vocari voluit, aut forte quia pater Ioſue nominabatur, aut Ieſus. Cum proconsule. Proconſul a Romanis dicebatur, qui conſulari poteſtate provinciam adminiſtrabat. Præſes etiam & præfectus dicebatur.

V. 8. & 9. Elymas. Probabile eſt *το Elymas* eſſe nomen barbarum, aut Cyprium, ſignificans magum. Aliqui deducunt ab עלם, quod eſt *abſcondere*, quaſi Ely-

Elymas ſit occultorum cognitor, Myſtes, Prętigiator: longe petitum eſt: placet eſſe vocem barbaram. QUI ET PAULUS. Nunc primum vocatur Paulus, forte ex occaſione Pauli Proconſulis mutat nomen Hebraicum in Romanum, ut dixi Rom. I. quo ſic facilius ſe inſinuaret Romanis. Pergit Lucas dicere de caſtigato Elyma, & converſo Proconſule. De hoc Paulo Proconſule, & poſtea Epiſcopo, vide Martyrologium 22. Martii.

V. 14. & 15. ILLI ERGO. Alia eſt Antiochia Syriæ, ut dixi verſ. I. Eſt hæc provincia Piſidiæ, in Aſia minore iuxta Pamphiliam & Lycaoniam. POST LECTIONEM LEGIS. Conſuetudo erat ut peracta lectione Scripturæ in Synagoga, aliquis concionem haberet, uti nunc fit in Eccleſia lecto Evangelio: ſed apud Iudæos ſabbari die. Paulus ad hoc invitatus prolixe concionatur, uſque ad verſ. 43. In quo ſermone poſt recenſita beneficia Dei, collata, promiſſa, & declaratam promiſſionem de Meſſia ex ſemine David, concludit hanc promiſſionem adimpletam eſſe in Chriſto; ac proinde reſtare tandem ut credant.

V. 17. 19. 20. Quæ hic narrat Paulus, nota ſunt ex libris Geneſis & Exodi, & ibidem ſunt explicata a me ſuis locis. Solum obſcurum manet, quod eſt, verſ. 19. & 20. de annis, quas etiam obſcuras quæſtiones dedi explicatas Tom. I. Chronolog. capite VII. Paucis res ita ſe habet: Anni 450. hic ſunt putandi a nato Iſaac ad terræ promiſſæ diviſionem: ſunt enim ab illa Nativitate ad Exodum 405. (ut fracturam non omittam.) Inde 40. anni in deſerto, & 5. anni bellorum. Quod vero eſt verſu 21. de annis 40. qui hic dantur Sauli Regi, intelligendum eſt de annis tum Samuelis, tum Saulis, quibus duobus duci & regi dantur indiſtincte & confuſo calculo 40. anni, ac ſi dares horum ſingulis 20. annos: uti citato Tom. I. notatum eſt cap. IX. num. 10.

V. 23. & 24. SECUNDUM PROMISSIONEM. De præcurſore Ioanne multa Evangeliſtæ, ubi etiam de promiſſionibus quæ factæ ſunt Patribus de Meſſia, etiam Davidi: II. Reg. VII. verſ. 12. Lege Pſalmum LXXXVIII. 4. & 36. BAPTISMUM POENITENTIAE. Erat baptiſmus ille Ioannis non iuſtificans ex ſe, ſed ſignum incitans ad pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per Chriſti baptiſmum. De qua re dixi Matth. v. 11.

V. 27. *Iudicantes*, id eſt condemnantes, IMPLEVERUNT, ſcilicet voces & dicta Prophetarum, a quibus prædictum fuit, fore ut occideretur ſanctus ſanctorum & Meſſias.

V. 32. &c. Hæc promiſſio de incarnatione & mundi redemptione facta patribus, adimpleta eſt in filiis eorum, vel filiis noſtris; perinde eſt. Græce *filii* eorum. Quod eſt hic verſ. 33. PSALMO SECUNDO, recte, non primo, ut aliqui legunt, componentes ex primo & ſecundo unum Pſalmum. Vide ſuo loco hunc explicatum Pſalmum.

V. 34. SUSCITAVIT. Probavit ex Pſalmo ſecundo Chriſtum eſſe naturalem Dei filium; hunc vero eundem a Iudæis occiſum, a Deo Patre eſſe reſuſcitatum, probat ex Iſa. LV. 3. QUIA DABO VOBIS SANCTA DAVID FIDELIA; hoc eſt, implebo ſacras promiſſiones factas Davidi, & inter alias illam de reſurrectione & regno æterno. Ex Pſalm. XV. 10. *Non derelinques in inferno*. David autem ex verſ. 36. mortuus eſt, manſitque ſepultus. Ergo non de illo, ſed de Chriſto hæc dicta ſunt.

Verum in verſu 33. ſupereſt non levis quæſtio, quomodo locus Pſalmi ſecundi probet reſurrectionem. Paucis dico, verba illa, *Ego hodie genui te*, tripliciter ab optimis auctoribus exponi. Primo, de æterna generatione, vide Pſalm. II. 7. Secundo, de incarnatione, ſeu generatione in tempore. Tertio, de reſurrectione: ter ergo genitus; hoc eſt, ter datus in lucem, & hoc tertio modo datus in lucem gentium, ut ſit ſalus mundi: quem tertium ſenſum cum pluribus aliis admiſit Suarez 3. part. Tom. II. diſp. IV. ſect. I. Et ſic quidem. Hic locus probat directe reſurrectionem: aliquibus durior videtur hæc tertia explicatio generationis: & quia ipſe Paulus Hebr. cap. I. 5. explicat has voces Pſalmi de æterna generatione, ſatius illis videtur etiam hic ſiſtere in interpretatione generationis æternæ. Et ſic probabunt non quidem immediate reſurrectionem, ſed promiſſionem poſitam verſ. 32. quæ eſt de miſſione, ſeu de miſſo Dei

filio

Digitized by Google

fiſio in carne pro mundi redemptione moriente & reſurgente ; ut hic rem interpretatur Paulus. Hic ſenſus facile apparebit , ſi parentheſin ſpectes, , RESUSCITANS IESUM, verſ. 33. & iterum, verſ. 34. Et vero quid vetat intellexiſſe Paulum utramque generationem primam & tertiam, ut quem pater ab æterno genuit , promiſerit in reſurrectionem hominum . Certe Pauli verba dicunt utroque modo filium datum in lucem.

V. 38. 39. & 40. Hic tandem perorat Paulus; quaſi dicat : Veſtra res agitur : annunciatus eſt vobis aperte Salvator per Prophetas. Vetus lex ex ſe ſalutem non dabat: hic eſt qui tandem venit , quique per ſua merita gratiam affert, & remiſſionem peccatorum.

V. 40. & 41. VIDETE. Minæ ſunt ex verbis Abacuc, cap. I. 5. quo loco Paulus eſt ſecutus Septuaginta , qui legerunt בגדים *bogedim* , prævaricatores , contemptores. Radix eſt בגד *bagad*, *prævaricari*. Noſter tamen ibidem habet , *aſpicite in gentibus* בגוים *baggovim* . Vide ibidem loci explicationem , & ſenſum ad litteram.

V. 47. Multi advenæ, proſelytæ, & pii viri Deum colentes adhærebant Apoſtolis. Sed reluctantibus aliis Paulus denunciat promulgandum deinceps Evangelium gentibus.

V. 48. QUOTQUOT ERANT PRAEORDINATI. Non probat hic locus prædeſtinationem eſſe ex efficaci electione ad gloriam ante præviſa merita (quamvis id aliqui velint.) Non inquam vult dicere Lucas eos qui crediderunt , ideo credidiſſe, quia erant ante præviſa opera præelecti ad gloriam. Nam imprimis *τὸ præordinati*, in Græco eſt *τεταγμένοι* , ſolum eos ex vi vocis deſignat , qui ſunt diſpoſiti & inſtar militum in acie ordinati ad victoriam & regnum obtinendum . Eſt enim duplex ordinatio ad gloriam : una quidem generalis, velut inchoata, nempe per præordinatam vocationem efficacem ad fidem & merita. Alia concipi poteſt ſpecialis ex ſpeciali & abſoluta electione ad gloriam ante fidem & merita . Hic iam locus quem tracto, optime intelligitur de ordinatis priori modo: nam qui ſic præveniuntur & ſunt diſpoſiti vi decretæ vocationis, recte dicuntur ordinati in via & ſtadio ut currant ad bravium; aut certent pro regno. Et qui hac decreta vocatione efficaci præordinantur, credent, & certo pervenient, ſi perſeverent. Hi , inquam, dicuntur præordinati a Luca , ut haberent auxilium & crederent. Ceterum inepte Calvinus fingit fidem non poſſe amitti , ut inde colligat omnes fideles eſſe prædeſtinatos: utrumque enim falſum eſt, & inepta conſecutio.

V. 50. & 51. Hæ ditiores & religioſæ mulieres , quæ turbas excitarunt , erant addictæ ſuperſtitioni Iudæorum & gentilium, ex præpoſtero zelo præ ceteris vocantur religioſæ. De excuſſo pulvere vide Matth. x. 14.

CAPUT XIV.

Multis Iudæorum ac Ethnicorum Iconii fidem in Chriſtum ſuſcipientibus, concitatur a Iudæis tumultus in Apoſtolos, qui Lyſtram fugiunt, ubi Paulus claudum a matris utero curat, populumque ac ſacerdotes ob id ipſis tamquam diis ſacrificare volentes ægre compeſcunt: ſed concitata a Iudæis ſupervenientibus turba, Paulus lapidatur, & pro mortuo relinquitur: cumque ſurrexiſſet, ipſe & Barnabas diſcipulos per varia loca exhortantes, & presbyteros ordinantes, revertuntur Antiochiam.

1. FActum eſt autem Iconii, ut ſimul introirent in ſynago-
gam Iudæorum, & loquerentur, ita ut crederet Iudæo-
rum & Græcorum copioſa multitudo. 2. Qui vero in-
creduli fuerunt Iudæi, ſuſcitaverunt, & ad iracundiam
concitaverunt animas Gentium * adverſus fratres. 3.
Multo igitur tempore demorati ſunt, fiducialiter agen-
tes in Domino, teſtimonium perhibente verbo gratiæ
ſuæ, dante ſigna & prodigia fieri per manus eorum. 4.
Diviſa eſt autem multitudo civitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis,
quidam vero cum Apoſtolis. 5. Cum autem factus eſſet impetus Gentilium
& Iudæorum cum principibus ſuis, ut contumeliis afficerent, & lapidarent
eos, 6. intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lyſtram & Derben,
& univerſam in circuitu regionem, * & ibi evangelizantes erant. 7. Et qui-
dam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex utero matris ſuæ, qui
numquam ambulaverat. 8. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum,
& videns quia fidem haberet ut ſalvus fieret, 9. dixit magna voce: * Surge
ſuper pedes tuos rectus. Et exilivit, & ambulabat. 10. Turbæ autem cum
vidiſſent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem ſuam, Lycaonice dicentes:
Dii ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos. 11. Et vocabant Barnabam
Iovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi. 12. Sacer-
dos quoque Iovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas ante ianuas
afferens, cum populis volebat ſacrificare. 13. Quod ubi audierunt Apoſtoli,
Barnabas & Paulus, conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes 14.
& dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis
homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, (a) qui
fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt: 15. qui in
præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. 16. Et qui-
dem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans plu-
vias & tempora fructifera, * implens cibo & lætitia corda noſtra. 17. Et
hæc dicentes, vix ſedaverunt turbas ne ſibi immolarent. 18. Supervenerunt
autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi: & perſuaſis turbis, * lapidan-
teſque Paulum, traxerunt extra civitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.
19. Circumdantibus autem eum diſcipulis, ſurgens intravit civitatem, & po-
ſtera die profectus eſt cum Barnaba in Derben. 20. Cumque evangelizaſſent
civitati illi, & docuiſſent multos, reverſi ſunt Lyſtram, & Iconium, & An-
tiochiam, 21. confirmantes animas diſcipulorum, exhortanteſque ut perma-
nerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in
re-

Digitized by Google

regnum Dei. 22. Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas eccleſias presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. 23. Tranſeunteſque Piſidiam, venerunt in Pamphyliam, 24. * & loquentes verbum Domini in Perge, deſcenderunt in Attaliam: 25. (*b*) & inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. 26. Cum autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei. 27. Morati ſunt autem tempus non modicum cum diſcipulis.

(a) Pſal. cxlv. 6. Apoc. xiv. 7. (b) Sup. xiii. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 2. *Adverſus fratres*. Non ſubiicias, *Deus autem pacem fecit*.

Verſ. 6. *Et ibi evangelizantes erant*. Non facile addenda ſunt ſubſequentia in quibuſdam codicibus verba. *Et commota eſt omnis multitudo in doctrina eorum: Paulus autem & Barnabas morabantur Lyſtris*.

Verſ. 9. *Surge ſuper pedes tuos rectus*. Nec his verbis facile præponenda ſunt hæc: *Tibi dico, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*.

Verſ. 16. *Implens cibo & lætitia corda noſtra*. Non mutes *noſtra* primæ perſonæ in *veſtra* ſecundæ.

Verſ. 18. *Lapidanteſque Paulum*. In quibuſdam libris legitur, *& lapidato Paulo*, explicationis gratia.

Verſ. 24. *Et loquentes verbum Domini in Perge*. Non eſt mutandus ablativus in accuſativum *Pergem*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. GRAECORUM, id eſt Gentium.

V. 2. FRATRES, id eſt Chriſtianos.

V. 3. PER MANUS EORUM, id eſt *per eos*, Hebr.

V. 6. UNIVERSAM: non eſt Græc. nec Syr.

V. 9. VOCE. Hic additur Græc. & Syr. *Tibi dico, In nomine Domini Ieſu Chriſti, ſurge*, &c.

V. 10. SIMILES FACTI: *ὁμοιωθέντες*, id eſt *aſſimilati*.

V. 11. DUX VERBI, id eſt præcipuus in concionando. Syr. *incipiens ſermonem*.

V. 12. QUI, ſcilicet Iupiter, id eſt Iovis templum.

V. 13. TUNICIS, id eſt veſtibus ſuperioribus. Syr. *togis*.

V. 14. SIMILES VOBIS. Græc. *ſimiliter ac vos paſſionibus obnoxii*.

V. 15. INGREDI, &c. id eſt vivere modo ſuo.

V. 22. CONSTITUISSENT. Græc. *ordinaſſent*, ſcilicet ſolitis ritibus.

V. 25. ANTIOCHIAM, ſcilicet Syriæ. ERANT, &c. id eſt diſceſſerant, cum gratia Dei, &c.

V. 26. CUM ILLIS, id eſt per illos.

ESTII.

Verſ. 8. QUI INTUITUS EUM, ET VIDENS QUIA FIDEM HABERET, UT SALVUS FIERET: non ſignificatur fides, qua crediderit, id eſt certo ſibi perſuaſerit ſe ſanum futurum, nondum enim de ſanitate corporali verbum ab Apoſtolis audierat: ſed vel ſignificatur fides qua poſſet ſalvus fieri, iuxta illud, *creditis quia hoc poſſum?* &, *Omnia poſſibilia ſunt credenti*: vel habebat fidem, qua hoc merebatur ex congruo, vel certe ſignificatur fiducia ſanitatis conſequendæ concepta ex Pauli prædicatione, qua forte meminerat miraculorum Chriſti, ſimul ex fama miraculorum, quæ ab Apoſtolis alibi facta fuerant.

V. 11. Et vocabant Barnabam, Iovem: Paulum vero, Mercurium. Cur Paulum vocaverint iſto nomine, ratio ſubiungitur; Quoniam ipse erat dux verbi. Cur autem Barnabam Iovem dixerint, ratio non apparet, niſi forte quia ſicut Mercurius Iovis comes, ita Paulus quem Mercurium putabant, Barnabæ comes erat. Et forte Barnabas vultu fuit, & habitu corporis magis auguſto quam Paulus; quem puſillæ ſtaturæ fuiſſe ferunt.

V. 13. Conſciſſis tunicis ſuis exilierunt. Tum ne gloria Dei ad homines transferretur: quia ſoli Deo ſacrificium debetur; tum ut a Lyſtenſibus tam grave ſcelus averterent. Igitur hoc facto oſtenderunt Apoſtoli magnitudinem caritatis ſuæ erga Deum, & erga homines.

V. 14. Et nos mortales sumus, similes vobis. Græce ὁμοιοπαθεῖς ὑμῖν. Vide Commen. Iacobi v. ad illud: *Elias homo erat, ſimilis nobis; paſſibilis.*

V. 15. Qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Quomodo ergo dicunt quidam a Deo omnibus omnino hominibus præſto eſſe auxilium quoddam ſufficiens ad ſalutem? Nam quod ſubiungit Apoſtolus: *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit*, nequaquam poteſt ad illud occultum auxilium referri; cum ſequentia verba apertiſſime declarent, quale hoc teſtimonium fuerit: *Benefaciens*, inquit *de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens, cibo, & lætitia corda noſtra.* Quod autem dicit; *implens cibo, & lætitia corda veſtra*, hoc eſt, quod alibi dicit, *Qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum*, id eſt percipiendum, non ſine delectatione: I. Timoth. ult. Porro illud: *Corda noſtra;* non ad cibum, ſed ad lætitiam referendum eſt. Nam cibo corpora implentur; ſed lætitia & delectatio, cordis eſt, id eſt, animi. Nec magni refert ſive legas *noſtra*, ut habent Græca, & textus latinus impreſſus, ſive *veſtra* ut fere omnia MSS. latina. Coniuncte legendum eſt illud: *de cælo dans pluvias*: ut ſatis apparet ex græco, & ex phraſi Scripturæ, qua pluviæ de cælo dari & deſcendere dicuntur.

V. 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit. Teſtimonium hoc in ſuo genere ſufficiens erat, per quod gentes Deum cognoſcerent; non tamen ita ſufficiens, ut præter illud non opus eſſet aliquo interno, & efficaci auxilio gratiæ Dei, ſine quo nullum bonum opus poteſt ab homine fieri.

V. 21. Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Chriſtiani ſumus, non propter hanc vitam, ſed futuram. Notat Origenes quod tribulationes ſunt Sanctorum; ſed flagella peccatorum. Ac Apoſtolus dicit Hebr. xii. *Fagellat autem omnem filium quem recipit.* Et Pſalmiſta de peccatoribus: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* De ſe autem, iuſto: *Fui flagellatus tota die.* Non conſiſtit ergo diſcrimen Origenis. Vide noſt. comment. loco citato ad Hebr.

V. 21. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros. Sermo ſimilis illi ad Titum i. *Et conſtituas per civitates presbyteros.* Cum ergo ad Titum ſermo ſit de Epiſcopis, ut patet ex ſequentibus; etiam hic locus de Epiſcopis intelligi debet.

V. 26. Retulerunt quanta fecisset Deus cum illis. Sic capite proximo; *Annuntiantes quanta Deus feciſſet cum illis.* Et cap. xxi. *Narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in gentibus per miniſterium ipſius.* Hoc non tantum referendum ad miracula, quæ per manus Apoſtolorum Evangelium annuntiantium fiebant; ſed etiam, & maxime, ad ipſam gentium converſionem. Nam miracula quidem phraſi Scripturæ fiunt a Deo per manus hominum, ut Apoſtolorum; non per miniſterium: at converſio hominum ad Deum non per manus hominum fieri dicitur, ſed per miniſterium prædicationis. Hic ergo commendatur gratia Dei; cui accepto ferendum eſt, quod homines audita prædicatione ſalutari, conſenſum præbeant, credant, & convertantur ad Deum. Unde & ſequitur Act. ii. quod pro hoc beneficio fideles *magnificabant Deum;* id eſt, pro tanto dono gratias agebant. Idem actum cap. xi. & xv.

MA-

Digitized by Google

MARIANAE.

Verſ. 1. ET IBI EVANGELIZANTES ERANT. Sequitur in quibuſdam codicibus tum Græc. tum Latinis: *Et commota eſt omnis multitudo in doctrina eorum. Paulus autem & Barnabas morabantur Lyſtris.* Regia Rom. & Lovan. reiiciunt.

V. 9. DIXIT MAGNA VOCE; ſcilicet Paulus claudo. Hic etiam addunt ii codices, *tibi dico: In nomine Ieſu Chriſti* ſcilicet ſurge: ſic Græca Regia, & quinque Roberti codices: ſic Syr. Gotth. tamen habet: *Dixit magna voce, In nomine Ieſu Chriſti*, ſcilicet ſurge. Alii reiiciunt hæc.

V. 12. VOLEBAT SACRIFICARE, ſcilicet *eis*, ut Syr. & Gotth. ſupplent, ſacerdos Iovis.

V. 14. AB HIS VANIS converti nuntiamus, ſcilicet *idolis*, ut eſt in Gotth. *ab his vanis idolis*.

V. 16. IMPLENS CIBO ET LAETITIA. Corpora implentur *cibo*, corda *lætitia*. CORDA NOSTRA. Alii *veſtra*, alii *eorum*.

V. 20. ET ANTIOCHIAM reverſi ſunt Paulus & Barnabas, ſcilicet Syriæ, quæ abſolute *Antiochia* vocatur, non Piſidiæ.

V. 22. ET CUM CONSTITUISSENT ILLIS .... PRESBYTEROS χειροτονήσαντες, id eſt manuum extenſione eligentes. Ex hoc Calv. Lib. IV. Inſtit. cap. III. §. 15. contendit, populum debere presbyteros eligere. Verum ad Tit. I. & I. ad Tim. V. electio presbyterorum Tito & Timotheo conceditur. Et Demoſthenes contra Timocratem χειροτονῆσαι τοὺς νομοθέτας, poſuit pro *conſtituere*. Itaque id verbum *eligere* & *conſtituere* non ſolum per ſuffragia & manuum extenſionem, ſed quocumque modo ſignificat.

MENOCHII.

Verſ. 1. SIMUL: Paulus ſcilicet & Barnabas. LOQUERENTUR: evangelizarent Chriſti fidem, & legem. GRAECORUM, Gentilium.

V. 2. AD IRACUNDIAM CONCITAVERUNT; ἐκάκωσαν; id eſt, malignitate impleverunt, fecerunt malos, malevolos, averſos, offenſos, iracundos. ANIMAS GENTIUM: gentilium animos. ADVERSUS FRATRES, id eſt Chriſtianos, præſertim Apoſtolos, quaſi novatores eſſent, & turbatores reipublicæ inducentes novum Deum crucifixum, eiuſque novam fidem, & religionem.

V. 3. MULTO IGITUR TEMPORE DEMORATI, quia multi tam ex Iudæis, quam ex Gentibus crediderant, ut dictum eſt verſiculo primo; hinc factum, ut diutius ibi Paulus, & Barnabas ſubſiſterent. FIDUCIALITER AGENTES IN DOMINO: παρῥησιαζόμενοι, libere, & palam tum loquentes, tum quidvis aliud, quod e re Chriſtiana eſſet, agentes. TESTIMONIUM PERHIBENTE; ſcilicet, Domino iuvante prædicationem Evangelii crebris miraculis. VERBO GRATIAE SUAE; ita apellat Evangelium, quia gratiam annuntiat, & affert, nimirum Dei amicitiam, ſalutem, & vitam æternam.

V. 4. DIVISA EST: ἐσχίσθη, *ſciſſa: ſciſſa, ſchiſmate ſecta. Cum Apoſtolis*; pro Apoſtolis, & cum Apoſtolis.

V. 5. UT CONTUMELIIS AFFICERENT: ὑβρίσαι reſpondet Italico noſtro, *Per far loro un affronto*.

V. 9. INTELLIGENTES: Apoſtoli hanc Iudæorum, & Gentilium contra ſe conſpirationem: συνιδόντες, *re intellecta*, *re cognita*. LYCAONIAE: eſt provincia in Aſia minore prope Phrygiam, a qua montibus ſeparatur.

V. 7. INFIRMUS PEDIBUS: ἀδύνατος, impotens, invalidus.

V. 8. INTUITUS EUM: ἀτενίσας αὐτῷ, id eſt cum in eum oculos defixiſſet. VIDENS QUIA FIDEM HABERENT. *Nam eius deſideria vultus, oculi, geſtus, attentio in audiendo, ſatis prodebant*, ait Beda. Spiritu enim prophetico potuit noſſe Paulus claudi fidem, & ſanitatis deſiderium.

V 9. EXILIVIT: ilico ſe in pedes erexit, & ſaltavit, nam in Græco eſt ἥλλετο, nimirum ex lætitia adeptæ ſanitatis, iuxta oraculum Iſaiæ XXXV. 16. *Tunc ſaliet ſicut cervus claudus*.

V. 20. SIMILES FACTI HOMINIBUS, id eſt aſſumpta humana ſpecie.

V. 11. ET VOCABANT BARNABAM IOVEM, quod ſtatura eſſet procerior, ætate fortaſſe grandior, & corporis ſpecie pulchrior. QUIA IPSE ERAT DUX VERBI: præ-

præcipuus in concionando, ideoque creditus Mercurius, qui ab antiquis eloquentiæ Deus habebatur.

V. 12. QUI ERAT ANTE CIVITATEM: qui Iupiter in ſuburbiis ſuam habebat aram, & templum. Hunc eſſe ſenſum patet ex Græco τοῦ διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως. ET CORONAS: quibus victimas coronare ſolebant; unde Ovid. XV. Metam.

> *Victima labe carens, & præſtantiſſima forma.*
> *Siſtitur ante aras, vittis præſignis, & auro.*

De hoc veterum ritu vide plura apud Carolum Paſchalium de Corona Lib. IV. cap. XVI. & XVII. ANTE IANUAS: ad domus veſtibula; Græcus enim habet πυλῶνας, ſed ſenſus idem, nam veſtibula ſunt ante ianuas. VOLEBANT SACRIFICARE: utrique, tam Barnabæ, quam Paulo.

V. 13. QUOD UBI AUDIERUNT, ſcilicet tam voces clamantium, *Dii ſimiles hominibus*, &c. quam ſtrepitum, & apparatum ſacrificare volentium. CONSCISSIS TUNICIS SUIS; ut ſolebant Iudæi cum blaſphemiam audirent, aut atrox aliquod nuntium ad aures accideret, in luctu etiam, & pœnitentia. EXILIERUNT IN TURBA: inſilierunt in turbam, εἰσεπήδησαν.

V. 14. AB HIS VANIS: Iove, Mercurio, aliiſque idolis, quæ non ſunt aliud quam vani, & mendaces dii.

V. 15. IN PRAETERITIS GENERATIONIBUS: præteritis temporibus. INGREDI VIAS SUAS: ſuo more vivere, ſuas ſequendo concupiſcentias, errores, & falſa numina.

V. 16. NON SINE TESTIMONIO RELIQUIT SEIPSUM; id eſt, non paſſus eſt deſiderare mortales viam qua ducerentur ad Deum; nam dedit ſigna, & argumenta, quæ illum, quaſi quidam teſtes, hominibus proderent: ex beneficiis enim naturalibus, quibus homines Deus affecit, aſſurgere poſſumus in illius cognitionem. TEMPORA FRUCTIFERA: diſtinguens annum in varia tempora, & tempeſtates, quibus ſuos attribuit fructus, frumenti, vini, pomorum, nucum, &c. IMPLENS CIBO: victum abunde, & largiter ſuppeditans. ET LAETITIA: exhilarantur enim corda, & recreantur cibo, & variis anni tempeſtatibus, & fructibus earum.

V. 18. SUPERVENERUNT AUTEM: ſtudio id fecerunt ex Iudaiſmi zelo, & odio Chriſtianiſmi, ac Pauli, ut illum everterent. PERSUASIS TURBIS: quod ſeductores eſſent Paulus, & Barnabas, & ſeditioſi novum numen falſum annuntiantes. LAPIDANTES, λιθάσαντες, *cum lapidaſſent.*

V. 19. CIRCUMDANTIBUS AUTEM EUM DISCIPULIS: ut vel mortuum ſepelirent, vel vivum tegerent, & Iudæis abſconderent. SURGENS INTRAVIT CIVITATEM: videtur miraculo ſanitati reſtitutus, nam qui ita male habebat ut credebat mortuus, non potuit per ſe ſurgere, & tamquam validus in civitatem redire, & poſtridie in urbem proficiſci.

V. 22. ET CUM CONSTITUISSENT: & in Græco eſt χειροτονήσαντες, id eſt *manus extendentes*, Paulus ſcilicet, & Barnabas manuum hac impoſitione presbyteros ſacro ritu ordinarunt. PRESBYTEROS: tum maiores, id eſt Epiſcopos, tum minores, id eſt ſacerdotes ordinarios. ET ORASSENT CUM IEIUNATIONIBUS: eſt hyſterologia: oratio enim, & ieiunium præmiſſum fuit in ordinatione Pauli, & Barnabæ cap. præcedenti verſ. 2. & 3. & etiamnum ſolet præmitti in ordinationibus. COMMENDARUNT: Paulus ſcilicet & Barnabas. EOS: fideles Lyſtrenſes, Iconienſes, &c. DOMINO: ut is eos in fide ſuſcepta conſervaret, & promoveret.

V. 23. PAMPHYLIAM: eſt Aſiæ minoris regio, quæ nunc ſimul cum Cilicia dicitur *Caramania*. Piſidia vero eſt Ciliciæ pars.

V. 24. PERGE: quæ eſt urbs Pamphiliæ. ATTALIAM: quæ etiam urbs eſt Pamphiliæ iuxta Corycium promontorium, hodie appellatur *Satalia*. Vide plura apud Ortelium in Theſauro Geographico.

V. 25. ANTIOCHIAM: Syriæ. VIDEBANT TRADITI GRATIAE DEI: unde diſceſſerant cum gratia Dei, & fauſti præcationibus fidelium, quibus eos abeuntes proſecuti fuerant. Vel ſenſus eſt, Traditi Spiritui ſancto illos expoſcenti ad miniſterium prædicationis Evangelii inter gentes: ſupra capite XIII. 2. IN OPUS QUOD COMPLEVERUNT: hactenus quidem, ſed non ita, ut ſibi conſiſtendum ducerent, & finem prædicandi facere vellent.

V. 26. DEUS CUM ILLIS: ſic alibi dicebat Paulus, *Non ego, ſed gratia Dei mecum*,

cum,

rum, I. ad Corinth. x. 15. APERUISSET GENTIBUS OSTIUM FIDEI: per prædicationem vocando, & per fidem, & baptiſmum in Eccleſiam introducendo.

V. 27. TEMPUS NON MODICUM. Baronius putat manſiſſe biennium, ſcilicet anno Chriſti 49. & 50. CUM DISCIPULIS: Antiochus.

TIRINI.

Verſ. 1. ICONII in Lycaonia *credidit* GRAECORUM, id eſt Gentilium, COPIOSA MULTITUDO. Inter quos præcelluit S. Thecla virgo tot laudibus celebrata a S. Chryſoſtomo, Epiphanio, Ambroſio, Hieronymo, Baſilio Seleucienſi *a* & aliis: Martyrologio adſcripta, 23. Septembris. Theclam ſubſecutæ ſunt Tryphœna & Tryphoſa, quas ſubinde laudat & ſalutat S. Paulus *b*, & Martyrologio inſcribuntur, 20. Novembris.

V. 3. MULTO TEMPORE Iconii DEMORATI SUNT Paulus & Barnabas nempe uno circiter anno, ut alibi *c* vidimus: FIDUCIALITER AGENTES, id eſt confidenter & intrepide evangelizantes, IN DOMINO, id eſt ope divina fulti & adiuti, in VERBO GRATIAE, id eſt Evangelio propagando, quod & in ſe plenum eſt gratia, & hominibus affert plenam gratiam: nempe remiſſionem peccatorum, amicitiam Dei, iuſtitiam, ſalutem, & vitam æternam.

V. 6. INTELLIGENTES, Apoſtoli conſpirationem Iudæorum & Gentilium contra ſe, CONFUGERUNT LYSTRAM. Ubi

V. 8. VIDENS Paulus claudum, QUIA FIDEM HABERET UT SALVUS FIERET, id eſt, quod credens dictis Pauli ſperaret ſe ab eo curandum ac ſervandum: (unde colligit Chryſoſt. animam huius claudi prius ſanatam eſſe per fidem quam corpus;)

V. 9. DIXIT MAGNA VOCE, ut ab omnibus audiretur, SURGE. Græca, Syra, & nonnulla Latina Biblia addunt: *Tibi dico, In nomine Domini Ieſu Chriſti, ſurge*: ubique enim inculcabant Apoſtoli nomen Ieſu Chriſti.

V. 10. DII aſſumpto corpore SIMILES FACTI HOMINIBUS, DESCENDERUNT AD NOS in terram. Unde colligit Euſebius, Paulum & Barnabam aliquid ſupra hominem, & quaſi divinum ſpiraſſe in vultu, voce, moribus, miraculis. Et Chryſoſt. optat concionatores omnes divinam beneficentiam, ſanctitatem, ſuavitatem & gratiam ſpirare.

V. 11. BARNABAM VOCABANT IOVEM: quia ſtatura forſan & ætate grandior erat, inquit Lyranus: vultu item pulchro erat ac ioviali, benignus, beneficus in omnes, inquit Chryſoſt. PAULUM vero vocabant MERCURIUM, QUONIAM IPSE ERAT DUX VERBI, facundia & dicendi efficacia præcellens. Mercurius autem, eo quod primus litteras invenerit, a ſtulta gentilitate habebatur Deus eloquentiæ & facundiæ, ſic dictus quaſi *Medicurrius*, quia ſermo currit medius inter homines, inquit Tertul. Arnob. & Auguſt. *e* Ex Maia Atlantis filia, & Iove, id eſt ex mente & prudentia natus: & ἑρμῆς, id eſt interpres, dictus, ut vult Phavorinus, & quidem *Triſmegiſtus*, ſeu ter maximus, quod ſermo & oratio omnia poſſint. Et vero quid deeſſe poterat Paulo nuperrime rapto in tertium cælum, unde hauſit arcanos & cæleſtes Verbi theſauros?

V. 12. SACERDOS IOVIS, QUI ANTE CIVITATEM, id eſt in ſuburbio, ſuam habet aram & templum, & ſacrificulum, TAUROS ET CORONAS, id eſt tauros coronatos *f* *afferebat*, ut novo Iovi ſacrificaretur. Coronam enim ut ſymbolo perfectionis, & cumuli omnium bonorum, item regni, victoriæ, triumphi, gloriæ & felicitatis: quæ ſoli Deo abſolute conveniunt, capiti victimarum impoſita, proteſtabantur Gentiles ſe Deo ſuo non niſi coronata, id eſt perfecta, ſelecta & eximia, quæque offerre, neque in alium finem quam ut bonorum omnium, & gloriæ ac felicitatis cumulum ei adgratulentur, ut fuſe Valerius Maximus, Macrobius *g*, & alii.

V. 13. QUOD ſacrilegium propoſitum UBI AUDIERUNT APOSTOLI, CONSCISSIS TUNICIS in tanti ſceleris deteſtationem, & in ſignum extremi doloris, quo cor quaſi diſcinderetur in partes, *exiliunt* IN TURBAS, & indebitos honores a ſe divertunt.

V. 15. DIMISIT OMNES GENTES INGREDI VIAS SUAS, id eſt vivere ex ſuo arbitrio, nulla eis lege externa (ſicut Iudæis) præſcripta. Nec tamen ipſis etiam Gentibus

V. 16.

Digitized by Google

V. 16. SINE omni TESTIMONIO SEMETIPSUM RELIQUIT Deus. *Dedit* enim opportuno tempore PLUVIAS, vel fluviorum exundationes, quæ terram fœcundent ad producenda omnia fructuum genera, quæ variis temporibus ſubminiſtrat pro variis hominum variorum uſibus. Quod divinæ providentiæ teſtimonium ſemper Domino deſervivit, nec umquam de bonitate, poteſtate ac ſapientia ipſius conticuit, ut bene S. Proſper annotavit.

V. 14. LAPIDANTES PAULUM. Quanta populi inconſtantia, iam Paulum ut Mercurium divinis proſequitur honoribus, mox ut ſacrilegum, lapidibus obruit.

V. 19. CIRCUMDANTIBUS EUM DISCIPULIS, ut, ſi adhuc vivus eſſet, tegerent & abſconderent, inquit Lyranus & Hugo: ſin mortuus, ſepelirent, inquit Caietanus. Cum ſubito, miraculoſe inſtauratis viribus, *ſurgit*, ambulat, urbem ingreditur, & *poſtridie proficiſcitur* IN DERBEN: ita Lyranus, Dionyſius, Lorinus & a Lapide.

V. 21. PER MULTAS TRIBULATIONES OPORTET NOS INTRARE IN REGNUM DEI. Primo, quia talibus ſcatet hæc vita. Secundo, quia regnum cæleſte id meretur, & amplius. Quarto, quia virtus his fovetur, intenditur & ſtabilitus. Quinto, quia hoc nitro & lixivio peccata abolentur & expiantur. Sexto, quia hæc eſt via trita Sanctorum, adeoque & ipſius Chriſti. Septimo, quia ſic ſanxit & decrevit Deus decreto inevitabili.

V. 22. CUM CONSTITUISSENT Apoſtoli PRESBYTEROS PER omnes ECCLESIAS, non temere, ſed præmiſſo *ieiunio* atque *oratione*, per quam Lyranus ſacrificium Miſſæ vult intelligi, ut alias *h* dixi. Porro χειροτονεῖν non ſpectare hic populum, neque idem eſſe quod per ſuffragia eligere, ut vult Eraſmus, Pagninus & Tigurini: ſed ſpectare Paulum & Barnabam, & idem eſſe quod *manus imponere*, & hoc ritu eos ordinare; patet ex ipſo huius loci contextu, & ex aliis ſimilibus Scripturæ locis *i*, & unanimi SS. Patrum expoſitione, ut videre eſt apud Bellarminum *k*.

V. 24. *Attalia* (non *Italia*, ut perperam vertit Vatablus) regio eſt *Pamphyliæ* in Aſia, teſte Ptolemæo & Strabone, ſic dicta a rege Attalo. Et inde ortum Attalicum opus, in quo ſtaminibus ſericis aurea ſubtegmina intexuntur: ita Plinius *m*.

V. 25. NAVIGAVERUNT ANTIOCHIAM *n* Syriæ metropolim, UNDE nuper a fidelibus emiſſi ERANT TRADITI GRATIAE DEI, id eſt commendati Spiritui ſancto, auctori omnis gratiæ, qui quaſi pædagogus & auriga deduceret eos IN OPUS Apoſtolicum, QUOD egregie, ut vidimus, illo ductore COMPLEVERUNT, inſumpto peregrinationi iſti quadriennio, ut in Chronico *o* demonſtravi.

V. 27. MORATI SUNT Antiochiæ, TEMPUS NON MODICUM, nempe biennium, a 7. uſque ad 9. annum Claudii, quo Ieroſolymam aſcenderunt, ut audiemus cap. ſequenti.

(a) Chryſoſt. hom. xxv. in Act. Epiph. hæreſi lxxviii. Amb. Lib. II. de Virgin. Hier. ex Chron. Baſil. Seleu. in Vita Theclæ.
(b) Rom. xvi. 12.
(c) Chron. cap. ult. in anno. 5. Claudii.
(d) Euſeb. *Lib.* III. Præparat Evang. cap. ix.
(e) Tertull. de Coronna milit. cap. viii. Arnob. contra Gent. Auguſt. Lib. 4. Civit. cap. xiv.
(f) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 41.
(g) Valer. Max. Lib. IV. cap. 1. Macrob. Lib. III. Saturn. cap. xiii.
(h) Act. vi. 4.
(i) Tim. iv. 14. & iii. 5. 22. & II. Timoth. 1. 6.
(k) Bellarm. de Ordinat. miniſtror. Eccleſ.
(l) Ptolc. Lib. I. c. 6. Strabo Lib. XIV.
(m) Plin. Lib. III. cap. xlviii.
(n) Act. xiii. 14.
(o) Chron. cap. ult. ab an. 3. Claudii uſque 7. Proſper. II. de Vocat. Gen. cap. iv.

G O R D O N I.

Verſ. 1. ICONII. Lycaoniæ celebris urbs eſt ad Taurum montem, ubi converſa eſt multitudo Græcorum, hoc eſt, gentilium, præter converſos Iudæos. Lycaonia minoris Aſiæ provincia eſt. Inter Græcos iſtos converſos inſignis fuit Thecla, miris laudibus celebrata a patribus; de qua Martyrologium 25 Sep. Narrat deinceps Lucas non defuiſſe Apoſtolis adverſa; ſed nec illis defuiſſe zelum & conſtantiam, adeo ut propter opulentam meſſem hærerent diu Iconii.

V. 7. INFIRMUS PEDIBUS. Græce impotens: vidit Paulus quod fidem haberet, vultu & geſtu, ut aliqui hoc interpretantur; aut certe ſpiritu prophetico.

V 10. TURBAE. Dicebant Deos aſſumpta

pta humana ſpecie deſcendiſſe, verſ. 11. Erat dux verbi Mercurius : habebant pro Mercurio Paulum, quia præcipue fungebatur munere concionandi, ſicut Mercurius habitus eſt Deus eloquentiæ, nempe præter miracula mirabantur linguarum donum.

V. 12. ET ERAT ANTE CIVITATEM. Collige ſenſum ex Græco textu. Ait enim Iovem habuiſſe templum ſuum in ſuburbio. CORONAS, ſolebat coronari victimæ.

V. 13. & 14. Mos erat Iudæis audita blaſphemia, aut gravi malo, ſcindere veſtimenta, velut ad doloris indicium; quale narrat Poeta AEneid. V. de AEnea. Scindebant, ut aliqui putant, a collo uſque ad pectus. Mortales ſe profitentur Apoſtoli, (non vero immortales Deos); & hortatores, ut ab his vanis idolorum ſacrificiis abſtinentes agnoſcant verum Deum.

V. 18. SUPERVENERUNT. En admirabilem vulgi inconſtantiam, a ſacrificio ad lapidationem: tam facile creditum eſt his advenis Paulum eſſe ſeductorem. Apparet hic etiam prudens caritas diſcipulorum qui ingerunt ſe velut parati ad ſepeliendum mortuum, & tegunt. Denique pro miraculo eſt repentina ſanatio, dum valens redit in civitatem.

V. 22. ET CUM CONSTITUISSENT. Eſt hic *χειροτονήσαντες*. Inepte Eraſmus, cum per ſuffragia elegiſſent, quaſi a Laicorum votis conſtituti eſſent ſacerdotes. Sane *χειροτονία* hæc & manuum impoſitio vel extenſio eſt ſacerdotum. Et hoc loco ſpectat ad Paulum & Barnabam, ut textus oſtendit, idemque eſt ac *χειροθεσία*, ſeu ſacra ordinatio, de qua vide I. Timo. cap. v. 22. *Manus cito nemini impoſueris*. Denique Chriſtus ipſe, & non populus conſtituit ſacerdotes. Et ſola praxis continua Eccleſiæ ſufficere poſſet ad hanc veritatem oſtendendam. Vides etiam ante hanc ordinationem præmiſſam fuiſſe cum ieiunio orationem. Hiſterologia videtur aliqua in Latino: ſed Græcus ordinem ſatis deſignat; *προσευξάμενοι*, *poſtquam oraſſent*.

V. 24. UT LOQUENTES. Dixi Pergen eſſe urbem Pamphiliæ. ATTALIAM. Male Vatablus legit Italiam, a qua ſane longe nunc aberat Paulus. Attalia vero urbs eſt in Pamphilia, olim Attali regia. Hinc vulgo opus Attalicum, de quo Plin. Lib. III. cap. XLVIII. tela aurea eſt. Intexuntur aurea ſubtegmina ſericis ſtaminibus.

V. 25. UNDE ERANT TRADITI GRATIAE DEI; ſcilicet per preces & vota fidelium Antiochenſium, quando fauſtis acclamationibus proſequebatur abeuntes Apoſtolos ad obeundum munus Apoſtolicum inter gentes. Itaque peracta peregrinatione quatuor annorum a deceſſu Antiochia, ubi erant ordinati Apoſtoli, & traditi gratiæ Dei; (ex cap. XIII. 2. & 3.) iam redeunt & narrant quæ Deus egit in converſione gentium. Abiiſſe Antiochia videntur ordinati anno Chriſti 44. & poſt opus completum (ut loquitur Lucas) rediiſſe Antiochiam anno 49. poſt biennium ibi exactum venerunt Ieroſolymam ad Concilium habitum ibidem anno 51. Ex his clarus eſt verſus 15. agitur cap. XV. de concilio.

CAPUT XV.

Orta Antiochiæ ſeditione propter Iudæos, volentes Gentes ad Deum converſas circumcidi, Paulus & Barnabas rem ad Apoſtolos referunt: qui poſt Petri & Iacobe ſuffragia, communi decreto per litteras ſtatuunt, Gentes converſas non ligari lege Moyſi: Paulus cupiens ab Antiochia inviſere loca in quibus prædicaverat, ſeparatur a Barnaba, eo quod nollet Ioannem aſſumi.

1. ET quidam deſcendentes de Iudæa, docebant fratres: (*a*) Quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari. 2. Facta ergo ſeditione non minima Paulo & Barnabæ adverſus illos, ſtatuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apoſtolos & presbyteros in Ieruſalem, ſuper hac quæſtione. 3. Illi ergo deducti ab Eccleſia, pertranſibant Phœnicem & Samariam, narrantes converſionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. 4. Cum autem veniſſent Ieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & ſenioribus, annuntiantes quanta Deus feciſſet cum illis. 5. Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi. 6. Conveneruntque Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc. 7. Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: (*b*) Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere. 8. Et qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit, (*c*) dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, 9. & nihil diſcrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. 10. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? 11. Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi. 12. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos. 13. Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me. 14. Simon narravit quemadmodum primum Deus viſitavit ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo. 15. Et huic concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt: 16. (*d*) Poſt hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David quod decidit: & diruta eius reædificabo, & erigam illud: 17. ut requirant ceteri hominum Dominum, & omnes gentes, ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. 18. Notum a ſæculo eſt Domino opus ſuum. 19. Propter quod ego iudico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, 20. ſed ſcribere ad eos ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine. 21. Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur. 22. Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primos in fratribus, 23. * ſcribentes per manus eorum, APOSTOLI & ſeniores fratres, his, qui ſunt An-

Antiochiæ , & Syriæ , & Ciliciæ , fratribus ex Gentibus , ſalutem . 24.
Quoniam audivimus quia quidam ex nobis euntes , turbaverunt vos ver-
bis , evertentes animas veſtras , quibus non mandavimus : 25. placuit
nobis collectis in unum , eligere viros , & mittere ad vos , cum chariſſimis
noſtris Barnaba & Paulo, 26. hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro no-
mine Domini noſtri Ieſu Chriſti 27. Miſimus ergo Iudam & Silam , qui & ipſi
vobis verbis referent eadem. 28. Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis, ni-
hil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria. 29. ut abſtineatis vos ab
immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato , & fornicatione ; a quibus
cuſtodientes vos, bene agetis. Valete. 30. Illi ergo dimiſſi, deſcenderunt An-
tiochiam : & congregata multitudine tradiderunt epiſtolam. 31. Quam cum
legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione. 32. Iudas autem & Silas, & ipſi cum
eſſent Prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmaverunt . 33.
Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace a fratribus, ad eos
qui miſerant illos. 34. Viſum eſt autem Silæ ibi remanere : † Iudas autem ſo-
lus abiit Ieruſalem. 35. Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ ,
docentes, & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. 36. Poſt ali-
quot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus : Revertentes viſitemus fratres per
univerſas civitates , in quibus prædicavimus verbum Domini , quomodo ſe ha-
beant. 37. Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Ioannem , qui cognomina-
batur Marcus. 38. Paulus autem rogabat eum (ut qui diſceſſiſſet ab eis de
Pamphylia, * & non iſſet cum eis in opus) non debere recipi . 39. Facta eſt
autem diſſenſio, ita ut diſcederent ab invicem, & Barnabas quidem aſſumpto
Marco navigaret Cyprum. 40. Paulus vero electo Sila profectus eſt , traditus
gratiæ Dei a fratribus . 41. Perambulabat autem Syriam , & Ciliciam confirmans
Eccleſias : * præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum.

(a) Gal. v. 2. (b) ſupra x. 20. (c) Sup. x. 45. (d) Amos ix. 11.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 23. *Scribentes per manus eorum* . Non ſubiicias , quod quidam *epiſtolam continentem hæc*, ſuperfluit enim .

Verſ. 38. *Et non iſſet cum eis in opus* . Nec hic addendum eſt *quo miſſi fuerant* .

Verſ. 41. *Præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum* . Hæc verba a veteribus manuſcriptis minime prætermittuntur, quamvis Græce abſint.

Lectionum Varietas.

Verſ. 34. I*Udas autem ſolus abiit Ieruſalem*. Si non alia , videtur vel vox *Ieruſalem*, ex hac pericope omittenda.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. MOREM . Syr. *ritum* . MOYSI, id eſt legis Moſaicæ.

V. 2. SEDITIONE . Syr. *tumultu* . NON MINIMA . Græc. *& diſceptatione non parva* .

V. 3. DEDUCTI, ſcilicet aliquouſque ut fit, aliquibus comitantibus.

V. 5. SURREXERUNT, &c. videntur hæc verba Pauli & Barnabæ, referentium quid Antiochiæ accidiſſet. HAERESI, id eſt ſecta. Eos, ſcilicet fideles . PRAECIPERE ; pro, iuberi.

V. 6. SENIORES . Græc. *preſbyteri* , ſic & inf. VERBO, id eſt re, Hebr.

V. 7. CONQUISITIO, id eſt diſceptatio. ANTIQUIS, id eſt multis. Græci & Syr.

primis ; ſcilicet prædicationis. GENTES. Vide ſup. cap. x.

V. 10. IMPONERE : pro, imponendo.

V. 11. ILLI, ſcilicet Patres noſtri.

V. 14. PRIMUM, id eſt a principio. Vide ſup. SUMERE ; pro, ut ſumeret. NOMINI SUO, id eſt *ſibi*, Hebr.

V. 16. REVERTAR, ET REAEDIFICABO, id eſt *rurſum ædificabo*, Hebr. TABERNACULUM, ſcilicet regnum ſpiritualiter intellectum.

V. 17. CETERI, ſcilicet Gentiles.

V. 18. NOTUM, &c. quaſi dicat, Multo ante prædixit, quæ eſſet facturus, ut qui ab æterno omnia noverit.

V. 19. INQUIETARI, pro, inquietandos.

V. 20. CONTAMINATIONIBUS, &c. id eſt ab idolorum cultu & idolothy is. SUFFOCATIS, id eſt eſu animalium ſuffocatorum, quod in iis ſanguis ſit.

V. 22. PRIMOS, id eſt primarios.

V. 23. MANUS EORUM, id eſt *eos*, Hebr. FRATRES. Græc. & Syr. *& fratres*.

V. 24. EVERTENTES. Græc. & Syr. *labefactantes*.

V. 25. COLLECTIS IN UNUM. Græc. *unanimiter congregatis*.

V. 29. ANIMAS, id eſt vitam. NOMIMINE DOMINI, id eſt Domino.

V. 28. NIHIL, ſcilicet, ſeu præter ea quæ Lex naturalis præcipit, ſeu quod pertinet ad ea quæ nuper apud vos diſputata ſunt.

V. 31. CONSOLATIONE, id eſt litteris conſolatoriis ; poterat etiam verti *exhortatione*.

V. 32. PROPHETAE, id eſt verbi Dei Interpretes.

V. 38. ROGABAT, Græc. *cenſebat*. DISCESSISSET. Græc. *defeciſſet*.

V. 39. DISSENSIO. Græc. παροξυσμός, id eſt *irritatio*, ſeu *exacerbatio*, ſcilicet acris diſceptatio.

V. 40. TRADITUS, id eſt commendatus.

E S T I I.

Verſ. 1. DOCEBANT FRATRES, QUIA NISI CIRCUMCIDAMINI, SECUNDUM MOREM MOYSI, NON POTESTIS SALVARI. Horum anteſignanum fuiſſe Cerinthum, exiſtimat Epiphanius hæreſim eius tractans. Nonnulli addunt Ebionem : verum Epiphanius in eius hæreſi ſcribit illum emerſiſſe poſt Iacobum fratrem Domini occiſum, & everſam Ieroſolymam.

V. 4. SURREXERUNT AUTEM QUIDAM DE HAERESI PHARISAEORUM, id eſt de ſecta Phariſæorum ; ſicut alibi hæreſis accipitur in Scriptura. Non enim ſignificatur eos fuiſſe hæreticos, qui dicebant quod gentiles oporteret circumcidi, & ſervare legem Moyſi : nondum enim ea res erat tam clare explicata, & definita, ut contradicentem faceret hæreticum ; ſicut poſt definitionem Concilii quod hic deſcribitur. Porro quod factum Antiochiæ, idem etiam factum Ieroſolymis, ut gentes vellint onerare iugo ſervandæ legis Moſaicæ. Tantum apud Iudæos valebat auctoritas legis a Moyſe acceptæ, ut ſine ea putarent, neminem hominem poſſe ſalvari, quamvis in Chriſtum credentem.

V. 7. SURGENS PETRUS DIXIT AD EOS. Petrus tamquam Apoſtolorum princeps, primus dicit ſententiam. Quam deinde approbat Iacobus, tamquam Ieroſolymorum Epiſcopus. An alii plures dixerint ſententiam, non eſt expreſſum a Luca. Veriſimile tamen eſt, alios etiam dixiſſe. Denique ſit concluſio, quam finaliter etiam a Petro factam fuiſſe, ratione ſui primatus, licet Lucas id etiam non prodat, non dubitamus. Dixit autem ſententiam primo loco, quia primus erat : non tamen dixit ut abſolute, & finaliter definiens, & aliis præiudicans ; ſed ut index loquens ordine ſuo. Omnibus autem auditis tandem concluſit, tam de quæſtione principali, quæ inter Apoſtolos nullam habebat diſputationem, quam de decreto præſcribendo ad gentiles, quod Iacobus ſuggeſſerat.

V. 8. *&* 9. ET QUI NOVIT CORDA DEUS, TESTIMONIUM PERHIBUIT, DANS ILLIS SPIRITUM SANCTUM, SICUT ET NOBIS : ET NIHIL DISCREVIT INTER NOS, ET ILLOS, FIDE PURIFICANS CORDA EORUM. Abutuntur hac ſententia hæretici, ut probent ſolam fidem ſufficere ad conſequendam puritatem cordis, id eſt ad iuſtificationem hominis. Quibus breviter reſpondemus, intelligi eam fidem quam Apoſtolus alibi docet utilem eſſe, & valere aliquid in Chriſto Ieſu. Ea autem eſt fides, non quælibet,

Digitized by Google

bet, ſed quæ per dilectionem operatur. Ita ad Gal. v. *In Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per caritatem operatur*: Cum addit, *quæ per caritatem operatur*; ſignificat fidem otioſam, & non exercitam caritate, inutilem eſſe, & nihil valere in Chriſto. Quod expreſſius idem Apoſtolus dicit, I. Cor. xiii. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum*. Si ergo fides caritate vacua, nihil eſt; purificare cor non poteſt quamdiu caritate deſtituitur. Fide autem per caritatem operata purificantur corda, dupliciter; fides enim de corde ignorantiam tollit; caritas autem pellit malam voluntatem. Sic exponit Auguſt. Serm. XIV. de variis cap. xi. Vide noſt. comment. dictis locis.

V. 9. FIDE PURIFICANS CORDA EORUM. Vide annot. Proverb. xv. Videtur autem Petrus reſpicere ad verba ſibi dicta in viſione: *Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris*.

V. 10. QUID TENTATIS IMPONERE IUGUM SUPER CERVICES DISCIPULORUM? Hoc iugum quod Iudæis fuerat importabile, magis adhuc importabile fuiſſet gentilibus, non aſſuetis huiuſmodi iugo ferendo: deinde: quia procul a Iudæa habitantes nonniſi ſumma moleſtia potuiſſent quotannis adſcendere Ieroſolymam ad feſta & ſacrificia ibi celebranda. Deinde, habiti fuiſſent a Iudæis tantum loco proſelytorum. Hæc ſervitus ſine dubio alienaſſet totam gentilitatem a Chriſtianiſmo. Quare prudentiſſime viſum eſt Apoſtolis, tanto periculo ſtatim occurrendum.

QUOD NEQUE NOS, NEQUE PATRES NOSTRI PORTARE POTUIMUS. Quare ergo Deus non præcepit impoſſibile? Reſpond. Significari difficultatem magnam, præſertim quæ accidebat ex parte carnalis illius populi. Item, quia iugum erat ſervile; propter obſervantias corporales per ſe non conducentes ad pietatem. Ita Matt. xxiii. ubi habemus *importabilia* Græce eſt, *δυσβάστακτα*, id eſt difficilia portatu. Opponunt adverſarii nunc quoque Chriſtianis imponi iugum importabile cæremoniarum, & præceptorum eccleſiæ, & maxime illud de Confeſſione peccatorum facienda ſacerdoti. Quibus quomodo ſit reſpondendum; vide Annot. Matth. xi. & de Confeſſione in 4. ſent. diſt. xvii.

V. 13. VIRI FRATRES, AUDITE ME. Dicit, *Audite me*, quia ſuggerere voluit conſilium de eo quod ſcribendum eſſet ad eccleſias Gentilium. Quod ceteri ſecuti ſunt.

V. 18. NOTUM A SAECULO EST DOMINO OPUS SUUM. Loquitur de opere vocationis & converſionis gentium. Quod eſt opus Dei, ac Deo notum a ſæculo; quia ab ipſo prædeſtinatum. Hinc patet præſcientiam Dei ac prædeſtinationem Dei in bonis ad idem referri, ſicut docent S. Auguſtin. & S. Proſper.

V. 19 PROPTER QUOD EGO IUDICO, NON INQUIETARI. Quidam putant, ut Medina t. 2. quæſt. xcv. art. 1. Iacobum hunc ieroſolymitanum epiſcopum, tamquam iudicem ordinarium in propria diœceſi reſidentem pronuntiaſſe Apoſtolorum ſententiam, etiam in præſentia Petri univerſæ eccleſiæ Epiſcopi. Potius dicendum, quod dixerit ſententiam ut iudex; quia omnes Apoſtoli erant iudices, ſicut omnes epiſcopi in conciliis etiam generalibus. Sed ſolus Petrus, & eius ſucceſſor eſt ſupremus iudex, qui concludit, & definit. Vide ſupra, verſ. 7.

V. 11. MOYSES ENIM A TEMPORIBUS ANTIQUIS HABET IN SINGULIS CIVITATIBUS QUI EUM PRAEDICENT IN SYNAGOGIS. Occupatio eſt. Quæri enim poterat; Si ad gentiles ſcribendum, quid de Iudæis? Reſpondet, nihil opus, quod ad præſens negotium attineret, quandoquidem Moyſes eis legatur in Synagogis quas habent in ſingulis civitatibus, & per ſingula ſabbata; ex quo ſciant quæ præcepta moralia ſibi ſervanda ſint, item quæ ceremonialia, ſi adhuc ea ſibi ſervanda putent.

V. 22. IUDAM, QUI COGNOMINABATUS BARSABAS. Hic Barſabas alius ab illo qui primo cap. Ioſeph cognomento Barſabas vocatur.

V. 29. UT ABSTINEATIS VOS AB IMMOLATIS SIMULACRORUM, ET SANGUINE, ET SUFFOCATO, ET FORNICATIONE. De immolatis ſimulachrorum & fornicatione nulla quæſtio. Ab immolatis iubentur abſtinere ad vitandum ſcandalum; ut docet Apoſtolus, I. Cor. viii. A fornicatione peculiariter abſtinere iubentur; quia gentiles eam non putabant eſſe peccatum. Unde apud eos fornicatio ſimplex numquam lege pro-

prohibita fuit. Sed de ſuffocato, & ſanguine quæſtio eſt. Quidam per ſanguinem intelligunt homicidium, & per ſuffocatum oppreſſionem miſerorum. Alii intelligunt ſimpliciter prohiberi comeſtionem ſanguinis, & animalis ſuffocati. Huic expoſitioni favet Chriſtianorum conſuetudo, qua multo tempore ab his abſtinuerunt. Et de ea re ſunt tres expreſſi canones, videlicet 62. Apoſtolorum. Conc. Gangreſ. 2. & 67. Synodi in Trullo. Conſuetudo autem & praxis eccleſiæ interpres eſt legis. Auguſt. Lib. XXXII. contra Fauſtum obiicientem Catholicis, quod comederent morticina & immolata, munda, & immunda; cap. XIII. agnoſcit conſuetudinem de non edendo morticino. Deinde ponens utramque explicationem iam dictam huius loci, addit: *Elegiſſe mihi videntur Apoſtoli pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus onerosam, in qua cum Iudæis etiam gentes aliquid communiter obſervarunt*. Sic ille. Nec tamen per hoc aliquid legale impoſitum eſt; ſed tamquam morale hoc præſcriptum eſt, ut per hanc abſtinentiam ab omni cæde & crudelitate eſſent magis alieni. Nam hac ratione etiam Noe, & poſteris eius, prohibita eſt ſanguinis comeſtio, teſte Chryſoſt. in Gen. IX. Alia quoque ratio eſt ne Iudæi refugerent cum gentilibus Chriſtianis in unam colligi ſocietatem. Nam eſus ſanguinis, & ſuffocati ſpeciem quandam habet feritatis. Unde multi, natura quodammodo ab iſtis abhorrent. Atque hinc intelligitur, cur Apoſtoli non etiam vetuerint gentilibus Chriſtianis eſum adipis, porcinæ, leporinæ; quia ab his communiter homines non abhorrent; nec eorum eſus ſpeciem habet feritatis. Quæritur 1. quo præcepto poſitivo Iudæi fuerint prohibiti ab immolatitiis idolorum? Reſp. Exodi XXXIV. *Ne comedas de immolatis*. Item eo præcepto quo prohibebantur quicquam accipere in uſum ſuum, quod ad idolum aliquo modo pertineret; ſed totum, velut anathema, refugere, demoliri, & abolere, ut Deut. VII. *Sculptilia eorum combures; non concupiſces argentum, & aurum de quibus facta ſunt; neque aſſumes ex eis tibi quicquam. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt. Quaſi ſpurcitias deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt*. Petes porro an lex iſta ſolum obligaverit in caſu ſcandali. Et ita videri poteſt, quia I. Cor. X. extra caſum ſcandali videtur Apoſtolus permittere eſum idolothytorum; ſed ubi metus eſt ſcandali vetat comedi; & addit; *propter conſcientiam non tuam, ſed alterius, ut quid enim mea libertas*, &c. Videtur poſſe reſponderi duobus modis. Uno modo, Corinthios hac apoſtolica lege non fuiſſe ligatos, quia epiſtola Apoſtolorum tantum miſſa eſt ad fratres, qui erant Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ; videlicet in Paleſtina, & eius vicinia, ubi plurimi erant Iudæi. Unde & in fine cap. de Paulo dicitur, quod, *perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum*, nempe conſtituta in Synodo Ieroſolymitana illo decreto, *Apoſtoli & ſeniores*, &c. Si obiicias; multis annis poſt fuiſſe eam legem obſervatam ſtudioſe, etiam in aliis eccleſiis, ut ex Tertulliano patet, & Canone quodam Apoſtolorum, & Synodo Gangrenſi, & ea quæ in Trullo habita; reſponderi ſcite poterit, non eam fuiſſe intentionem Apoſtolorum ut perpetuo eccleſiam univerſalem hac lege obſtringerent. Nam hodie nuſquam in Catholica obſervatur, maxime quod de ſuffocato, & ſanguine præceptum fuit; & ſi qui ſervant, non id faciunt, quia ab Apoſtolis prohibitum, ſed quia horrent a talium rerum eſu, & diſerte dicit Auguſt. pro tempore fuiſſe hoc impoſitum. Sed tamen alias eccleſias ad id tempus retinuiſſe propter reverentiam legis Apoſtolicæ; ſicut lex vetus aliquamdiu poſt Chriſtum a Iudæis Chriſtianis fuit obſervata, & cum honore, ad ſepulcrum deducta; vel, quia legis ratio in quibuſdam Eccleſiis adhuc locum habebat. Altero modo reſponderi poteſt, ſi dicamus, ſenſum legis eſſe, a talibus abſtinendum ubi metus aut periculum eſt ſcandali; & ita tantum fuiſſe explicationem legis divinæ de vitando ſcandalo, eiuſque determinationem, ſeu potius exemplorum declarationem, nempe in his caſibus. Atque hoc modo optime conſiſtet hic locus, cum loco I. Cor. X Notandum tamen, quod ibi non dicit Apoſtolus, quod licet comedere ſi quis ſciat eſſe idolis immolatum; ſed quod quis neſciens an quod edendum proponitur, ſit immolatitium; non teneatur interrogare, an tale ſit; idque propter

pter conſcientiam. Non etiam hoc habebat lex Apoſtolica, quod fideles deberent interrogare; idque propter ſuam conſcientiam. Quod ergo ſubiungit Paulus: *Si quis autem dixerit, hoc immolatitium eſt; nolite manducare, propter illum qui indicavit; & propter conſcientiam; conſcientiam autem dico, non tuam, ſed alterius*; videtur conſcientiam intelligere non generaliter peccati, ſed idoli, ſicut dicit cap. VIII. *Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant*; id eſt, tamquam idolum ſit aliquid, & proinde cibus ille per ſe immundum reddat hominem; *Et conſcientia*, inquit, *ipſorum, cum ſit infirma, polluitur*. Hoc igitur eſt, quod ait cap. X. *Conſcientiam dico, non tuam, ſed alterius*, quia tu non habes conſcientiam idoli, ſed alter infirmus frater; quem proinde facto, & exemplo non debes provocare ad idolothytum manducandum; immo propter legem Apoſtolicam omnino abſtinere, ſimul atque cognoveris id quod proponitur eſſe idolothytum. Apud Auguſt. Lib. XXXI. contra Fauſtum cap. II. Fauſtinus dicit: *Omnes apud vos morticina, & immolata inquinamentum exiſtimant non parvum*, & cap. III. Lib. XXXII. Sed vide quid reſpondeat Aug. ibidem cap XIII. morem quidem agnoſcens huius abſtinentiæ adhuc ſuo tempore, quoad morticina & ſuffocata; non tamen exactum, nec ſcrupuloſum. Et addit rationem huius decreti apoſtolici. Ac dicit Chriſtianos nullam cibi naturam, quam ſocietas admittit humana, refugere. Vide noſt. com. I. Cor. VIII. & X.

V. 32. IUDAS AUTEM ET SILAS, ET IPSI CUM ESSENT PROPHETAE, VERBO PLURIMO CONSOLATI SUNT FRATRES, ET CONFIRMAVERUNT. Hic oſtenditur quod fuerit officium prophetæ, nempe ex verbo Dei conſolari, & confirmare fideles.

V. 37. BARNABAS AUTEM VOLEBAT SECUM ASSUMERE ET IOANNEM, QUI COGNOMINABATUR MARCUS. Hic Marcus filius eſt Mariæ, ad cuius domum venit Petrus poſt ſoluta ab Angelo vincula, Act. XII. & conſobrinus Barnabæ, ut dicitur Coloſſ. IV. An autem idem ſit cum eo, de quo II. Timoth. IV. *Marcum aſſume*, vide ibid. noſt. com. & loco citato Col. IV.

V. 39. FACTA EST AUTEM DISSENTIO. Cur Paulus vir probatæ manſuetudinis, qui omnibus omnia factus erat, & Timotheo præcipit Epiſcopum debere eſſe manſuetum ad omnes; Barnabæ Evangelii ſocio ac ſeniori non acquieſcit, ut Marcum admittat ad ſocietatem evangelici muneris? Reſp. Rationem a Luca iudicari: nam quia per ignaviam ſemel eos deſeruerat, non abſque detrimento rei evangelicæ, verebatur Paulus evangelii promovendi cupidiſſimus, ne ſecundo ſimile incommodum per eius diſceſſum paterentur. Erat enim negotium evangelicæ prædicationis, laboris, ac moleſtiarum, & periculi plenum; ob quam cauſam Apoſtolorum ſocietatem prius deſeruerat: & merito idem ſecundo metui potuiſſet. Barnabas autem, amore conſobrini ductus, de eo plus ſperabat, quam Paulus ſecundum rectam rationem ſperari poſſe iudicaret. Hieron. Lib. II. Dial. contra Pelag. cap. VI. *Paulus ſeverior, ille clementior, uterque in ſuo ſenſu abundat: & tamen diſſentio habet aliquid humanæ fragilitatis*.

V. 41. PRAECIPIENS CUSTODIRE PRAECEPTA APOSTOLORUM, ET SENIORUM. Hæc clauſula huius capitis etſi non reperiatur in Græcis codicibus, hoc quidem loco; prorſus tamen ſimile eſt quod paulo poſt habetur cap. ſeq. his verbis: *Cum autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Ieroſolymis*. Nam *dogmata* ibi non dicuntur doctrinæ, aut placita, cuiuſmodi ſunt placita Philoſophorum, nullam obligandi vim habentia, tametſi alioqui veriſſima; ſed præcepta ſive edicta. Hoc enim nomine edicta principum & Imperatorum apud Græcos vocantur. Unde Luc. II. pro eo quod nos habemus: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto*; Græce eſt: ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, & huius Lib. cap. XVII. *Contra decreta Cæſaris faciunt* ἀπέναντι τῶν δογμάτων, & Eſther IV. *ad quam crudele Regis dogma pervenerat*. Vide eius loci annot. & cap. ſeq. verſ. 4.

MARIANAE.

Verſ. 2. QUIDAM ALII EX ALIIS, ſive *illis*, ut eſt Græc. ſcilicet ex iis qui deſcenderant ex Iudæa, & Paulo adverſabantur volentes a fidelibus legem ſervari.

V. 10. SUPER CERVICES. Græc. *cervicem*,

ſed

Digitized by Google

ſed pro *cervices*. Quid iugum legis imponitis?

V. 11. CREDIMUS SALVARI; pro, *nos poſſe ſalvari*, ut eſt Gotth.

V. 14. VISITAVIT SUMERE EX GENTIBUS, pro, voluit, *ἐπεσκέψατο*, *voluit*, *cogitavit*, ſignificat etiam *viſitare*, quod noſter eſt ſecutus. Gotth. *ſuſcitavit*, non bene.

V. 16. ET REAEDIFICABO TABERNACULUM DAVID, id eſt templum, ad quod conſtruendum David multum pecuniæ reliquit, quare *templum David* vocatur; alioqui Salomon illud conſtruxit: & per *tabernaculum*, Chriſti Eccleſiam ſignificat.

V. 17. SUPER QUAS INVOCATUM EST NOMEN MEUM. Græc. additur, *ſuper illos*: ſic Gotth. ſed redundat: ideo ſublatum eſt.

V. 22. TUNC PLACUIT ..... ELIGERE VIROS EX EIS; pro, *ex ſe*; ut Syr. & Gotth. vox *αὐτῶν* utroque modo verti poteſt, qui ſcilicet Antiochiæ denuntiarent decretum Apoſtolorum de Legis obſervatione.

V. 34. IUDAS AUTEM SOLUS ABIIT. Hoc Græc. non eſt, Robertus tamen & Veleſius in aliquibus codicibus Græcis invenerunt.

V. 38. ROGABAT; pro, recuſabat, EUM NON DEBERE RECIPI, ſcilicet Marcum, ut qui diſceſſiſſet ab eis. ET NON ISSET CUM EIS IN OPUS. Addunt aliqui codices, *ad quod miſſi erant*: addit Gotth. ſed non eſt opus.

V. 39. FACTA EST AUTEM DISSENSIO. Παροξυσμὸς, *exacerbatio*. Alexander Monachus in Vita S. Barnabæ apud Surium 11. Iunii, ait vocem Græcam hic in bonam partem accipi, ut ad Hebr. XIII. 24. ubi nos *in provocationem caritatis* eſt illa vox *παροξυσμὸν*, ſed melius ſic. Tres ſunt voces in Sacris: *παροξυσμὸς* ad Epheſ. IV. 25. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, ſignificat *iram, indignationem*. Παραπικρασμὸς ſignificat *iram vehementem*, Pſal. XCIV. 8. *ſicut in exacerbatione*. Παροξυσμὸς ſignificat *primam iræ commotionem*, qua hic utitur Luc. & inferius cap. XVII. An Marcus, propter quem facta eſt diſſenſio, erat conſobrinus Barnabæ, de quo ad Coloſſ. IV. 10. Aiunt quidam. Negat Dorotheus in Synopſi, qui hos diſtinguit, faciens alterum Bybli Epiſcopum, alterum Apolloniadis.

V. 41. PRAECIPIENS CUSTODIRE. Hæc verba poſtrema huius cap. Græc. & Syr. non ſunt, neque in Gotth. & multis aliis Latinis cod. Romani tamen retinuerunt: Tum Veleſii margo ſic habet; *παραγγέλλας τὰς ἐντολὰς τηρεῖν*, (alias *φυλάσσειν τ̃ Ἀποστόλων καὶ τ̃ πρεσβυτέρων*. Id Paulus perambulans Syriam & Ciliciam præcipiebat digreſſus a Barnaba.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET QUIDAM DESCENDENTES DE IUDAEA: & pro ſuo Iudaiſmo pugnantes, quaſi ſolis Iudæis promiſſus eſſet Meſſias, & ſalus tantum per legem Moſaicam parari poſſet. Antiqui, & graves auctores ſeditionis, & diſcordiæ, quæ hoc capite narratur, Cerinthum auctorem faciunt. NISI CIRCUMCIDAMINI: ſub circumciſione per ſynecdochen totam legem Moyſis, & Iudaiſmi intellige: huius enim initium, ingreſſus, & profeſſio erat circumciſio. SECUNDUM MOREM MOYSI; ſecundum ritum legis Moſaicæ.

V. 2. FACTA SEDITIONE: *ςάσεως καὶ συζητήσεως*, *contentione*, *& diſceptatione*. Syrus habet: *Ortus eſt tumultus plurimus*, *& diſceptatio*. PAULO ET BARNABA ADVERSUS ILLOS. Paulo, & Barnaba negantibus circumciſionem eſſe neceſſariam, illis vero contra tenentibus, & affirmantibus ſine circumciſione ſalutem contingere non poſſe. EX ALIIS: ex parte adverſa Cerinthi, & Iudaizantium. AD APOSTOLOS: Petrum, Iacobum, & Ioannem, ut patet Galat. II. 9. ceteri enim Apoſtoli per orbem erant diſperſi: ET PRESBYTEROS: tum ſacerdotes, tum Epiſcopos. Epiſcopi in Concilio ius habent ſuffragii, ſacerdotes interſunt ut conſiliarii, & doctores. Vide Bellarmin. Lib. I. de Concil. cap. XV. & XVI.

V. 3. DEDUCTI: *προπεμφθέντες*, *præmiſſi*, & per breve aliquod viæ ſpatium honoris cauſa deducti. PHOENICEM, ET SAMARIAM: per quas Antiochia Ieroſolymam tendentibus iter eſt.

V. 4. CUM ILLIS: vide ſuperiori cap. verſ. 26.

V. 5. DE HAERESI: de ſecta, nomen enim hæreſis hoc loco non ſumitur in malam partem. QUI CREDIDERUNT: qui Chriſtianiſmum amplexi erant.

V. 6. CONVENERUNTQUE APOSTOLI, &c. hoc eſt primum Concilium, quod in Eccleſia celebratum eſt. VIDERE DE VERBO HOC: conſultare, & decernere de præſenti

Digitized by Google

ſenti controverſia. *Verbum* hoc loco, ut ſæpe alibi, ponitur pro re, aut negotio.

V. 7. CONQUISITIO: diſceptatio. SURGENS PETRUS: quaſi princeps Apoſtolorum, & Primas Eccleſiæ, qui audita controverſiæ in utramque partem diſceptatione, hic eam primus quaſi iudex definit, unde mox eius ſententiam ſequitur S. Iacobus, & cæteri omnes. AB ANTIQUIS DIEBUS: iam pridem, iam dudum, id eſt a converſione Cornelii, de qua cap. x. elapſi iam erant anni circiter quatuordecim, nam Cornelius creditur baptizatus anno Chriſti 37. Concilium autem habitum anno 51. DEUS IN NOBIS ELEGIT PER OS MEUM, quaſi dicat: Deus inter nos me elegit per quem Gentes audirent Evangelium, & declararet etiam illas in Eccleſiam admittendas eſſe.

V. 8. ET QUI NOVIT CORDA DEUS. Deus cordium ſcrutator, qui optime novit quinam ſincere quærant Deum, & capaces ſint gratiæ, & ſalutis a Chriſto allatæ. TESTIMONIUM PERHIBUIT: huius ſinceritatis, & capacitatis. SICUT ET NOBIS, id eſt viſibili ſpecie.

V. 9. NIHIL DISCREVIT INTER NOS, ET ILLOS: ſine perſonarum acceptione non illos minus admittens quam nos ad gratiam Evangelii. FIDE PURIFICANS CORDA EORUM: fide, & baptiſmo eos purificans, ita ut iam immundi cenſeri non debeant.

V. 10. QUID TENTATIS DEUM? Deum tentat qui eius clara, certaque dicta, & iuſſa in dubium revocat. Talis enim tentat Deus an vere & ſerio, an ioco hoc dixerit, & iuſſerit. Aut certe, an in dictis, & iuſſis ſuis ſit firmus, & conſtans. NEQUE NOS PORTARE POTUIMUS: id quod ægre, & difficulter portavimus, S. Auguſtinus Serm. IX. de verbis Domini vocat ſarcinam innumerabilium obſervationum.

V. 11. SED PER GRATIAM DOMINI, &c. quaſi dicat: Non ſunt obligandi Chriſtiani ad ceremonias legis, non modo quia ſunt iugum graviſſimum, ſed etiam quoniam ſunt inutiles ad iuſtificationem, nec per eas, ſed per Chriſti gratiam credimus nos ſalvari, ſicut & patres noſtri ſalvati ſunt.

V. 12. TACUIT AUTEM OMNIS MULTITUDO: hoc ſilentio reverens Petrum, eiuſque dicta approbans, & ipſius ſententiæ, & definitioni acquieſcens, quam confirmarunt Paulus & Barnabas, narrantes quanta feciſſet Deus ſigna, & prodigia in gentibus per eos.

V. 13. RESPONDIT IACOBUS: id eſt, orſus eſt poſt Petrum primus ſententiam dicere, & Petri ſententiam roborare.

V. 14. SIMON: Petrus, qui antea dicebatur Simon. PRIMUM, id eſt *ab antiquis diebus*. ut dixit Petrus verſ. 7. DEUS VISITAVIT SUMERE, &c. Verba videntur ſic ordinanda. Deus viſitavit in gentibus, id eſt gentes, ut ex iis ſumat populum nomini ſuo. Viſitavit autem gentes quaſi doctor, medicus, & ſalvator per Petrum, Apoſtolos eas imbuens fide, & gratia Chriſti qua a peccatis iuſtificarentur, & ſalvarentur. SUMERE NOMINI SUO: ſumere ſibi, & Eccleſiæ ſuæ adiungere.

V. 15. PROPHETARUM: Amos cap. IX. 11. & 12.

V. 16. REAEDIFICABO TABERNACULUM DAVID, id eſt Eccleſiam, in qua habitat, & regnat Chriſtus filius Davidis. QUOD DECIDIT: non in ſe, ſed in Iudæis; ſemper enim ſtetit Eccleſia, ſed aliqui vitio ſuo ab illa exciderunt, ut Iudæi increduli, quorum loco huic tabernaculo, & domui Dei quaſi vivi lapides toto orbe Gentiles inædificati ſunt. UT REQUIRANT CETERI HOMINUM DOMINUM: ut non ſolum Iudæi, ſed reliquæ etiam nationes Dominum requirant, Evangelium audientes, & Chriſtiana ſacra ſuſcipientes. SUPER QUAS INVOCATUM EST NOMEN MEUM: eo quod has gentes meas eſſe, ac dici volui. Vel eo quod nomen meum eis prædicatum, & manifeſtum factum eſt. DICIT DOMINUS FACIENS HAEC; quaſi dicat: Nec quiſquam miretur, hoc enim ſe facturum ait Dominus, qui non minus verax, quam potens eſt.

V. 18. NOTUM A SAECULO EST DOMINO OPUS SUUM; quaſi dicat, Multo ante Deus præcogitavit, & prædiſpoſuit hoc opus ſuum, nimirum fabricæ Eccleſiæ ſuæ ædificandæ ex gentibus, licet nobis novum videatur.

V. 19. NON INQUIETARI: non exhibendam eſſe hanc moleſtiam iis qui ex Gentiliſmo convertuntur ad Chriſtum.

V. 20. SED SCRIBERE AD EOS: ſed ſcribendum illis eſſe. ABSTINEANT SE A CONTAMINATIONIBUS SIMULACRORUM: ab ido-

idolothytis, id eſt carnibus, & cibis Idolis immolatis, ideoque contaminatis. ET FORNICATIONE: quam gentes putabant non eſſe peccatum, ſaltem mortale, cum ſcilicet erat inter ſolutos. ET SUFFOCATIS, id eſt eſu animalium ſuffocatorum, quorum ſanguis per iugulationem effuſus non eſt. ET SANGUINE: ſicut olim Gen. IX. 4. præceptum fuerat. Vide dicta eo loco, ibi enim cauſas huius legis abſtinendi a ſanguine attulimus. Iam in Concilio ſtatutum erat non adigendos Gentiles ad ſuſcipiendam circumciſionem, & ſervandam legem Moſaicam: loco ergo illius graviſſimi oneris, novam legem, ſed facilem cenſet Iacobus dandam Gentilibus Chriſtianis, ut ſcilicet abſtinerent a ſanguine, ſuffocato, immolatis ſimulacrorum, idque propterea ut facilius cum Iudæis ad Chriſtum converſis in vnum corpus, ac ſocietatem coaleſcerent. Nam Iudæi propter antiquam conſuetudinem abominabantur ſanguinem, & ſuffocatum. Comeſtio vero eorum quæ ſimulacris fuerant immolata poterat Iudæis dare occaſionem ſuſpicandi, quod Gentiles, ſi talia comederent, vellent redire ad idololatriam. Itaque fuerunt hæc prohibita pro illo tempore, quo primum Gentiles, & Iudæi inter ſe coaleſcebant. Poſtea vero cum ſatis coaluerunt, non fuit amplius opus hac prohibitione.

V. 21. MOYSES ENIM A TEMPORIBUS ANTIQUIS. Hoc dicit Iacobus ad placandam partem adverſam, nimirum Iudaizantes pugnantes pro lege & Moyſe; quaſi dicat: Non eſt quod nos Chriſtiani ſoliciti ſimus de honorando Moyſe, & lege; Moyſes enim, & lex ſatis honorantur, & celebrantur a Iudæis in ſynagogis ſuis. Iudæi ergo qui Moſis honorem zelant, eius ſynagogas adeant, ibi eum celebrent, nobis enim Chriſtianis ſufficit in Eccleſia Chriſtum, ad quem nos Moyſes remiſit, Deut. XVIII. 18. eiuſque legem celebrare. Præcones ergo Moſis ſint Iudæi, Chriſti vero Chriſtiani. A TEMPORIBUS ANTIQUIS: ex veteri conſuetudine. PER OMNE SABBATHUM: ſingulis ſabbathis.

V. 22. CUM OMNI ECCLESIA: quæ decretum Concilii non condidit, ſed ab Apoſtolis, & ſenioribus, id eſt Epiſcopis conditum probavit. CUM PAULO, ET BARNABA: qui in controverſia hac pars una fuerant; unde ut eis credat pars adverſa, iunguntur eis Silas, & Iudas, qui decretum Apoſtolorum perferant, & ſignificent ab eis adiudicatam eſſe cauſam Paulo, & Barnabæ. IUDAM QUI COGNOMINABATUR BARSABAS. Alius eſt hic Iudas a Ioſeph, forte eius fuit frater, uterque enim cognominatur Barſabas; Iudas hic, Ioſeph cap. I. 23. ET SILAM. S. Hieronymus epiſt. CXLIII. arbitratur Silam eundem eſſe cum Silvano, qui ponitur in inſcriptione Pauli Epiſtolarum ad Theſſalonicenſes. Silæ eſt mentio in martyrol. Rom. die 13. Iul. VIROS PRIMOS: primarios.

V. 23. SCRIBENTES PER MANUS EORUM, id eſt ſcribentes epiſtolas, quas ipſi deferrent. FRATRIBUS EX GENTIBUS: ex Gentiliſmo ad Chriſtum converſis.

V. 24. QUIDAM EX NOBIS, &c. Hi ſunt de quibus ſupra verſ. I. huius cap. dixit: *Et quidam deſcendentes de Iudæa*, &c. TURBAVERUNT VOS: timorem iniicientes quaſi in Chriſtianiſmo non ſit tuta ſalus, niſi ſimul ſuſcipiatur Iudaiſmus. EVERTENTES ANIMAS VESTRAS, id eſt deſtruentes pacem, & quietem animarum veſtrarum. QUIBUS NON MANDAVIMUS: qui ſuo ſenſu ducti, non autem a nobis iuſſi dogma iſtud ſparſerunt.

V. 26. TRADIDERUNT ANIMAS SUAS: ſeipſos impendentes, & periculo vitam ſuam pro Evangelio exponentes.

V. 28. VISUM EST SPIRITUI SANCTO, ET NOBIS: viſum eſt nobis inſpiratis, & directis a Spiritu ſancto. NIHIL ULTRA: ex lege Moſaica. HAEC NECESSARIA: hoc tempore: vide dicta verſ. 20.

V. 29. BENE AGETIS, id eſt recte, & Chriſtiane facietis. Vel, feliciter vivetis.

V. 31. SUPER CONSOLATIONE: quam eis dederunt Apoſtoli, amoventes ab eis onus, & iugum grave legis Moſaicæ.

V. 32. CUM ESSENT PROPHETAE: tum propriæ dicti, tum metaphorice, ſcilicet Doctores, prædicatores, & exhortatores. Nomen enim prophetæ in ſacris litteris aliquando ſumitur pro iis, qui de ſacris litteris, & fidei myſteriis appoſite diſſerunt, & docendi munus exercent.

V. 33. FACTO IBI ALIQUANTO TEMPORE: aliquandiu ibi commorati. DIMISSI SUNT: Iudas, & Silas.

V. 38. ROGABAT EUM. ἠξίου, id eſt *æquum & dignum cenſebat*. UT QUI DIS-

CES-

CESSISSET : ut dictum eſt ſupra cap. XIII. 13. in Græco eſt , τὸν ἀποςάντα , id eſt *Qui deſciviſſet* , vel , *defeciſſet* . IN OPUS : converſionis gentilium .

V. 39. DISSENSIO : παροξυσμὸς , *exacerbatio* , *acris diſceptatio* . Ira utrinque bona eſſe poteſt , cum utraque pars legitima ratione ſe niti putat bona fide. Hanc diſceptationem Dominus vertit in bonum , nam Paulus & Barnabas ſeparati pluribus evangelizarunt .

V. 40. TRADITUS GRATIAE DEI : vide dicta ſuperiori cap. verſ. 25.

V. 41. PRAECEPTA APOSTOLORUM , ET SENIORUM : conſtituta in Ieroſolymitana Synodo, de quo hoc capite dictum eſt.

T I R I N I.

Verſ. 1. & 2. QUIDAM DE IUDAEA . Epiphanius , Hieron. Philaſtrius & Auguſt. *a* dicunt auctorem huius litis fuiſſe *Corinthum* , de quo ſupra *b* . NISI CIRCUMCIDAMINI , NON POTESTIS SALVARI. Sub circumciſione per ſynecdochen intelligebant totam legem Moyſis, cuius initium & profeſſio erat circumciſio . Huic ſuæ ſententiæ prætexebant hi errones , quod ſolis Iudæis ut promiſſus, ita etiam miſſus eſſet Meſſias, & per Meſſiam parta gratia , redemptio & ſalus æterna : ac proinde Gentiles non eſſe horum capaces niſi prius fierent proſelyti , & Iudaiſmo inſererentur. Sed his ſeditioſis opponunt ſe primo ſtatim initio Paulus & Barnabas ; unde ſuborta maxima contentio ; quæ ſedari non potuit, niſi miſſa utrimque legatione AD APOSTOLOS , puta Petrum , Iacobum & Ioannem , qui ut Gal. II. 9. dicitur , Ieroſolymis tunc aderant . *Petrus* enim anno 9. Claudii cum ceteris Iudæis, ut dicitur Act. XVIII. 2. Roma excedere coactus , ad tempus Ieroſolymam, quaſi ad fidelium matricem , nutu Dei recens ſeceſſerat . *Ioannes* detentus cuſtodia *c* Deiparæ Epheſum necdum conceſſerat , vel certe negotiorum cauſa Ieroſolymam recurrerat. *Iacobus* Epiſcopum Ieroſolymis agebat . Præter hos nullus affuit aliorum Apoſtolorum, ut conſtat ex dicto cap. II. epiſtolæ ad Galatas. Unde quod Clemens in Conſtitutionibus *d* ait, omnes 12. Apoſtolos inſtinctu divino Ieroſolymam tunc recurriſſe , etiam Iacobum Zebedæi , quem iam ante octennium *e* Herodiano gladio ſublatum vidimus , merito apocryphum cenſetur a Baronio, Bellarmin. & aliis paſſim , etſi Turrianus id excuſare conetur.

V. 5. SURREXERUNT AUTEM QUIDAM DE *Phariſæis f* . Si hæc verba velis eſſe S. Pauli , ſubaudiendum , *aiebat* .

V. 6. CONVENERUNTQUE APOSTOLI ET SENIORES , ſeu presbyteri *g* , VIDERE DE VERBO HOC , ſeu de hac quæſtione quid cenſendum . Intelligit autem hoc nomine *ſacerdotes* , atque inprimis *Epiſcopos* , qui proprie ſunt iudices in Conciliis. Hoc autem primum eſt Eccleſiæ Chriſtianæ *Concilium* , in quo acta eſt cauſa Chriſtianiſmi contra iudaizantes , anno 19. a paſſo Chriſto,19. a converſo Paulo , Claudii Imp. 9. ut patet ex dictis in Chronico *h* .

V. 7. SURGENS PETRUS , quaſi princeps omnium & primas Eccleſiæ , quæſtionem quaſi iudex definit ac decidit : cuius mox ſententiam Iacobus & ceteri omnes approbant ac ſequuntur , inquit S. Hieronym. *i* Theodoretus & alii Patres. AB ANTIQUIS DIEBUS , nempe iam inde a converſione Cornelii centurionis , ab annis ſedecim , DEUS IN NOBIS , ſeu inter nos Apoſtolos & diſcipulos ſuos , me primum omnium ELEGIT , UT PER OS MEUM GENTES AUDIRENT VERBUM EVANGELII *k* .

V. 8. ET QUI NOVIT CORDA ; Græce , ὁ καρδιογνώςης , id eſt cordis inſpector ; quaſi dicat : Non reſpicit Deus ad carnem , an circumciſa ſit , nec ne : ſed ad cor , an promptum paratumque ſit excipere per fidem Deum & gratiam Dei . Et quia hanc promptitudinem reperit non minus in Gentilibus incircumciſis, quam in circumciſis Iudæis , voluit tam illos quam iſtos ſibi adiungi , & in Eccleſiam ſuam admitti . Et hoc ita ſe velle *teſtatus eſt* publico teſtimonio. DANS ILLIS SPIRITUM SANCTUM viſibili ſpecie linguarum ignearum , SICUT ante NOBIS , dederat in prima Pentecoſte . Patuit hoc Act. X. in Cornelio centurione & tota illius familia .

V. 9. PURIFICANS ſi non carnem illorum circumciſione externa , certe CORDA *illorum* circumciſione interna , nempe fide , & quæ fidem conſequuntur , contritione & caritate .

V. 10. NUNC ERGO cum conſtet de mente voluntateque divina , QUID TENTATIS DEUM , clara certaque iuſſa ipſius in du-

dubium revocando, vel iis non obſequendo; dum contra nutum ipſius IMPONERE vultis Chriſti *diſcipulis* IUGUM legis antiquæ pene importabile: quod enim valde difficile eſt, ſolet moraliter impoſſibile vocari, ut alibi *l* dixi. Alioqui certum eſt, Deum non præcipere impoſſibilia: quod tyrannorum eſt: & conſtat, multos hoc iugum legis antiquæ olim portaſſe, ut de Ioſue, Davide, Ioſia, Eliſabeth & Zacharia & pluribus aliis *m* Scriptura teſtatur. R. Moyſes *n* numerat præcepta legis Moſaicæ affirmativa 218. tot quot ſunt membra in corpore humano: negativa vero 365. quot ſunt dies in anno ſolari. Unde merito S. Auguſt. *o* legem vocat ſarcinam innumerabilium obſervationum, qua dura cervix Iudæorum premenda erat, ne ad idololatriam deflecteret. Nec tamen per hanc omnem tot præceptorum obſervationem ſalvabantur patres, ſed

V. 11. PER GRATIAM IESU CHRISTI olim venturi & mundum redempturi. Sicut enim *unus* eſt *Deus*, ita *&* *unus* eſt *mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*, ait S. Paulus, S. Auguſt. *p* & alii Patres. Cum ergo eadem nobis Chriſti gratia iam adſit, quæ adfuit patribus, poſſumus non minus quam ipſi, per illam ſalvari, etſi legis ceremonias non ſervemus. Hæc Petri peroratio tam efficax fuit, tam grata omnibus, ut

V. 12. OMNIS MULTITUDO, etiam aliter ante ſentientium, prorſus *conticuerit*, conticentia ſua ſententiam Petri comprobans & amplectens: & Paulus ac Barnabas etiam miraculis illam a Deo comprobatam enarrant.

V. 13. IACOBUS Ieroſolymitanorum, inter Iudæos præcellentium Epiſcopus, quo facilius Petri ſententiam contribulibus omnibus ſuis perſuadeat, eamdem variis Scripturæ teſtimoniis ſtabilit ac confirmat. Unde certe colligi non poteſt, quod vult Abulenſis *q* & Calvinus, Iacobum Concilio huic præſediſſe. Præſidis enim eſt non tam confirmare ſententiam, quam definire, quod hic Petrum feciſſe videmus, non Iacobum.

V. 14. SIMON Petrus *r* NARRAVIT, QUOMODO DEUS PRIMUM ſub converſionem Cornelii VISITAVIT EX GENTIBUS, id eſt inſtar ſalvatoris adiit, acceſſit, complexus eſt Gentes, ut ex iis NOMINI SUO, id eſt ſibi, *deſumeret* POPULUM, peræque atque ex Iudæis: ut ſic ex utriſque inſtauretur ſpirituale *tabernaculum David*, id eſt Eccleſia Chriſti filii David, inquit S. Hieron. *s*. Quod licet vobis, o Iudæi, novum ac paradoxum videatur, tamen

V. 18. DOMINO auctori huius fabricæ NOTUM EST A SAECULO, ſeu ab æterno, quia nempe ſic prædiſpoſuit ab omni æternitate ac prædeſtinavit, ex utriſque hoc SUUM OPUS Eccleſiæ Chriſtianæ concinnare. Unde immerito compellere vultis Gentiles, ut prius in Iudaicam, quam in Chriſtianam Eccleſiam commigrent.

V. 20. ABSTINEANT primum A CONTAMINATIONIBUS SIMULACRORUM, id eſt ab idolothytis, ſeu a cibis qui idolis immolati ſunt: nam talibus veſci ſymbolum videbatur cultus idolorum *u*. Secundo, A FORNICATIONE, quam, quum ſimplex eſſet, opinabantur pleræque gentes non eſſe grave peccatum. Quem eumdem errorem Græcis etiamnum tribuit Guido Carmelita: & Durandus *x* vult, ſolo iure poſitivo eſſe prohibitam ut peccatum mortale: ſed hoc optime refellit S. Thomas *y* & alii Doctores paſſim. Tertio, A SUFFOCATIS ET SANGUINE: a quibus quia Iudæi extreme abhorrebant, ob cauſas alibi *z* allatas, quo facilius ad Gentilium converſorum familiarem uſum ac convictum pellicerentur, iubentur Gentiles ab iiſdem cibis, ſaltem ad tempus abſtinere; maxime cum etiam ante legem Moſaicam, iam inde a diluvio vetitus fuerit hominibus eſus omnis ſanguinis, ut patet ex Geneſis IX. 4. Et duravit hæc Apoſtolorum conſtitutio primis fere ſæculis, ut colligitur ex Minutio Felice, Euſebio, Novella Leonis, Concilio Gangrenſi, Aurelianenſi & Wormatienſi *aa*. Sed Auguſt. ſcribit, eam ſuo tempore non amplius in uſu fuiſſe in partibus iſtis Africanis. Iam certe a multis centenis annis ubique gentium (exceptis Græcis, qui etiamnum illam obſervant) uſu contrario abolitam conſtat.

V. 21. MOYSES ENIM & lex Moyſis non ſpectat ad Chriſtianos, ſed ad ſolos Iudæos in Iudaiſmo perſiſtentes. Prædicent ipſi illum in ſuis ſynagogis, ut hactenus: Eccleſia Chriſti, ad quam Moyſes nos remittit *bb*, aliis legibus, aliis privilegiis gaudet.

V. 22.

Digitized by Google

V. 22. Omnis Eccleſiae nomine intelliguntur etiam laici: ſed hi non dicuntur hic condidiſſe decretum, ut iactant hæretici, ſed conditum ab Apoſtolis probaſſe & evulgaſſe. Iudas Barsabas frater fuiſſe videtur illius *Ioſephi* qui Actor. 1. 13. etiam *Barſabas* cognominatur. Silam *cc* putat S. Hieron *dd* eumdem eſſe cum *Silvano* comite deinceps S. Pauli II. Corinth. 1. 19. Qui Martyrologio inſcribitur die 13. Iulii.

V. 28. Visum est Spiritui sancto, et nobis ab eodem Spiritu directis. *Spiritus ſanctus* enim in legitimis Conciliis infallibiter adeſt, ſic divina providentia ſua dirigens congregatos, ut in definiendo non errent: de quo fuſe Bellarminus *ee*. Nihil ultra, legem excludit Moſaicam, non vero decalogum, vel leges naturales. Ab his enim, ut & a nova Chriſti lege, non voluerunt, ſed nec potuerunt Apoſtoli quemquam eximere. Quædam *neceſſaria* vero dicuntur tria iſta præcepta, non quod omnia præciſe & abſolute requirerentur ad ſalutem; ſed quædam ſolum pro præſenti tempore, ut Gentilium cum Iudæis eſſet maior familiaritas, & minus diſſentanea vitæ morumque conditio, ut verſ. 20. expoſui. Sed ne ſic quidem ſublatam inter eos omnem ſimultatum materiam patet ex ſubſecuta mox Petri per Paulum reprehenſione, de qua alibi *ff*.

V. 36. Viſitemus fratres, an recte circa illos omnia. *Oculus* enim *domini paſcit equum*, *& veſtigia pingueſciunt agrum*, inquit Ariſtoteles *gg*. De neceſſaria ovium viſitatione vide multa apud Lorinum.

V. 38. Paulus Barnabæ ſanctitatem reveritus non imperat, ſed rogat eum, ne *Ioannem Marcum* nuper *hh* ab ipſis deſciſcentem admittat rurſus in ſuum conſortium. Verum cum Barnabæ minus probaretur illum reiicit.

V. 49. Facta est diſſensio; Græce, παροξυσμὸς, id eſt exacerbatio, ſeu bilis acrior commotio: quæ utrimque iuſta eſſe poteſt, cum utraque pars iuſtis rationibus fulcitur, ut hic contigit: Deo ſic providente, ut hac via Barnabas a *Paulo* divelleretur, atque ita pluribus Evangelium denuntiaretur, inquit S. Chryſoſt. Et *Barnabæ* quidem non meminit exinceps Lucas. Sed Eccleſiæ Mediolanenſis antiqua monumenta, & complures ſcriptores, teſte Baronio, tradunt, e Cypro in Italiam traieciſſe Barnabam, in Liguria prædicaſſe; Eccleſiam Mediolanenſem erexiſſe, & fidem Chriſti longe lateque propagaſſe: tandemque reverſum in Cyprum, glorioſo iſtic martyrio preſunctum 11. Iunii, teſtatur martyrol. Romanum.

V. 40. Paulus cum Sila traditus gratiae Dei *ii*, id eſt commendatus ductui Spiritus ſancti, perambulabat Syriam, ubique praecipiens fidelibus custodire praecepta non ſolius Dei, ut volunt noſtri hæretici, ſed & Apoſtolorum et seniorum Eccleſiæ. Quæ verba etſi hic deſint in Græco & Syro; non deſunt taman cap. ſequ. verſ. 4. ubi etiam in Latino repetuntur.

(a) Auguſt. in Catalog. hæreſ.
(b) Actor. xi. 11.
(c) Actor. xvii. 34. &c. xvi. 9.
(d) Lib. VI. Conſtit. cap. xii. & xiv.
(e) Chron. cap ult. in anno Claudii.
(f) Matt. iii. 7.
(g) Hic verſ. 2.
(h) Chronico cap. ult.
(i) Hieron. ep. lxxxix. quæ eſt 99. inter. epiſtolas S. Auguſt. cap. iii.
(k) Actor. x. 13. & ſeqq.
(l) Matt. xix. 24. Hebr. vi. 4. & x. 26.
(m) Ioſue xi. 15. Actor. xiii. 22. IV. Reg. xxiii. 25. Luc. 1. 6. Aza III. Reg. xv. 11. & Ezechia, IV. Reg. xviii. 6.
(n) Moyſes Lib III. Doctoris dubior. cap. vi.
(o) Aug. Ser. IX. de Verbis Domini.
(p) I. Timoth. 2. 1. Auguſt. Lib. III. cont. 2. epiſt. Pelag. cap. 21.
(q) Abulenſ. in Matt. xvii. quæſt. xiiv. ad 1.
(r) Matt. x. 2.
(ſ) Actor. x. 13. & Luc. 9. 62.
(t) Hieron. in Amos ix. 11.
(u) I. Cor. viii. 2.
(x) Durand. in 4. diſt. xxxiii. quæſt. 1.
(y) S. Thom. ii. ii. quæſt. cliv. a 2.
(z) Gen. ix. 4. & Levit. xvii. 11.
(aa) Minut. Felix in Octavio Euſeb. Lib. V. cap. 1. in Blandina Leo Imp. in Novella Conſt. 58. Concilium Gangrenſe cap. 11. Aurelian. II. cap. xx. VVormat. cap. lxv.
(bb) Deut. xviii. 18.
(cc) Hieron. epiſt. cxiiii.
(dd) Hic verſ. 40. & xvi. 19. & xvii. 4.
(ee) Bellarm. de Conciliis.
(ff) Galat. ii. 11.
(gg) Ariſtot. I. Oeconom. cap. vi.
(hh) Actor. xiii. 13.
(ii) Cap. xiv. 25.

GORDONI.

Verſ. 1. Volunt aliqui Cerinthum diſcordiæ huius auctorem fuiſſe. Contendebat pars altera non eſſe ſalutem, niſi ſervetur circumciſio, hoc eſt, lex Moſaica. Contra Paulus & Barnabas docebant cir-

Digitized by Google

circumciſionem non eſſe neceſſariam . AD APOSTOLOS, ſcilicet Petrum, Iacobum & Ioannem, Gal. II. 9. Reliqui Apoſtoli erant per provincias diſperſi ab anno Chriſti 44. hic vero annus Concilii eſt annus Chriſti 51. quo anno pulſis Roma Iudæis a Claudio, Petrus venit Ieroſolymam: vide quæ in Chron. ad hunc annum notata, totum hoc caput abunde explicant. *Presbyteri* & ſacerdotes interſunt Conciliis, ut doctores & conſiliarii; at vero ius ſuffragii Epiſcoporum eſt. De hoc ſuo loco Theologi.

V. 5. & 6. SURREXERUNT. Hæreſis hoc loco pro ſecta accipitur, nec in malam partem. Erant enim hi ad fidem converſi. VIDERE DE VERBO HOC, decernere. Petrus ut caput Concilii primus dicit de re propoſita; eamque definit, & ſic eius ſequuntur reliqui ſententiam cum Iacobo.

V. 7. Hoc primum eſt Eccleſiæ Concilium contra Iudaiſmum pro Chriſtianiſmo, habitum anno Chriſti 51. a converſione Pauli 14. ex Epiſt. ad Gal. cap. II. verſ. 1. Claudii 9. Petrum fuiſſe huius decreti principem advertunt Hieronymus Epiſt. LXXXIX. & Theodoretus Epiſt. ad Leonem Papam. AB ANTIQUIS DIEBUS. Petrus hic intelligit primos annos naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ, quando anno Chriſti 41. Petrus convertit Cornelium; ubi Deus per os eius oſtendit non eſſe reiiciendos ab Eccleſia gentiles: ab illo initio Eccleſiæ uſque ad hoc Concilium fluxit decennium: niſi quis velit intelligere ab æterno interpoſitum de hac converſione decretum cum Proſpero Lib. II. de vocat. gent. cap. XVIII.

V. 10. QUID TENTATIS. Deus, inquit, iam voluntatem ſuam claram fecit de gratia danda gentibus, & de fine iugi Moſaici: hoc autem revocare amplius in dubium eſſet tentare Deum an ſit fidelis. NEQUE NOS PORTARE POTUIMUS. Servaverunt quidem legem aliqui (Luc. I. 6. de Zacharia & uxore) quamvis gravem & difficilem; non enim impoſſibilia præcipit Deus.

V. 11. & 12. SED PER GRATIAM; ac ſi diceret: Nec facilis erit Chriſtianis obſervatio legis Moſaicæ, nec neceſſaria: habemus enim gratiam Chriſti per quam abunde ſalvari poſſumus, ſicut patres antiqui per hanc gratiam ſalvati ſunt. TACUIT. Cum peroraſſet Petrus, ſilentio probavit multitudo ſententiam plane acquieſcens. Acceſſerunt ad idem Paulus & Barnabas, narrantes quæ etiam per ipſos Deus feciſſet in converſione gentium, non adhibita circumciſione.

V. 13. & 14. Iacobus ſecundus a Petro, & urbis Epiſcopus ſententiam dixit, Petri ſententiam ſecutus, & ſuggeſſit (quod receptum fuit) de ſuffocato, &c. VISITAVIT, inquit Iacobus, (eſt metatheſis hic & Hebraica vocum tranſpoſitio) Deus in gentibus, ſeu gentes, ut inde ſumeret ſibi populum electum. Inteligit autem viſitaſſe (ubi dixit Petrus) a primis & antiquis diebus, hoc eſt initio naſcentis huius Eccleſiæ Chriſtianæ; ſane per Petrum & Apoſtolos, ut (inquit) prædictum erat per Prophetas. Citat vero locum Amos IX. II. & 12 quem vide ibidem explicatum. Inde concludit Iacobus verſ. 19. Non eſſe moleſtiam legis imponendam gentibus. Illud obſervo (verſ. 16.) QUOD DECIDIT. Si per tabernaculum intelligas apud Amos Eccleſiam; certe ea numquam decidit: ſolum ab hoc tabernaculo exciderunt increduli Iudæi, & ſucceſſerunt gentes: atque hoc novum eſt opus & tabernaculum, de quo ante ſæcula præordinavit Deus.

V. 20. SED SCRIBERE. Hoc eſt quod ſuggerit Iacobus; expedire ad faciliorem unionem & nexum utriuſque Eccleſiæ, ut abſtineant ex gentibus converſi, a ſanguine, ſuffocato & immolatis ſimulacrorum. Antiquiſſimus mos fuit Iudæorum abominari ſanguinem & ſuffocatum. Abſtinentia porro ab immolatis tollebat gentibus occaſionem redeundi ad idololatriam. Fuerunt vero hæc prohibita pro eo tempore, poſt paucos annos non fuit neceſſaria prohibitio.

V. 22. &c. Eccleſia cuius hic meminit Lucas, non *condidit* decretum, ſed miſit, & *publicavit*. Immo & Epiſtola nomine Apoſtolorum ſcripta eſt; ipſique in ea loquuntur, non Eccleſia. Paulo & Barnabæ, qui ſteterunt pro gentibus in hac quæſtione contra Iudæos, adiuncti ſunt Silas & Iudas, qui plenius teſtarentur cauſam adiudicatam eſſe Paulo & Barnabæ, ut erant hi duo viri primi, hoc eſt primarii.

V. 28. & 32. VISUM EST SPIRITUI. Viſum eſt nobis inſpiratis & inſtructis a Spi-

Spiritu ſancto . *Propter hæc neceſſaria* , hoc tempore . PROPHETAE vox utroque modo accipi poteſt , tum pro doctore & interprete Scripturarum , tum pro vero Propheta .

V. 39. & 40. Has diſcrepantes Pauli & Barnabæ ſententias permiſit Deus ut ex eorum ſeparatione eliceret magnum bonum , quod ſatis enituit in provinciis ad quas degreſſi ſunt . TRADITUS GRATIAE DEI , ut ſupra nu. 25.

C A P U T XVI.

Paulus Lyſtris aſſumptum Timotheum circumcidit , & per varias civitates tradit ſervanda Apoſtolorum dogmata: vetantur a Spiritu ſancto prædicare in Aſia & Bithynia : vocato autem per viſionem Paulo in Macedoniam , proficiſcuntur : primumque Philippis prædicantes , hoſpitio excipiuntur apud Lydiam : ſed ejecto per Paulum ſpiritu pythone , virgis cæſi mittuntur in carcerem: ubi facto terræmotu , ſolutiſque eorum vinculis , cuſtos carceris convertitur : poſteroque die magiſtratus orant ut civitatem egrediantur .

1. * PErvenit autem Derben , & Lyſtram. Et ecce diſcipulus quidam erat ibi nomine Timothæus , filius mulieris Iudææ fidelis , patre Gentili . 2. Huic teſtimonium bonum reddebant , qui in Lyſtris erant & Iconio fratres . 3. Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci : & aſſumens circumcidit eum , propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat Gentilis . 4. Cum autem pertranſirent civitates tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis . 5. Et Eccleſiæ quidem confirmabantur fide], & abundabant numero quotidie . 6. Tranſeuntes autem Phrygiam , & Galatiæ regionem, vetati ſunt a Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia . 7. Cum veniſſent autem in Myſiam , tentabant ire in Bithyniam : & non permiſit eos Spiritus Ieſu. 8. Cum autem pertranſiſſent Myſiam , deſcenderunt Troadem: 9. & viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt : Vir Macedo quidam erat ſtans , & deprecans eum , & dicens : Tranſiens in Macedoniam , adiuva nos. 10. Ut autem viſum vidit, ſtatim quæſivimus proficiſci in Macedoniam , certi facti quod vocaſſet nos Deus evangelizare eis . 11. Navigantes autem a Troade , recto curſu venimus Samothraciam , & ſequenti die Neapolim; 12. & inde Philippos , quæ eſt prima partis Macedoniæ civitas , colonia . † Eramus autem in hac Urbe diebus aliquot , conferentes . 13. Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus foras portam iuxta flumen , ubi videbatur oratio eſſe: & ſedentes loquebamur mulieribus , quæ convenerant . 14. Et quædam mulier nomine Lydia , purpuraria civitatis Thyatirenorum , colens Deum, audivit : cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo. 15. Cum autem baptizata eſſet, & domus eius, deprecata eſt dicens: Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos . 16. Factum eſt autem euntibus nobis ad orationem , puellam quamdam habentem ſpiritum pythonem obviare nobis, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis divinando . 17. Hæc ſubſecuta Paulum , & nos , clamabat dicens: Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalu-

ſalutis. 18. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & converſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea. Et exiit eadem hora. 19. Videntes autem domini eius quia exivit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes: 20. & offerentes eos magiſtratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem noſtram, cum ſint Iudæi: 21. & annuntiant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere, cum ſimus Romani. 22. Et cucurrit plebs adverſus eos: * & magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum, (*a*) iuſſerunt eos virgis cædi. 23. Et cum multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem, præcipientes cuſtodi ut diligenter cuſtodiret eos. 24. Qui cum tale præceptum accepiſſet, miſit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum ſtrinxit ligno. 25. Media autem nocte, Paulus & Silas orantes, laudabant Deum: & audiebant eos, qui in cuſtodia erant. 26. Subito vero terræmotus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia: & univerſorum vincula ſoluta ſunt. 27. Expergefactus autem cuſtos carceris, & videns ianuas apertas carceris, evaginato gladio volebat ſe interficere, æſtimans fugiſſe vinctos. 28. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: univerſi hic enim ſumus. 29. Petitoque lumine, introgreſſus eſt: & tremefactus * procidit Paulo & Silæ ad pedes: 30. & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut ſalvus fiam? 31. At illi dixerunt: Crede in Dominum Ieſum: & ſalvus eris tu, & domus tua. 32. Et locuti ſunt ei verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo eius. 33. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plaga eorum: & baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuo. 34. Cumque perduxiſſet eos in domum ſuam, appoſuit eis menſam, & lætatus eſt cum omni domo ſua credens Deo. 35. Et cum dies factus eſſet, miſerunt magiſtratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos. 36. Nuntiavit autem cuſtos carceris verba hæc Paulo: Quia miſerunt magiſtratus ut dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite in pace. 37. Paulus autem dixit eis: Cæſos nos publice, indemnatos, homines Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occulte nos eiiciunt? Non ita: ſed veniant, 38. & ipſi nos eiiciant. Nuntiaverunt autem magiſtratibus lictores verba hæc. Timueruntque audito quod Romani eſſent 39. & venientes deprecati ſunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de Urbe. 40 Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & viſis fratribus conſolati ſunt eos, & profecti ſunt.

(*a*) II. Cor. xi. 25. I. Theſſ. ii. 2. Phil. i. 13.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 1. *Pervenit autem Derben.* Non interiicias præpoſitionem *in*.

Ibidem *Filius mulieris Iudææ fidelis*. Obſervatu digna correctio, qua pro nomine appellativo *viduæ*, repoſitum eſt nomen proprium, *Iudææ*.

Verſ. 22. *Et magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum.* Non eſt præponenda coniunctio & participio *ſciſſis*, nec *eorum* mutandum cum *ſuis*.

Verſ. 29. *Procidit Paulo & Silæ ad pedes.* Legendum eſt præteritum *procidit*, a cado, non præſens *procedit*, a cedo.

Lectionum Varietas.

Verſ. 12. E*Ramus autem, in hac urbe diebus aliquot conferentes.* Alii boni Libri legunt *conſiſtentes*.

NO-

NOTATIO.

Verſ. 22. ET *cucurrit plebis adverſus eos , & magiſtratus , ſciſſis tunicis eorum* (& o) *iuſſerunt eos* (1 MS. G.) *virgis cædi* . Meliores libri tum noſtri, tum Epanorthotæ pro *cucurrit*, *concurrit* habent : id quod Græcæ voci *συνεπέϛη*, quæ eſt *ſimul inſurrexit* propius reſponder. Multi ſed ii minus boni libri coniunctionem & præmittunt participio *ſciſſis* : *Et ſciſſis tunicis eorum* &c. ita ut & *magiſtratus* ad id quod præcedit referatur, quod idcirco a ſciolis factum eſt, quia vocem *magiſtratus* pluralis numeri eſſe ignorarunt. Græce ſine ambiguitate eſt, *οἱ ϛρατηγοὶ*. Tertia hoc loco varietas eſt, quod quidam codices *ſuis* pro *eorum* ſcribant. Ex ſcriptis noſtri unus, Plantini angnſtus, ex impreſſis ſimiliter unus, Quentelianus. Græca, & Syra ad utrumque ambigua ſunt, utroque modo verti poſſunt, utrumque poteſt intelligi, & quod magiſtratus lacerarint tunicas Apoſtolorum, & quod ſuas ipſorum. Ceterum cum Latini libri plerique omnes, Latinis ennaratoribus adſtipulantibus *eorum* legant ; quin id Interpres dederit, dubitari vix poteſt.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. GENTILI. Græc. *Græco*.

Verſ. 4. DOGMATA, id eſt *decreta*, ut ſtatim dicitur. SENIORIBUS, ſcilicet presbyteris.

V. 6. ASIA, ſcilicet minori. Volebat Deus eos ire in Macedoniam.

V. 7. ET NON; pro, ſed non.

V. 8. TROADEM : quæ & *Antigonia*, civitas maritima. Putant vero quidam hic ſe Lucam primo adiunxiſſe Paulo peregrinationis comitem.

V. 12. CIVITAS, COLONIA, id eſt ab aliunde eo abductis habitata. Romanorum eſſe, infra indicatur.

V. 13. SABBATORUM ; pro, ſabbari. VIDEBATUR. Syr. *conſpiciebatur*. ORATIO. Syr. *domus orationis*.

V. 14. PURPURARIA, id eſt purpuræ venditrix. CIVITATIS, id eſt oriunda e civitate.

V. 16. PUELLAM, ſcilicet ancillam. Græc. *παιδίσκην*. PYTHONEM. Græc. *Pythonis*, id eſt Apollinis, ſic dicti vel a Pythone dracone interfecto, vel *ἀπό τοῦ πυνθάνεσθαι*, id eſt *conſulere*, ſeu *interrogare*; ſcilicet quod conſultus reſponſa daret. Syr. *divinationis*.

V. 19. EXIVIT, id eſt periit.

V. 25. CUSTODIA, id eſt carcere.

V. 34. LAETATUS EST, Græc. *ἠγαλλιάσατο*, *exultavit*.

V. 37. INDEMNATOS, id eſt non iudicatos, & per ſententiam condemnatos. Syr. *innocentes*. EIICIANT, id eſt educant.

V. 40. LYDIAM, id eſt domum Lydiæ, de qua ſupra.

ESTII.

Verſ. 1. TIMOTHEUS FILIUS MULIERIS VIDUAE FIDELIS, PATRE GENTILI. Græc. *Mulieris cuiuſdam Iudeæ*, pro *mulieris viduæ*. Sic & Latini quidam codices. MSS. *fidelis* genitivus eſt femininus *πιϛῆς*, ne quis ſuſpicetur ad Timotheum referendum eſſe. Mulier hæc Eunice vocabatur II. Tim. 1. *Patre gentili*, *πατρὸς δὲ ἕλληνος*, *Patre autem Græco*.

V. 3. HUNC VOLUIT PAULUS SECUM PROFICISCI : ET ASSUMENS, CIRCUMCIDIT EUM PROPTER IUDAEOS, QUI ERANT IN ILLIS LOCIS. Quomodo Paulus Timotheum circumcidit, qui ad Galatas ſcribens ait : *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*, &c. cap. II. *Sed neque Titus qui mecum erat ; compulſus eſt circumcidi propter ſubintroductos ſalſos fratres*. Et cum cap. præcedenti præſente Paulo conſtitutum eſſet in Concilio Apoſtolorum iugum legis, ac nominatim circumciſionis, non eſſe imponendum gentibus ? Reſp. Timotheus Iudæus erat ſaltem ex parte matris, idque notum erat Iudæis. Cum igitur Apoſtolus per eas civitates erat profecturus, in quibus multi erant Iudæi, partim converſi, partim convertendi; ne propter Timotheum non circumciſum, quem Iudæum noverant, reſilirent a prædicatione Pauli, iuſſit eum circumcidi. Titus autem gentilis erat, ideoque minime circumcidendus, ne videretur iugum legis genti-

bus imponi. Illud autem; *Si circumcidamini*, &c. gentilibus dictum eſt, qui non habebint cauſam ſuſcipiendæ circumciſionis, niſi ut inde ſalutem expectarent Atque hoc erat Chriſtum evacuare. Iudæi autem bene inſtituti, ut Paulus, & Timothæus, legem ſervabant non ut neceſſariam, ſed ne infirmiores offenderentur, & ut ſynagoga, cuius inſtitutio erat a Deo, cum honeſtate velut ad ſepulcrum duceretur. Hoc ergo facto declaravit Apoſtolus ſe impleſſe illud II. Cor. IX. *Factus ſum Iudæis tamquam Iudæus, ut Iudæos lucrifacerem*. Vide ibid. noſt. comment. SCIEBANT ENIM OMNES, QUOD PATER EIUS ERAT GENTILIS. Et ideo poſitus erat in oculis eorum, num eſſet circumciſus, & num Paulus Iudæum non circumciſum haberet in comitatu, nec ad circumciſionem urgeret. Nam ſi utroque parente Iudæus fuiſſet Timothæus, non fuiſſet dubitatum, quin circumciſus fuiſſet octavo die ſecundum legem. Sed pater gentilis id facile poterat impedire, ſicut & in Timothæo factum eſt.

V. 4. CUM AUTEM PERTRANSIRENT CIVITATES, TRADEBANT EIS CUSTODIRE DOGMATA, QUAE ERANT DECRETA AB APOSTOLIS ET SENIORIBUS QUI ERANT IEROSOLYMIS. Dogma, non proprie doctrinam ſignificat, ſed decretum, placitum, edictum. Unde & ibi: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto*. Et Act. XVII. *Hi contra decreta Cæſaris faciunt*: δόγμα, & pro *Senioribus*, Græce eſt, Presbyteris. Convincit ergo hæc ſententia, non modo Apoſtolos, ſed & presbyteros, atque eorum ſucceſſores habere poteſtatem præſcribendi leges, canones, & decreta, ſive ad fidem, ſive ad mores ſpectent. Nam ad utrumque genus pertinebat decretum Apoſtolicum, videlicet, gentibus non eſſe imponendum iugum legis, quod ad fidei doctrinam pertinebant; abſtinendum tamen a ſanguine, & ſuffocato; quod ad mores Quod ſi autem præfecti Eccleſiæ poteſtatem habent præcipiendi pro loco, & tempore; conſequens eſt, ſubditos debere eorum præceptis & decretis obedire. Nam hæc duo ſibi reſpondent, præcipere, & obedire; & fruſtra, immo ridicula eſſet poteſtas præcipiendi, cui nemo obedire teneretur.

V. 6. & 7. VETATI SUNT A SPIRITU SANCTO, LOQUI VERBUM IN ASIA. Et mox; TENTABANT IRE IN BYTHINIAM ET NON PERMISIT EOS SPIRITUS IESU. Ex hoc loco S. Auguſt. & S. Proſper docent occulto Dei iudicio fieri, ut ad quoſdam; qui, vel quorum aliqui credituri fuiſſent, non perveniat prædicatio Evangelii; ſicut & de Tyriis, & Sidoniis teſtatur Dominus in Evangelio. Unde eorum non eſt recipienda ſententia, qui dicunt propterea Apoſtolos prohibitos fuiſſe illis in partibus prædicare verbum Dei, quia non erant credituri; quod ſentit Origines homil. VI. in Levit. *Quia*, inquit, *tales erant auditores, in quibus & ſemen periret, & non poſſet haberi ſucceſſio*. Cuius falſitas ex eo ſatis evargui videtur, quia aliquanto tempore interpoſito prædicaverunt Apoſtoli in Aſia, & Bythinia, & non minus quam alibi multos ad fidem converterunt. Sicut ergo Deus in præteritis generationibus permiſerat gentes ingredi vias ſuas; ad quas ſi prædicatores veræ fidei & pœnitentiæ miſiſſet, quis dicat nullos fuiſſe converſos, cum ad unius Ionæ prædicationem tota Ninive, civitas vitiis corruptiſſima, fuerit ad pœnitentiam converſa? Ita voluit adhuc ad tempus has regiones permittere in gredivias ſuas; ſicut & uſque ad noſtra ſæcula multas remotiſſimas a Chriſtiano orbe gentes permiſit in ſuis erroribus, quas nunc demum per ſuam miſericordiam ad fidem vocavit, credituras prius, (ſaltem quoad aliquos homines, ut de Dei miſericordia confidendum eſt) ſi prius vocatæ fuiſſent. Quidam reſpondent vocatos fuiſſe, quia Deus volebat ut alibi prædicarent. At hoc non eſt prohibiti a Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia. Hac enim ratione prohibiti fuiſſent loqui verbum in toto mundo, præterquam in eo loco ad quem tunc mittebantur; quia prædicantes ibi, non ſimul poterant alibi prædicare. Nec dicendus eſt prohibere ab aliquo opere, qui iubetur aliud facere; ſed tantum hoc iubetur, unde ſequitur quod alia ſimul eodem tempore non poſſit: vel ſi pater iubeat filium ire in agrum, non prohibet ire in templum, ſed tantum ſequitur cum iſtud facere tunc non poſſe, quia facere iubetur aliud, cum quo iſtud non conſiſtit. Nec talis de acceſſu templi recte diceret, pater prohibuit. Adde quod Paulus & Silas nondum iuſſi erant divinitus

ad

ad aliam quampiam regionem accedere prædicandi evangelii cauſa, quando vetiti dicuntur a Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia & Bythinia, ſed poſtea per viſionem moniti ſunt tranſire in Macedoniam. Porro S. Hieron. Lib. II. dial. contra Pelag. cap. VI. *Quo maledicto*, inquit, *in ipſa provincia puto uſque hodie hæreticos, qui contra Spiritum ſanctum faciunt, plurimos reperiri*.

V: 12. ET INDE PHILIPPOS, QUAE EST PRIMAE PARTIS MACEDONIAE CIVITAS, COLONIA. Alii Philippos in Thracia collocant. Vide Onomaſticon in Philippis. Nota hic etiam in Græco poni latinum verbum, κολώνια

V. 13. EGRESSI SUMUS FORAS PORTAM IUXTA FLUMEN, UBI VIDEBATUR ORATIO ESSE. Et infra; *factum eſt euntibus nobis ad orationem*. Non quamcumque orationem intelligit, ſed etiam, quæ coniuncta erat cum celebratione myſteriorum. Vide comment. I. Cor. VII. Sic Act. VI. *Nos autem orationi, & miniſterio urbi inſtantes erimus*.

V. 17. ISTI HOMINES SERVI DEI EXCELSI SUNT, QUI ANNUNTIANT VOBIS VIAM SALUTIS. Non tantum verum dixit, ſed & verum ſenſit eſſe quod dixit. Nam ipſa experientia didicerat Chriſti religionem veram eſſe; quippe per quam homines eripiuntur ex ipſius poteſtate, & ad æternam ſalutem, a qua nititur eos avertere, perveniunt Tale eſt illud, cap. XIX. *Ieſum novi, & Paulum ſcio*. Vide eius loci annot.

V. 18. DOLENS AUTEM PAULUS, CONVERSUS SPIRITUI DIXIT: PRAECIPIO TIBI, &c. Hic Apoſtolus dolet, & non ſinit Dæmonem prædicare Chriſtum; qui alibi patitur quoſdam ex contentione & invidia Chriſtum annuntiare; Philip. I. & de eo ſe quoque gaudere teſtatur: *Et in hoc*, inquit, *gaudeo, ſed & gaudebo*. Ratio diverſitatis eſt, quia diabolus eſt capitalis, implacabilis, & irreconciliabilis humani generis hoſtis, ac divinæ gloriæ æmulus: cum quo proinde omnis ſocietas, etiam in rebus in ſpeciem optimis nobis eſt prohibita. Homines autem etſi multa faciunt prava intentione; quia tamen & bona intentione ea facere poſſunt, & quia converti poſſunt, & quia in Eccleſiaſtico miniſterio ſæpe mali tolerantur; non ſemper fugiendi ſunt dum bona dicunt; præſertim cum nobis eorum prava intentio non ſit comperta; ſicut compertiſſimum, certiſſimumque eſt, Diabolum ſemper vigilare in perniciem noſtram. Vide annot. Luc. IV. Item hic obſerva, quod Sancti habent poteſtatem cum imperio Dæmones ſubiiciendi, iuxta Domini promiſſionem Luc. IX. & X. Unde etiam ſeptuaginta reverſi dicebant: *Domine; etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo*.

V. 22. IUSSERUNT EOS VIRGIS CAEDI. Cur Paulus non eſt conteſtatus ſe eſſe civem Romanum, priuſquam cæderetur; ſicut poſtea fecit Ieroſolymis? An quia putavit magis ad gloriam Dei pertinere, ſi pateretur ſe cædi? & quia ea occaſione exiſtimabat ſe plures poſſe convertere ad fidem Chriſti? Unde mox carceris cuſtos cum tota domo ſua converſus eſt.

V. 33. & 34. ET BAPTIZATUS EST IPSE, ET OMNIS DOMUS EIUS CONTINUO. Hinc Catholici quidam probabile argumentum faciunt pro baptiſmo infantium; quod veriſimile ſit in ea domo fuiſſe etiam infantes. Quibus obiici poteſt, quod paulo poſt ſequitur: ET LAETATUS EST CUM OMNI DOMO SUA, CREDENS DEO. Ex quo tamen non recte colligas, etiam infantes lætatos fuiſſe, & credidiſſe. Sed ad hoc poteſt reſponderi, utrobique univerſalitatem accommodate exponendam, ut illic ſignificetur omnes fuiſſe baptizatos, quicumque baptiſmi, id eſt ceremoniæ ſacræ & ablutionis erant capaces; quo in numero ſunt etiam infantes: hic vero lætatos fuiſſe & credidiſſe, quicumque lætandi, & credendi capaces erant, id eſt ſolos adultos iam uſum mentis habentes. Item, poteſt obiici illud Ioan. IV. *Credidit & ipſe, & domus eius tota*. Sed eadem eſt reſponſio, crediderunt enim quotquot actualis fidei capaces erant, & poteſt res a ſimili declarari; ut ſi dicam: Omnes huius familiæ ægrotant, etiam parvulos comprehendo. Sed ſi dicam; Omnes huius familiæ ſunt hæretici, aut ebrioſi; nihil ea propoſitio ad infantes.

V. 37. CAESOS NOS PUBLICE INDEMNATOS, HOMINES ROMANOS MISERUNT, &c. Atrocitatem huius iniuriæ Cicero Act. VII. in Verrem oſtendit his verbis: *Facinus eſt vincire civem Romanum; ſcelus verberari*. Prius ſolum cum feciſſet in Paulum Tribunus Act. XXII. extimuit. At Philippen-

Digitized by Google

ſes iam utrumque fecerant, quo maior eis fuit cauſa timendi. Sed quomodo Paulo conteſtante, ſe civem Romanum, tam facile crediderunt, hic magiſtratus, illic Tribunus? Reſp. Illo conteſtante debebant abſtinere donec de re conſtaret. Unde ſi quis poſt conteſtationem huiuſmodi poſtea probare non potuiſſet, ſe civem Romanum: gravius fuiſſet punitus, ob impeditum iniuſte progreſſum iuſtitiæ. Nec Paulus ſolum, ſed & Silas civis Romanus erat: & ideo forte etiam nomen Romanum gerebat quemadmodum Paulus. Nam alibi Silvanus vocatur II. Corinth. 1. & initio utriuſque ad Theſſalonicenſes.

MARIANAE.

Verſ. 1. FILIUS MULIERIS IUDAEAE. Sic lege, non *viduæ*, ut Lovan. Timotheus matre Iudæa erat, patre Gentili.

V. 12. COLONIA, ſcilicet Romanorum erat *Philippi*, quod magni æſtimabatur, propter multas prærogativas coloniis conceſſas. Ad hos Paulus ſcripſit Epiſtolam, quæ *ad Philippenſes* vocatur. DIEBUS ALIQUOT, CONFERENTES. Græc. διατρίβοντες, id eſt *conſumentes dies aliquot in ea urbe erant*. Reg. & Lovan. *conſiſtentes* habent forte mutata in eam vocem voce *conſumentes*.

V. 13. DIE AUTEM SABBATORUM, id eſt quodam ſabbato.

V. 14. PURPURARIA, id eſt quæ purpuram vendebat. AUDIVIT. Gotth. *audiebat verbum*, ſcilicet Pauli.

V. 16. SPIRITUM PYTHONEM. Græc. *ſpiritum Pythonis*: ſic Gotth. Syr. *ſpiritum divinationis*. *Python* eſt Apollo, ſic dictus a dracone, vel homine eo nomine quem occidit. Magnus artifex divinandi Leonicerus, ex Pindaro in Pythiis Ode 4. initio colligit, ſacerdotes Apollinis fuiſſe mulierculas. Plutarchus fecit mentionem de ſpiritibus, quos ἐγγαστριμύθους, id eſt *ventriloquos* aliquando vocabant, quod ventre loquerentur; aliquando *Euricleas*, aliquando *Pythones*. Heſychius in ſuo Diction. voce Ἐγγαστρίμυθος, *Hunc*, inquit, ἐγγαστρίμαντιν, *ſeu* στερνόμαντιν *vocabant, quod ventre ſeu pectore vaticinaretur*. Origenes VII. contra Celſum per pudenda concepiſſe hunc ſpiritum ait, & quidem in tripode ſedentes, uti ex Chryſoſtomo affert Lilius Gyral. de Diis Gentium Synt. vet. & alia multa de hac re præclara.

V. 17. ISTI HOMINES. Aliquando hi energumeni ſui compotes ſunt, veraque loquuntur. Aut Deus cogebat, ut dæmon ita loqueretur.

V. 22. SCISSIS TUNICIS EORUM. Alii legunt, *tunicis ſuis*: vox Græca αὐτῶν utroque modo verti poteſt.

V. 23. PRAECIPIENTES CUSTODI: δεσμοφύλακι, *cuſtodi carceris*: ſic Gotth.

V. 28. NIHIL TIBI MALI FECERIS. Sic lege, non *male feceris*, ut Lovan. & Reg. Gotth. *mali* habet.

V. 37. HOMINES ROMANOS, Iulius Paulus in Pandect. Lib. V. tit. 26. *Lege Iulia de vi publica damnatur, qui aliqua poteſtate præditus civem Romanum ante ad populum, nunc ad Imperatorem appellantem necarit, necarive iuſſerit, torſerit, verberaverit, condemnaverit, inve publica vincula duci iuſſerit*. Plura Briſſonius I. Select. ex Iure civili antiq. cap. XIII. ADVENIAT: honoris aliquando habenda ratio eſt.

MENOCHII.

Verſ. 1. FILIUS MULIERIS IUDAEAE: quæ Eunice dicebatur: eam æque ac aviam Timothei nomine Loidem laudat Apoſtolus II. Timoth. cap. 1. 5. FIDELIS: Chriſtianæ, quæ a Iudaiſmo converſa erat ad Chriſtianiſmum. PATRE GENTILI: licet enim vetita eſſent Hebræis matrimonia cum Chananæis Exod. XXIII. 32. at non cum aliis Gentilibus. Nunc ex Eccleſiæ ſtatuto vetita ſunt huiuſmodi matrimonia Chriſtianis, & ſi contrahantur ſunt irrita.

V. 2. TESTIMONIUM BONUM REDDEBANT: commendabant a probitate morum, & bona educatione in ſtudio ſacrarum litterarum.

V. 3. CIRCUMCIDIT EUM, &c. legalia enim licet eſſent mortua, nondum tamen erant mortifera, itaque citra peccatum potuit illum Paulus circumcidere. PROPTER IUDAEOS: ne quod illi negotium faceſſerent Iudæi, quod Timotheum Gentilem aſciviſſet in ſocium prædicationis.

V. 4. TRADEBANT EIS CUSTODIRE DOGMATA, &c. docebant Chriſtianos, & monebant ut ſervarent quæ nuper in Ieroſoly-

lymitano Concilio, de quo ſuperiori capite, erant ſtatuta.

V. 6. ET GALATIAE RELIGIONEM: quæ eſt pars Aſiæ minoris. VETATI SUNT A SPIRITU SANCTO, &c. quia fortaſſe imparati erant, parumque diſpoſiti ad recipiendum Evangelium; vel, quia tractus ille ſancto Joanni ſervabatur, qui diligenter Eccleſias illas excoluit, ut ſancto Lucæ ſervabatur Bithynia. S. Proſper Lib. II. de Vocat. gent. cap. III. cenſet arcanam fuiſſe hanc cauſam quæ nos latet, & non negatam, ſed dilatam Aſianis gratiam prædicationis. SPIRITUS SANCTUS: per internam inſpirationem, & illuſtrationem, ſignificans divinæ voluntatis eſſe, ut ab illis regionibus abſtineret.

V. 7. BITHYNIAM: etiam hæc eſt in Aſia minore, ſita ad Pontum, adverſa Thraciæ, proxima Troadi.

V. 8. TROADEM: Troas eſt regio illa ubi quondam fuit celebris urbs Troiæ. Dicitur etiam Phrygia.

V. 9. VISIO PER NOCTEM: ſomnium per nocturnam quietem a Deo immiſſum. VIR MACEDO. Angelus in imaginatione Pauli formavit, & pinxit virum habitu Macedonico; vel certe ipſe Angelus viri Macedonis ſpeciem, & vocem aſſumpſit. Videtur hic Angelus fuiſſe tutelaris, & præſes Macedoniæ, Paulum invitant ut Macedoniam obiret, & Evangelium in regno illo prædicaret.

V. 10. STATIM QUAESIVIMUS: ſcilicet, ego Lucas, Paulus, Silas, & Timotheus captavimus occaſionem in Macedoniam tranſeundi. CERTI FACTI: nocturno illo viſo, quod Paulus, & ſocii non dubitarunt a Deo immiſſum.

V. 11. SAMOTHRACIAM: eſt Inſula e regione Thraciæ, ita dicta a Samiis, & Thracibus vicinis, & accolis, vel etiam incolis. NEAPOLIM: urbs erat in confinio Thraciæ, & Macedoniæ contra Thaſum inſulam.

V. 12. PHILIPPOS: urbs erat ita dicta a Philippo patre Alexandri Macedonis, qui eam inſtauravit. QUAE EST PRIMA PARTIS MACEDONIAE CIVITAS: quæ eſt prima civitas partis illius Macedoniæ, quæ occurrit venientibus e Samothracia. COLONIA: Romanorum, ideoque gaudens iure Romanorum. CONFERENTES: διατρίβοντες, *commorantes*, nec tamen otioſi, ſed de rebus ad fidem ſpectantibus conferentes, huiuſmodi autem diſputationes διατριβαὶ, dicuntur a Græcis. FORAS PORTAM: extra portam. ORATIO. Græca vox, προσευχή & *orationem*, & *oratorium* ſignificat. Latini etiam dixerunt proſeuchas Græcam vocem Latinam facientes, Iuvenal. Sat. III.

> *Ede ubi conſiſtas, in qua te quæro proſeucha.*

Nec mirum pro *oratorio* dicit *orationem*, puta etiam *cœnaculum* dicimus *cœnationem*, & *ambulacrum ambulationem*.

V. 14. PURPURARIA: purpuræ venditrix, nam in Græco eſt πορφυρόπωλις. CIVITATIS THYATIRENORUM: Thyatira civitas eſt Lydiæ. COLENS DEUM: videtur fuiſſe Iudæa proſelyta. CUIUS DOMINUS ILLUMINAVIT COR, id eſt illuminavit intellectum, & movit voluntatem, ut attenderet ad ea quæ a Paulo dicebantur, & vera eſſe intelligeret.

V. 16 ADORATIONEM: ad locum orationis, ad proſeucham, ut diximus verſ. 13. SPIRITUM PYTHONEM. Syrus, *ſpiritum divinationis*, dæmonem quo obſidebatur, & qui de futuris oracula reddebat: πύθεσθαι apud Græcos *eſt interrogare & conſulere*, inde ſpiritus divinantes πύθωνες dicti

V. 18. DOLENS AUTEM PAULUS: tum puellæ miſeriam, tum dæmonis fraudem, qui divinando populos ad ſe, & ad magicas artes trahebat In Græco eſt διαπονηθεὶς, id eſt *moleſte ferens*, aut *tædio affectus*, quod ſcilicet a dæmone mendacii patre laudaretur. Sic Chriſtus Luc. IV. 41. *Dæmonia clamantia, & dicentia: quia tu es filius Dei, increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.*

V. 19. AD PRINCIPES: Magiſtratui obtulerunt Paulum puniendum.

V. 20. CUM SINT IUDAEI: odioſum erat nomen Iudæorum toto orbe, atque infame, ideoque hoc additum eſt ad conflandam eis invidiam.

V. 21. ANNUNCIANT MOREM, &c. ἔθη, id eſt *mores*, *inſtituta*, novam ſcilicet religionem, novum vivendi morem, quem nec ſuſcipere, nec ſequi poſſumus cum ſimus Romani coloni, & Romanis legibus, non Iudaicis vivere debeamus.

V. 22. SCISSIS TUNICIS EORUM: Pauli, & Silæ, idque ad contumeliam, & ut eos nudarent ad flagellationem. Aliqui legentes in Græco αὐτῶν cum ſpiritu aſpero,

ver-

Digitized by Google

vertunt *ſciſſis tunicis ſuis*, quaſi magiſtratûs non Pauli, ſed ſuas tunicas ſciderint in deteſtationem novæ religionis quam prædicabat Paulus, eam enim ſuperſtitioſam, blaſphemam, & impiam credebant. Prior expoſitio ut vulgatæ conſentiens, ita verior.

V. 25. Et audiebant eos, qui in custodia erant: & alii qui in proximo carcere tenebantur, Paulum & Silam audiebant pſallentes per noctis ſilentium.

V. 26. Terraemotus factus est magnus: quo oſtendit Deus ſe orantium voces audiviſſe, & potenti ſua virtute adeſſe, ut liberaret a vinculis.

V. 27. Volebat se interficere: parabat ſe interficere, ἤμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν. Volebat enim facili morte graves cruciatus evadere, quos timebat ſibi ob male cuſtoditum carcerem.

V. 29. Procidit Paulo, et Silae ad pedes: veneratus in iis potentiam, & morum innocentiam, quod cum potuiſſent non effugiſſent.

V. 30. Ut salvus fiam: ut animæ ſalutem conſequar.

V. 32. Locuti sunt ei verbum Domini: ſumma capita Chriſtianæ fidei tradentes.

V. 33. Lavit plagas eorum: concreto ſanguine abſterſo, & medicamento aliquo adhibito.

V. 34. Credens Deo: in Deum.

V 35. Dimitte homines illos: vel intelligentes ſe pridie iniuſte in illos ſæviiſſe, vel quæ geſta erant divinitus in carcere edocti.

V. 37. Indemnatos: non auditos, nec ſceleris alicuius compertos, aut damnatos Homines Romanos: adhiberi in civem Romanum, niſi cum lata eſſet in eum mortis ſententia, vel virgæ, vel flagella non poterant lege Porcia, & Valeria. Non ita, sed veniant, et ipsi nos eiciant. Voluit Paulus magiſtratuum ipſorum confeſſione admiſſam ab ipſis iniuriam declarari, & ſuam ſociique innocentiam evulgari. Hoc fuit honorificare miniſterium ſuum, honorem quidem quærendo, ſed non propter ſe, verum propter Deum, & Evangelium cui labem nolebat aſpergi, quaſi illius præcones facinoroſi homines eſſent.

V. 38. Timuerunt, &c. ſibi conſcii quod feciſſent contra ius, ſimulque metuentes ne darent pœnas temeritatis, qua Romanis civibus violentas manus inicere fuerant auſi.

V. 38. Timuerunt, &c. ſibi conſcii quod feciſſent contra ius, ſimulque metuentes ne darent pœnas temeritatis, qua Romanis civibus violentas manus inicere fuerant auſi.

V. 39. Ut egrederentur de urbe: ne rurſus tumultus contra ipſos excitaretur.

V. 40. Ad Lydiam: in domum Lydiæ.

T I R I N I.

Verſ. 2. Mulieris huius Iudaeae, ſeu ex Iudæis oriundæ, ſed iam fidelis, id eſt ad Chriſtum converſæ, nomen erat *Eunice*, id eſt Victoria, eratque mater *Timothei*, quam æque atque aviam eius Loidem, laudat Paulus II. ad Timoth. 1. v.

V. 3. Circumcidit *a* Timotheum Paulus, propter Iudaeos, ut eos ſibi demereretur, ne quam Evangelio remoram inicerent, aut Timotheum reiicerent: neque enim ſuſtinuiſſent Iudæi verbum audire ab homine incircumciſo. Tanto concordiæ ſtudio adſcribit Chryſoſt. tantam animarum converſionem, quanta verſ. 5. & ſequentibus inſinuatur.

V. 6. Vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia: minore proprie dicta iuxta Epheſum, & *Bithynia*. Quid cauſæ? quia regiones iſtæ necdum diſpoſitæ erant ad recipiendum Evangelium, ſicut diſpoſita iam erat *Macedonia*, inquit Sedulius *b*. Ex quo etiam patet, quam ſint Deo curæ tum verba, tum itinera præconum Evangelii. Paulo tamen poſt prædicavit in Aſia Paulus per biennium: Petrus item & Ioannes *c* Apoſtolus & alii quidem vineam illam ſtrenue excoluerunt.

V. 7. Spiritus Iesu eſt Spiritus ſanctus, qui ut declaretur, non minus a Filio, quam a Patre procedere, contra quam Græci ſentiunt, idcirco hic *Spiritus Ieſu* vocatur, inquit S. Cyrillus, Auguſtinus & Concilium Epheſinum *d*.

V. 8. Troas Syro & Pomponio Melæ regio eſt Aſiæ, Ptolemæo Phrygia Minor: ſed S. Hieron. & quibuſdam aliis apud Baronium urbs eſt Aſiæ, alio nomine *Antigonia* dicta ab Antigono *e* rege: & hoc

ex

ex cap. xx. 6. colligi videtur. Porro ex eo quod mox in prima perſona loquitur Evangeliſta Lucas;

V. 10. QUAESIVIMUS PROFICISCI, nempe ego, & Paulus & Silas & Timothæus, colligitur, Lucam Troade adiunctum Paulo, a morte Chriſti anno 19. ac proinde deinceps non tam audita, quam viſa a ſe Pauli geſta referre, inquit S. Hieron. *f* Subinde tamen a Paulo ſeceſſit, ut patet ex fine huius capitis, ubi perſonam primam rurſus mutat in tertiam, idque conſtanter uſque ad cap. xx. 5. ubi primam reſumit. Crebro enim Paulus ſocios ſuos nunc huc, nunc illuc amandabat *g*. Quonam vero, vel qua de cauſa miſſus fuerit Lucas, ipſe ſubticet, quaſi ſui, ſuorumque laborum prorſus oblitus, & in unius Pauli geſta totus effuſus: ſed Paulus vice verſa Lucam celebrat, *adiutorem h* ſuum & *chariſſimum i* nuncupans, & aliis ſubinde ſociis præſerens k.

V. 11. *Samothracia* regio ſic dicta a Samiis & Thracibus unius eiuſdemque regionis illius incolis, ut Diodoro *l* placet. Huic adiacet *Neapolis* e regione inſulæ Theſi: ita Gagneius, Caietanus & Arias. Addit Oecumenius, ſuo ævo *Chriſtopolim* nuncupatam fuiſſe.

V. 12. *Philippi*, urbs a *Philippo* patre Alexandri Magni nomen ſortita, PRIMA EST CIVITAS PARTIS, ſeu regionis, MACEDONIAE, e Samothracia adventantibus. Amplam enim fuiſſe Macedoniam vel inde colligas, quod Imperator Romanorum Paulus AEmilius 72. illius urbes direptas una die venales expoſuerit, teſte Plinio *m*. Erat autem *Philipporum* civitas colonia Romanorum, ut dicitur verſ. 21. ideoque iure civium Romanorum gaudens.

V. 13. ORATIO. Græcum προσευχὴ etiam *oratorium*, ut Syrus vertit, ſignificat. Et Philo *n* paſſim ſynagogas Iudæorum vocat *proſeuchas*, de quibus fuſe Turnebus *o*.

V. 14. LYDIA PURPURARIA; Græce, πορφυρόπωλις, id eſt purpuræ venditrix, (quales eſſe ſolent ex ditioribus,) COLENS DEUM, vel ex parentum inſtitutione, vel ex familiaritate cum Iudæis, ut ſupra Cornelius *p* centurio: unde Lyranus, Hugo, & Carthuſianus cenſent fuiſſe proſelytam. CUIUS COR APERUIT DOMINUS, intellectum illuſtrando, & voluntatem movendo, ut fidem haberet dictis Pauli: fruſtra enim ferit aures orator, ſi cor non reſeret Creator.

V. 16. SPIRITUS PYTHON dæmon erat fatidicus, ut alibi *q* expoſui.

V. 17. ISTI SERVI DEI SUNT. *I*ta ſpargebat dæmon non amore ſed odio Pauli, ut importunæ laudis eius occaſione expelleretur ab obſeſſa puella, & domini puellæ privati ſuo divinationis quæſtu accenderentur in Paulum, & male illum mulctarent; quod & accidit.

V. 20. IUDAEI nomen obiectant Paulo & ſociis, quod ſcirent Romanis id eſſe maxime exoſum, non ſolum ob fidei, ſed etiam ob morum diſſimilitudinem. Quod idem odium in Chriſtianos quoque, quaſi e Iudæis oriundos, derivatum eſt a Gentilibus, ut patet ex Apologiis Tertulliani *r*, Ariſtidis, Quadrati, Athenagoræ, Iuſtini & aliorum.

V. 24. LIGNUM vocat numellam vel cippum, cui captivorum pedes ſeorſim ſinguli inſerebantur.

V. 26. TERRAEMOTUS iſte videtur non in ſolo carcere, ſed in reliqua urbe fuiſſe: nam eo territus magiſtratus (ut eſt in quibuſdam Græcis codicibus) iuſſit eos liberos dimitti, pro quibus videbat certare elementa & Deum. Terræmotu iſto, vel potius ſecreta angelorum ope, UNIVERSORUM incarceratorum VINCULA SOLUTA SUNT; nemo tamen effugit, quia territi & perculſi omnes, forte non adverterunt ſe eſſe vinculis exemptos, & oſtia reſerata.

V. 27. CUSTOS CARCERIS his territus miraculis, & pietate Pauli ac Silæ illectus, convertitur ad Chriſtum, & baptizatur illa ipſa nocte cum omni familia ſua. Oecumenius vult hunc fuiſſe Stephanum illum, cuius ſe domum baptizaſſe ſcribit alibi *ſ* Paulus, & inter primitias Achaiæ adnumerat *t*. Sed tunc dicendum, ex Achaia oriundum Philippos in Macedoniam demigraſſe, ibique a Paulo converſum rediiſſe Corinthum in Achaiam. Exprobrat mox Paulus magiſtratui, quod præcipitata ſententia flagellavit.

V. 37. INDEMNATOS, nempe indicta cauſa; Syrus, *innocentes* HOMINES ROMANOS, quos flagellare nefas, vetantibus id legibus Publicola, Porcia, Sempronia, ut Cicero, Valerius Maximus, & Sigonius docent. Unde iure merito depoſcit Paulus, ut publicam & iniuſtam ignominiam detergant publi-

bli-

Digitized by Google

blica & iuſta retractatione, atque innocentiæ conteſtatione. Et ita decet ſubinde, vitandi ſcandali cauſa, & ad ora maledicentium obturanda, viriles animos & iram aſſumere, & columbinæ ſimplicitati ſerpentinam prudentiam admiſcere.

(a) Gen. xvii. 10.
(b) Sedul. in Rom. 2.
(c) Actor. xix. 1. & x. I. Pet. 2. 2. Apoc. 2. 13. &c.
(d) Cyril. Lib. II in Ioan. Lib. III. Aug. tract. xcix. in Ioan. Conc. Epheſ. cap. de reſurrect. Chriſti.
(e) Chron. cap. xl. initio.
(f) Hieron de Viris illuſtr. in Luca.
(g) Act. xix. 22. & II. Cor. viii. 18. &c.
(h) Ad Philemon. verſ. 24.
(i) Coloſſ. iv. 14.
(k) II. Tim. iv. 11. & 16.
(l) Diodor. Lib. V. cap. xi.
(m) Plin. Lib. IV. cap. x.
(n) Philo legat. ad Caium.
(o) Turnebus Lib. I. Adverſarior. cap. xix.
(p) Act. x. 1.
(q) I. Reg. xxviii. 7.
(r) Tertull. Apolog. cap. vii.
(ſ) I. Cor. 1. 16.
(t) Ibid. cap. ult. verſ. 15.

GORDONI.

Verſ. 1. TIMOTHEUS aviam habuit Leidem: matrem Eunicen, (II. Tim. 1. 5.) patre gentili. Nunc inter Chriſtianam & gentilem vetitum eſt in Eccleſia matrimonium. De lege matrimonii Iudæorum cum gentibus dixi Nu. cap. ult. en triplicem de matrimonii legem.

V. 3. CIRCUMCIDIT. Timebat, ne offenderentur Iudæi fideles, & res novas moverent, quod hominem gentilem ſibi ſocium aſſumpſiſſet. Ceterum cum legalia adhuc non eſſent mortifera, ut loquuntur Theologi, nullum erat ex hoc capite in Paulo peccatum. Sed quid ergo eſt illud Gal. II. 3. ubi noluit Paulus circumcidere Titum. Reſpondeo, laudari etiam in hoc Pauli prudentiam: Iudæi enim quidam converſi ad Chriſtum exiſtimantes circumciſionem eſſe neceſſariam, putabant cogendos ad circumciſionem Chriſtianos: at Paulus ne videretur probare eorum ſententiam, abſtinuit tunc, nec circumcidit: hoc recte factum oſtendit ſcopus epiſtolæ ad Galatas.

V. 4. 5. 6. TRADEBANT. Notæ ſunt quæ hic recenſentur civitates ex Geographia Aſiæ, præſertim Minoris, & quas attigit in opuſculo de hac re. Non moror. Sed quæ eſt illa prohibitio, verſ. 6. ne loquantur verbum Dei in Aſia? An quia Sancto Ioanni provincia illa deſtinata erat? An quia Aſiatici illi nondum erant recte diſpoſiti ad Evangelium. Sermo eſt de Minori illa Aſia quæ eſt vicina Epheſo: tamen ibi poſtea evangelizavit Paulus per biennium, Act. cap. XIX. 1. & 10. Notæ ſatis ſunt quæ hic recenſentur urbes. Vide quæ ad annum 51. lit. D. dixi de hoc itinere Pauli ex Aſia in Macedoniam eo vocatus nocturna viſione, verſ. 9. Venit a Troade in Samothraciam, quæ inſula eſt e regione Thraciæ; inde Neapolim Macedoniæ urbem, primo obviam venientibus e Thracia. Inde ventum Philippos. Principium Macedoniæ eſt, & Romanorum colonia.

V. 13. 14. DIE AUTEM SABBATI. Philippis in Macedonia convertitur Lydia, dicta purpuraria, quod vel purpuram tingeret, vel purpuræ eſſet venditrix THYATIRENORUM. Hæc Lydiæ civitas eſt: occurrit ille extra urbem, ubi fiebat oratio: forte locus eſt, ubi erat ſynagoga: hoſpitio excipit Paulum.

V. 16. FACTUM EST. Curatur Pythoniſſa, unde perſecutio in Paulum. Hæc de futuris reddebat oracula. Et quæſtus iactura dominum puellæ concitavit in Paulum acriter. Sic divinantes dicti ſunt πύθωνες a πύθεσθαι, *conſulere*, *interrogare*. Sciſſæ tunicæ Pauli & Silæ, ut ducerentur ad verbera. Non recte aliqui legunt αὑτῶν ſpiritu aſpero, quaſi magiſtratus ſua ſciderit veſtimenta.

V. 25. MEDIA AUTEM NOCTE. Qui in vicino erant carcere, audiebant noctu Paulum & ſocium orantes: & ecce facto terræmotu, convertitur cuſtos carceris. En ſigna exauditæ orationis. Et hoc etiam mirum ſolutis vinculis neminem aufugiſſe.

V. 37. Lege Portia & Valeria cautum erat, ne civis Romanus virgis aut flagellis cæderetur, niſi poſt latam mortis ſententiam.

CA.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Facto Theſſalonicæ magno fructu per Pauli prædicationem, concitatur adverſus eum a Iudæis ſeditio, ſimiliter & BerϾ: Paulus Athenis cum Iudæis & Philoſophis diſſerit, ac Dionyſium Areopagitam ad Chriſtum convertit cum quibuſdam aliis.

1. CUm autem perambulaſſent Amphipolim, & Apolloniam,
venerunt Theſſalonicam, ubi erat ſynagoga Iudæorum.
2. Secundum conſuetudinem autem Paulus introivit ad
eos, & per ſabbata tria diſſerebat eis de Scripturis, 3.
adaperiens & inſinuans quia Chriſtum oportuit pati, &
reſurgere a mortuis: & quia hic eſt Ieſus Chriſtus, quem
ego annuntio vobis. 4. Et quidam ex eis crediderunt, &
adiuncti ſunt Paulo & Silæ, * & de colentibus Genti-
libuſque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ. 5. Zelantes
autem Iudæi, aſſumenteſque de vulgo viros quoſdam malos, & turba facta,
concitaverunt civitatem: & aſſiſtentes domui Iaſonis quærebant eos produce-
re in populum. 6. Et cum non inveniſſent eos, trahebant Iaſonem & quoſ-
dam fratres ad principes civitatis, clamantes: † Quoniam hi, qui Urbem
concitant, & huc venerunt, 7. quos ſuſcepit Iaſon, & hi omnes contra de-
creta Cæſaris faciunt, regem alium dicentes eſſe, Ieſum. 8. Concitaverunt
autem plebem, & principes civitatis audientes hæc. 9. Et accepta ſatisfactio-
ne a Iaſone, & a ceteris, dimiſerunt eos. 10. Fratres vero confeſtim per no-
ctem dimiſerunt Paulum & Silam in Berœam. Qui cum veniſſent, in Sy-
nagogam Iudæorum introierunt. 11. Hi autem erant nobiliores eorum, qui
ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie
ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent. 12. Et multi quidem credi-
derunt ex eis, & mulierum Gentilium honeſtarum, & viri non pauci. 13.
Cum autem cognoviſſent in Theſſalonica Iudæi, quia & BerϾ prædicatum
eſt a Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commoventes & turbantes multi-
tudinem. 14. Statimque tunc Paulum dimiſerunt fratres, ut iret uſque ad
mare: Silas autem & Timotheus remanſerunt ibi. 15. Qui autem deduce-
bant Paulum, perduxerunt eum uſque Athenas, & accepto mandato ab eo
ad Silam & Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum: profecti ſunt.
16. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus eius in
ipſo, videns idololatriæ deditam civitatem. 17. Diſputabat igitur in ſynago-
ga cum Iudæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies, * ad eos qui
aderant. 18. Quidam autem Epicurei, & Stoici philoſophi diſſerebant cum
eo, & quidam dicebant: * Quid vult ſeminiverbius hic, dicere? Alii vero:
Novorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe: quia Ieſum, & reſurre-
ctionem annuntiabat eis. 19. Et apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt,
dicentes: Poſſumus ſcire quæ eſt hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? 20.
nova enim quædam infers auribus noſtris: Volumus ergo ſcire quidnam
velint hæc eſſe. (21. Athenienſes autem omnes, & advenæ hoſpites, ad
nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.) 22. Stans
autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienſes * per omnia quaſi

ſuperſtitioſiores vos video. 23. Præteriens enim, & videns ſimulachra ve-
ſtra, inveni & aram, in qua ſcriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo
ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. 24. (*a*) Deus, qui fecit mun-
dum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cum ſit Dominus, (*b*)
non in manufactis templis habitat, 25. nec manibus humanis colitur indi-
gens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia:
26. fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam fa-
ciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, 27.
quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe
ſit ab unoquoque noſtrum. 28. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſu-
mus: ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſu-
mus. 29. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare, auro, aut ar-
gento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſi-
mile. 30. Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annun-
tiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, 31. eo quod ſtatuit diem,
in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præ-
bens omnibus, ſuſcitans eum a mortuis. 32. Cum audiſſent autem reſurre-
ctionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Au-
diemus te de hoc iterum. 33. Sic Paulus exivit de medio eorum. 34. Qui-
dam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagi-
ta, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.

(a) Gen. 1. 1. (b) Sup. VII. 48.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Et de colentibus gentilibuſque*. Correctores addiderunt coniunctionem encliticam voci *gentilibus*.

Verſ. 17. *Ad eos qui aderant*. Pro *aderant* ab adſum non ſcribas *audierant* ab adeo, multoque minus *audierant* ab audio.

Verſ. 18. *Quid vult ſeminiverbius hic dicere?* Vox *ſeminiverbius*, formata ad ſimilitudinem græce σπερμολόγος non eſt circumſcribenda duabus *ſemenator verborum*.

Verſ. 22. *Per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video*. Comparativus *ſuperſtitioſiores*, non eſt mutandus in poſitivum *ſuperſtitioſos*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 6. Q*uoniam hi qui urbem concitant, & huc venerunt*. Alii libri legunt *orbem*, quod eſt mundum, conſentanee Græco, & Syro, pro *urbem*, quod eſt civitatem.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. INSINUANS. Syr. *oſtendens*. CHRISTUS, id eſt Meſſias vobis promiſſus.

V. 4. COLENTIBUS, ſcilicet Deum. Syr. *Deum timentibus*. GENTILIBUS. Græc. *Græcis*.

V. 5. ZELANTES, id eſt invidentes, ſeu indignantes. FACTA. Syr. *congregata*.

V. 6. FRATRES, id eſt Chriſtianos. URBEM. Græc. Syr. & Complut. *orbem*.

V. 8. PRINCIPES: accuſativus eſt.

V. 11. NOBILIORES; pro, nobiliſſimi, ſeu præcipui. THESSALONICAE, ſcilicet Regionis.

V. 12. GENTILIUM. Græc. *Græcorum*. HONESTARUM, nobilium. VIRI, ſcilicet Gentiles.

V. 13. THESSALONICA, ſcilicet urbe.

V. 17. COLENTIBUS, ſcilicet Deum. ADERANT. Græc. *obvii fiebant*.

V. 18. SEMINIVERBIUS, id eſt verborum ſeminator; quaſi dicat, Nugator. DAEMONIOORUM, id eſt deorum.

V. 19.

V. 19. ARAEOPAOUM. Vicus ſeu Curia erat non procul a Martis templo, unde ei nomen. Ubi Iudices, qui Areopagitæ vocabantur, ius dicebant.

V. 22. QUASI, id eſt fere. SUPERSTITIOSIORES. Syr. *nimios in cultu dæmonum*.

V. 23. SIMULACHRA VESTRA. Syr. *templa deorum veſtrorum*. IGNOTO; quaſi dicat: Si quis eſt quem forte ignoramus. QUOD. Græc *quem*. Hoc. Græc. *hunc*.

V. 25. COLITUR. Syr. *ei miniſtratur*; quaſi dicat: Opera hominum non indiget, ut ſtatim dicitur.

V. 26. UNO, ſcilicet homine. Græc. & Syr. *uno ſanguine*. STATUTA, ſcilicet cuiuſque vitæ.

V. 27. QUAERERE; pro, ut quærant. ATTRECTENT, id eſt attingant, ſcilicet mente. QUAMVIS, &c. quaſi dicat: Ad quod non eſt opus longius ire. Græc. & Syr. *quandoquidem*.

V. 28. IN IPSO, id eſt eius virtute. SUMUS, ſcilicet id quod ſumus; quaſi dicat, Ab eo omnia habemus. QUIDAM, ſcilicet Aratus. GENUS, id eſt progenies; quaſi dicat, Ipſe fecit nos.

V. 29. AEstimare, id eſt arbitrari. SCULPTURAE. Appoſitio. ARTIS, &c. id eſt arteſactæ, & cogitatione.

V. 30. IGNORANTIAE. Syr. *idololatriæ*. DESPICIENS, id eſt ex alto videns: ſic ſumitur Pſal. LIII. ubi idem verbum Græcum.

V. 31. AEquitate, id eſt iuſtitia, ſcilicet iuſte. IN VIRO, id eſt per virum. IN QUO, id eſt per quem. STATUIT, id eſt decrevit, ſcilicet iudicare. FIDEM, ſcilicet de re hac; quaſi dicat, Certo reddens.

V. 34. AREOPAGITA. Syr. *Unus ex Iudicibus Areopagi*. DAMARIS. Quidan putant fuiſſe uxorem Dionyſii.

E S T I I.

Verſ. 1. VENERUNT THESSALONICAM. Græci ſuper I. Theſſ. I. ſcribunt Paulum bis veniſſe Theſſalonicam. Quod non video quomodo doceatur. Porro tacuit Lucas apud Theſſalonicenſes laboraſſe eum manibus; quod ipſe teſtatur, I. Theſſal. II. II. Theſſ. III.

V. 7. CONTRA DECRETA CAESARIS FACIUNT, REGEM ALIUM DICENTES ESSE IESUM. Decreta, græce δόγματα. Sic Iudæi hoc dicto Paulum gravare conantur, quomodo Chriſtum eo nomine accuſaverant, dicentes: *Omnis qui ſe facit regem, contradicit Cæſari*. Utrobique autem malitioſe, & contra ſuam conſcientiam; quandoquidem ipſi Meſſiam regem expectabant, & uſque hodie eorum poſteri expectant. At neque Chriſtus talem ſe regem dicebat, qualis erat Cæſar; neque talem eum Apoſtoli prædicabant, ſed ſpirituale regnum annuntiabant; de quo ipſe dixerat: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: Ioan. XVIII.

V. 11. SUSCEPERUNT VERBUM CUM OMNI AVIDITATE, QUOTIDIE SCRUTANTES SCRIPTURAS SI HAEC ITA SE HABERENT. Hunc locum obiiciunt Catholicis hæretici, volentes oſtendere omnia decreta Eccleſiaſtica ſic examinanda eſſe ad normam Scripturæ, ut non prius recipienda ſint quam cognitum fuerit ea Scripturis eſſe conformia. Quibus reſpondemus, iſtos de quibus loquitur hic Scripturas, non retractandi animo ſcrutatos eſſe Scripturas, aut quaſi de prædicatione Apoſtoli dubitarent, dicitur enim quod *ſuſceperunt verbum cum omni aviditate*: ſed ſcrutabantur ſcripturas, ut in veritate accepta magis confirmarentur. Sicut Catholici Scripturas evolvunt, non dubitantes de doctrina Eccleſiæ; ſed ut eius cum Scriptura conſenſum agnoſcant. Si quis autem dubitans hoc idem faciat; non eſt laudanda dubitatio; ſed tamen in homine dubitante non eſt improbandum ſtudium diſcendi atque inquiſitio veritatis, modo id fiat ea humilitate, qualem lectio Scripturæ ſacræ poſtulat.

V. 18 QUIDAM AUTEM EPICURAEI, ET STOICI PHILOSOPHI. Epicuræi a religione Chriſtiana longiſſime diſſidebant, ſummum bonum in voluptate corporis & ſenſuum ponentes: Stoici omnium Philoſophorum proxime ad eam accedebant, in virtutum actione ſtatuentes ſummum bonum. Et Epicuræi quidem animam perire cum corpore cenſebant: Stroici vero eam docebant immortalem eſſe. Quare etſi utrique reſurrectionem corporum averſarentur, ad eam tamen Stoicorum ſecta propius accedebat. Nec vero ulla Philoſophia ſæcularis agnovit corporum reſurrectionem; ut merito dicat S. Auguſt. quod fides reſurrectionis propria Chriſtianorum eſt. NOVORUM

Dd 2 DAE-

DAEMONIORUM; VIDETUR, ANNUNTIATOR ESSE, QUIA IESUM ET RESURRECTIONEM ANNUNTIABAT EIS. Nota, reſurrectionem Chriſti & mortuorum fuiſſe ſemper creditu difficillimam; quia valde repugnat ſenſui humano, ut corpus mortuum, in terram & pulverem converſum, ac diſperſum, aut a beſtiis laniatum & comeſtum, aut in auras, vel mare, vel profunditatem diſiectum, diſſipatumque, aliquando collectum reviviſcat. Unde iam tempore Apoſtolorum II. Timoth. II. nata eſt hæreſis dicentium reſurrectionem iam eſſe factam. Et ſedulo monet Apoſtolus Timotheum ſuum dicens eodem cap. *Memor eſto Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis, ex ſemine David ſecundum evangelium meum*. Et I. Cor. XV. *Et quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas*. Quod & totidem verbis reperitur in Symbolo Conſtant. Additur enim, *ſecundum ſcripturas*, ad confirmandum fidem noſtram in articulo ad credendum difficillimo. NOVORUM DAEMONIORUM. Per dæmonia, vel deos, vel genios videntur intelligere. Erat enim apud Ethnicos dæmonis nomen medium, ſicut Genii. Deinde hic magis in bonam partem accipi videtur: quia rationem reddens Lucas, addit: *Qui a Ieſum, & reſurrectionem annuntiabat eis*. Apoſtolus enim, Ieſum tamquam ignotum Deum annuntiare iis videbatur. Unde dicebat: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*. Suſpicabantur autem Paulum nova dæmonia annuntiare, ex eo quod Ieſum, & reſurrectionem eis annuntiabat; quia homo ex mortuo redivivus, præſertim talis qualem annuntiabat Paulus, ſcilicet non moriturus amplius, ſed immortalis, & beatus, diis immortalibus, quam hominibus ſimilior eſſe videbatur; ideoque in numero dæmonum, quorum naturam ponebant mediam inter Deos & homines; merito reponendus. Siquidem & dæmonibus Platonici ſua tribuebant corpora.

V. 21. ATHENIENSES AUTEM, &c. AD NIHIL ALIUD VOCABANT, NISI AUT DICERE, &c. Thucidydes hiſtoricus, Lib. I. belli Pelop. cap. VII. Athenienſes vocat rerum novarum ſtudioſos, idque iam ſæculis aliquot ante Apoſtolum.

V. 23. IGNOTO DEO. Vide V. Marianam in annot. ad Hieronym. in epiſtolam ad Tit. I. Quæri hic poſſet: Cur igitur non habuerint fidem implicitam, Deum verum ſibi ignotum colentes? Reſp. primum, quod verus Dei cultus non conſiſtit cum cultu idolorum. Deinde, quia unius veri Dei fides requiritur explicita ab omnibus. Tertio, quia fidei etiam implicitæ repugnat ſi quid credatur ei contrarium; quale erat ignotum hunc Deum comparare cum diis gentium, id eſt cum diis falſis atque adeo Dæmoniis. Nam niſi ſolus & unicus agnoſcatur Deus, non vere agnoſcitur. Hieronym. dicit titulum hunc fuiſſe: *Peregrinis diis Aſiæ*, &c. Sed nulla eſt repugnantia; quia in plurali continetur ſingulare; & Paulus ſingulariter dixit, quia unum prædicare voluit. Sic non pugnant Evangeliſtæ cum alius dicit titulum Crucis fuiſſe; *Ieſu Nazarenus Rex Iudæorum*; alius; *hic eſt Ieſus Rex Iudæorum*, alius; *Rex Iudæorum*, alius, *hic eſt Rex Iudæorum*, quia res eadem. Lucianus Lib. II. ſub finem, & citatur ab Auguſt. Lib. I. de Conſenſu cap. XXX.

Et dedita ſacris
Incerti Iudæa Dei.

QUOD ERGO IGNORANTES COLITIS, HOC EGO ANNUNTIO VOBIS; id eſt, quod male colitis, videlicet ſub generalitate plurium Deorum, & proinde ignorantes qui ſecundum rei veritatem ſit ille Deus; hoc ego vobis annuntio, quid & quale ſit, ut bene colatis.

V. 24. & 25. DEUS QUI FECIT MUNDUM, ET OMNIA QUAE IN EO SUNT: HIC CAELI, ET TERRAE CUM SIT DOMINUS, NON IN MANUFACTIS TEMPLIS HABITAT, NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR INDIGENS ALIQUO. Loco hoc abutuntur adverſarii Eccleſiæ contra cultum quem Deo in templis exhibent Chriſtiani. Quibus viciſſim obiicienda ſunt alia loca Scripturæ, quæ teſtantur Deum in templo habitare, ut II. Paralip. VI. dicente Salomone: *Ego ædificavi domum nomini eius, ut habitaret ibi in perpetuum*. Matth. XXIII. *Qui habitat in templo*. Et alibi. Cum autem Scripturæ ſibi mutuo non adverſentur; dicendum eſt, & fatendum, Deum certo modo habitare in templis, alio vero modo non habitare. Habitat in templis; quia ibi exaudit orationes, ibi propitius eſt, ibi vota & ſacrificia ſuſcipit, magis quam alibi; quemadmodum ſatis aperte oſtendit oratio Salomonis in Templi dedicatione. Non habitat, quomodo gentiles putabant deos ſuos in templis habitare, tanquam iis indicentes,

& ea requirentes, velut honorifica & auguſta habitacula, ſicut Rex habitat in palatio. Hoc ſenſu Deus non habitat in templis manufactis, immo nec in cælo. Unde Salomon in oratione dicit: *Si cælum, & cæli cælorum non te capiunt; quanto minus domus iſta, quam ædificavi?* Unde ad obſtruendum os adverſariis, omnino urgendum quod ſequitur; *indigens aliquo*. Habitat enim in templo Deus, habitat in cælo, habitat in unoquoque iuſto, ſed non ut indigens aliquo. Vide annot. Act. vet. ubi ſimilia ſunt verba S. Stephani. NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR, id eſt operibus manufactis. Græce *a manibus hominum colitur*; ſed videtur idem eſſe ſenſus. Ne quis hoc contra cæremonias divini cultus detorqueat, dicitur enim contra idola, de quibus Pſal. CXIII. *Opera manuum hominum*.

V. 26. FECITQUE EX UNO OMNE GENUS HOMINUM HABITARE SUPER UNIVERSAM FACIEM TERRAE. Ergo & Antipodes, & alii nuper in remotiſſimis inſulis inventi homines, ex Adam communi omnium parente prognati ſunt.

V. 27. SI FORTE ATTRECTENT EUM; id eſt ex beneficiis eius, quæ ubique in ſenſus noſtros incurrunt, & palpantur, cognoſcant eum.

V. 28. IPSIUS ENIM ET GENUS SUMUS. Non ſola creatione, ſed etiam ſimilitudine quadam naturæ; propter quam, genus, & filii Dei poſſumus appellari; quia nimirum fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, id eſt fecit eum mente, & libero arbitrio præditum. Hoc enim videtur ſpectaſſe Poeta in hoc hemiſtichio. Neque enim lapides & cetera inanimata dixiſſet eſſe genus Dei, licet ſint Dei creaturæ. Quare & S. Lucas genus Chriſti ſecundum naturam humanam deſcribens, eum eum perduxiſſet uſque ad Adam primum hominem, atque eius & omnium intermediorum filium eſſe dixiſſet; hoc poſtremum addidit, *Qui fuit Dei*, ſcilicet, filius. Vide eius loci annot. Pro priori tamen expoſitione, nempe quod genus Dei ſimus creatione facere videntur verba præcedentia: *In ipſo enim vivimus*; ſcilicet, tamquam in cauſa efficiente, movente, conſervante. Nec in iis verbis continetur quod ſimus facti ad imaginem Dei; & tamen ſubdit: *Sicut & quidam veſtrorum*, &c. quaſi non aliud intendens probare, quam quod dixerat. Si tamen magis placet expoſitio generis de ſimilitudine quadam naturæ; dici poterit illud, *Sicut &*, ſic exponendum, & ſicut, immo ſicut, ac præterea, ſicut; ut ſit addentis aliquid amplius, & maius quam dixerat; nempe hominem non quomodocumque eſſe Dei effectum, ab eo per omnia dependentem, ſed factum ad Dei ſimilitudinem. Tum id quod ſequitur: *ergo cum ſimus Dei*, hanc vim argumenti habet; Genus Dei ſumus, id eſt ad eius imaginem facti, utique ſecundum mentem, & mens noſtra incorporea eſt, ſpiritus eſt, proinde figuræ corporeæ expers; ideoque nullis coloribus, aut lineamentis a pictore, vel ſculptore, aut ſtatuario exprimi poteſt. Quanto minus igitur Dei natura, cuius illa imago eſt, exprimi poterit aut effigiari ab ullo artifice? Non infert Apoſtolus nos non debere æſtimare, aurum, argentum, lapidem, ſculptile eſſe Deum; quamvis id recte potuiſſet; quia ſermo ei erat ad Athenienſes, in quibus multi erant Philoſophi docti, ſapientes, qui non ſentiebant cum vulgo ipſas ſtatuas eſſe Deos, licet eas cum vulgo adorarent, ſed tamen credebant Deos per ſtatuas, tamquam imagines ſuas, repræſentari. Contra hos igitur concludere voluit. Ceterum Apoſtoli citatio non facit hemiſtichium illud Poetæ, eſſe Scripturam ſacram, quia non fuit a Poeta ſcriptum dictante Spiritu ſancto; probat tamen eſſe verum, & indubitabile quia Apoſtoli atteſtatio dat ei auctoritatem, ſicut Tit. I. ubi ait, *teſtimonium hoc verum eſt*. Vide noſt. comment. ibid. SICUT ET QUIDAM VESTRORUM POETARUM DIXERUNT. Enallage numeri, nam de uno loquitur Arato Poeta in cuius Phœnomenis hoc hemiſtichium legitur, quæ Cicero, Germanicus, & alii docti in latinum ſermonem tranſtulerunt teſte Hier. ſuper Tit. I.

V. 31. FIDEM PRAEBENS OMNIBUS, SUSCITANS EUM A MORTUIS. Eraſmus ex Græco; *fide præſtita omnibus, cum excitarit illum ex mortuis*. Significat Deum ſufficienter omnibus fidem feciſſe, Chriſtum eſſe virum illum, per quem iudicaturus ſit orbem; quandoquidem in eius rei fidem & argumentum, eum a morte reſuſcitarit. Non ergo hic ſignificatur omnibus hominibus adeſſe ſufficiens auxilium ad credendum.

Digitized by Google

V. 32. QUIDAM QUIDEM IRRIDEBANT: Epicuræi, ut veriſimile: nam ii nec animas a morte corporum credebant ſuperſtites manere.

V. 33. IN QUIBUS ET DIONYSIUS AREOPAGITA. Falli Bedam docet ratio temporum, dum hunc Dionyſium dicit poſtea fuiſſe Corinthiorum Epiſcopum, qui multa ad Eccleſiæ utilitatem pertinentia ſcripſcrit. Nam Dionyſius Corinthius, hoc Areopagita facile toto ſæculo fuit poſterior. Nec tamen id Beda retractat. Ceterum Dionyſium hunc prius ſecta Platonicum fuiſſe apparet ex eius ſcriptis.

MARIANAE.

Verſ. 4. DE COLENTIBUS GENTILIBUSQUE. Reg. & Lovan. *De colentibus Gentilibus*, ſine coniunctione *que*. Græc. *de colentibus Græcis*. Syr. *multique ex Græcis illis qui timebant Deum*. Ii erant religione Iudæi, patria & lingua Græci, ut ait Oecumenius. Illi ſe Paulo adiunxerunt.

V. 9. ET ACCEPTA SATISFACTIONE. Gotth. *accepto ſatis*: ſic Græc. ἱκανὸν, Syr. *acceptis fidei iuſſoribus*; ſic vocem ἱκανὸν, ſeu *ſatis* intellexit. Ea eſt ſatisfactio. Ea accepta, Iaſonem & ſocios iudices dimiſerunt.

V. 12. ET MULIERUM GENTILIUM. Græc. *Græcarum*. Forte hæ etiam erant Iudææ. Ex iis multæ crediderunt.

V. 17. CUM IUDAEIS, ET COLENTIBUS, diſputabat Paulus. *Colentes*, Iudæi etiam erant, ſed Græci.

V. 18. SEMINIVERBIUS. Syr. *collector verborum*, id eſt loquax, garrulus. Hoc ſignificat vox σπερμολόγος iuxta Heſychium & Suidam. *Seminator verborum*, uti alii quidam hoc loco legunt; quidquid in Appendice ad Gloſſarium Henricus refellat.

V. 23. SIMULACRA VESTRA. Gotth. addit, *quæ colitis*: vox σεβάσματα utrumque comprehendit, id eſt ſimulachra quæ colebantur. IGNOTO DEO. Lucianus in Philopatride iurat per *ignotum Deum*: & Athenis inveniſſe ſe ait, & adoraſſe *ignotum Deum*: Pauſanias tamen in Atticis multas aras Athenis fuiſſe ait ignotis diis. Fortaſſe ſingulæ ignoto Deo inſcriptæ erant, quas multorum deorum eſſe ipſe putavit. Cauſam ſtatuendi eam aram, ſive aras, fuiſſe tradunt eclipſim Solis, quæ accidit in morte Chriſti, quæ cum contra naturam eſſet in oppoſitione Solis & Lunæ, Athenis crediderunt vi aliqua occulti numinis id contingere, cui aram excitare placuit. De quo Gotifredus pro Operibus Dionyſii Areopagitæ, & Michael Syncellus in eius Encomio. De iis aris Diogenes Laertius in Epimenide, Hieronymus in Epiſt. ad Tit. cap. 1. multique alii, ſed & Statius XII Theb. eam aram deſcripſiſſe creditur, ubi ait: *urbe fuit media*, & quæ ſequuntur. Porro urbs Athenienſis in quinque pagos ſeu vicos tributa erat; ubi Martis templum erat, & ex eo *Areopagus*, id eſt *Martis pagus* vocabatur, in eo graviora iudicia exercebantur.

V. 28. ET QUIDAM VESTRORUM POETARUM DIXERUNT. Aratus is fuit. Licet aliquando teſtimoniis uti Ethnicorum, modo cum modeſtia fiat & ſobrietate.

V. 29. AUT LAPIDI, SCULPTURAE ARTIS ET COGITATIONIS HOMINIS. Irenæus Lib. III. cap. XII. *lapidi per artem vel concupiſcentiam hominis deformato*: ἐνθυμήσεως, noſter *cogitationis*, Irenæus *concupiſcentiæ* ſignificare putavit: beneque Irenæus ſupplevit vocem *deformato*.

V. 31. FIDEM PRAEBENS, id eſt teſtimonium ſufficiens ad fidem faciendam.

V. 32. ET DIONYSIUS. Nicephorus Lib. II. cap. XX. Dionyſium in Occidente paſſum ait, & Libros qui circumferuntur eius nomine, ſcripſiſſe affirmat, affirmant & alii, M. Delrius noſter, & P. Lanſſelius.

MENOCHII.

Verſ. 1. CUM PERAMBULASSENT, &c. διοδεύσαντες, *cum tranſiſſent*, cum iter habuiſſent per Amphipolim. AMPHIPOLIM: civitas eſt Macedoniæ ad Strymonem fluvium. Ortelius in Theſauro Geographico ait nunc appellari *Chriſopoli*, vel *Empoli*. APOLLONIAM: eſt urbs Theſſalonicæ vicina. THESSALONICAM: quæ inter primas Macedoniæ urbes numeratur, ita dicta a victoria, quam de Theſſalis ibidem obtinuit Philippus Macedo. Hodie vocatur *Salonichi*.

V. 2. DISSEREBAT EIS DE SCRIPTURIS: ἀπὸ τῶν γραφῶν, id eſt *e Scripturis*, nimirum ex illis probans Ieſum eſſe Chriſtum Meſſiam, & ſalvatorem mundi.

V. 3.

V. 3. ADAPERIENS : explicans : διανοίγων. Sic Daniel verbum aperiendi uſurpat pro expoſitione ſomnii. INSINUANS : proponens. HIC EST IESUS CHRISTUS : Meſſias in Scripturis celebratus.

V. 4. COLENTIBUS : proſelytis ad Iudaiſmum converſis, & verum Deum colentibus, ſed ritu Iudaico.

V. 5. ZELANTES : zelo malo, ira, & invidia tumidi. DOMINO IASONIS : apud quem diverſabantur Silas, & Paulus. PRODUCERE IN POPULUM : ut ſcilicet a populo per Iudæos concitato, & furente lapidarentur, vel male mulctarentur Paulus, & Sylas.

V. 6. CUM NON INVENISSENT EOS : fortaſſe aliquantulum ſeceſſerant, ut Iudæorum furori locum darent. TRAHEBANT IASONEM ; ut fit in tumultu, in illum ſævientes quaſi criminis participem. FRATRES : Chriſtianos. QUONIAM HI, QUI URBEM CONCITANT : hi ſunt, qui perturbant civitatem. In Græco eſt οἰκουμένην, *orbem*. ET HUC VENERUNT ; & peregrini ſunt, non cives.

V. 9. ET ACCEPTA SATISFACTIONE. Syrus habet : *ſed acceperunt fideiuſſores a Iaſone*. Vel, ut alii volunt, Iaſon pro Paulo ſe vadem conſtituit, promittens illum ſiſtere tribunali, vel pro illo ſatisfacere, ſi in aliquo deliquiſſe convinceretur.

V. 10. IN BEROEAM : urbs eſt Macedoniæ non longe a Pella Alexandri Magni patria.

V. 11. HI AUTEM : loquitur de Iudæis Berœæ commorantibus. NOBILIORES : tum genere, & proſapia, tum generoſitate, & indole. QUI SUNT THESSALONICAE : Iudæis illis, qui ſunt Theſſalonicæ. QUI SUSCEPERUNT, &c. ſcilicet Berœenſes. SI HAEC SE HABERENT : ut a Paulo proponebantur.

V. 14. UT IRET USQUE AD MARE : ὡς ἐπὶ θάλασσαν, id eſt *quaſi ad mare*, noluerunt enim fratres, ut Paulus aperte fugeret, ſed eorum impetum declinaret prætextu eundi ad mare : re tamen vera ſuum iter proſecutus Athenas venit.

V. 15. QUI DEDUCEBANT PAULUM : tum honoris, tum ſecuritatis cauſa. QUAM CELERITER : quamprimum.

V. 16. INCITABATUR SPIRITUS EIUS IN IPSO : irritabatur, commovebatur, & zeli vehementia quodammodo excandeſcebat.

V. 17. COLENTIBUS : proſelytis, ut ſupra verſ. 4. QUID VULT SEMINIVERBIUS HIC DICERE. Epicurei vocant Paulum σπερμολόγον, id eſt verboſum, garrulum, qui nihil niſi verba effutiat, ut agyrtæ faciunt, & forenſes rabulæ. NOVORUM DAEMONIORUM ANNUNTIATOR ; ξένων peregrinorum, novorum, inauditorum, abſurdorum numinum.

V. 19. AD AREOPAGUM. Erat Areopagus Athenis conſeſſus Iudicum maximæ poteſtatis, & celebris integritatis, de quo vide Sigon. de Republ. Athen. fere initio. POSSUMUS SCIRE, &c. quaſi dicant, Placetne tibi hæc nova dogmata nobis explicare? NOVA : ξενίζοντα, *peregrina*. Vide dicta verſ. 17.

V. 20. QUIDNAM VELINT HAEC ESSE. Syrus. *quid hæc ſibi velint*.

V. 21. AT NIHIL ALIUD, &c. Hyperbole, qua Athenienſium ſumma curioſitas deſcribitur. Plutarchus etiam Lib. de garrulitate tradit Athenienſes mire fuiſſe novorum avidos.

V. 22. PER OMNIA : in omnibus rebus, & præ omnibus Græcis. SUPERSTITIOSIORES VOS VIDEO. Syrus, *Video vos in omnibus, quod excellentes eſtis in timore dæmonum*, id eſt numinum, Vel, *quod nimii eſtis in cultu dæmonum*.

V. 23. VIDENS : ἀναθεωρῶν, *videns attentius*, *conſiderans*. IGNOTO DEO. Videntur Athenienſes a Philoſophis melius ſentientibus, aut Sibyllis, aut Iudæis intellexiſſe Deum verum inviſibilem eſſe, abſconditum, incomprehenſibilem, ideoque illi aram ſtatuiſſe hoc titulo, *Ignoto Deo*. QUOD ERGO IGNORANTES COLITIS, &c. quaſi dicat : Non ſum novorum dæmoniorum annuntiator, ut vos obiicitis, ſed Deum veſtrum vobis annuntio, atque ex ignoto facio notum.

V. 25. NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR. Syrus, *Neque miniſtratur ei a manibus filii hominum*, ut regibus verbi gratia, aut heris miniſtratur a famulis eos veſtiendo, lavando, cibum, potumque porrigendo, &c. Vide Auguſt. Lib. de civit. Dei cap. x. multa obſequia ex Seneca recenſentem, quæ ſuis idolis exhibebant ſuperſtitioſi idololatræ. INSPIRATIONEM : ſpiritum, πνοὴν.

V. 26. EX UNO : Adamo. In Greco eſt, ἐξ ἑνὸς αἵματος, *ex uno ſanguine*. INHABITARE.

TARE.

TARE: ut inhabitarent. STATUTA TEMPORA: certam periodum temporis, quo vivant homines, & habitarent ſuper faciem terræ.

V. 27. QUAERERE DEUM: in hunc enim finem homines conditi ſunt, ut Deum inveſtigent, quærant, cognoſcant, ament, illiſque ſerviant. SI FORTE ATTRECTENT EUM: ψηλαφήσειαν αὐτὸν, palpent eum. ψηλαφᾶν dicitur de iis qui palpando aliquid quærunt more cæcorum. Significat Paulus Deum a nobis in hac vita videri, & clare cognoſci non poſſe, noſque quaſi cæcos palpando veſtigia Dei, hoc eſt, creaturas, ad notitiam eius pervenire.

V. 28. IN IPSO ENIM VIVIMUS, &c. ſua enim immenſitate omnia complet. QUIDAM VESTRORUM POETARUM: nimirum Aratus in Phænomenis, ex quo ſumptum eſt hoc hemiſtichium, *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν*. Eſt autem homo genus Dei, quia ab illo creatus ad imaginem, & ſimilitudinem eius, ut quaſi filius parentem referat. Aute utitur hoc Arati teſtimonio Paulus, quaſi Deo vicini ſimus non ſolum loco, quia Deus omnia complet, ſed etiam propinquitate quadam, & cognatione, cuiuſmodi nexu filii cum parentibus coniunguntur.

V. 29. GENUS ERGO CUM SIMUS DEI, &c. Argumentum Apoſtoli eſt huiuſmodi: Homo non eſt conflatus ex auro, argento, vel lapide, ſed ex carne, & anima rationali, quæ longe ſuperat omne aurum, & argentum: atqui homo eſt genus, ſoboles, & imago Dei: ergo non eſt conflatus ex auro, &c. ſed ſpiritus purus, increatus, omnipotens. SCULPTURAE: eſt dativi caſus, *χαράγματι*. COGITATIONIS HOMINIS: quam ſculpturam homo efficit iuxta artem, & mentis ſuæ cogitationem, & ideam. DIVINUM: *τὸ θεῖον*, *divinitatem*.

V. 20. HUIUS IGNORANTIAE. id eſt erroris colentium idola. DESPICIENS DEO: *ὑπεριδών*, *cum deſpexerit*; quaſi dicat: Hactenus Deus deſpexit, id eſt neglexit gentes idololatras, permittens eas idolis ſervire, quaſi illas non curaret. Vel ſenſus eſt: Deus antegreſſis temporibus maximas ab hominibus ignorantibus iniurias paſſus, nunc tamen quaſi irritatus non eſſet, veſtri miſeretur, deſpiciens, & quodammodo contemnens præteritas iniurias. UT OMNES POENITENTIAM AGANT: de ſua ignorantia, hoc eſt, idololatria, aliiſque peccatis.

V. 31. EO QUOD STATUIT DIEM, &c. quaſi dicat: Neque enim peccata impune abire permittet, ſed diligenter cuiuſque vitam examinabit, & ſcelera ſevere vindicabit. STATUIT DIEM: extremi iudicii. IN AEQUITATE: iuſte, reddens unicuique ut fuerit meritus. IN VIRO IN QUO STATUIT: per eum virum iudicium exercens, quem huic muneri præfecit, nimirum Ieſum Chriſtum. FIDEM PRAEBENS OMNIBUS, &c. quaſi dicat: Fidem faciens, & publice Iudicem eum fore declarans, per eius reſuſcitationem ad vitam immortalem, &glorioſam.

V. 32. QUIDAM QUIDEM IRRIDEBANT: quibus omnino impoſibilis videbatur reſurrectio. AUDIEMUS TE DE HOC ITERUM: quibus ſermo aliqua de re quæ non arridet infertur, ut honeſto prætextu filum orationis abrumpant, in aliud tempus auditionem reiiciunt.

V. 34. IN QUIBUS ET DIONYSIUS AREOPAGITA. In Græco eſt articulus, *ὁ Ἀρεοπαγίτης*; quaſi dicat, Celebris ille Dionyſius in Areopagitarum ſenatu primarius. MULIER QUAEDAM NOMINE DAMARIS. Videtur etiam hæc fuiſſe primaria femina, cum peculiarem illius mentionem fecerit Lucas.

T I R I N I.

Verſ. 1. AMphipoli Macedoniæ civitas eſt vicina Philippi, ita dicta quod aquis undique cingatur, ſolo iſthmo terræ cohærens, inquit Pollux *a*. Hæc Philippo Macedoni, & Athenienſibus bellorum cauſam dedit: & a Braſide Lacedæmoniorum duce, bello Peloponneſiaco occupata, ut Thucydides *b* enarrat. *Apollonia*, altera Macedoniæ urbs vicina *Theſſalonnica*, ſic dicta a *νίκη*, id eſt victoria quam de Theſſalis ibidem obtinuit Philippus Macedonum rex, teſte Strabone *c*.

V. 4. *Colentes*, vocantur proſelyti, id eſt Gentiles ad Iudaiſmum converſi. Dicit ergo, ex Iudæis *quoſdam*, ſed paucos converſos fuiſſe: plurimos vero ex proſelytis & Gentilibus qui hucuſque in gentiliſmo vixerant: ita Beda, Hugo, Lyranus & Carthuſ.

V. 5.

Digitized by Google

*V.*5. Hanc ob cauſam, ſeditionem *concitant* ZELANTES IUDAEI. Græca addunt, *increduli*; ASSISTENTES; Græca, *imminentes*, *domui Iaſonis*, nempe ut in eam vi facta irrumperent, & *Paulum* ac *Silam* iſtic hoſpitantes inde captos educerent. Si hic *Iaſon* idem eſt cum eo de quo Apoſtolus Rom. XVI. 21. (ut vult Sixtus Senenſis, Genebrardus, Baronius & quidam alii,) dicendum, fuiſſe Chriſtianum, Pauli cognatum, & familiarem, qui cum Paulo Theſſalonica demigrarit Corinthum, & Martyrol. Romano inſcribitur 12. Iulii.

V. 6. HI ſunt QUI URBEM; Græca, *orbem* CONCITANT ad ſeditionem, ET aliunde HUC in eumdam finem *advenerunt*; quaſi dicat, Sunt extranei, & advenæ ignoti erriones, vagabundi.

V. 9. ACCEPTA SATISFACTIONE, id eſt exſatione & purgatione, DIMISERUNT EOS. Facile enim erat oſtendere, nullas ab advenis concitatas, nullas metuendas turbas: Chriſtum non obfuturm imperio Romanorum, utpote iam pridem mortuum neque regnum huius eſſe corporale, ſed ſpirituale, &c.

V. 10. BEROEA urbs eſt Macedoniæ, non longe a Pella, Alexandri Magni patria.

V. 11. HI, ſcilicet Iudæi Berœenſes, NOBILIORES ERANT Iudæis THESSALONICAE commorantibus: *nobiliores* ', inquam; non ſola proſapia, ſed & indole ac generoſitate: ita Chryſoſt. Oecumenius & Lyranus. Unde & promptiores ſe exhibuerunt ad capeſſendam doctrinam Evangelii, QUOTIDIE SCRUTANTES SCRIPTURAS, ſeduloque inveſtigantes SI, id eſt an, HAEC quæ Paulus ex Scripturis afferebat, ITA SE HABERENT. Et in hoc nihil eſt quod reprehendi poſſit. Sed hinc non ſequitur, liberum eſſe cuique, etiam laico & idiotæ, de Scripturis iudicium.

V. 16. INCITABATUR; Græce, *excandeſcebat*, SPIRITUS Pauli IN IPSO: hinc dolore & compaſſione, quod tam nobilis Athenarum civitas, ſchola ſapientiæ atque eloquentiæ, dæmonum cultui tota vacaret: inde cupidine ac zelo illam iuvandi, erudiendi & convertendi.

V. 17. Per *colentes* intelligit *e* proſelytos: per *forum* compita & publicas *plateas*, ut vertit Syrus.

V. 18. *Epicurus* Xenocratis diſcipulus, natus anno tertio Olympiadis centeſimæ nonæ, ſeptimo anno a morte Platonis, omnem hominis felicitatem ponebat in voluptate. Negabat animæ immortalitatem, corporis reſurrectionem, Dei providentiam & omne Numen, teſte Laertio, Auguſtino *f* & aliis. Mundos afferebat innumerabile eſſe, & ex atomis inter ſe coeuntibus coaluiſſe, quod a Democrito hauſit, inquit idem Auguſtinus. Epicureis oppoſiti erant STOICI, ſic dicti a ςόα, id eſt porticu, in qua docere ſolebat parens illorum Zeno. Docebant, fato ſeu naturæ neceſſitate omnia fluere: virtutem, in qua ſummam hominis felicitatem ponebant, in poteſtate & arbitrio cuiuſque eſſe: virtutes omnes pares eſſe & connexas, ut & vitia: miſericordiam & compaſſionem vitium eſſe: licere ſapienti, immo docere, ſeipſum occidere, ne miſere vivat: mundum eſſe animal animatum, vivum & rationale: animam mundi eſſe Deum; & alias nugas, quas Cicero, Plutarchus, Lactantius, Auguſtinus, & Lipſius *g* fuſe recenſent ac refellunt: & Paulus Athenis refellere debuit, docendo, felicitatem hominis in Dei fruitione conſiſtere, a Ieſu crucifixo dependere, cuius gratia reſuſcitandi ſimus in vitam immortalem, &c. Quæ cum acrius ubique inculcaret, nec ipſi refellendo eſſent, exſibilatur. Primo tamquam *ſeminiverbius*, Græce, σπερμολόγος, id eſt verborum ſeminator, qui inſtar rabulæ forenſis & agyriæ, ſeu circumforanei, nil niſi verba ad quæſtum effutiat. Oecumenius cenſet alludere eos ad vilem avem e genere graculorum dictam σπερμολόγον, id eſt ſeminilegam, quod ſemina ſola colligat, de qua Ariſtoteles, Euſtathius & alii. Secundo, accuſatur quaſi NOVORUM DAEMONIORUM, Græce & Syriace, *peregrinorum deorum*, ANNUNTIATOR. Sic Ieſum vocabant, & Deum uno-trinum. Tertio, in *Areopagum* deducitur ad iudicum tribunal, ut iſtic novæ religionis ſuæ rationem reddat, &, ſi reus deprehenderetur, acriter puniatur. Eamdem enim ob cauſam Socrates Athenis damnatus fuerat ad mortem 281. ſententiis, eo quod novos deos induxiſſet. Porro in *Areopago*, ſeu *vico Martis*, (qui unus erat ex quinque vicis in quos diſtributæ erant Athenæ, ſic dictus a templo Marti ibidem ſacro, ut vult Plinius *h*:) olim a Cecrope tribunal erectum erat, quo nihil conſtantius, nihil ſeverius, nihil fortius, inquit Cicero *i*: in quod, iuſſu Solonis, nulli deligebantur niſi qui *Archontes*, id eſt principes reipublicæ, aliquando fuiſſent. Et erant hi rerum omnium ſpeculatores ac cuſtodes, inquit Plutarchus k, tanta virtutis atque integritatis fama, ut graviſſimæ cauſæ ex toto orbe, etiam a Romanis, teſte Gellio *l*, ad eos iudicandæ deferrentur, eorumque ſententiæ, ſi Ariſtidi *m* credimus, oraculis æquarentur: de quibus fuſe Budæus *n*. Hæc Areopagitici tribunalis maieſtas

magnam Evangelio & religioni Chriſtianæ dignitatem attulit, cum in eo non modo non damnata fuerit, ſed pleriſque uſque eo probata, ut iudex ipſe Dionyſius eamdem amplecti voluerit.

V. 22. & 23. QUASI SUPERSTITIOSIORES VOS VIDEO; nempe nimis religioſos & ad ſuperſtitionem uſque: nam præter multos falſos deos, video vos etiam colere quemdam *ignotum Deum*. At nemo niſi ſuperſtitioſus, colit, amat vel adorat quod non cognoſcit: nam *ignoti nulla cupido*. Videntur Athenienſes ex Triſmegiſti, Sibyllarum & variorum Philoſophorum ſuorum, forte & Iudæorum, doctrina reſciviſſe, Deum cæli & terræ conditorem eſſe innominatum, inviſibilem, inacceſſum, incomprehenſibilem, ineffabilem: ſicut idem Iudæi ſignificabant nomine tetragrammaro ineffabili. Unde, ne quod Numen ſine cultu præteriiſſe viderentur, aram poſuerunt IGNOTO DEO: ita S. Hieronymus, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus *p*, Baronius, Lorinus & a Lapide. Et vero Deum hunc Athenienſibus ignotum, non falſum, ſed verum Deum fuiſſe, innuit Paulus cum ſubdit, QUOD ERGO IGNORANTES COLITIS, HOC EGO ANNUNTIO VOBIS, refelleas iiſdem verbis obiectam ſibi calumniam, quaſi novorum deorum annuntiatori. Neque enim, inquit, plures obtrudo, vel falſos & nuperos deos, ſed unum, verum, ſolum, & hactenus a vobis cultum, licet occultum & ignotum, vobis Deum annuntio, atque ex ignoto notum facio.

V. 24. NON IN MANUFACTIS HABITAT TEMPLIS: quaſi in palatiis ſibi neceſſariis, quorum ambitu concludatur ut ſolent reges. Deus enim nulli loco alligatur, multo minus terminatur, ſed per univerſum orbem, & ſuper omnes cælos per immenſa vacui ſpatia ſe extendit.

V. 25. NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR, ut ſolent principes manibus famulorum ſuorum qui veſtes illis & ædes ut eſcas parant, alioquin interituris. Taxat errorem Gentilium, qui victimas putabant cibum eſſe & delicias deorum, ſicut aras & fana dicebant eorundem cubilia eſſe & palatia. Unde nihil hic contra Chriſtianorum templa, altaria, imagines & ceremonias externas, quibus Deo deſervimus, non quaſi ipſe illis indigeat, ſed quia nos ad Deo decentius deſerviendum illis indigemus.

V. 26. EX UNO Adamo, primo omnium parente, FECIT OMNE GENUS HOMINUM; *prædefiniens* cuique homini, genti & regno ſuam temporis & ætatis menſuram, ET HABITATIONIS ſpatia, limites ac TERMINOS. Ut his allecti beneficiis

V. 27. *Quærant* & inveſtigent auctorem & datorem omnium DEUM, eumque ut decet ament, colant, & ſerviant. Non quod poſſit Deus in hac vita clare cognoſci aut videri, ſed ut ſummum per creaturas quaſi per certa veſtigia adiri, attrectari, palpari, ut eſt in Græco: perinde atque in tenebris palpando deprehenditur quod quæritur, ut Cicero pulchre demonſtrat, ſed omnium pulcherrime Theodoretus, Granatenſis & Leſſius. Eſto enim Deus ſit ſpiritus inviſibilis in ſe, adeſt tamen & ineſt intime nobis, tum per ſubſtantiam ſuam, tum per continuam in nobis operationem, unde facillime poteſt a nobis ex operibus ſuis attrectari, non manibus, ſed mente, id eſt poteſt cognoſci, credi, coli: ſicut aerem quem reſpirando attrahimus, etſi non videamus, ex eo tamen quod nos refrigeret cognoſcimus, ſentimus & palpamus.

V. 28. IN IPSO ENIM quaſi in divino quodam & immenſo continente, loco, æthere, adde quaſi & anima & cauſa eſſendi, VIVIMUS omnes, MOVEMUR ET SUMUS: ut enim *vita corporis anima eſt*, vita *animæ Deus eſt*, inquit S. Auguſtinus *q*. Immo magis pendemus a Deo, quam a nobis ipſis: & intimior nobis Deus eſt quam ipſi nobis, inquit S. Thomas *r*, Lyranus & alii DD. Unde iure merito magis Deum, quam nos ipſos, id eſt vitam & animam noſtram diligere debemus. Porro intimam hanc cum Deo coniunctionem agnoverunt & deprædicarunt etiam quidam veſtrorum Poetarum, Menander, Callimachus, Homerus, Pindarus, Heſiodus, & alii (verba illorum citant Salmeron, Lorinus & Cornelius a Lapide) & præ aliis *Aratus* antiquus & celebris poeta, Antiocho regi in deliciis, Olympiade 125. anno a Roma condita 472. patria Solenſis, non longe a *Tarſo*: ac proinde Pauli pene concivis Præclare ſcripſit de ſtellis & ſignis cæleſtibus: & eius verſiculos Cicero *ſ* a Græco in Latinum tranſtulit. Hic Aratus cum dixiſſet,

Digitized by Google

xiſſet, *A Iove principium* eſſe omnium, & *omnia Iovis plena* eſſe, & *omnes ubique indigere Iove*; ſubdit (quod ſolum Paulo citare placuit.) *Huius etenim ſumus*, ſeu progenies & proles, utpote qui non ſemel, (ut homo hominem) ſed aſſidue & continuo nos quaſi generat, conſervando, & iugiter influendo in nos vitam, motum & omne eſſe noſtrum, fere ſicut ſol continuo gignit radios ſuos & lumen. Unde patet arctiſſimam eſſe noſtri cum Deo coniunctionem & a Deo dependentiam.

V. 29. CUM ERGO SIMUS GENUS ſeu progenies DEI, & nos longe nobiliori ſubſtantia conſtemus quam EX AURO, ARGENTO VEL LAPIDE; conſequens eſt etiam Deum ex iis non conflari, neque DIVINUM, id eſt divinitatem, iis aſſimilari poſſe; ut aſſimilant cæci & ſtupidi idololatræ.

V. 30. ET TEMPORA QUIDEM HUIUS tam craſſæ IGNORANTIAE; Syrus, *idololatriæ*, DESPICIENS; ὑπεριδὼν, in aoriſto, id eſt neglexerit *s*, hucuſque DEUS, Gentes idololatras permittendo paſſim ſervire idolis, quaſi ad ſe non pertinentes; nunc poſt datum mundo Chriſtum, & intuitu meritorum Chriſti, non amplius illa deſpicit, ſed paterna ſua providentia omnes complexus, ſtatuit eas ex illis errorum tenebris in veritatis lucem protrahere: & hunc in finem per me vobis iam veritatem denuntiat, fidem, gratiam, ſalutem offert, per ſeriam POENITENTIAM de præteritis erratis: ad quam ut omnes feſtinetis neceſſum eſt,

V. 31. EO QUOD, ut vivendi, ſic & pœnitendi tempus admodum breve vobis & incertum ſit: STATUIT enim ab æterno DIEM decretorium & infallibilem, QUO per Chriſtum iudicem IUDICATURUS EST ORBEM univerſum, primo ſigillatim in morte cuiuſque: dein & ſimul ac collectim ultimo mundi die. Porro iudicii iſtius per Chriſtum exercendi FIDEM publicam & manifeſtam fecit hominibus, & abunde OMNIBUS probavit, quando in eius rei conteſtationem reſuſcitavit Chriſtum omnium primum ad vitam immortalem. *In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur*. Hac S. Pauli concione inter alios converſus eſt

V. 34. DIONYSIUS ille AREOPAGITA celebris & famoſus iudex immo inter iudices princeps. Converſionem iuvit collata cum dictis Pauli miraculoſa eclipſis, quam moriente Chriſto viderat Dionyſius Heliopoli in AEgypto, cum iuvenis 25. annorum una cum Apollophane regionem illam peragraret, ut ipſemet deſcribit *u*. Viſa enim illa eclipſi exclamabat: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur*. Per triennium fere adhæſit S. Paulo, a quo creatus Athenarum primus Epiſcopus, inde cum eodem Ieroſolymam *x* aſcendens, morti & funeri Deiparæ interfuit, ut ipſe ſcribit *y*. Poſt mortem Pauli hortatu S. Ioannis Apoſtoli profectus Romam ad S. Clementem, ab eo in Gallias miſſus eſt cum Ruſtico & Eleutherio, ac nobiliſſimo martyrio coronatus Pariſiis die nono Octobris, anno Chriſti 119. imperante Adriano, cum annum ætatis ageret 110. inquit Baronius. ET MULIER NOMINE DAMARIS. Hanc Dionyſii uxorem fuiſſe vult Chryſoſtomus & Hilduinus, & inſinuat Ambroſius *z*. Sed cum Evangeliſta voculæ γυνὴ, ſeu mulieri, non addiderit αὐτοῦ, id eſt ipſius, veriſimilius putant Pagninus, Tigurini, & alii paſſim, aliam fuiſſe e primariis eius urbis matronis. Cum Dionyſio converſum quoque fuiſſe collegam eius, immo & præceptorem *Hierotheum* (hominem prorſus divinum, utpote *divina* non diſcere modo, ſed & *pati* ſolitum, ex ſententia eiuſdem Dionyſii *aa*) affirmat Menologium Græcorum die 4. Octobr. Ioannes Mariana *bb* & alii Hiſtorici.

(a) Pollux. Lib. IX. (b) Thucyd. Lib. IV.
(c) Strabo Lib. VII. (d) Sixtus Sen. Lib. II. Bibliot. Genebr. in Kalendario Græcorum quod Pſalmis præfixit. (e) Hic verſ. 4.
(f) Laerti. Lib. X. in vita Epicuri. Aug. de utilitate credendi c. IV. & contra Academicos Lib. III c. X.
(g) Cicer. in Paradoxis. Plut. contra Stoicos. Lact. Lib. III. cap. XXVIII. Aug. tom. VI. tract. de Epicureis & Stoicis cap. XV. & ſeqq. Lipſ. Manuduct. ad Stoicam Philoſophiam Lib. III. &c.
(h) Plin. Lib. VII. cap. LVI.
(i) Cic. Lib. I. ad Atticum epiſt. IX.
(k) Plutarch. in Solone.
(l) Gell. Lib. XII. cap. VII.
(m) Ariſtides in Panath.
(n) Budæus in Pandectas lege ultima de Sen.
(o) Exod. III. 14.
(p) Hieron. in cap. XVI. Ezech. &c. Clem. Lib. I. Strom. cap. IX. Aug. Lib. I. cont. Creſcon. c. XXIX
(q) Aug. Serm. XVIII. de verbis Apoſtoli.
(r) Thom. & Scholaſtici in II. 2. quæſt. XXVI. art. III.
(ſ) Cic. ſupra. (t) Actor. X. V. 15.
(u) Dion. ep. ad Apollophanem & epiſt. XI. ad Polycarpum.
(x) Actor. XVIII. 22.
(y) Lib. de Divin. nomin. cap. III.
(z) Chryſoſt. Lib. IV. de Sacerd. Hilduin. in Vita Dionyſii. Ambr. epiſt. ad Eccleſ. Vercell.
(aa) Dion. ſup. & etiam cap. II.
(bb) Mariana Lib. IV. de Rebus Hiſp. cap. III.

GORDONI.

Verſ. 1. AMphipolis Thraciæ civitas vicina Philippis, Iſthmo tantum iuncta continenti. Belli cauſa inter Athenienſes & Philippum Regem. Theſſalonica (a victoria ſic dicta, quam retulit Philippus de Theſſalis) inter præcipuas Macedoniæ urbes.

V. 4. 5. & 9. COLENTES. Hi ſunt proſelyti qui credebant Deo, ſed ritu Iudaico. Zelantes autem verſ. 5. ſunt Iudæi adverſarii. *Iaſon:* hic eſt apud quem divertebat Paulus. ACCEPTA SATISFACTIONE, verſ. 9. Iaſon pro Paulo ſe vadem conſtituit. Aut certe, ut habet Syrus, acceperunt fideiuſſores a Iaſone, quem verſ. 6. volebant tumultuoſe opprimere.

V. 10. & 11. Quæ hic narrantur, accidiſſe videntur exeunte anno Chriſti 51. quando Iudæis novas turbas concitantibus, venit Paulus Berœam, quæ parum abeſt a Pella, Alexandri Magni patria. Per hos nobiliores Chryſoſtomus & Gagnæus intelligunt cives, non autem Iudæos, ut etiam dixi ad annum 51. Syrus tamen refert ad Iudæos Berœenſes, qui ut hic dicitur, ſcrutabantur Scripturas: nobiliores erant genere & indole Iudæis Theſſalonicenſibus.

V. 16. 17. & 18. PAULUS AUTEM. Annus eſt Chriſti 52. quo creditur Paulus veniſſe Athenas, ut ibidem noto. *Colentes:* hic verſ. 17. ſunt proſelytæ, ſeu ex gentibus converſi ad Iudaiſmum, ut dixi verſ. 4. SEMINIVERBIUS, σπερμολόγος, velut garrulus, & ſola verba ſeminans. Hic non deerant Philoſophorum ſectæ, cum quibus diſſereret Paulus, ut erat ea urbs ſchola ſapientiæ. NOVORUM DAEMONUM, numinum Deorum alienorum. Gentilibus Dæmones erant Dii minores: & in his boni aliqui habebantur, alii mali.

V. 19. Areopagus Athenis erat iudicum conſeſſus cum ſuprema poteſtate, & integritate iudicum percelebris. POSSUMUS SCIRE. Idem eſt ac ſi diceret, poſcimus ſcire quid novi afferas & peregrinum: ἄρης Mars, quaſi pagus Martis. Ex quinque pagis unus erat iuxta templum Martis: inde dictus Areopagus. Lege Plutarchum in Solone. Novitatem Deorum non admittebant, ut ſatis apparet in morte Socratis. Notantur interim hic Athenienſes verſ. 21. ut novorum avidiſſimi.

V. 22. STANS AUTEM PAULUS. Paulus iuſſus cauſam dicere, orditur a propenſione ad religionem & cultum deorum. Habet tamen hæc laus modicam reprehenſionem, quod colant Deos multos, & deum ignotum. Paulus itaque annunciat Deum verum, unum & hactenus illis ignotum: quo nomine inſinuat ſe minime novum Deum proferre, ſed quem antea colebant ignotum annunciare. Sic quidem novitatis culpam diluit. Athenis erat capitale novam inducere religionem.

V. 24. DEUS QUI FECIT. Hunc Deum ignotum annunciat Paulus, recenſens varia Dei attributa, potentiam, providentiam, &c. qui nec manibus hominum miniſtratur, ut fit cum idola coluntur, quibus per manus hominum ſervitur ac ſi viverent, nempe excitando, cibum porrigendo, lavando, veſtiendo. Hic, inquit, eſt qui *ex uno*, ſcilicet Adamo, Græce *ex uno ſanguine*, fecit habitatores terræ, qui tempora vitæ & reliqua moderatur; eo fine ut diſcant homines eum quærere, illique ſervire, ſi forte inveniant quæſitum, aut attrectent, ut iam dicam.

V. 27. SI FORTE ATTRECTENT. Recte, *ſi forte*: nam nec omnes inveniunt; & quando inveniunt, hoc libere fit: recte etiam *attrectent*; quia in hac vita non eſt plena Dei cognitio.

V. 28. IN IPSO. Nihil hic obſcurum eſt conſideranti Dei magnitudinem & potentiam. Non longe abeſt, cum ſit immenſus; immo in ipſo, hoc eſt, per ipſum vivimus, movemur & ſumus, ut eſt rerum cauſa efficiens & conſervans, non minus quam ſol radios a ſe productos conſervat. Adeo ſane omnia a Deo pendent, quibus adde ſanctos ſingulari modo ſupernaturali vivere in Deo. Adhæc refert Paulus Hemiſtichium Arati poetæ, *Ipſius enim genus ſumus*, non quidem proles, ſed opus & creatura Dei, quaſi prognati ab eo, ut ſane homo refert ſimilitudine quadam Deum.

V. 29. GENUS ERGO CUM SIMUS DEI. Vult Paulus Deum non eſſe, qualia ſunt idola, ex lapide, aut aliquid ex materia concretum, ſed eſſe ſpiritum purum, increatum & omnipotentem; ac ſi diceret: Homo non eſt conflatus ex terra, auro, aut argento, ſed anima conſtat & carne: ſumus autem nos opus & imago. Ergo oportet Deum non eſſe ex auro & argento,

ſed

Digitized by Google

ſed ſpiritum eſſe, & maximas habentem perfectiones. Recte etiam concipi poteſt hoc argumentum duci ab anima ad Dei excellentiam demonſtrandam.

V. 30. & 31. Properat ad concluſionem Paulus, ac ſi diceret: Hactenus Deus ille magnus & verus permiſit peccare mortales: ſed tandem deſpiciens & velut negligens quæ mala ſunt acta, providit hominem Chriſtum, qui corrigat præterita mala, & plene iudicet de ſingulorum factis: hunc vobis per me annunciat, qui ſingulis pro ratione operum proſpiciet: hic eſt, qui velut neglector præteritarum rerum, profert novum & felicius ſæculum, in quo annunciet mortalibus pœnitentiam & diem iudicii.

V. 34. Damaris a Chryſoſtomo hom. IV. de ſacerdot. putatur uxor Dionyſii. Aliis hoc non probatur. Dionyſius converſus videtur anno ætatis 44. Eſt hic annus Chriſti 52. Lege Baronii Martyrologium nona Octobr. hæſit cum Paulo per triennium, primus Athenienſium Epiſcopus: tandem cum Paulo venit Ieroſolymam, & adſuit funeri B. Virginis, ut ipſe narrat cap. III. de divinis nominib. Hortatu Ioannis Evangeliſtæ venit Romam ad Clementem, a quo miſſus eſt in Galliam; ubi evaſit martyr anno Chriſti 110. & ætatis ſuæ 120. natus anno Chriſti 8. vel 9.

CAPUT XVIII.

Paulus Corinthi ſuum exercet artificium apud Aquilam: & quamquam ad eius prædicationem blaſphemarent Iudæi, audit tamen in viſione multum ibi populum ad fidem convertendum: verum poſt ſeſquiannum accuſatur a Iudæis apud Gallionem Proconſulem, & poſt multos dies venit Epheſum, ac variis regionibus fratres confirmat. Apollo vehementer Iudæos convincit, oſtendens ex Scripturis Ieſum eſſe Chriſtum, quamquam tantum noſſet baptiſma Ioannis.

1. POſt hæc egreſſus ab Athenis, venit Corinthum: 2. & inveniens quemdam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam uxorem eius, (eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos a Roma) acceſſit ad eos. 3. Et quia eiuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: (erant autem ſcenofactoriæ artis.) 4. * Et diſputabat in ſynagoga per omne ſabbatum, interponens nomen Domini Ieſu, ſuadebatque Iudæis, & Græcis.
5. Cum veniſſent autem de Macedonia Silas & Timotheus, inſtabat verbo Paulus, teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum Ieſum. 6. Contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. 7. Et migrans inde, intravit in domum cuiuſdam, nomine Titi Iuſti, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta ſynagogæ. 8. Criſpus autem archiſynagogus credidit Domino cum omni domo ſua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur. 9. Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo: Noli timere, ſed loquere, & ne taceas: 10. propter quod ego ſum tecum; * & nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate. 11. * Sedit autem ibi annum & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei. 12. Gallione autem proconſule Achaiæ, inſurrexerunt uno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, 13. dicentes: Quia contra legem hic erſuadet hominibus colere Deum. 14. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem eſſet iniquum aliquid,

aut

Digitized by Google

aut facinus peſſimum, & viri Iudæi, recte vos ſuſtinerem. 15. Si vero quæſtiones ſunt * de verbo, & nominibus, & lege veſtra, vos ipſi videritis: Iudex ego horum nolo eſſe. 16. Et minavit eos a tribunali. 17. Apprehendentes autem omnes Soſthenem principem ſynagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat. 18. Paulus vero cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus valefaciens, * navigavit in Syriam, (& cum eo Priſcilla, & Aquila) qui ſibi (*a*) totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum. 19. Devenitque Epheſum, & illos ibi reliquit. Ipſe vero ingreſſus ſynagogam, diſputabat cum Iudæis. 20. Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non conſenſit, 21. ſed valefaciens, & dicens, Iterum revertar ad vos Deo volente, profectus eſt ab Epheſo. 22. Et deſcendens Cæſaream, aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam, & deſcendit Antiochiam. 23. Et facto ibi aliquanto tempore profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes diſcipulos. 24. Iudæus autem quidam, Apollo nomine, * Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Epheſum, potens in ſcripturis. 25. Hic erat edoctus viam Domini: & fervens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ ſunt Ieſu, ſciens tantum baptiſma Ioannis. 26. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in ſynagoga. Quem cum audiſſent Priſcilla & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt ei viam Domini. 27. Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, ſcripſerunt diſcipulis ut ſuſciperent eum. Qui cum veniſſet, contulit multum his qui crediderant. 28. Vehementer enim Iudæos revincebat publice, oſtendens per Scripturas, eſſe Chriſtum Ieſum.

(*a*) Num. VI. 18. Infr. XXI. 24.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Et diſputabat in Synagoga per omne ſabbatum, interponens nomen Domini Ieſu, ſuadebatque Iudæis & Græcis*. Neutiquam omittendus eſt verſus iſte.

Verſ. 10. *Et nemo apponetur tibi ut noceat te*. Hoc alii expoſuerunt ſcribentes hunc in modum, *& nullus nocere poterit tibi*.

Verſ. 11. *Sedit autem ibi*. Non omittas *ibi*.

Verſ. 15. *De verbo & nominibus & lege veſtra*. Ablativi *lege veſtra*, non ſunt mutandi in genitivos *legis veſtræ*.

Verſ. 18. *Navigavit in Syriam*. Non omittas eius præpoſitionem.

Verſ. 24. *Alexandrinus genere*. Alii exponentes quid ſit *genere* ſcripſerunt *natione*.

C O M M E N T A R I A

S A:

Verſ. 3. Scenofactoriae, id eſt conficiendi tabernacula, ſcilicet e pellibus.

V. 4. Interponens, id eſt ſubinde admiſcens, & proponens, ſcilicet credendum. Graecis, id eſt Gentilibus.

V. 5. Instabat verbo, id eſt prædicabat inſtanter. Esse Christum, id eſt quod Ieſus eſſet Meſſias.

V. 6. Sanguis, id eſt peccatum. Super caput vestrum, id eſt in vobis punietur. Ex hoc, id eſt poſt hac; quaſi dicat, Sine ulla reprehenſione. Iam potero Gentibus fidem proponere, quando vos eam repellitis.

V. 10. Propter; pro, propterea. Apponetur, &c. id eſt *committet ut te lædat*, Hebr.

V. 13. Persuadet; pro, ſuadet.

V. 14. Aperire os, id eſt loqui. Recte,

cte, id eſt merito. Sustinerem, id eſt, ferrem, ſcilicet contendentes.

V. 15. Verbo; pro, verbis. Nominibus, id eſt quæſtionibus, ſeu interpretationibus.

V. 16. Minavit, id eſt abegit.

V. 17. Omnes, ſcilicet vel miniſtri Gallionis, vel turba Gentilium. Syr. *Omnes Ethnici*. Not. hunc Soſthenem referri inter Sanctos in Kalendario Romano 28. Novemb. Vide an iſte idem ſit, qui ſupra Criſpus dictus & Archiſynagogus.

V. 18. Sustinuisset, id eſt expectaſſet. Qui, ſcilicet Aquila, vel Paulus: quidam enim votum Pauli dicunt; alii, Aquilæ fuiſſe. Totonderat, ſcilicet finito tempore Nazaræatus. Cenchris. Portus eſt Corinthi.

V. 22. Caesaream. Cappadociæ ſecundum quoſdam. Ego aliam putarim Epheſo propinquiorem, vel potius Palæſtinæ, unde aſcendit in Eccleſiam, ſcilicet Jeroſolymæ. Antiochiam, ſcilicet Piſidiæ, ſeu potius Syriæ, quo venit ex Ieruſalem, deinde in Galatiam.

V. 24. Potens, id eſt valde doctus, ſeu verſatus, adeoque qui ex iis Iudæos poſſet convincere non credentes.

V. 25. Sciens, &c. quaſi dicat, Baptizabat baptiſmo Ioannis, quem ſolum noverat: forte ſic baptizatus etiam ipſe.

V. 26. Fiducialiter, id eſt audacter, ſeu intrepide.

V. 27. Exhortati. Syr. *prævenientes eum*, ſcilicet litteris commendatitiis.

E S T I I.

Verſ. 2. EO quod praecepisset (*edixiſſet*, Græce) Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma. Svetonius in Claudio cap. xxv. *Iudæos impulſore Chriſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*. Dicitur autem, *Impulſore Chriſto*; quia ita Ethnici perſuaſum habebant, Chriſti doctrinam ad tumultus ſpectare, quam Iudæi multi tum etiam Romæ cœperant amplecti, aliis nihilominus Iudæis tumultuoſe obſiſtentibus. Poſtea tamen Iudæos rurſus in urbem admiſſos, ſatis liquet ex ult. cap. Actorum, & ex epiſtola Pauli ad Romanos. Vide Gagnæum qui ex Comeſtore aliam quoque cauſam huius edicti Cæſarei adiungit.

V. 3. Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur; erant autem scenofactoriae artis. Ars ſcenofactoria eſt ars conficiendorum tentoriorum, vel aulæorum. Nam græca vox etiam ad aulæa ſeu tapeta extenditur. Alioqui tentoriorum uſus non eſt niſi in bello. Commendatur hic nobis admirabile ſtudium Apoſtoli Pauli in conciliandis ſibi animis Iudæorum, atque Gentilium. Cum enim eis ſubminiſtraret ſpiritualia bona, videlicet doctrinam ſalutis & veritatis cognitionem; & proinde iure exigere poſſet ſuſtentationem vitæ temporalis; nam Chriſtus ordinavit, ut qui Evangelio miniſtrant, de evangelio vivant: ne tamen ullum offendiculum aut impedimentum per hoc evangelio fieret, maluit omnino abſtinere ab accipiendo vitæ ſtipendio, & propriis manibus ſeſe tranſigere; ſicut ipſe latius teſtatur II. Cor. xi. Puto autem expedire etiam hoc tempore ſubinde, ut imitemur exemplum Pauli, & ad vitanda infirmorum ſcandala, ſine eccleſiæ præiudicio, de iure noſtro aliquid concedamus.

V. 6. Contradicentibus autem eis, et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua. Similis ceræmonia cum excuſſione pulveris pedum, qua uſi ſunt Paulus & Barnabas Act. xiii. eiecti a Iudæis. De qua vide Annot. Matth. x. *Dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum, mundus ego*, &c. id eſt, Proteſtor hoc ſigno culpam perditionis veſtræ vobis imputandam, non mihi, quem vobis annuntiantem viam ſalutis adeo obſtinate repelliſtis. Non igitur hæc verba ſunt imprecantis vindictam; ſed declarantis cui imputanda ſit eorum perditio.

Mundus ego, ex hoc ad gentes vadam. Videtur ſententia dividenda hoc modo: *Mundus ego*, ſum ſcilicet a ſanguine & interitu veſtro. *Ex hoc* autem, (quod Græce eſt, *ex nunc*) *ibo ad gentes*, prædicaturus illis evangelium a vobis reiectum. Hic quoque obſerva Paulum non niſi occaſione repudiati a Iudæis evangelii tranſire ad gentes, quamvis gentium eſſet Apoſtolus.

V. 7. Intravit in domum cuiusdam nomine Titi iusti. *Titi*, non eſt in Græco. *Iuſti* nomen eſt proprium. Græce eſt, *ὀνόματι Ἰουσ*. Fieri poteſt ut mutila ſit græca lectio, occaſione Τι bis poſiti, ut

ut vera lectio ſit ὀνόματι Τίτȣ Ἰȣ́ςȣ. Nam illud Τίτȣ ablatum videri poteſt, quia prior eius ſyllaba eadem eſſet cum extrema ſyllaba vocabuli præcedentis: poſterior autem fere eadem cum prima ſequentis. Et unde alioqui in latino Titi? Colentis Deum. Sic vocabantur gentiles qui quoad cultum unius Dei Iudaicam religionem æmulabantur; etiamſi non admitterent circumciſionem, nec legis onus ſubirent.

Cuius domus erat coniuncta synagogae. Græ. συνομοροῦσα, id eſt contigua. Ideo forte domum Synagogæ contiguam elegit, ne videretur genti ſuæ operam prædicationis Evangelicæ ſubtrahere, modo illi vellent ipſum audire.

V. 10. Propter quod ego sum tecum. Clarius ita; propterea quia ego tecum ſum; vel, quandoquidem ego tecum ſum. Græce διότι.

V. 12. Gallione autem proconsule. Prænomen utriuſque, Gallioni & Senecæ videlicet, erat Annæus. Fuit his & tertius frater, L. Annæus Mela, Pater M. Annæi Lucani poetæ, ut obſervatum in annalibus Euſebii ſcribit Petrus Crinitus in Lucani vita. Sed utrius Senecæ hi fratres fuere; Senioris, an Iunioris? Vide Baron. anno Chriſti 33. veriſimile Iunioris. Nam Hieron. aperte teſtatur in libro de Scriptoribus Eccleſ. Senecam, quem Nero ſuſtulit, biennio ante Petrum, & Paulum, fuiſſe patruum Lucani poetæ. Recte vero & prudenter Gallio iudicium de controverſiis religionis a ſuo tribunali removit, dicens: *Iudex ego horum nollo eſſe*. Qua in re merito eum imitari debent omnes ſæculares iudices Chriſtiani. Sed illud non recte, quod non fuerit ei curæ, cum Soſthenem percuti videret ante tribunal. Iniuriam enim prohibere debebat.

V. 15. Si vero quaestiones sunt de verbo et nominibus, et legis vestrae; vos ipsi videritis. Interpres videtur illud, *legis veſtræ*, referre ad *quæſtiones*; hoc modo: Si vero ſunt quæſtiones legis veſtræ. At commodius vertiſſet ablativo, *lege veſtra*, idque convenienter cum duobus vocabulis præcedentibus; hoc modo: *De verbo, & nominibus, & lege veſtra*. Nec in Græco eſt, *quæſtiones*, ſed *quæſtio* ſingulari numero.

V. 17. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem Synagogae percutiebant eum. Quæri poteſt, utrum Soſthenes hic ſit idem cum Criſpo paulo ante nominato, qui dicitur crediſſe Domino cum omni domo ſua. Uterque enim dicitur Archiſynagogus; & non apparet Iudæos habuiſſe in una civitate plures Synagogas, quam unam; ut indicatur Act. xv. *Moyſes a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in ſynagogis*. Sed magis videtur non idem fuiſſe. Criſpum enim poſtquam credidit (ut nominis diverſitatem in eodem fere contextu ſermonis omittam) non permiſiſſent Iudæi increduli tam diu poſtea ſynagogæ, nimirum annum unum & ſex menſes, quibus Paulus deinde adhuc legitur manſiſſe Corinthi, antequam illud de Soſthene contingeret. Itaque apparet in Criſpi locum Soſthenem ſuffectum, qui tamen prædicatione Pauli converſus, tandem ipſe credidit, ideoque a Iudæis id indigne ferentibus coram Gallione cæſus eſt. Non enim ullo modo crediderim id quod dicitur, *Apprehendentes*, intelligi de fidelibus, qui Soſthenem tamquam accuſationis Pauli, & motæ contra eum ſeditionis auctorem, conivente Gallione percuſſerint, primum quia Chriſti fideles ferre iniurias, non inferre ſolent, neque ſeipſos ulciſci: maxime coram iudice infideli, de Chriſtiana religione accuſati. Deinde, quia Paulus id ſine dubio prohibuiſſet, atque etiam auctoritate ſua impediiſſet. Poſtremo, de Soſthene fideli ab incredulis verberato hunc locum accipit Martyrol. Rom. 28. Novembris; ubi huius Soſthenis ita meminit; quod a Paulo ex principe ſynagogæ converſus ad Chriſtum, & ante Gallionem proconſulem acriter verberatus, præclaro initio fidei, ſuæ primordia conſecraverit. Græca vide; quæ Græcis, id eſt gentilibus id tribuunt. Deinde diverſos eſſe Soſthenem & Criſpum liquet ex I. Cor. 1. ubi Soſthenes iungitur Paulo initio epiſtolæ, tamquam ſocius ſcribendæ epiſtolæ: de Criſpo autem; *Neminem veſtrum baptizavi niſi Criſpum, & Caium*. Vide noſtrum comment. I. Cor. 1.

V. 18. Et cum eo Priscilla, et Aquila. Sic Apoſtolus Rom. ult. *Salutate Priſcam, & Aquilam*, præpoſito mulieris nomine. Cuius cauſam vide in eius loci com. & apud Chryſoſt. & in ſermone ſuper iis verbis Apoſtoli: *Salutate Priſcam, & Aqui-*

& Aquilam. QUI SIBI TOTONDERAT IN CENCHRIS CAPUT. *Totonderat*, numero ſingulari legendum non plurali, *Totonderant*. Quomodo legiſſe videtur Petrus Lombardus Lib. IV. ſenr. diſt. XXIV. ubi factum hoc tribuit Priſcillæ & Aquilæ; cum Lucas de Paulo hoc dixerit, ſitque manifeſte apud Græcos ſingularis numeri participium; tametſi & ibi ambiguum eſt, utrum ad Paulum, an ad Aquilam referatur. Beda citans Auguſtinum & Hieron. de Paulo exponit; & rationem facti reddit in eius loci annotatione.

V. 21. ITERUM REVERTAR AD VOS DEO VOLENTE. Vide annot. I. Cor. XVI. & Iacobi IV.

V. 25. SCIENS, TANTUM BAPTISMA IOANNIS. *Scire* ad factum refertur, ut alibi ſæpe in Scripturis. *Eum qui non noverat peccatum*, id eſt non fecerat peccatum. *Quæ ignorabam*, id eſt quæ non feceram interrogabant me. Sic hoc loco. *Sciens tantum baptiſma Ioannis*, id eſt tantum baptizatus baptiſmo Ioannis; ſicut & illi de quibus proximo cap. ſequitur. Igitur Apollo catechumenis prædicavit Evangelium, non tamen ut aucteritatem habens, ſeu poteſtatem; ſed ut habens ſcientiam; quam nemo quantumvis plebæus aut privatus aut vilis prohibetur expendere, & communicare. Prædicabat autem non in Eccleſiis Chriſtis ſed in ſynagogis Iudæorum, tamquam vir eloquens & potens in Scripturis, ut hic dicitur. Talibus enim conceſſum erar in ſynagogis docere, etiamſi non eſſent ſacerdotes. Vide annot. Matth. IV. Unde & hic de eo dicitur: *Hic ergo cœpit fiducialiter agere in ſynagoga*. Non eſt autem dubitandum quin fuerit paulo poſt baptizatus, ut aliis ſeq. cap. & hoc inſinuatum videtur in eo quod hic ſequitur: *Priſcilla & Aquila aſſumpſerunt eum & diligentius expoſuerunt ei viam Domini*. Videlicet inter alia oſtendentes baptiſmum quem Chriſtus inſtitnit, eſſe ei neceſſarium. Interim hic nota, etiam mulierem, & quidem priori loco ante maritum nominatam, docuiſſe privatim ea quæ erant Chriſtianæ religionis; ut etiam hic impletum fuerit illud: *Filiæ veſtræ prophetabunt*: Ioel. II. Sed petes; *Si ſciebat tantum baptiſma Ioannis*, quid ergo docebat? Id dicitur præcedentibus verbis: *Et docebat diligenter ea quæ ſunt Ieſu*; id eſt, ut infra explicatur, *Oſtendens per Scripturas eſſe Chriſtum Ieſum*. Poterat enim tamquam vir in ſcripturas veteris teſtamenti exercitatus, ex Prophetis & Pſalmis oſtendere, & convincere Ieſum eſſe Chriſtum; & tamen neſcire baptiſmi Sacramentum a Chriſto eſſe inſtitutum, idque ad ſalutem neceſſarium. Et præcipuum dogma, de quo tunc cum Iudæis agebatur, erat, Ieſum eſſe Chriſtum. Apparet autem hunc ab ipſo Ioanne Baptiſta fuiſſe baptizatum. Nam baptiſma Ioannis non legitur a quoquam alio adminiſtratum. Quod enim de Chriſto legitur, eum per diſcipulos ſuos baptizaſſe, nuſquam legitur de Ioanne. Cur igitur Apollo a Ioanne non tranſiit ad Chriſtum, ſicut alii eius diſcipuli, quos ad Chriſtum miſit? An quia Apollo non fuit inter Ioannis diſcipulos, ſed cum turbis accurentibus ad Ioannem ut baptizarentur, etiam ipſe acceſſit? Sed cur Chriſto prædicante & miracula faciente, non credidit? An quia genere Alexandrinus, non in Iudæa morabatur, ſed ſtatim accepto baptiſmo reverſus eſt ad propria; & proinde ſerius ad illum, ut ad multos alios evangelii prædicatio pervenir? eadem quæſtio eſt de Epheſiis de quibus cap. ſequenti; ac ſimilis reſponſio. Fuerant enim & illi a Ioanne baptizati. Ex qua re intelligitur quanti nominis fuerit Ioannes, ad cuius baptiſmum certatim undequaque concurrebatur; adeoque, ut etiam peregrini qui orationis cauſa Ieroſolymam adſcendebant, ſtatim ad propria redituri; nollent committere quin a Ioanne baptizarentur.

V. 28 OSTENDENS PER SCRIPTURAS ESSE CHRISTUM IESUM. Ordo eſt; Ieſum eſſe Chriſtum, ut ſupra, verſ. 5.

MARIANAE.

Verſ. 2. DISCEDERE OMNES IUDAEOS A ROMA. Expulſionem Iudæorum factam nono Claudii anno Oroſius refert Lib. VII. cap. VII. cauſam Svetonius in Claudio, cap. XXV. quod tumultus concitarent, nempe de Chriſto cum Chriſtianis diſputantes, quos Iudæorum nomine comprehenſos, & una cum illis pulſos, Aquila & Priſcilla monſtrant.

V. 3. SCENOFACTORIAE ARTIS. Cælius Rhodig. Lib. VII. putat feciſſe aulæa; Comeſtor ſutarium facit, vocem *ſcenofa-*

Digitized by Google

Etoria ſcilicet ab *σχίνυ*, id eſt *fune* deduci putans. Alii, quia *σκηνὴν tabernaculum* ſignificat, putat militaria tentoria feciſſe. Hos AElianus Lib. II. de Varia hiſtoria *σκηνοῤῥάφυς* vocat. Coriarius, apud quem Petrus fuit ſupra cap. IX. verſ. 42. *Βυρσεὺς* a *pelle* vocatur: an qui *σκυτοδέψας* ab aliis vocatur, id eſt *currador*, an qui *σκυτοτόμος*, id eſt *inciſor corii*, ſutor, aut qui pelles macerat, incertum. Illud Pſal. CIII. 3. *Qui extendit cælum ſicut pellem*, id eſt ſicut tentorium Euthymius explicat, nempe e pellibus fiebant tentoria. Origenes IV. contra Celſum, Paulum Phrygionem facit *recamador*.

V. 4. INTERPONENTES NOMEN DOMINI IESU. Hoc neque Græc. eſt, neque in Syr. neque in Gotth. Solus Veleſius Græc. ſupplet qua ſolet felicitate.

V. 10. ET NEMO APPONETUR TIBI UT NOCEAT TE; pro, tibi; conſtructio Græca. Gotth. *nemo appones ut noceat te*. Græca utroque modo verti poſſunt. Dei ad Paulum verba.

V. 12. GALLIONE AUTEM PROCONSULE. Iudæi in Paulum ſurrexere Corinthi. An hic Gallio Senecæ Philoſophi & Melæ frater, qui ſuit pater Lucani, an alius? Tempora conſentiunt eumdem ſuiſſe.

V. 15. DE VERBO, ET NOMINIBUS, ET LEGE VESTRA quæſtio eſt. Sic Græc. Gotth. *de verbo & nominibus legis veſtræ*. Lovan. *& legis veſtræ*: ſic Regia. Porro *nomina* res frivolas hic ſignificant.

V. 20. UT AMPLIORI TEMPORE MANERET: ſupple, *ibi*, Epheſi rogabant, ut Gotth. aut, *apud ipſos*, ut eſt Græc.

V. 22. CAESAREAM, ſcilicet Iudææ caput: & ANTIOCHIAM, Syriæ item caput, ivit Paulus.

V. 25. EA QUAE SUNT IESU, aut *de Ieſu*, ut eſt Græc. & Gotth. docebat Apollo.

V. 27. QUI CREDIDERANT. Gotth. additur *per gratiam*, id eſt Dei ope: ſic Græc. & Syr. eis Apollo multum profuit in Achaia.

MENOCHII.

Verſ. 1. VENIT CORINTHUM: quæ erat Metropolis Achaiæ.

V. 2. PONTICUM GENERE: Ponticum, oriundum ex Provincia Ponto. Non eſt hic Aquila ſcripturæ ille interpres, qui & ipſe Pontius fuit, ſed hoc noſtro recentior, nam vixit ſub Adriano Cæſare. EO QUOD PRAECEPISSET CLAUDIUS, &c. Creſcente Chriſtiana religione, Iudæi cum Chriſtianis Romæ frequenter altercabantur, ut ſit inter eos, qui diverſi ſunt dogmatis; itaque timens Claudius, ne in tumultum res tandem erumperet, eos omnes urbe eiicere conatus eſt, qui Iudaicam religionem, quam a Chriſtiana gentiles non diſtinguebant, ſequerentur. Rem Svetonius attigit in vita Claudii cap. XXV. ſed non ſine admixtione mendaciorum.

V. 3. SCENOFACTORIAE ARTIS: *σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην*, *tabernaculorum factores*. Syrus, *opifices conopæorum*: alii, *aulæorum*, quæ ſcilicet fiunt ex conſutis pellibus, hæc enim omnia ad eandem artem pertinent, ſcilicet ſutrinæ pellium.

V. 4. INTERPONENS NOMEN DOMINI IESU: mentionem Chriſti Ieſu inferens, & eius divinitatem oſtendens, &c. ET GRAECIS, & Gentilibus.

V. 5. TESTIFICANS: ex Scripturæ teſtimoniis efficaciter oſtendens Iudæis Ieſum eſſe Meſſiam.

V. 6. BLASPHEMANTIBUS: tum Chriſtum, tum Paulum convitiantibus. EXCUTIENS PAULUS VESTIMENTA SUA: iiſdem de cauſis, quibus excuſſit pulverem pedum, cap. XIII 51. SANGUIS VESTER SUPER CAPUT VESTRUM; quaſi dicat, Culpa, & vitio veſtro peribitis, non meo. MUNDUS EGO: a veſtro ſanguine, & exitio. EX HOC: ex hoc tempore.

V. 7. TITI IUSTI: forte a iuſtitia qua præcellebat Iuſti cognomen invenit. Non eſt hic Titus ille ad quem Pauli extant Epiſtolæ. COLENTIS DEUM: vel gentilis, ſed Deum verum colentis; vel proſelyti.

V. 8. ARCHISYNAGOGUS: Præfectus Synagogæ Iudæorum Corinthi. CREDIDIT DOMINO: cumque ſolum, cum Caio & Stephana Corinthi ſe ſua manu baptizaſſe ſcribit Paulus I. ad Crinth. 1 14. AUDIENTES: Paulum.

V. 9. PER VISIONEM: in ſomnis. LOQUERE, NE TACEAS: quaſi dicat, Loquere palam, libere, intrepide, & magno animo.

V. 10. PROPTER QUOD: propterea quod. NEMO APPONETUR TIBI. Græc. *ἐπιθήσεται*, quoad active verti poteſt, *nemo impones*, vel *iniiciet tibi*, ſcilicet manus; nemo

mo

Digitized by Google

mo adorietur, vel invadet te. NOCEAT TE: noceat tibi. QUONIAM POPULUS MIHI MULTUS EST; quaſi dicat: Multi Corinthii tua prædicatione convertentur, fientque meus populus, & mea Ecclesia.

V. 11. SEDIT: commoratus eſt.

V. 12. GALLIONE PROCONSULE. L. Iunius Gallio Proconſul Achaiæ, fuit frater germanus Lucii Annæi Senecæ præceptoris Neronis, ut teſtatur ipſe Seneca præfatione Lib. IV. quæſt. natur.

V. 13. CONTRA LEGEM: tum Iudæorum, quæ colit unum ſolum Deum incorporeum; tum Romanorum, quæ vetat ſine Senatus conſulto novos deos inducere. COLERE DEUM: Chriſtum, quem Deum eſſe prædicat.

V. 14. APERIRE OS: ut ſui rationem redderet Proconſuli. SI QUIDEM ESSET INIQUUM ALIQUID; quaſi dicat: Si Paulo obiiceretur crimen aliquod, verbi gratia furti, homicidii, ſeditionis, &c. RECTE VOS SUSTINEREM: ut par eſt vos audirem patienter, & vobis ius dicerem.

V. 15. QUAESTIONES DE VERBO, ET NOMINIBUS. Paulus aſſerebat Ieſum eſſe Chriſtum, & Meſſiam, & ita appellandum; negabant Iudæi, hinc orta Gallioni opinio quæſtionem, & altercationem eſſe inutilem, & ad ſe non pertinentem, quippe de nominibus, & vocibus & ſubtilitatibus quibuſdam Iudaicæ legis.

V. 16. MINAVIT EOS A TRIBUNALI: *ἀπήλασε*, repulit, amandavit.

V. 17. PERCUTIEBANT. Gentiles percutiebant Soſthenem, ut eſt in Græco textu, *οἱ Ἕλληνες ἔτυπτον*, percutiebant autem vel ut eum a tribunali cum ſuis abigerent, ut aliqui putant, vel, ut aliis placet, illum Iudæorum inſtigatione verberabant, quod in Paulum propenſus, Iudæorum cauſam frigidius egiſſet coram Proconſule, aut etiam aperte faviſſet, erat enim iam animo Chriſtianus. SOSTHENEM: qui Criſpo ad Chriſtum converſo, ſupra verſ. 8. in principatu, & primatu Synagogæ ſucceſſerat: S. Soſthenis memoria in Romano Martyrologio celebratur, die 28. Novembris. ET NIHIL EORUM GALLIONI CURAE ERAT: quod nimirum Iudæos & eorum rixas nihili faceret.

V. 18. SUSTINUISSET: *commoratus eſſet*: *προσμείνας*. NAVIGAVIT IN SYRIAM: Syriam verſus; tunc enim Epheſum venit, quæ eſt in Aſia. QUI SIBI) TOTONDERAT: qui Paulus ſibi coronam totonderat, finito tempore Nazaræatus, quem ex voto ad certum tempus ſuſceperat, & illo abſoluto, cæſariem depoſuerat. Nazaræi cæſariem alebant, ut habemus ex lege Num. VI. IN CENCRIS. Cenchræ, ut ait Strabo Lib. VIII. eſt portus Corinthi ad Orientem, cui vicinus eſt alter dictus Lecheæ. Ab his duobus portubus Græci Corinthum vocabant bimarem, & Amphithalaſſum.

V. 19. EPHESUM: quæ eſt metropolis Aſiæ minoris. ILLOS: aquilam, & Priſcillam. IBI RELIQUIT: ut Epheſios Chriſti fide imbuerent.

V. 22. DESCENDENS CAESAREAM: Cappadociæ, ut volunt aliqui; ut placet aliis, Palæſtinæ, quod puto probabilius, propterea quod in Græco textu num. 21. habemus: *Oportet omnino feſtum, quod inſtat, me agere Ieroſolymis*. Feſtinantem autem Ieroſolymam non eſt probabile in Cappadociam divertiſſe, ſed recta tendiſſe in Paleſtinam. SALUTAVIT ECCLESIAM; Ieroſolymitanam. ANTIOCHIAM: Syriæ.

V. 23. PERAMBULANS EX ORDINE, &c. iterum reverſus in Aſiam minorem, & Eccleſias ibi conſtitutas viſitans. GALATICAM REGIONEM: Galatiam.

V. 24. APOLLO: nomen indeclinabile, Græce Ἀπολλώς. VIR ELOQUENS: λόγιος, eruditus, diſertus; hæc enim omnia ſignificantur græca voce. POTENS IN SCRIPTURIS: verſatus in ſcripturis, promptus, & efficax in iis citandis, explicandis, urgendis contra adverſarios.

V. 25. EDOCTUS, &c. κατηχημένος, inſtitutus ut catechumenus, doctus primordia fidei Chriſtianæ. DOCEBAT EA QUAE SUNT IESU; ſcilicet Ieſum crucifixum eſſe Meſſiam olim per prophetas promiſſum. SCIENS TANTUM BAPTISMA IOANNIS: nondum Chriſti baptiſmo initiatus, licet baptizatus baptiſmo Ioannis, cuius baptiſmi ritus non ſtatim cum ipſo Ioanne extinctus videtur, ut colligetur ex ſequenti cap. num. 3. Vel dicendum tam Apollo, quam diſcipuli, de quibus eſt ſermo cap. ſequenti loco citato, aſcendentes olim in Iudæam de more ad diem feſtum, fuiſſe ab ipſo Ioanne baptizatos, ante annos circiter viginti, quæ explicatio videtur verior.

V. 26. FIDUCIALITER AGERE: libere, & intrepide Chriſtum prædicare. ASSUM-

ᴘᴇʀᴜɴᴛ ᴇᴜᴍ: in domum ſuam, plenius in Chriſtiana fide erudiendum. Vɪᴀᴍ Dᴏᴍɪɴɪ: ea quæ ad Chriſtianiſmum pertinent. Eхᴏʀᴛᴀᴛɪ ꜰʀᴀᴛʀᴇѕ: ut quod ſtatuerat effectum daret, ut ſcilicet in Achaiam iret, & Corinthum. Dɪѕᴄɪᴘᴜʟɪѕ: Chriſtianis, qui erant Corinthi. Cᴏɴᴛᴜʟɪᴛ ᴍᴜʟᴛᴜᴍ: admodum utilis fuit.

T I R I N I.

Verſ. 1. *Corinthus* Metropolis erat Achaiæ, ſive Peloponneſi, quæ nunc *Moream* dicitur. Plena erat Philoſophis & oratoribus, inquit S. Chryſoſtomus.

V. 2. *Aquila Ponticus* ɢᴇɴᴇʀᴇ, id eſt oriundus ex Provincia *Ponti*, mire laudatur a S. Paulo *a*: & cum uxore ſua *Priſca*, ſeu *Priſcilla*, Catalogo ſanctorum adſcriptus legitur in Martyrol. die 8. Iulii. Et longe antiquior eſt altero illo *Aquila*, etiam *Pontico*, qui ſub Adriano Imp. ex Gentili Chriſtianus, ex Chriſtiano Iudæus factus, primus poſt LXX. vetus teſtamentum ex Hebræo in Græcum convertit, teſte Epiphanio, & Philaſtrio *b*. Cauſam cur Cʟᴀᴜᴅɪᴜѕ Imp. iuſſerit ᴏᴍɴᴇѕ Iᴜᴅᴀᴇᴏѕ, & ex Iudæis oriundos Chriſtianos, Rᴏᴍᴀ *excedere*, dat Svetonius, *eo quod Iudæi Romæ aſſidue tumultuarentur*, idque *impulſore Chriſto:* dicere voluit, occaſione Chriſti, de quo cum Chriſtianis aſſidua Iudæis erat altercatio. Unde Claudius, (ut erat, teſte eodem Suetonio *c*, natura timidiſſimus, & ad ſolum nomen vel umbram novi regis exhorreſcebat) ne quod periculum ſibi a novo Chriſto vel eius aſſeclis crearetur, iuſſit omnes qui ad illum aliquo modo ſpectarent, urbe excedere. Factum id anno 9. Claudii ex Paulo Oroſio, Beda, Adone, & aliis, demonſtrat Baronius. Hugo & Lyranus aliam addunt expulſionis Iudæorum cauſam, nempe quod Meſſalinam Claudii uxorem pellexiſſent ad Iudaiſmum: nam ſimili de cauſa Tiberius eoſdem Roma proſcripſerat, quod Fulviam Saturnini ſenatoris uxorem ad Iudaiſmum traduxiſſent, ut Ioſephus *d* enarrat.

V. 3. Eʀᴀɴᴛ ѕᴄᴇɴᴏꜰᴀᴄᴛᴏʀɪᴀᴇ ᴀʀᴛɪѕ. Syrus, *opifices conopæorum*; Vatablus & alii, *aulæorum*, quæ ſcilicet ex conſutis pellibus fiebant, ut & nunc apud Turcas. Hanc mechanicam artem Paulus, ut alibi *e* exponit, hic exercere voluit, ut nulli fidelium pro victu vel veſtitu moleſtus eſſet, & omnibus conſtaret, illum non lucra, ſed animas venari, atque ita plures ad Chriſtum pertraheret: quod eius conſilium valde dilaudat S. Chryſoſt. *f*

V. 6. Exᴄᴜѕѕɪᴏ ᴠᴇѕᴛɪᴍᴇɴᴛɪ eamdem ob cauſam fiebat, ob quam excuſſio pulveris pedum, de qua alibi *g*. Sᴀɴɢᴜɪѕ ᴠᴇѕᴛᴇʀ ѕᴜᴘᴇʀ ᴄᴀᴘᴜᴛ ᴠᴇѕᴛʀᴜᴍ, id eſt mors veſtra, nempe æterna, capiti veſtro imminens, vobis imputabitur, non mihi; quaſi dicat: Quod mei muneris erat, præſtiti; vos iuvari & morti atque exitio eximi non vultis: veſtra ergo ſola culpa peribitis.

V. 7. *Titus* cognomento *Iuſtus*, forte ab inſigni iuſtitia qua præcellebat, inquit Beda, Hugo & alii, alius eſt a *Tito* Cretæ Epiſcopo, ad quem ſcripſit Paulus.

V. 8. Cʀɪѕᴘᴜѕ ᴀʀᴄʜɪѕʏɴᴀɢᴏɢᴜѕ, id eſt princeps & præfectus ſynagogæ Iudæorum Corinthi, manu Pauli baptizatus cum *Caio* & *Stephana b*, adſcribitur Sanctis in Martyrol. die 4. Octobris.

V. 10. Pᴏᴘᴜʟᴜѕ ᴇѕᴛ ᴍɪʜɪ ᴍᴜʟᴛᴜѕ ɪɴ ʜᴀᴄ ᴄɪᴠɪᴛᴀᴛᴇ Corinthi, tua, o Paule, prædicatione convertendus, meæque Eccleſiæ adſcribendus.

V. 11. Sᴇᴅɪᴛ ɪʙɪ ᴀɴɴᴜᴍ ᴇᴛ ѕᴇx ᴍᴇɴѕᴇѕ, indeque ſcripſit utramque ad Theſſalonicenſes epiſtolam, quarum prior prima fuit omnium epiſtolarum S. Pauli, inquit Baronius ex Chryſoſt. & Theodor.

V. 12. *Gallio* hic germanus frater erat L. Annæi Senecæ *i*, præceptoris Neronis, teſte ipſo Seneca: qui & librum eidem ſcripſit de Remediis fortuitorum: & alterum de Vita beata, inquit Baronius. Ante dicebatur M. Annæus Nouatus, ſed adoptatus a L. Iunione Gallione, cum familia nomen eiuſdem aſſumpſit, de quo fuſe Lipſius k. Porro opera Senecæ videtur a Claudio Proconſul factus Achaiæ Cumque iſtic cauſam ſuam Paulus illi probaſſet, forte hac occaſione, notitia & amicitia exorta eſt inter Paulum & Senecam, & hinc mutuæ litteræ, de quibus S. Hieron. Auguſt. *l* & alii meminerunt. Licet quæ hodie circumferuntur, ſpuriæ cenſeantur, nec dignæ tantis viris. Tam Gallio, quam Seneca a Nerone damnatus, hic ſecta in balneo vena Iovi ſanguinem ulti-

ultimum libavit: ille propria ſe manu interfecit, inquit Euſebius *m*.

V. 13. Persuadet Paulus hominibus Chriſtum hominem colere quaſi Deum contra legem tum Iudæorum, quæ unum ſolum Deum incorporeum coli iubet: tum Romanorum, quæ vetat, ſine ſenatuſconſulto novos inducere deos.

V. 16. De verbo, et nominibus *legis veſtræ*, (ſic quidam codices legunt) quibus contenditis, an Ieſus ſit Meſſias & Dei Filius, nec ne; ego qui rebus politicis intendo, iudex esse nolo. Ita Gallio ſeſe expedivit, a, cauſa Pauli.

V. 16. Et minavit; Græce, *depulit*, *abegit*; Syrus *amandavit*, litigantes a tribunali *ſuo*. Sed illi ſpe ſua necandi Pauli per Proconſulem fruſtrati, furorem omnem evomunt in Soſtheenem a primatiis ſynagogæ ſuæ principibus unum, ſed Paulo pluſculum pro tribunali faventem, forſan & defendentem. Audito enim ex Proconſule, *Vos videritis*, putarunt permiſſan ſibi hac voce vindictam legis ſuæ, in eum maxime quem experiebantur cauſæ ſuæ & legis divinæ, ut cenſebat, proditorem. Hunc Soſthenem laudat, ſociumque ſuum facit S. Paulus initio epiſtolæ I. ad Corinthios. Menologium Græcorum 7. Decembris facit Colophonis Epiſcopum: & Martyrologium Romanum Sanctis eum adſcribit die 28. Novembris.

V. 18. Habebat votum. Supple, nazaræatus, quo cogebatur ſaltem ad tempus alere comam, & abſtinere a vino & ſicera. Hoc voto ſe obſtrinxit Paulus, ut Iudæos & Iudæochriſtianos ſibi, quaſi legalia contemnenti, offenſos deliniret. Profeſſio enim nazaræatus erat profeſſio rigidiſſimæ obſervantiæ legis & ceremoniarum Iudaicarum, fere ut apud Chriſtianos profeſſio ſtatus Religioſi. Sed de his alibi *n*. Hoc votum expleturus Paulus, & comam in templo poſiturus, navigat in Syriam, Ieroſolymam verſus.

Petes, Cur ergo *totondit* caput in Cenchris? Reſpondeo, Quia forſan funere aliquo vel morticini contactu polluerat comam; quo caſu qui votum nazaræatus habebat, pollutam comam reſecare iubebatur, & de novo tempus ſui nazaræatus inchoare. Complet vero votum ſuum Ieroſolymis Paulus verſ. 22.

Cenchræ portus eſt Corinthi ad Orientem, inquit Strabo *o*.

V. 19. Epheſus metropolis erat Aſiæ Minoris, ubi philoſophorum & oratorum erat maxima copia: unde & Apollonius Tyanæus celebris ille magus ſedem iſtic ſibi delegit. Et Ioannes Apoſtolus, etſi totius Aſiæ Eccleſiis intenderet, Epheſi tamen ut plurimum reſedit: hic Epiſcopum poſtea egit *Timotheus*, & eo defuncto *Oneſimus*: hic nobile illud Dianæ templum, de quo cap. ſequenti.

V. 22. Epheso digreſſus Paulus Caesaream Palæſtinæ via maris descendens (inquit Caietan. Arias & Baronius,) inde ascendit tertia *p* iam vice Ieroſolymam, et salutavit matricem iſtic Ecclesiam, e qua ceteræ omnes prognatæ erant. Expletoque nazaræatus voto, inde Antiochiam Syriæ *q* descendit, ubi primum creatus *r* fuerat Epiſcopus & Gentium Apoſtolus: ita Chryſoſt. Baronius & alii.

V. 23. *Galatæ*, ad quos Paulus divertit, quaſi angelum de cælo lapſum excipiunt *ſ*.

V. 24. 25. Apollo, cuius, ſæpe meminit *t* Paulus, viam Domini, id eſt chriſtianiſmum, edoctus quidem erat, inſtar catechumeni, nondum tamen baptizatus baptiſmo Chriſti, ſed ſolo *baptiſmo* Ioannis, de quo alibi *u*. Ipſum ergo

V. 26 Assumpserunt in domum ſuam Priscilla et Aquila, & plenius inſtructum ac baptizatum dimiſerunt Corinthum in *Achaiam*. Neque puduit virum eloquentiſſimum & in Scripturis verſatiſſimum a laicis textoribus *x* inſtrui, egregio omnibus humilitatis ac modeſtiæ documento.

(a) II. ad Timoth. iv. 19. & I. Cor. xvi. 16.
(b) Epiphan. Lib. de Menſuris Philaſtr. hæreſi 60.
(c) Sueton. in Claudio cap. xxv.
(e) Ioſeph. Lib. XVIII. Antiq. cap. iv. & v.
(e) II. Theſſal. iii. 8
(f) Chryſoſt. hom. iv. de laudibus Pauli.
(g) Matt. x. 4. (h) I. Cor. i. 14.
(i) Senec. præfat. Lib. IV. quæſtion. natural.
(k) Lipſius proœmio in Senecam cap. ii. de Vita eius.
(l) Hieron. Lib. de Scriptor. Eccleſ. Aug. ep. liv.
(m) Euſeb. in Chron. an. Chriſti 66.
(n) Num. vi.
(o) Strabo Lib. VIII.
(p) Act. ix. 26 & xv. 4.
(q) Act. xiii. 14. (r) Ibid. verſ. 2. & 3.
(ſ) Gal. iv. 14. (t) I. Cor. xiii. 4. 6. &c.
(u) Matt. iii. 6. & Act. xix. 1. & 4.
(x) Act. xviii. 2. & 3.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 1. CORinthus metropolis Peloponnenſi, quæ nunc vocatur Morea: annus eſt Chriſti 52. quo primam ſcripſit Paulus Epiſtolam, nempe ad Theſſalonicenſes per Silam & Timotheum. Reperit Corinthi Aquilam Ponticum & uxorem eius, de quo in Martyrologio 8 Iulii. Non eſt hic Aquila Ponticus, qui primus poſt 70. vertit Teſtamentum vetus ex Hebræo in Græcum anno Chriſti 131. homo ex Chriſtiano Iudæus. De eiectis Iudæis Roma lege Sueton. in Claudio, cap. xxv. ſed cum delectu, nam miſcet falſa. Contendebant Iudæi adverſus novos Chriſtianos. Ad vitandum tumultum utroſque eiecit Claudius.

V. 3. SCENOFACTORIAE. Syrus *opifices conopæorum*; alii aulæorum. Græce σκηνοποιοί. Ex conſutis quidem pellibus varia fiunt opera, idque ab uno eodemque artifice.

V. 4. & 5. INTERPONENS NOMEN DOMINI. Hoc deeſt in Græco & Syro. *Interponens*, mentionem faciens Ieſu Chriſti annuncians etiam divinitatem; GRAECIS, gentibus.

V. 6. CONTRADICENTIBUS. Convicia in Paulum iactabant, & blaſphemias in Chriſtum. Excutiebat veſtimenta, ut iuſſit Chriſtus Matth x. 14. in ſignum contempti Evangelii, & vindictæ in contemptores. Sic ſupra cap. XIII. 51. SANGUIS, perditio veſtra in vos eſt. Mundi ſunt ſane miniſtri; functi hic ſunt officio.

V. 7. & 8. Non eſt hic Titus ad quem ſcripſit Paulus epiſtolam, Cretæ Epiſcopum. Criſpus hic eſt Corinthi Præfectus Synagogæ, de quo in Martyrologio 4. Oct. & I. Cor. 1. 14.

V. 9. & 10. Hac viſione movetur Paulus ut intrepide agat, quia multi convertentur. Novit ſane Dominus qui ſunt eius, nec peribunt quos decrevit ſalvare: nec erit qui contradicens impediat.

V. 12. GALLIONE. De hoc proconſule le; Senecam in Præfat. Lib. IV. quæſt.natur. Nam fuit Gallio frater germanus Senecæ præceptoris Neronis: vide Lipſium, Procemio in Senecam cap. II. de vita Senecæ. Hinc forte poſtea Romæ amicitia inter Paulum & Senecam, qui occiſus a Nerone eſt, biennio ante martyrium Pauli, quod contigit anno 69. Epiſtolæ tamen quæ mutuæ circumferuntur, ſunt ſuſpectæ fidei. Interim Gallio recuſat audire (non ſuſtinet) lenes querimonias de verbis contra Paulum. Hic verſ. 16. MINAVIT eos a tribunali, repulit, ἀπήλασε. Proconſul quidem quæſtionem an Ieſus dicendus ſit Meſſias, & ſimiles, dicebat eſſe de verbis.

V. 17. PERCUTIEBAT SOSTHENEM. Fit mentio Soſthenis in Romano Martyrolog. 28. Novemb. Hic Criſpo converſo ad fidem ſucceſſit in præfectura Synagogæ. Verberant illum Ἕλληνες, gentiles, ut abigerent, vel certe inſtigantibus Iudæis, quod frigide agendo cauſam Iudæorum, viſus ſit Paulo favere.

V. 18. SUSTINUISSET. Cum manſiſſet Paulus aliquandiu Corinthi, navigat cum Aquila Syriam verſus, & venit Epheſum quæ eſt in Aſia. Cenchræ navale vel portus eſt Corinthi verſus Orientem. Ibi Paulus exacto tempore Nazareatus (quem ſuſceperat ex voto ad certum tempus) comam totondit. Vide Nu. VI. ubi de Nazaræis, qui comam nutriebant. Aliquibus videtur Aquila qui hic totondit crines; ſed verius eſt quod dixi ex Auguſtino Epiſt. 19. & Hieronymo Epiſt. 11. ut etiam notavi in Chron. ad ann. Chriſti 54. quo puto Paulum diſceſſiſſe Corintho.

V. 19. DEVENITQUE EPHESUM, Epheſi, ſicut & Corinthi erat Philoſophorum & Oratorum multitudo: ubs eſt quam metropolim faciunt Aſiæ minoris, Dianæ templo inſignis. Hic ut plurimum morabatur Ioannes Apoſtolus cum commendata ipſi matre Domini. Brevi inde diſceſſit Paulus.

V. 22. ET DESCENDENS. Attingit iter Pauli Epheſo ad varias Palæſtinæ & Aſiæ civitates, ut hic ſcribit Lucas, & attigi in Chron. ad ann. Chriſti 45. quo puto Paulum rediiſſe Epheſum, ubi erat ſtrenue laborans Apollo.

V. 24. & 25. IUDAEUS AUTEM QUIDAM APOLLO. Nomen indeclinabile eſt, ſed vir potens verbo & opere, & doctus viam Domini ab Aquila, ut hic narrat Lucas, κατηχημένος. BAPTISMA IOANNIS. Et nunc Epheſi baptiſmum Chriſti accepiſſe putatur.

CA-

CAPUT XIX.

Paulus Epheſi quoſdam diſcipulos Ioannis tantum baptiſmate baptizatos, iubet in Ieſu nomine baptizari, ac manuum impoſitione Spiritum ſanctum ipſis impetrat, ibique prædicans multa edit ſigna: de Iudæis qui non credentes conabantur nomine Ieſu a Paulo prædicati adiurare dæmonia: multi peccata confitentes, libros ſuperſtitioſos exurunt: Demetrius argentarius gravem adverſus Paulum ſeditionem excitat, quam ægre tandem ſedat Alexander.

1. FActum eſt autem, cum Apollo eſſet Corinthi, ut Paulus
peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum, & in-
veniret quoſdam diſcipulos: 2. dixitque ad eos: Si Spi-
ritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad
eum: Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus. 3.
Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt:
In Ioannis baptiſmate. 4. Dixit autem Paulus: (a) Io-
annes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens:
In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Ieſum.
5. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. 6. Et cum impoſuiſ-
ſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur lin-
guis, & prophetabant. 7. Erant autem omnes viri fere duodecim. 8. Intro-
greſſus autem ſynagogam, cum fiducia loquebatur per tres menſes, diſputans,
& ſuadens de regno Dei. 9. Cum autem quidam indurarentur, & non cre-
derent, * maledicentes viam Domini coram multitudine, diſcedens ab eis,
ſegregavit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola tyranni cuiuſdam. 10. Hoc
autem factum eſt per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Aſia, audi-
rent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles. 11. Virtuteſque non quaslibet
faciebat Deus per manum Pauli: 12. ita ut etiam ſuper languidos deferrentur
a corpore eius * ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, &
ſpiritus nequam egrediebantur. 13. Tentaverunt autem quidam & de circum-
euntibus Iudæis exorciſtis, invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos,
nomen Domini Ieſu, dicentes: Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædi-
cat. 14. * Erant autem quidam Iudæi Scevæ principis ſacerdotum ſeptem filii,
qui hoc faciebant. 15. Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis: Ieſum
novi, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? 16. * Et inſiliens in eos homo,
in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, invaluit contra
eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa. 17. Hoc autem notum
factum eſt omnibus Iudæis, atque Gentilibus, qui habitabant Epheſi: & ce-
cidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Ieſu. 18.
Multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus ſuos. 19.
Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & com-
buſſerunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecu-
niam denariorum quinquaginta millium. 20. Ita fortiter creſcebat verbum
Dei, * & confirmabatur. 21. His autem expletis, propoſuit Paulus in Spiritu,
tranſita Macedonia & Achaia ire Ieroſolymam, * dicens: Quoniam poſtquam
fuero ibi, oportet me & Romam videre. 22. Mittens autem in Macedoniam
duos ex miniſtrantibus ſibi, Timotheum & Eraſtum, ipſe remanſit ad tem-

pus

pus in Aſia. 23. Facta eſt autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. 24. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum: 25. quos convocans, & eos qui huiuſmodi erant opifices, dixit: Viri, ſcitis quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio: 26. & videtis, & auditis, quia non ſolum Epheſi, ſed pæne totius Aſiæ, Paulus hic ſuadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non ſunt dii, qui manibus fiunt. 27. Non ſolum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, ſed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, ſed & deſtrui incipiet maieſtas eius, quam tota Aſia, & orbis colit. 28. His auditis, repleti ſunt ira, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Epheſiorum. 29. Et impleta eſt civitas confuſione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli. 30. Paulo autem volente intrare in populum, non permiſerunt diſcipuli. 31. Quidam autem & de Aſiæ principibus, qui erant amici eius, miſerunt ad eum rogantes ne ſe daret in theatrum: 32. alii autem aliud clamabant. Erat enim Eccleſia confuſa: & plures neſciebant qua ex cauſa convenissent. 33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu ſilentio poſtulato, volebat reddere rationem populo. 34. Quem ut cognoverunt Iudæum eſſe, vox facta una eſt omnium, quaſi per horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum. 35. Et cum ſedaſſet ſcriba turbas, dixit: Viri Epheſii, quis enim eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ, Ioviſque prolis? 36. Cum ergo his contradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temere agere. 37. Adduxiſtis enim homines iſtos, neque ſacrilegos, neque blaſphemantes deam veſtram. 38. Quod ſi Demetrius, & qui cum eo ſunt artifices, habent adverſus aliquem cauſam, conventus forenſes aguntur, & proconſules ſunt, accuſent invicem. 39. Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima Eccleſia poterit abſolvi. 40. Nam & periclitamur argui ſeditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius ſit (de quo poſſimus reddere rationem) concurſus iſtius. Et cum hæc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam.

(a) Matt. III. 11. Mar. I. 8. Luc. III. 16. Ioan. I. 26. Sup. I. 5. & XI. 16.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 9. *Maledicentes viam Domini*. Non omittas *Domini*.

Verſ. 12. *Sudaria & ſemicinctia*. Alii pro copulativa ſcribunt diſiunctivam *vel*.

Verſ. 14. *Erant autem quidam Iudæi Sceuæ principis ſacerdotum ſeptem filii*. Alii libri præponunt *Sceuæ*, poſtponunt *Iudæi*.

Verſ. 16. *Et inſiliens in eos homo*. Congruentior eſt hic verborum ordo, illo quo *homo* ponitur ante *in eos*.

Verſ. 20. *Et confirmabatur*, id eſt *confortabatur*, ut quidam legunt.

Verſ. 21. *Dicens, quoniam poſtquam fuero ibi*. Non oportet omittere *quoniam*, tametſi ſenſus ſuperfluat.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. SI; pro, num.
Verſ. 3. IN QUO; pro, quo baptiſmate.

V. 5. NOMINE, id eſt fide, virtute, & invocatione.

V. 6. PROPHETABANT, id eſt Deum laudabant, ſeu de divinis myſteriis loquebantur. Vide ſup. cap. x.

SUADENS, id eſt perſuadens, ſeu prædicans.

V. 9. VIAM DOMINI, id eſt Chriſtianam Religionem. TYRANNI, &c. Syr. *cuiuſdam nomine Tyranni*. Apparet hunc locum dediſſe, ubi Paulus Scholam faceret ad docendum.

V. 10 OMNES, id eſt quamplurimi.

V. 11. NON QUASLIBET, id eſt vulgares Syr. *maximas*.

V. 12. A CORPORE, id eſt quæ geſtabat. SEMICINCTIA, id eſt zonæ, ſeu, cinguli partes. Quidam putant eſſe ſudaria, ut ſit explicatio: eſt enim Græc. *σουδάρια ἢ σιμικίνθια*.

V. 13. ADIURO; quaſi dicat, Cogo, ſeu iubeo, in Chriſti nomine, ſeu virtute.

V. 16. AMBORUM. Græc. & Syr. *eorum*.

V. 18. CONFITENTES, &c. Syr. *renuntiantes offenſas ſuas, & confitentes quod fecerant*.

V. 19. CURIOSA. Syr. *magica*. MILLIUM, ſcilicet quinque millium aureorum.

V. 20. CONFIRMABATUR. Græc. *fortificabatur*.

V. 21. IN SPIRITU, id eſt ductu Spiritus ſancti. Syr. *in mente ſua*.

V. 23. MINIMA. Græc. *parva*. VIA DOMINI, ſcilicet doctrina Evangelica.

V. 24. AEDES, id eſt templa, ſeu thecas ſtatuarum, effigie templi.

V. 25. ACQUISITIO, id eſt lucrum.

V. 26. EPHESI, ſcilicet hominibus.

V. 27. PARS, id eſt negotium, ſcilicet noſtræ artis. IN REDARGUTIONEM, id eſt reprobationem; quaſi dicat, Ut contemnatur.

V. 32. ECCLESIA, id eſt cœtus ille hominum.

V. 33. DETRAXERUNT: forte ne occideretur.

V. 35. SCRIBA. Forte ipſe Alexander. Syr. *Princeps civitatis*.

V. 36. NON POSSIT, ſcilicet vulgo; vel quaſi dicat, Cum nemo contradicat.

V. 38. FORENSES, ſcilicet de rebus ad forum ſeu iudicium pertinentibus: fiebant autem apud Proconſules. PROCONSULES, &c. Syr. *Proconſul in urbe eſt*.

V. 39. ECCLESIA, id eſt concione, ſeu congregatione. Quidam referunt ad conventus Iudæorum ſolemnes, ubi cauſæ determinabantur. ABSOLVI, id eſt definiri.

V. 40. OBNOXIUS, id eſt in culpa, ſeu auctor. ECCLESIAM, id eſt cœtum.

E S T I I.

Verſ. 2. SI SPIRITUM SANCTUM ACCEPISTIS CREDENTES? Non hoc quærit utrum acceperint gratiam iuſtificantem, quam Spiritus ſanctus interius in animo operetur; hoc enim certo non cognoſcitur ab homine, neque ex homine interrogari ſolet; ſed de Sacramento interrogatio eſt, utrum videlicet manus impoſitio eis adhibita fuerit, ut fit in confirmatione; & ſæpe viſibili ſigno præſentia Spiritus ſancti teſtata fiebat. Ponitur itaque effectus pro cauſa ſua inſtrumentali, per Metonymiam. Nota vocari diſcipulos & credentes, qui nec baptizati erant, nec fidem adhuc tenebant de Spiritu ſancto, parati tamen perfectius inſtrui; ſicut & Apollo capite præcedenti, qui ſciebat tantum baptiſma Ioannis, & tamen edoctus erat viam Domini, & docebat diligenter ea quæ ſunt Ieſu: SED NEQUE SI SPIRITUS SANCTUS EST, AUDIVIMUS.

V. 3. IN QUO ERGO BAPTIZATI ESTIS? Liquet baptizandos ſolere catechizari etiam de myſterio Trinitatis, ſcilicet ut crederent in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum; nam ex eo quod dicebant ſe non audiviſſe, an Spiritus ſanctus ſit, id eſt de ea re non eſſe inſtitutos, colligit Apoſtolus

ſtolus eos non eſſe baptizatos baptiſmo Chriſti. Unde e diverſo ſequitur, baptizatos Chriſti baptiſmo, myſterio Trinitatis per catechiſmum fuiſſe imbutos. Niſi forte quis dicat Paulum reſpicere ad formam verborum, quibus perſicitur baptiſmi Sacramentum, in qua forma auditur nomen Spiritus ſancti; quare, ſi id non audierant, eo baptiſmo non erant baptizati. Sed quod prius dixi, probabilius eſt. Verum quomodo nondum audierant Spiritum ſanctum eſſe, cum Ioannes ad ſe venientibus teſtatus fuiſſet poſt ſe venturum, qui baptizaret in Spiritu ſancto; & ſibi dictum eſſe: *Super quem videris Spiritum deſcendentem*, &c. Et illud: *Non ad menſuram dat Deus Spiritum?* Reſp. Ioannes hæc non dixit omnibus ad ſe venientibus, ſed quibuſdam, idque opportuno tempore; nam ab univerſa multitudine venientium ad ſe, tantum exigebat profeſſionem pœnitentiæ, & prædicabat venturum Chriſtum. Nam quod dicitur Lucæ III. Ioannem dixiſſe *omnibus*; intellige, tunc præſentibus, & ſenſus eſt: Dixit non occulte, ſed palam coram quibuſcumque quaſi voce publica.

V. 4. IOANNES BAPTIZAVIT BAPTISMO POENITENTIAE POPULUM. Manifeſte oſtenditur diſcrimen fuiſſe inter baptiſmum Ioannis & Chriſti, quia qui baptizati erant baptiſmo Ioannis, iterum baptizantur baptiſmo Chriſti. Quod autem ſit diſcrimen non exprimitur hoc loco. Et Conc. Trid. anathtema dicit iis, qui negant quidquam eſſe diſcriminis inter baptiſmum Ioannis & Chriſti; nec tamen etiam diſcrimen illud explicat, unde Canone illo Concilii non damnatur quorumdam veterum ſententia, ut Baſilii, Nazianzeni, Chryſoſt. Cyrilli Ieroſolymitani, qui baptiſmo Ioannis remiſſionem tribuunt peccatorum; baptiſmo Chriſti adoptionem filiorum. Vide noſt. in ciſt. 2. quarti.

V. 5. BAPTIZATI SUNT IN NOMINE IESU: non a Paulo, ſed a diſcipulis. Paulu enim non tam ad baptizandum miſſus, quam ad evangelizandum pauciſſimos baptizavit I. Cor. I. Dicunt quidam quod a Barnaba, ut Franciſcus Maironius in I. diſt. 31. ſed falluntur; tum quia Barnabas iam dudum a Paulo diſceſſerat Act. XV. tum quia Barnabas non minus erat Apoſtolus, quam Paulus. Quare dici non poteſt quod Barnaba baptizante Paulus poſtea manus imponeret, velut poſt presbyterum, vel Diaconum Epiſcopus. Et quidem Barnabas in apoſtolatu Paulo prior erat tempore, & a Lycaoniis Iupiter putatus, cum Paulum dicerent & Mercurium.

V. 9. SEGREGAVIT DISCIPULOS: ſcilicet ſeorſim inſtituendos, & non in publica Synagoga, ubi a Iudæis in ſua incredulitate obfirmatis ei reſiſtebatur. QUOTIDIE DISPUTANS IN SCHOLA TYRANNI CUIUSDAM. Tyranni nomen proprium eſt. Videtur autem quiſpiam fuiſſe, qui ſcholam vel locabat, vel gratis præbebat ad opus docendi & diſputandi. Sic II. Machab. IV. 40. *Duce quodam Tyranno*, ubi etiam videtur eſſe nomen proprium. Tyrannum dici pro homine potente, non eſt veriſimile, quia tempore Lucæ, vocabulum illud tantum accipiebatur in malum apud Græcos & Latinos.

V. 12. SUDARIA ET SEMICINCTIA. Utrumque ex latino græcum eſt, ſed & alibi ut Ioannis XX. latina vox græce poſita eſt. Vide Gaignæum ex Oecumenio de ſemicinctiis & orariis quædam adferentem. Beda Retractat. in Acta refert, quid Gregorius Papa quando adhuc erat Archidiaconus, amico cuidam ex Britannia ſe conſulenti ſuper hac voce, *Semicinctia*, reſponderit. In græco eſt σημικίνθια. Vide Calepigum ex Epigrammate Martialis de de Semicinctio. Plautus in Aululatia nominat inter opifices, etiam ſemizonatios, quos Calepinus interpretatur qui ſemicinctia conficiebant.

V. 13. DE CIRCUMEUNTIBUS IUDAEIS EXORCISTIS. Hinc apparet quod alias eiecerant dæmones, ſicut illi de quibus Dominus in evangelio Matth. XII. *Filii veſtri in quo eiiciunt?* Verum quia nondum credebant in Chriſtum, & tamen adiurabant dæmonem per Ieſum a Paulo prædicatum, ideo non potuerunt eiicere. INVOCARE SUPER EOS QUI HABEBANT SPIRITUS MALOS. Et infra: *Reſpondens autem ſpiritus nequam, dixit eis*. Et iterum: *Et inſiliens homo in eos in quo erat dæmonium peſſimum*. Pro malo, nequam, peſſimo, græce una eademque vox eſt τὸ πονηρὸν, ut mirum ſit cur hæc latinarum vocum varietas interpreti placuerit. Sed & dæmonium græce eſt πνεῦμα, *Spiritus*, ſicut in duabus ſententiis prioribus.

V. 14.

V. 14. ERANT AUTEM QUIDAM IUDAEI SCEVAE PRINCIPIS SACERDOTUM SEPTEM FILII. Hic Sceva inter pontifices Iudæorum nuſquam numeratur nec a Ioſepho, nec ab alio quoquam. Hinc ergo probabile fit nomen ἀρχιερεῖς, quod noſter interpres modo pontificem, modo principem ſacerdotum vertit, non pertinuiſſe ad ſolum pontificem, qui ſemper unus erat apud Iudæos, ſed ad omnes illos qui in viginti quatuor claſſibus, in quas fuerant ſacerdotes a Davide diſtributi, primi erant ac principes. De qua re vide Annot. Matt. II. Ceterum filios quidam non inepte interpretantur diſcipulos, nam diſcipulos dici filios, hebraicæ conſuetudinis eſt. Vide Annot. Matth. XII.

V. 15. IESUM NOVI, ET PAULUM SCIO. *Ieſum*, tamquam dominum & Dei filium; *Paulum*, tamquam verum eius Apoſtolum: Noverat autem utrumque evictus ipſa rerum experientia; videbat enim quotidie per Chriſti virtutem plurimos ſuo dominio eripi, & Chriſti religione imbutos cæleſtis regni & felicitatis fieri participes. Unde certiſſimo argumento colligebat, religionem illam non poſſe eſſe falſam. Vide ſupra ad caput XVI. VOS AUTEM QUI ESTIS? Id eſt, non novi vos; nullam veſtram expertus ſum virtutem quam timere debeam. Alio modo noverat eos tamquam membra ſua, ad ſuum regnum pertinentia; erant enim in fideles. Interrogatio autem contemptum ſignificat; quaſi dicat: Nullius eſtis poteſtatis, propter quam noſſe vos debeam.

V. 16. ET DOMINATUS AMBORUM: duobus tantum contigit quod hic narratur, licet & alii idem fruſtra tentaſſent, ut ſupra ſignificatur.

V. 18. MULTIQUE CREDENTIUM VENIEBANT, CONFITENTES ET ANNUNCIANTES ACTUS SUOS. Quidam ſacramentalem confeſſionem hinc ſtatuunt, & nonnihil pro iis facere videtur quod in Græco eſt πεπιστευκότων, id eſt *eorum quæ crediderunt*. Sed revera non alia videtur hic intelligi confeſſio, quam qualis facta legitur Matt. III. a Iudæis venientibus ad baptiſmum Ioannis, quam conſtat non fuiſſe ſacramentalem. Erat autem quædam exterior profeſſio veræ pœnitentiæ, & ſinceræ converſionis ad Deum; ac deteſtationis peccatorum, ſi quis ea non vereretur etiam palam annuntiare; quod videtur hic factum ab iis qui recens crediderant, & baptizari volebant, inter quos erant qui curioſa fuerant ſcrutati, id eſt magica exercuerant; atque hoc peccatum ſuum etiam allatis ſecum libris, iiſque publice combuſtis, confeſſi ſunt.

V. 19. MULTI EX HIS QUI FUERANT, CURIOSA SECTATI, CONTULERUNT LIBROS ET COMBUSSERUNT CORAM OMNIBUS. Quæ curioſa fuerint non dicitur, ſed dubium non eſt, quin fuerint artes non tantum curioſæ & vanæ; verum etiam continentes noxiam & magicam ſuperſtitionem. S. Auguſt. in fine enarrationis Pſalmi LXI. ſentit in his libris ſcripta fuiſſe, quæ pertinerent ad divinationes aſtrologicas, vocatque eiuſmodi doctrinam nefariam & ſacrilegam. Et iſtorum pœnitentium exemplo Mathematicum quemdam pœnitentem producit in publicum, libros ſuos portantem incendendos. Hieron. præfatione in Epiſt. ad Epheſios dicit artium magicarum præſtigiis deditam fuiſſe hanc civitatem. Ceterum libros huiuſmodi ſuperſtitioſa continentes combuſſerunt ob duas potiſſimum cauſas. Primo, in deteſtationem magicæ ſuperſtitionis; ſecundo, ne libri illi deinceps a quoquam alio lecti, ad ſimilem ſuperſtitionem ducere poſſent. Eadem eſt ratio comburendi libros hæreticorum; quem morem ab initio uſque ad hæc tempora ſemper Eccleſia ſervavit, accedentibus etiam vetuſtis Imperatorum ſanctionibus, quæ hoc ipſum fieri præcipiunt. Nam & hæreticam omnem pravitatem maxime deteſtari debet omnis Chriſtianus: & ſicut ſermo hæreticorum ore prolatus, ita & ſententia libris ſcripta, ut cancer ſerpit; ideoque omni modo conandum, ut eiuſmodi libri e medio tollantur.

V. 21. HIS AUTEM EXPLETIS, PROPOSUIT PAULUS IN SPIRITU, TRANSITA MACEDONIA ET ACHAIA, IRE IEROSOLYMAM, &c. Eo tempore quo hoc propoſuit, ſcripta eſt prima epiſtola ad Corinthios, ut ſatis apparet ex ultimo capite eius epiſtolæ. Ex quo etiam ſequitur, Epheſi ſcriptam eſſe. Quod autem hic dicitur: *Paulum in ſpiritu*, id eſt per revelationem ſancti ſpiritus; *propoſuiſſe tranſita Macedonia & Achaia ire Ieroſolymam*; non videtur illa revelatio ſpiritus pertinere ad tranſitum per Macedoniam & Achaiam; ſed tantum ad profectionem Ieroſolymitanam; de qua in-

ſra adhuc teſtatur ipſe, & Agabus per ſpiritum, quod Ieroſolymis multa pati deberet, cap. xx. & xxi. Quamquam verum eſt quod in Macedoniam poſtea venerit, ut hoc capite narratur: immo & in Achajam, id eſt Græciam, ut expreſſe dicitur ſequenti capite; atque adeo Corinthum, quæ primaria civitas Achaiæ erat, venit. Inde enim ſcripta eſt epiſtola ad Romanos; utique ſcripta poſt utramque ad Corinthios. Verum ad illum tranſitum, ut dixi, non pertinere revelationem quam a Spiritu acceperat, ſatis oſtenditur ex II. Cor. I. ubi de promiſſo non ſervato ſe excuſat, quia erat promiſſum humanum non divinum, tametſi poſtea venit. Vide ibid. noſt. com.

V. 21. Oportet me et Romam videre. Sane exiſtimandum eſt hoc quoque Paulum in ſpiritu dixiſſe, id eſt per revelationem ſpiritus, ſicut in Spiritu Ieroſolymam ire propoſuerat, & ob hanc cauſam puto eum poſtea cum a Iudæis periclitaretur, Romam appellaſſe.

V. 25. Quia de hoc artificio est nobis acquisitio. Cupiditatem quæſtus inter alias eſſe cauſam ſeu fomentum idololatriæ, docet Sapiens cap. xv. *ſed & æſtimaverunt*, inquit, *luſum eſſe vitam noſtram, & converſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere undecumque, etiam ex malo, acquirere.* (ecce acquiſitio) *Hic enim ſcit ſe ſuper omnes delinquere, qui ex terræ materia*, &c.

V. 28. Magna Diana Ephesiorum. Hæc Diana quæ fuerit, vide S. Hieronymum in Præfatione Commentar. in Epiſtolam ad Epheſios.

V. 35. Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesii, &c. Hæc dicuntur de ſcriba civitatis, non de Alexandro Iudæo, quem, quia Iudæus erat, Epheſii tumultuantes audire nolebant; neque verba quæ hic dicuntur, Alexandro Iudæo conveniunt. Vide noſtra I. ad Tim. I. & II. ad Tim. IV. Item hic Lorinum. Iovisque prolis. Græce ἐκ τοῦ διοπετοῦς: ſub auditur ἀγάλματος. Senſus autem eſt: Et a Iove delapſi ſimulachri. Ad ipſam Dianam referri non poteſt vocabulum Græcum, habet enim articulum τοῦ, non τῆς. Erat apud Epheſios ſimulacrum Dianæ, quod quo maiori religione coleretur, vulgo perſuaſum erat e cælo, & ab ipſo Iove demiſſum eſſe, quomodo Numa Pompilius perſuaſit Romanis ancile lapſum eſſe de cælo.

V. 37. Neque blasphemantes deam vestram; id eſt, nulla maledicta nec probra iactantes in deam veſtram. Id hactenus verum, quia forte nominatim in Dianam a Chriſtianis nihil dictum fuerat, ſed tantum in genere illud: *Non ſunt dii qui manibus fiunt.* Non liquet autem utrum hic ſcriba iam ad fidem unius Dei converſus erat. Certe quamvis ad ſedandum animos vulgi videatur honorifice loqui de Diana; oratio tamen eius quamdam ſignificationem habet ſtudii erga Chriſtianos.

MARIANAE.

Verſ. 5. Baptizati sunt in nomine Domini Iesu, id eſt iuxta traditionem & doctrinam Ieſu: ſicut cum dicitur, *baptizatos in Chriſtum & in mortem Chriſti*; ſcilicet ut docuit Chriſtus, ſed conſueta forma: ſic Eulog. Alexander contra Novatian. in extrema Photii Bibliotheca.

V. 9. Tyranni cuiusdam. In ſchola Epheſi diſputabat Paulus. Nomen proprium eius qui eam ſcholam ædificavit, aut qui in ea docebat, eſt *Tyrannus*.

V. 11 Virtutesque non quaslibet, id eſt miracula, faciebat Paulus. Alii, *non modicas*. Regia, *non modicas quaslibet*: ſententia eadem.

V. 12. Sudaria, et semicinctia. Græc. *vel ſemicinctia*. Utraque vox Romana: *ſudarium* ad abſtergendum, *ſemicinctia* ad pudenda tegenda, Græc. hæc *perizomata* ſunt. Illa in Polluce Libro VII. Romanæ ſunt etiam aliæ voces in Sacris: *Libertini*, Act. VI. *Prætorium*. Matth. XXVII. & *cuſtodia*, ibidem. *Niger*, *Euroaquilo*, *centurio*, *titulus*, Ioan. XIX. *denarius*, *quadrans*, *legio*, *ſpeculator*, *linteum*, *colonia*, *flagellum*, Ioan. II. *membrana*, *cenſus*, Matth. XVII. *perperam*. I. ad Cor. XIII. *artemon*, id eſt trochlea ſeu velum: *ſicarii*, Act. XXII. Quæ omnes voces ex Romana in Græcam linguam Apoſtolorum ætate tranſierant.

V. 14. Iudaei Scevae: in genitivo, ſeptem filii erant. Principis sacerdotum, id eſt e præcipuis ſacerdotibus: nam ſummum ſacerdotem hoc nomine in Nicephori Conſt. Chronologia non invenio.

nio. Male ergo Siriaci Interpres pro רבכהבא *Rab cahane*, poſuit *ſummi ſacerdotis*.

V. 16. ET DOMINATUS AMBORUM. Syr. & Græc. *dominatus* ἀυτῶν *eorum*, nam erant ſeptem. Verum quidam codices Græci ἀμφοτέρων habent, id eſt *amborum*, ut Robertus & Veleſius notant.

V. 19. QUI FUERANT CURIOSA SECTATI, attulerunt libros. Magicis artibus dediti erant Epheſii. Unde in proverbium abiit, *Epheſia grammata*, de iis qui obſcure & perplexe loquuntur, qualia erant magorum reſponſa. Inde apud Hiſpanos manavit, ut vulgo dicantur *ad Epheſios loqui*, qui ſtulte & non ad rem. Poſſunt etiam hi libri *chalchimiæ*, id eſt permutandi metalla intelligi, quos artifices, ut Suidas in Χημεία ait, Diocletianus in AEgypto comburi juſſit, ne ditati abuterentur pecunia.

V. 24. ARGENTARIUS. Hæc vox proprie *trapezitam* ſignificat, hic *aurificem*, Græc. ἀργυροκόπος, *cudens argentum*.

V. 27. SED ET MAGNAE DIANAE. Græc. *ſed & magnæ deæ templum Dianæ*: ſic Syr. & Gotth. *magnæ deæ Dianæ templum*.

V. 32. ECCLESIA. Gotth. *conventus confuſus erat*, ſic verſ. 39. & 40. pro *Eccleſia*, *conventum* ponit Gotth. codex.

V. 33. DE TURBA AUTEM DETRAXERUNT. Gotth. *produxerunt*. Iudæi fideles volebant ut Alexander pro ipſis & pro Paulo loqueretur, & ſedaret turbam.

V. 35. CUM SEDASSET SCRIBA. Syr. *princeps civitatis* Diverſus certe ab Alexandro, & Gentilis, quando Dianam laudat, præcipua vir auctoritate.

V. 40. CUM NULLUS OBNOXIUS SIT DE QUO. Gotth. *cum cauſa ſit nulla, de qua poſſimus reddere rationem*. Variæ interpretationis occaſio vox αἴτιος fuit, quæ & *reum obnoxiumque* & *cauſam* ſignificat. Sententia tamen non diſcrepat.

MENOCHII.

Verſ. 1. PERAGRATIS SUPERIORIBUS PARTIBUS: Galatia, & Phrygia, poſtquam Ieroſolymis veniſſet Antiochiam, de quo cap. præcedenti verſ. 23.

V. 2. SI SPIRITUM SANCTUM ACCEPISTIS? Accepiſtis ne Spiritum ſanctum? id eſt, eſtis ne Sacramento Confirmationis conſignati? In confirmatione enim initio naſcentis Eccleſiæ viſibiliter dabatur Spiritus ſanctus. Vide ſupra cap. VIII. 17. & 18. CREDENTES: πιστεύσαντες, id eſt poſtquam credidiſtis, & baptizati eſtis. SED NEQUE SI SPIRITUS SANCTUS EST AUDIVIMUS: adeo Spiritum ſanctum, aut ſacramentum, quo ille confertur non accepimus, ut ne quidem illius nomen audierimus.

V. 3. IN QUO: ſcilicet, baptiſmate. Vide dicta ſuperiori cap. XXV.

V. 4. IOANNES BAPTIZAVIT, &c. id eſt baptiſmo qui erat ſymbolum, excitatio, & proteſtatio pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum Chriſti baptiſmo recipiendam; quare non ſatis eſt ille baptiſmus, ſed ſuſcipiendus ille eſt, quem Chriſtus inſtituit.

V. 5. IN NOMINE DOMINI IESU: Chriſti baptiſmo.

V. 6. ET CUM IMPOSUISSET ILLIS MANUS: impertiendo eis ſacramentum confirmationis. VENIT SPIRITUS SANCTUS: viſibili ſpecie. LOQUEBANTUR LINGUIS: variarum nationum, ut Apoſtoli in die Pentecoſtes. ET PROPHETABANT: vel proprie futura prædicando, vel improprie celebrando magnalia Dei.

V. 8. DE REGNO DEI: de rebus ad ſalutem pertinentibus.

V. 9. CUM AUTEM QUIDAM: Iudæi. INDURARENTUR: obſtinato animo reſiſterent. MALEDICENTES VIAM DOMINI: legem Evangelicam, & eius auctorem Ieſum Chriſtum. SEGREGAVIT DISCIPULOS: ne fortaſſe adverſariorum dictis commoverentur, & in ſuſcepta fide nutarent. IN SCHOLA TYRANNI CUIUSDAM: qui nomine dicebatur Tyrannus, ut habet Syrus. Alii putant Tyranni nomine ſignificari virum aliquem primarium, & potentem, in cuius aula literariis exercitationibus deſtinata docuerit Paulus, idque eo conſilio, ut potentem, illum virum reveriti Iudæi a turbis ceſſarent.

V. 10. OMNES: plerique omnes, plurimi. IN ASIA: minore.

V. 11. VIRTUTES: miracula. NON QUASLIBET: non vulgaria miracula, ſed inſignia, & eximia.

V. 12. SUDARIA: ſudarium linteum eſt, quo ſudorem abſtergimus. Italice appellamus, *fazzoletti*. SEMICINCTIA. Aliqui putant ſemicinctium eſſe velamen lineum,

vel

Digitized by Google

vel pelliceum, quod opifices pectus, & fœmora præcingunt, ne operando veſtes commaculent. Probabilius eſt ſemicinctia eſſe zonas non admodum latas, nam ut ait Iſidorus Lib. IX. *Cinctus eſt lata zona, & minus lata ſemicinctium, & utriſque minima, cingulum*.

V. 13. IUDAEIS EXORCISTIS: Iudæi enim ante Chriſtum habebant ſuos exorciſtas, ut præter hunc locum patet ex illo Matth. XII. 27. *Filii veſtri in quo eiiciunt?* QUEM PRAEDICAT PAULUS: videntur hi exorciſtæ voluiſſe Paulum imitari, & ſtudio laudis, aut quæſtus alicuius tentaſſe dæmoniaque eiicere, verum ſuis diffidentes viribus Pauli mentionem feciſſe, quem videbant dæmonibus eſſe terrori.

V. 14. PRINCIPIS SACERDOTUM: principis ſacerdotum Iudæorum, qui Epheſi commorabantur.

V. 15. VOS AUTEM QUI ESTIS? Chriſti, & Pauli imperium agnoſco, vos autem quid habetis poteſtatis, ut imperare mihi audeatis?

V. 16. ET DOMINATUS AMBORUM, e ſeptem enim duo tantum exercebant exorciſmum. Syrus habet *invaluit contra eos, eoſque ſubiecit*. VULNERATI: a dæmoniaco. CONFITENTES ET ANNUNTIANTES ACTUS SUOS. Syrus habet: *Renuntiabant offenſas ſuas, & confitebantur quod fecerant*: ex hoc loco Bellarmin. Lib. III. de Pœnit. cap. IV. & alii Theologi probant neceſſitatem peccata confitendi contra hæreticos.

V. 19. QUI FUERANT CURIOSA SECTATI: nimirum Magiam, quod ſentit Syrus, qui vertit, *multi ex magis congregarunt libros ſuos*, &c. ET COMBUSSERUNT: ut *vitent ignibus ignes*, ait Arator. DENARIORUM QUINQUAGINTA MILLIUM: coronatorum noſtratum quinque millium, nam *Denarius* uni Iulio Romano æquivalet, decem autem Iulii unum efficiunt coronatum.

V. 20. ITA FORTITER CRESCEBAT VERBUM DEI. Syrus, *uſque* adeo virtute magna invaleſcebat, &c.

V. 21. IN SPIRITU: inſtinctu Spiritus ſancti. TRANSITA MACEDONIA, ET ACHAIA: ut Eccleſias in illis provinciis conſtitutas viſitaret. OPORTET ME ET ROMAM VIDERE: quia Dei inſtinctu Paulus agebatur Romam, ut Romanam Eccleſiam cum ſancto Petro in Metropolim univerſi orbis erigeret.

V. 22. MITTENS AUTEM: ut viam ſibi ſecuturos pararent, & ſimul collectam eleemoſynarum pro Ieroſolymitis facerent, ut patet I. ad Corin. IV. 17. ERASTUM. Eraſtus hic cap. XVI. ep. ad Roman. verſ. 23. vocatur arcarius, id eſt quæſtor civitatatis, ſcilicet Corinthi. Poſtea creatus fuit Epiſcopus Philippenſis, ibique Martyrio coronatus, Sanctis adſcriptus legitur in Martyrol. die 16. Iulii. IN ASIA. Epheſi.

V. 23. FACTA EST AUTEM: in eadem civitate Epheſi. TURBATIO: *τάραχος*, *tumultus*. DE VIA DOMINI: de inſtituto Chriſti, & Chriſtianiſmo.

V. 24. ARGENTARIUS: *ἀργυροκόπος*, *faber argentarius*. FACIENS AEDES ARGENTEAS DIANAE: imagines, ſive ſimulacra templi Dianæ: Sic noſtri peregrini argenteas lamellas ab æde Lauretana referunt, in quibus ſanctæ illius domus effigies eſt expreſſa. ARTIFICIBUS: ſibi ſubordinatis.

V. 25. HUIUSMODI OPIFICES: ſimilium rerum opifices. ACQUISITIO: lucrum, quæſtus.

V. 27. NON SOLUM AUTEM HAEC: ſors hæc noſtra, hoc opificium noſtrum, hic quæſtus noſter. PERICLITABITUR IN REDARGUTIONEM VENIRE: in periculum venit reprobationis, & contemptus, redarguta, & confutata a Paulo ut inutilis & vana. DESTRUI INCIPIET. Syrus, ludibrio habebitur. MAIESTAS EIUS; divinitatis eius exiſtimatio.

V. 28. MAGNA DIANA EPHESIORUM: quam perituram Paulus ſignificaverat magnifice prædicant, minimeque deſtruendam; quaſi dicant, Magna Dea eſt Diana, cuius decus, & gloria æternum manebit.

V. 29. CONFUSIONE: perturbatione, tumultu. RAPTO CAIO, ET ARISTARCHO: illos impetu rapientes in theatrum, ut illos alioſque Chriſtianos ibidem reos, & ſacrilegos publice proclamarent, & mactarent. ARISTARCHO: quem ad Coloſ. IV. 10. vocat D. Paulus *concaptivum ſuum*. Adſcriptus eſt catalogo Sanctorum die 4. Auguſti. COMITIBUS PAULI. Syrus habet, *filiis ſocietatis Pauli*, id eſt ſociis Pauli.

V. 30. NON PERMISERUNT DISCIPULI: ne periclitaretur, aut etiam a furente populo occideretur.

V. 31. QUIDAM AUTEM ET DE ASIAE

PRIN-

PRINCIPIBUS: vel Catechumeni, vel Gentiles in Paulum bene animati.

V. 32. ALII AUTEM ALIUD CLAMABANT, &c. Clare hunc verſiculum expreſſit Syrus hoc modo: *Turba autem, quæ erant in theatro valde tumultuabantur, & alii aliud clamabant: multi autem ex eis neſciebant cur conveniſſent.*

V. 33. DETRAXERUNT: *προὐβίβασαν*, progredi fecerunt, *protruſerunt*, ſcilicet per confertam turbam. Quomodo noſter verterit *detraxerunt*, non eſt facile coniicere. Fortaſſe ſedebat in gradibus theatri, & ab illis amicis urgentibus quaſi per vim detractus eſt, ut prodiret in medium, & concionaretur ad populum. PROPELLENTIBUS EUM IUDAEIS: ut communem cum Paulo cauſam defenderet; cum enim Iudæi numen Dianæ non agnoſcerent, eadem, qua Paulus (qui & ipſe erat genere Iudæus) invidia flagrabant. Videtur Alexander fuiſſe eloquens, & gratioſus apud populum, ideoque idoneus exiſtimatus, qui verba faceret ad turbam.

V. 35. CUM SEDASSET SCRIBA TURBAS. Scriba hic videtur tale munus in populo habuiſſe quale habent ſecretarii, aut cancellarii communitatum apud nos, iura civitatis callens, unde etiam in Græco dicitur *γραμματεύς*, *Scriba*, *legis Doctor*. CULTRICEM ESSE: *νεωκόρον*, *æditiuam*, ut habet Syrus, id eſt templi adminiſtram, & ornatricem. IOVISQUE PROLIS. In Græco eſt, *ἢ τοῦ διοπετοῦς*, id eſt a Iove demiſſi, ſive delapſi, ſubintellige *ἀγάλματος*, id eſt *ſimulacri*. Fingebant enim de cælo demiſſum eſſe ſimulacrum illud, quod in templo Dianæ colebatur.

V. 37. NEQUE PLASPHEMANTES DEAM VESTRAM: mentitur officioſe ad ſedandum populum.

V. 38. CAUSAM. Syrus, *litem*. CONVENTUS FORENSES AGUNTUR: ſunt tribunalia, & circa illa fiunt litigantium concurſus, conveniuntque Iudices, dirimunt hæc ii ad quos pertinet. Si vero inferiores Iudices non ſatisfaciant, eſt provocatio ad maiores magiſtratus, & Proconſulem.

V. 39. SI QUID AUTEM ALTERIUS REI QUAERITIS: gravioris, ad bonum, & quietem publicam ſpectantis. IN LEGITIMA ECCLESIA: in cœtu populi; aut comitiis Provinciæ, tempore ſuo indictis, & legitime celebratis.

V. 40. PERICLITAMUR ARGUI SEDITIONIS: ingerit metum Proconſulis, & Imperatoris, qui in auctores huius tumultuarii concurſus, & ſeditionis ſit inquiſiturus, & de auctoribus tumultus pœnas ſumpturus. CUM NULLUS OBNOXIUS SIT: in culpa, ſeu auctor; vel potius, cum nulla ſit cauſa probabilis quam afferre poſſimus ad excuſandum hunc concurſum, & tumultum, hunc ſenſum mihi videtur Græcus textus exhibere.

TIRINI.

Verſ. 2. SI SPIRITUM SANCTUM ACCEPISTIS CREDENTES. Græce, *poſtquam credidiſtis*, ſupple, & baptizati eſtis, an etiam confirmati eſtis Sacramento Confirmationis, quo confertur Spiritus ſanctus? De fide illorum, aut baptiſmo, cum dicerent ſe Chriſti diſcipulos eſſe, non dubitabat nec rogabat Paulus: ſolum rogat de Confirmatione, quod ſciret, nullum hactenus Epheſi fuiſſe Epiſcopum, cuius ſolius eſt conferre hoc Sacramentum. Reſpondent, ſe ne vel audiſſe quidem umquam an eſſet aliquis Spiritus ſanctus, utpote non baptizatos niſi baptiſmo Ioannis. Unde contra Calvinum & alios noſtros hæreticos colligitur, baptiſmum Ioannis longe diverſum fuiſſe a baptiſmo Chriſti, ut definit Tridentinum *a*. Baptiſmus enim Ioannis non conferebatur invocatione SS. Trinitatis, ſed ſolius Chriſti venturi; neque conferebat remiſſionem peccatorum, ſed illius nudum ſymbolum erat, & proteſtatio & excitamentum, ut alibi *b* dixi: & fuſe docent Durand. Gabriel, Sotus, Suarez, Coninck & alii Doctores *c*. Unde merito iubet illos Paulus baptizari *in nomine Domini Ieſu* expreſſis omnibus tribus deitatis perſonis *d*, ſine quibus non poteſt adminiſtrari baptiſmus Chriſti, inquit S. Auguſt. Baſilius, Cyprian. *e* & alii Patres.

V. 6. ET CUM IMPOSUISSET ILLIS MANUS, impertiendo Sacramentum Confirmationis, VENIT SUPER EOS SPIRITUS SANCTUS viſibili forma ignis vel linguarum ignitarum: unde MOX LOQUEBANTUR variis & ante ignotis LINGUIS, ET PROPHETABANT, celebrantes Dei laudes, & etiam prædicentes futura: qui ſolebant tum temporis effectus & indicia externa eſſe præ-

ſen

Digitized by Google

ſentis Spiritus ſancti per Confirmationem collati, ut alias *f* dixi.

V. 9. TYRANNI. Nomen proprium viri alicuius Epheſini volunt eſſe Syrus, Dionyſ. Arias & Mariana. Sed alii ut appellativum accipiunt pro principe, primate, vel ex regio ſanguine oriundo. Forte erat ex ſtirpe *Androcbi*, quem Strabo *g* aſſerit fuiſſe Codri Athenarum regis filium, Epheſumque condidiſſe & Ionum regiam conſtituiſſe: unde *etiamnum* inquit, *omnes ex hoc genere reges vocantur, & quibuſdam regiis fruuntur honoribus, ut qui primo loco ſedeant in certaminibus & ſpectaculis, & purpuram habeant, ſcipionem quoque pro ſceptro*, &c. Per *ſcholam* autem intelligi poteſt aula, porticus vel cubiculum quodvis, in quod otii ſeu quietis cauſa ſecedi ſolebat: derivatur enim teſte Briſſonio *h* a ἀχολάζο, id eſt otior, quieſco, ferias ago. Delegit autem Paulus domum huius principis, ut potentia & auctoritate illius contra Iudæorum audaciam ſe ſuoſque tueretur. Hæſit hic Paulus toto biennio, cui ſi adiungas trimeſtre verſ. 7. reperies tres annos incompletos, quot Epheſi a ſe exactos narrat Paulus cap. ſeq. verſ. 31. Hinc recte docet Baron. Epheſinam Eccleſiam primitus non a S. Ioanne, ſed a Paulo fundatam eſſe. Et Epiphan. *i* ait, S. Ioannem in ſenectute demum curandas ſuſcepiſſe Eccleſias Aſianas.

V. 11. VIRTUTES NON QUASLIBET, id eſt miracula non vulgaria, ſed rara & excellentia, FACIEBAT DEUS PER *Paulum*.

V. 12. SUDARIA EIUS ET SEMICINCTIA quibus inter texendum *k* præcingi ſolebat, pellebant quoſvis LANGUORES & dæmones. Addit Chryſoſt. *l* umbra Pauli etiam mortuos revixiſſe. Et adhuc carpant hæretici noſtri uſum, vim & energiam ſanctarum reliquiarum?

Nota. In textu Græco ſunt Latinæ voces *ſudaria* & *ſemicinctia*. Et multas ſimiles notavit Mariana, quæ ex lingua Romana (Romanis tota Græcia & Aſia tunc dominantibus) in Græcam ætate illa tranſierant: v. g. *Libertini*, *ſicarii*, *cenſus*, *pretorium*, *cuſtodia*, *flagellum*, *titulus m*, *centurio*, *niger*, *Euroaquilo*, *denarius*, *quadrans*, *legio*, *ſpiculator*, *linteum*, *colonia*, *membrana*, &c.

V. 13. *Iudæi exorciſtæ*, qui dæmones per nomen Iehova, & per exorciſmos a Salomone traditos, ex obſeſſis pellebant, teſte Ioſepho *n* & aliis apud Delrionem, videntur etiam magicas artes immiſcuiſſe, ut patebit ex verſ. 29. Sed Chriſtiani exorciſtæ ſuam omnem poteſtatem a Chriſto acceperunt Lucæ x. 19. quorum exorciſmi, id eſt adiurationes, ſunt ſpiritualia *dæmonum flagra & tormenta*, inquit S Cyprian. *o* Quid enim magis cruciet dæmonem, quam quo vincitur, proſternitur, conſtringitur, nomen, crux & merita Ieſu Chriſti. Hoc idem nomen uſurpabant hi Iudæi, ut inde plauſum ſibi & quæſtum facerent. Sed cum increduli eſſent Chriſto, idcirco non ipſi diabolo, ſed diabolus ipſis prævaluit; ita idem Cyprianus *p*, Chryſoſtomus & alii.

V. 14. *Sceva princeps* SACERDOTUM erat Epheſi commorantium, vel forte unus e 24. capitibus familiarum ſacerdotalium, de quibus alibi *q*.

V. 15. VOS AUTEM QUI ESTIS? nempe ſervi & mancipia noſtra. Et volent mancipia ſuis iam heris ſeu dominis imperare, & domo ſua expellere? Simili ſucceſſu tentaſſe aliquando Lutherum expellere dæmonem, inſigni ſuo periculo & probro narrat Staphylus & Bredembachius *r*.

V. 16. DOMINATUS AMBORUM: nempe inſtar irati domini irruit in duos (qui e ſeptem erant primarii) quaſi in vilia mancipia ſua, pugnis & plagis utrumque obtundens, veſtes diſcerpens, dentibus unguibuſque dilanians, calcibus impetens, &c. Quod ſi talia in corpus, quam indigna putamus dæmonem exercere in animam quam per peccatum obſidet, poſſidet, agitat & cruciat? inquit Chryſ.

V. 18. MULTI CREDENTIUM; Græce, πεπιστευκότων, id eſt eorum qui iam crediderant, id eſt Chriſtianorum, VENIEBANT ad Paulum eiuſque ſocios Silam & Timotheum *ſ*, CONFITENTES ET ANNUNTIANTES ACTUS SUOS; Syrus; *offenſas ſuas*. Quod de ſecreta & particulari confeſſione, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ accipit Oecumenius, Hoſius, Ruardus Tapperus, Gagneius, Baronius, Salmeron, Sanchez, Bellarminus *t*, a Valentia, a Lapide & alii. Nam publica illa quorumdam peccatorum confeſſio, de qua Nectarius apud Socratem *u*, primis Eccleſiæ initiis necdum erat in uſu, ſed poſterioribus demum temporibus ad farcienda ſcandala, quæ ſenſim ſuboriebantur, ab Epiſcopis quibuſdam hinc inde introducta fuit, neque admodum

diu

Digitized by Google

diu continuavit. At ſecreta & auricularis confeſſio, ut a Chriſto inſtituta *x*, ita a primis Eccleſiæ initiis perpetuo in uſu, fuit, ut de ſingulis ſæculis accurate probant Iodocus Coccius *y*, Bellarminus & alii.

V. 19. PER CURIOSA, artem chalchymiæ, ſeu mettalla permutandi, intelligit Mariana aſtrologiam iudiciariam, & genethliacam alii: Euſebius *z*, Chryſoſt. Oecumenius, Beda & Syrus magiam. Et vero Epheſios magiæ addictiſſimos fuiſſe vel inde probat S. Hieron. *aa* quod Apollonius Tyanæus publicum magicæ artis ludum Epheſi tum temporis aperuerit, & ab Epheſiis ſtatua donatus inter divos relatus fuerit ſub initia imperii Neronis, ut Philoſtratus *bb* teſtatur. Et cui non ſunt notiſſima *Epheſia grammata*, nota & ſigna magica, quibus vel ad expellendos dæmones, teſte Plutarcho *cc*, vel ad obtinendam victoriam, vel ad depellenda pericula, teſte Suida & Euſtachio *dd*, paſſim omnes uti contendebant? Sed Paulus fœdas has artes e medio tollere ſatagens, comburi publice curavit artium eiuſmodi libros æſtimatos, univerſim *quinquaginta millibus* DENARIORUM Atticorum, ſeu regalium vel Iuliorum argenteorum, id eſt quinque millibus aureorum *ee*. Unde diſcant Chriſtiani, libros noxios, etiam hæreticorum, quanto vis pretio æſtimentur, ignibus tradere, quia damna quæ inferunt, nullo auro penſari poſſunt. Et ita faciendum ſanxerunt non modo Canones & Concilia, ſed & Imperatores *ff*: Honorius, Theodoſius & alii complures, de quibus vide Bellarminum *gg*.

V. 22. *Eraſtus* hic qui cum *Timotheo* IN MACEDONIAM præmittitur, partim parandæ Paulo viæ, partim collectæ pecuniariæ pro egentibus Ieroſolymitis faciendæ *hh* gratia, in epiſt. ad Romanos *ii* vocatur *Arcarius*, id eſt quæſtor urbis Corinthi: & poſtea a Paulo creatus eſt Philippenſis Epiſcopus, ubi & martyrio coronatus, & Sanctis Martyrologii adſcriptus eſt die 16. Iulii.

V. 24. ARGENTARIUS; Syrus, *cudens argentum*. Videtur præfectus & caput fuiſſe fabrorum argentariorum, FACIENS AEDES ARGENTEAS; Græce, *ναὺς*, id eſt templa; Polybius, *ναΐδια*, id eſt parva templa, puta ædiculas ad effigiem ſeu formam maioris templi DIANAE: & has vel planas in lamina, vel ſolidas elato opere, quas tota Græcia divendebat, ut in larariis vel oratoriis uſui eſſent.

V. 27. HAEC PARS, ſeu ſors noſtra, opificium noſtrum, quæſtus noſter, PERICLITABITUR IN REDARGUTIONEM, id eſt in reprobationem & contemptum, VENIRE, Paulo cultum omnem deorum quaſi impium & ſacrilegum redarguente.

V. 28. MAGNA DIANA EPHESIORUM. Gentiles numerabant duodecim magnos deos, ſex mares, ſex feminas, quos Ennius hoc diſticho complectitur.

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus: Mars,
Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Ceteri erant minorum gentium dii. Porro plures erant *Dianæ*, inquit Cicero kk, ſed illa nominatiſſima, quæ eodem partu cum Apolline ex Iove & Latona nata eſt: unde & nomen *Diana* ſumpſit, quaſi Διόςι, id eſt Iovis filia. Et ſic *lunam* Gentiles vocabant *Dianam*, quod noctu lucendo quaſi *diem* effingeret, inquit idem Cicero. Unde & *Diana* a Poetis *noctiluca* & *Lucina* & *lucifera* vocari ſolebat: virgo quidem & integra, tamen πολύμαστος, id eſt *multimammia*, inquit S. Hieron. *ll* quaſi omnium viventium nutrix. Quæ ſane in Chriſtianorum Dianam, Virginem Deiparam, viventium omnium matrem, aptiſſime quadrant. Iam quod ad Epheſinum Dianæ templum attinet, erat illud adeo auguſtum, ut inter ſeptem orbis miracula computaretur, *ducentis* (inquit Plinius *mm*, alias *quadringentis*) *viginti annis a tota Aſia constructum*. Quod quo die natus eſt Alexander Magnus, incendit Heroſtratus, exotico facinore nomen ſibi æternum ambiens. Inſtauratum Gothi rurſus ſub Galieno Imp. concremarunt, teſte Capitolino.

V. 29. *Gaius* hic comes Pauli *Macedo* fuit: ergo alius a *Gaio Derbeo*, de quo cap. ſequ. verſ. 4. *Ariſtarchus* Theſſalonicenſium poſtea Epiſcopus, & Pauli *concaptivus*, poſt longos agones ſub Nerone martyrio coronatus eſt, ut habetur in Martyrol. die 4. Auguſti.

V. 32. ECCLESIA, id eſt cœtus & turba

ba populi, CONFUSA ERAT, ut fit in ſeditione & tumultu. Cui ſedando

V. 33. *Alexandrum*, virum doctum & eloquentem, & ut apparet, amicum Chriſtianorum, protraxerunt Iudæi ex medio turbæ in locum editum, ad perorandum pro communi cauſa & reipublicæ quiete. Neque enim in Iudæos minus, quam in Chriſtianos hæc faba cudebatur, cum utrique eſſent hoſtes Dianæ. Alexandrum hunc putat Baronius & Hugo converſum fuiſſe ad Chriſtum, ſed apoſtataſſe, eſſeque illum, quem Paulus cum Hymenæo ob blaſphemiam tradidit Satanæ, I. Timoth. I. 20. Sed Caietanus, Arias & alii dicunt alium fuiſſe, & hoc videtur probabilius.

V. 35. SCRIBA. Græce, γραμματεὺς, id eſt legum doctor, qui iura reipublicæ callet & tuetur, atque ex iis magiſtratum informat & dirigit. *Syndicum* vocare ſolemus, Syrus vertit, *princeps civitatis*, quaſi fuerit Cancellarius aut præſes ſenatus: Gentilis quidem, ſed Chriſtianis non infenſus, ut ex hac eius oratione colligimus.

Nota. Pro τῆς διοπετοῦς, id eſt a Iove profectæ ſeu genitæ Dianæ, ut Noſter legit, iam in Græco eſt, τοῦ διοπετοῦς, id eſt a Iove delapſi, ſupple, ἀγάλματος, id eſt ſimulacri Dianæ, ut vertunt Syrus, Chryſoſt. Pagninus, Vatablus & recentiores. Fingebant enim Epheſii Dianæ ſuæ ſimulacrum non ab homine effictum, ſed cælo delapſum, inquit Suidas: ſicut Troiani *Palladium*, & Romani *Ancile* cælo lapſa finxerunt.

V. 39. SI QUID ALTERIUS REI, quod non ad ſolos argentarios, ſed ad publicum civitatis totius bonum ſpectet, QUAERITIS; POTERIT ABSOLVI, id eſt decidi, tranſigi, expediri, IN ECCLESIA, ſeu populi conventu non tumultuario, ut nunc, ſed *legitimo*, v. g. in comitiis publicis ex lege convocandis, ita Gagneius, Vatablus, immo & Chryſoſt. qui addit, eiuſmodi comitia ter quot menſibus Epheſi inſtitui conſueviſſe. Hanc cum argentariis dimicationem Theophyl. Oecumen. Anſelmus, & ex his alii recentiores interpretantur pugnam cum beſtiis, quam Paulus Epheſi ſe pugnaſſe dicit I. Corinth. xv. 32. Sed, ut ibi dicam, verius eſt, Paulum ad litteram cum beſtiis proprie dictis Epheſi in publico theatro decertaſſe, & ope cæleſti victorem evaſiſſe. Rem, ut geſta eſt, narrat Nicephorus ex antiquis Pauli actis, quas citat probatque Origenes. Et certum eſt, Lucam alia plurima Pauli geſta prætermiſiſſe, ut quod *a Iudæis quinquies quadragenas una minus* acceperit, quod *ter virgis cæſus*, *ter naufragium* paſſus fuerit, & alia quæ II. Corinth. xi. ipſe de ſe Paulus enarrat.

(a) Trideot. ſeſſ. vii. cap. 1. de Baptiſ.
(b) Matt. iii. 6.
(c) In 3. p. S. Thomæ.
(d) Actor. ii. 38.
(e) Auguſt. Lib. VI. cont. Donat. cap. xxv. Baſil. I. de Spiritu S. cap. xii. Cyprian. epiſt. ad Iulianum.
(f) Actor. ii. 4.
(g) Strabo. Lib. XIV.
(h) Briſſon. Lib. XVII. de verbor. ſignif.
(i) Epiphan. hæreſi 51.
(k) Actor. xviii. 3.
(l) Chryſoſt. hom. viii. in epiſt. ad Roman. & hom. vi. in epiſt. 1. ad Corinthios.
(m) Actor. vi. 9. Actor. xxi. 38. Matth. xvii. 24. Matth. xxvii. 27. & 65. Ioan. ii. 15. Ioan xix. 29.
(n) Ioſeph. Lib. VIII. Antiq. cap. ii. & Lib. VII. Belli cap. xxv.
(o) Cyprian. epiſt. ad Demetriam.
(p) Cyprian. Serm. de baptiſmo Chriſti.
(q) I. Paral. xxiv.
(r) Staphyl. contra Smidelinum p. 404. Bredembach. collat. 7. cap. xl.
(ſ) Act. xviii. 5.
(t) Bellarm. Lib. III. de Pœnit. cap. iv. & alii ab eo citati.
(u) Socrat. Lib. VI. cap. xix.
(x) Ioan. xx. 21.
(y) Coccius in Theſauro.
(z) Euſeb. Lib. III. Demonſt. cap. viii.
(aa) Hieron. præfat. in ep. ad Epheſ.
(bb) Philoſt. Lib. IV. & V. Vitæ. Tyanæi.
(cc) Plutarch. in Sympoſ. Lib. VII. quæſt. v.
(dd) Euſtath. in Odyſſean.
(ee) Proleg. de Monetis.
(ff) Lib. ult. de hæret. Cod. Theodoſ. & Lib. Mathemat. C. de Epiſcop.
(gg) Bellar. Lib. III. de Laicis cap. xx.
(hh) I. Cor. iv. 17. & cap. xvi. 3. & ſeq.
(ii) Rom. xvi. 31.
(kk) Cicer. Lib. II. de Natur. Deorum.
(ll) Hieron. ſup.
(mm) Plin. Lib. XXXVI. cap. iv.

GORDONI.

Verſ. 1. VEnit nunc Paulus Epheſum peragratis Aſiæ partibus ſuperioribus: & baptizat baptiſmo Chriſti plures ex diſcipulis Ioannis Baptiſtæ. Manſit vero ibi, & in vicinia Epheſi per triennium ex cap. xx. 31. Sed de hoc ſpatio certatur. Hoc quidem anno Chriſti 55. venit Epheſum: diſceſſit vero 57. Rationem huius triennii

in

in Chronol. ſic inivi, hæſit tres menſes in Synagoga, ut hic vides verſu 8. & per duos annos in ſchola Tyranni ex verſu 10. quibus adde tres menſes in tranſitu per Macedoniam & Achaiam, ex cap. xx. 31. ac demum tempus inſumptum, hinc inde eundo.

V. 2. 3. 4. & 5. Hi numero erant duodecim ex verſ. 7. Quod negant ſe accepiſſe manuum impoſitione Spiritum Sanctum, ſenſum habet de ſacramento Confirmationis. Nihil ab his auditum erat de hoc modo accipiendi Spiritum Sanctum, ut hic fatentur.

V. 6. Et cum imposuisset. Accepto Spiritu Sancto loquebantur linguis. Prophetabant porro vel celebrando magnalia Dei, vel prædicando. Et quid ſi etiam proprio uſu vocis prædicendo futura. Refutantur ex his locis Novatores, ubi aſſeritur iterum Confirmationis ſacramentum: & docemur contra errorem Calvini, magnum eſſe diſcrimen inter baptiſmum Chriſti, quo remittuntur peccata, & baptiſmum Ioannis, quo fiebat proteſtatio pœnitentiæ ad remiſſionem per Chriſti baptiſmum accipiendam. Male etiam ex hoc loco petivit argumentum Cyprianus de rebaptizandis hæreticis. Lege Auguſtinum Epiſt. xlviii.

V. 9. & 10. Paulus prudenter diſcipulos ſuos ſegregat ab Evangelii inimicis, & docet in ſchola Tyranni. Incertum eſt, an ſchola hic ſit ludus litterarius in ſuburbiis, an viri alicuius principis locus, (ut ſolebant viri principes appellari tyranni.) Sane Syrus putat eſſe viri potentis nomen, in cuius aula exercitationem variam fieri potuiſſe nihil prohibet. Quod hic additur verſ. 10.' biennium, quid ſit dixi verſ. 1. Nobilem hanc Epheſinam Eccleſiam primus certe fundavit Paulus, quam tamen & alias Aſiaticas rexit poſtea Ioannes: ex Hieronymo in Ioanne, de ſcriptoribus Eccleſ.

V. 12. Paulus miracula faciebat, non qualiacumque aut vulgaria, ſed inſignia. Sudarium eſt linteum quo ſudorem abſtergimus. Semicinctium, an zona parum lata, an vero velamen lineum vel pelliceum, quo opifices vel miniſtri domus ſe præcingunt, Gallice, *devantier*, Italice *Cenale*. Coniectura hæc poſterior, non eſt ab opificio Pauli valde aliena. En interim argumentum pro Sanctorum reliquiis. Certe religio deferentium hæc ſudaria numquam eſt reprehenſa, ſed miraculis confirmata eſt. Lege Auguſtinum Lib. XXII. de Civit. cap. viii. Hic honor habitus reliquiis in Eccleſia Dei initium habuit a fimbria Chriſti. Luc. viii. 43.

V. 13. & 14. Tentaverunt. De his Iudæorum exorciſmis, dixi Matth. xii. 27. Ex duobus his locis notum eſt fuiſſe inter Iudæos exorciſtas. Duo ex his exorciſtis ſtudio gloriæ incitatis, temeritatis belle pœnas dant: unde timor & deſiderium converſionis multos invaſit; combuſti Magorum libri, & damnata magia. Hic *Sceva*, unus ex primis ſacerdotibus eſt.

V. 18 Multique. Confeſſionem hic factam a pœnitentibus exprimunt hic voces Latina & Græca. Sed quæſtio eſt a quibus ſit facta confeſſio, an a gentilibus timore correptis, qui fuerunt ſectati curioſa & magiam (quorum combuſti ſunt libri) an vero facta ſit confeſſio a Chriſtianis & iam baptizatis; cui interpretationi favet *τό a credentibus*. Et hæc quidem ſecunda interpretatio, quam multi probant (quos hic refert Lorinus) ſuggerit argumentum pro Confeſſione Sacramentali inſtituta Ioan. xx. 23. quaſi hic ſit primus uſus expreſſus illius ſacramenti. Et ſic quidem certant de hac duplici interpretatione graves auctores. Et vero nihil video quod convincat non poſſe intelligi locum de confeſſione ante baptiſmum facta a Gentilibus, ut habet prior ſententia, quam ſequuntur Beda, Vega, Caietanus, Lorinus & Euſebius III. de Demonſtrat. cap. viii. Hoc certum puto poſſe etiam probabiliter defendi ſenſum de confeſſione poſt baptiſmum: quod tuentur Bellarminus, Sanchez, Valentia, & alii. Et quicquid ſit, habet Eccleſia ſatis aliunde, ut alibi oſtendi, unde probet veritatem huius ſacramenti.

Vigebat ſane Epheſi Magia, & recens memoria Apollonii Tyanei: tam multi ſunt reperti libri magici, ut Lucas dixerit pretium acceſſiſſe ad quinque myriadas argenti: 'denariorum, inquit, quinquaginta millium verſ. 10. Sed quia incertum eſt cuius monetæ habita ſit ratio, an Hebraicæ vel alterius, incertum manſit, quanta ſit hæc ſumma. Budæus

V. de aſſe novem millia librarum reperit monetæ Francicæ. Artas in Acta 60. millia drachmarum. Si porro denarius pro Iulio ponatur Italico, ſicut decem Iulii dant Italis coronatum, ita erunt coronatorum Italicorum quinque millia.

V. 22. 23. Interim dum hæret adhuc Paulus in Asia & Epheſi, præmittit in Macedoniam Eraſtum, qui Epiſt. ad Rom. cap. xvi. 23. vocatur arearius, poſtea Episcopus Philippenſis & Martyr, ex Martyrologio 16. Iulii. Nunc contigit tumultus Epheſi per Demetrium Argentarium, de quo hic ver. 24.

V. 24. Demetrius iſte Argentarius male ab aliquibus confunditur cum Alexandro AErario, de quo II. Timo. iv. 14. Faciebat hic *D*emetrius ædiculas argenteas ad cultum Dianæ, appendi ſolitas ut donaria ſeu anathemata, timebat quæſtus iacturam. *Ariſtarchus* hic, quem Paulus ad Coloſſ. cap. iv. 10. vocat ſuum concaptivum, eſt inter Sanctos Martyrol. 4. Aug. De hoc Dianæ templo orbis miraculo lege Plinium Lib. XXXVI. cap. xiv. Incenſum eſt quo die natus eſt Alexander Magnus, ab Heroſtrato.

V. 33. En raptos Gaium & Atiſtarchum in theatrum, ut illos, ceteroſque Chriſtianos mactarent. Hic Alexander Iudæus erat ex verſ. 34. hunc virum eloquentem & gratum impulerunt violenter Iudæi (erat enim hæc cauſa de Diana communis Iudæis & Chtiſtianis,) ut ſedaret populum oratione ſua.

V. 35. Et cum sedasset scriba. Hic qui verba facit ad populum, & tandem ſedat tumultum, non eſt ille Alexander prohibitus loqui per tumultum; ſed gentilis homo, ſcriba ſeu legum peritus, & qui forte ex munere ſuo ſolebat nomine, Magiſtratus populum alloqui. Hic populum ſedat.

V. 40. Periclitamur. Obiicit populo tumultuanti periculum quod eteatur, ne magiſtratus graviter animadvertat in ſeditionis huius auctores, Cum nullus. inquit, obnoxius sit, hoc eſt, cum nullam iuſtam cauſam afferre poſſitis huius concurſus; ſeu cum nullus ſit reus deprehenſus, in quem iuſte excitetur hic tumultus.

CAPUT XX.

Paulus peragratis variis partibus Macedoniæ & Græciæ, concionatur Troade in mediam noctem: cumque adoleſcens Eutychus cadens a tertio cœnaculo mortuus eſſet, Paulus eum reſuſcitavit: & variis locis peragratis, advocatos ex Epheſo presbyteros exhortatur ut vigilantes ſint in regenda Eccleſia, prædicens quod non eſſent amplius eum viſuri.

1\. POſtquam autem ceſſavit tumultus, vocatis Paulus diſcipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus eſt ut iret in Macedoniam. 2. Cum autem perambulaſſet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit ad Græciam: 3. ubi cum feciſſet menſes tres, factæ ſunt illi inſidiæ a Iudæis navigaturo in Syriam: habuitque conſilium ut reverteretur per Macedoniam. 4. * Comitatus eſt autem eum Sopater Pyrrhi Berœenſis, Theſſalonicenſium vero Ariſtarchus, & Secundus, & Gaius Derbeus, & Timotheus: Aſiani vero Tychicus & Trophimus 5. Hi cum præceſſiſſent, ſuſtituerunt nos Troade: 6. nos vero navigavimus poſt dies azymorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati ſumus diebus ſeptem. 7. Una autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis, profecturus in craſtinum: protraxitque ſermonem

uſque

Digitized by Google

uſque in mediam noctem. 8. Erant autem lampades copioſe in cœnaculo, ubi eramus congregati. 9. Sedens autem quidam adoleſcens nomine Eutychus ſuper feneſtram, cum mergeretur ſomno gravi, diſputante diu Paulo, ductus ſomno cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus. 10. Ad quem cum deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt. 11. Aſcendens autem, frangenſque panem, & guſtans, ſatiſque allocutus uſque in lucem, ſic profectus eſt. 12. Adduxerunt autem puerum viventem, & conſolati ſunt non minime. 13. Nos autem aſcendentes navem, navigavimus in Aſſon, inde ſuſcepturi Paulum: ſic enim diſpoſuerat ipſe per terram iter facturus. 14. * Cum autem conveniſſet nos in Aſſon, aſſumpto eo, venimus Mitylenen. 15. Et inde navigantes, ſequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum, & ſequenti die venimus Miletum: 16. propoſuerat enim Paulus tranſnavigare Epheſum: nequa mora illi fieret in Aſia. Feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, * ut diem Pentecoſtes faceret Ieroſolymis. 17. A Mileto autem mittens Epheſum, vocavit Maiores natu Eccleſiæ. 18. Qui cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis, a prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, 19. ſerviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Iudæorum: 20. quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, 21. teſtificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. 22. Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Ieruſalem; quæ in ea ventura ſint mihi; ignorans: 23. niſi quod Spiritus ſanctus per omnes civitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent. 24. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretioſiorem quam me, dummodo conſummem curſum meum, * & miniſterium verbi, quod accepi a Domino Ieſu, teſtificari Evangelium gratiæ Dei. 25. Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſivi prædicans regnum Dei. 26. Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. 27. Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis. 28. Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. 29. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. 30. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. 31. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unum quemque veſtrum. 32. Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hereditatem in ſanctificatis omnibus. 33. Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut 34. ipſi ſcitis: (*a*) quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ. 35. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quam accipere. 36. Et cum hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis oravit cum omnibus illis. 37. Magnus autem fletus factus eſt omnium: & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum, 38. dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri. Et deducebant eum ad navem.

(*a*) I. Cor. IV. 12. II. Theſſ. III. 8.

BRU-

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 4. *Comitatus eſt autem eum Sopater Pyrrhi Beræenſis*. Legendum eſt *Sopater* triſſyllabum, non addita una ſyllaba, *Soſipater*, quadriſyllabum

Verſ. 14. *Cum autem conveniſſet nos in Aſſon*. Scribendum eſt *conveniſſet*, potius quam *inveniſſet*.

Verſ. 16. *Ut diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymis*. Genitivus *Pentecoſtes* non eſt mutandus in accuſativum *Pentecoſten*.

Verſ. 24. *Et miniſterium verbi*. Correctores judicarunt non eſſe omittendum *verbi*; ut neque paulo poſt adverbium *ſicut* verſ. 33.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. EXHORTATUS EOS, VALEDIXIT ET. Græc. *complexus, & oſculo ſalutans*. Syr. *conſolatus, & oſculatus eos*.

V. 2. EXHORTATUS Syr. *conſolatus*. GRAECIAM, ſcilicet Achaiam.

V. 3. FECISSET, id eſt egiſſet. HABUIT CONSILIUM, id eſt ſtatuit.

V. 4. PYRRHI, ſcilicet filius.

V. 5. SUSTINUERUNT, id eſt expectaverunt.

V. 7. UNA AUTEM SABBATI, id eſt prima hebdomadæ die, ſeu poſt ſabbatum, ſcilicet Dominicam. PANEM, Syr. *Euchariſtiam*. Vide ſupra cap. II. DISPUTABAT, id eſt differebat. IN CRASTINUM, id eſt poſtridie.

V. 8. COENACULO, ſcilicet parte domus ſuperiore.

V. 9. MERGERETUR, id eſt gravaretur, ſeu deorſum traheretur: καταφερόμενος. DUCTUS, id eſt depreſſus, ſeu deorſum tractus: κατενεχθεὶς. TERTIO COENACULO, id eſt contignatione tertia, τριστέγου.

V. 12. NON MINIME: οὐ μετρίως, id eſt *non mediocriter*.

V. 13. FACTURUS, ſcilicet uſque ad Aſſon. Græc. indicatur pedibus iter feciſſe.

V. 15. ALTA, id eſt ſequenti.

V. 16. TRANSNAVIGARE, id eſt prætervehi.

V. 17. MAIORES NATU. Græc. *presbyteros*.

V. 21. TESTIFICANS; pro, prædicans.

V. 22. ALLIGATUS; pro, velut aligatus; quaſi dicat, Impellente ſpiritu.

V. 24. VEREOR, id eſt timeo. Græc. *curo*. NEC FACIO, &c. Græc. *non habeo animam*, id eſt vitam, mihi pretioſam, id eſt charam. Syr. *pro nihilo mihi habetur anima mea*. TESTIFICARI, id eſt prædicare.

V. 26. CONTESTOR VOS. Græc. & Syr. *Teſtor vobis*. MUNDUS, &c. quaſi dicat, Nulli me fuiſſe peccandi cauſam.

V. 28. EPISCOPOS. Etiam presbyteri *Epiſcopi* vocabantur interdum. REGERE. Græc. *paſcere*, ποιμαίνειν. ACQUISIVIT, ſcilicet Deus.

V. 29. RAPACES. Græc. *graves*, ſcilicet moleſti, ſeu feri. IN, id eſt contra.

V. 31. MONENS; pro monere.

V. 32. VERBO GRATIAE IPSIUS, id eſt prædicationi, quam audiſtis de Dei gratia. AEDIFICARE. Syr. *ædificare vos*. DARE. Græc. *dare vobis*. IN; pro, cum. SANCTIFICATIS, id eſt juſtis, ſeu ſanctis

V. 35. OMNIA; pro, per omnia. Syr. *in omnibus*. SUSCIPERE, ſcilicet ædificare, nihil ab eis accipiendo, qui forte alioqui ſcandalizarentur. DARE, ſcilicet ex caritate. ACCIPERE, ſcilicet ex inopia.

E S T I I.

Verſ. 1. VOCATIS PAULUS DISCIPULIS. Et Timotheo conſtituto Epheſi Epiſcopo: I. ad Timoth. I. per impoſitionem manus presbyterii; I. ad Timoth. IV. 2. ad Timotheum. UT IRET IN MACEDONIAM: ſcilicet per Troadem. Vide Comment. II. Corinth. II. in Macedonia autem multa paſſus eſt, ut de ſe Paulus ſcribit II. Corinth. VII. Apparet ex hoc capite quod bis

iverit

iverit in Macedoniam ; ſed hæc a Luca valde ſuccincte ſcribuntur.

V. 4. ET TIMOTHEUS. Atqui I. Timoth. I. dicitur: *Rogavi te ut remaneres Epheſi*. Quomodo hæc non pugnant? quia Timotheum quidem Epheſi reliquit, & ex Macedonia ad eum ſcripſit ; ſed poſtquam venit in Græciam, rediit ad eum Timotheus. Vide Comment. I. Timot. I. Immo Timotheus erat inter maiores natu Eccleſiæ infra hic eodem cap. & multum lachrymatus cum ceteris I. Tim. I. Vide noſtra comment.

V. 7. UNA AUTEM SABBATHI CUM CONVENISSEMUS AD FRANGENDUM PANEM. Apparet hic ſignificari conventum fidelium ad communionem corporis Domini, tum quia una Sabbathi diem Dominicum ſignificat, ut alibi : tum quia per fractionem panis etiam alibi Lucas hoc myſterium innuit ; tum quia cœna fuit. Nam eo tempore fideles adhuc Dominicam ſumebant cœnam, ut patet I. Corinth. XI. tum denique quia hanc cœnam concio Pauli fuit ſubſecuta, quam protraxit in mediam noctem. Vide Auguſtinum Epiſt. LXXXIX. ad Caſulanum, ubi intelligit de fractione panis in Sacramento corporis Chriſti, & unam Sabbathi interpretatur diem Dominicum. Vide etiam Annot. Actorum II. de voce Syriaca.

V. 8. ERANT AUTEM LAMPADES COPIOSAE IN COENACULO UBI ERAMUS CONGREGATI. Hoc quidam interpretantur non improbabiliter de lucernis accenſis propter honorem dominicæ cœnæ, quæ celebrabatur. Nam ad ſolas tenebras pellendas in cænaculo, non opus erat copioſis lampadibus.

V. 10. INCUBUIT SUPER EUM, ET COMPLEXUS DIXIT : NOLITE TURBARI ; ANIMA ENIM IPSIUS IN IPSO EST. Dubium utrum mortuum hunc Paulus ſuſcitaverit incubitu & complexu, an verbo quo dixit : *Anima ipſius in ipſo eſt*. Magis apparet factum priori modo, ſic enim & Prophetæ Elias & Elizeus III. Reg. XVII. & IV. Reg. IV. leguntur pueros mortuos reſuſcitaſſe. Sic autem Paulus poſtea dixit : *Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt:* ſicut Elias poſtea dixit matri : *En vivit filius tuus*. Et Elizæus: *Tolle filium tuum*.

V. 15. ET SEQUENTI DIE VENIMUS MILETUM. Græc. *Et morati Trogyllii, ſequenti die venimus Miletum*.

V. 16. FESTINABAT ENIM SI POSSIBILE ESSET, &c. Huius feſtinationis cauſa præcipua fuiſſe videtur, ut eleemoſynam collectam ex gentilibus adferret fratribus qui Ieroſolymis erant, utpote egentibus. Unde id cupiebat quam citiſſime perficere ; tum quia bis dat, qui cito dat, egenti præſertim : tum quia genti ſuæ alioqui minus bene erga ſe affectæ, cupiebat hoc beneficio in tempore præſtito, gratificari. Hic commentarius ex eo confirmatur quod cap. XIV. dicit de hac profectione : *Poſt annos plures eleemoſynas facturus in gentem meam veni, & oblationes & vota: in quibus invenerunt me purificatum in templo*, &c. Et hæc fuit ſecunda eleemoſyna Pauli in gentem ſuam : nam primam deſcribitur cap. XI. in fine, quam fecit una cum Barnaba. UT DIEM PENTECOSTES FACERET IEROSOLYMIS. Pentecoſten non Iudæorum, ſed Chriſtianorum intelligit Epiphanius contra Aetianorum hæreſim ſcribens, atque ex hoc loco probat Paulum etiam Paſcha Chriſtiano more celebraſſe. Vide F. Turrianum Libro V. pro epiſtolis Pont. cap. XVIII. qui ibidem citat Chryſoſtomum de Pentecoſte Iudaica intelligentem, licet ipſe magis probet ſenſum Epiphanii. Similis locus I. ad Corinth. XVI. *Permanebo Epheſi uſque ad Penteeoſten*. Uterque tamen locus forte rectius de Pentecoſte Iudæorum accipitur, de qua cap. II. *Dum complerentur dies Pentecoſtes*. Nam Paulus, ut ex hoc libro conſtat, propter Iudæos ſtudioſe obſervabat legalia, ne eos offenderet ; licet ea minime pateretur gentilibus imponi. Certe cum Iudæi qui Ieroſolymis erant, celebrarent Pentecoſten Iudæorum, liquet Apoſtolum quando illic erat, eamdem cum illis Pentecoſten celebraſſe. Vide noſt. com. loco citato I. Cor. XVI.

V. 17. VOCAVIT MAIORES NATU ECCLESIAE. Non Epheſinæ, id eſt urbis illius tantum, ſed Aſianæ, præcedit enim paulo ante : *Ne qua mora illi fieret in Aſia*. *Maiores natu*. Græce *presbyteros*, intelligit Lucas eoſdem quos Paulus infra vocat epiſcopos ; nam hæc nomina utrique communia adhuc erant ; ſicut & ad Titum I. eoſdem modo presbyteros vocat, modo epiſcopos. Et Concilium Trid. illud : *In quo*

vos

vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam, &c. de iis qui proprie Epiſcopi ſunt intellexit. Et probatur per illud: *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos*, &c. id eſt, quiſque intendat ſuo gregi bene paſcendo; quod proprie eſt Epiſcoporum. Neque enim putandum eſt, quamvis Apoſtolus Epheſum miſerit ad illos, eos omnes illic habitaſſe aut reſediſſe; ſed mittens Epheſum quæ erat Metropolis Aſiæ, iuſſit evocari Epiſcopos ſingularum urbium; ut ad ſe venirent. Nec inter nomina nunc diſtinguit Lucas, quia fere præter Epiſcopum, ſingulis locis non erat alius presbyter, tum ob presbyterorum raritatem, tum ob paucitatem fidelium, quibus in unaquaque civitate unus Epiſcopus, idemque presbyter ſatisfacere poterat. Vide Sasboldum ſuper I. Tim. III. & noſtrum com. ibidem, verſ. 8. & ad Philip. I. verſ. ſimiliter I.

V. 21. TESTIFICANS IUDAEIS ATQUE GENTILIBUS IN DEUM POENITENTIAM, ET FIDEM IN DOMINUM NOSTRUM IESUM CHRISTUM. Pœnitentiam nominat ante fidem propter Iudæos, quos priori loco nominaverat, illi enim iam aliquam habebant fidem. Unde & Ioannes & Chriſtus & Apoſtoli Iudæis prædicantes, ab exhortatione pœnitentiæ inceperunt, & apud gentiles de fide prius erat agendum.

V. 22. ET NUNC ECCE ALLIGATUS EGO SPIRITU, VADO IN IERUSALEM. Dicit ſe alligatum ſpiritu, quia ſpiritu hoc ei revelante non poterat non ire, ſive ſpectes obligationem præcepti, ſive conſequentiæ neceſſitatem. Sic ad Galat. II. dicit ſe aſcendiſſe Ieroſolymam ſecundum revelationem, quamvis ibi de alia profectione loquatur, nempe de qua ſcribitur, Act. XV.

V. 24. SED NIHIL HORUM VEREOR, NEC FACIO ANIMAM MEAM PRETIOSIOREM QUAM ME, DUMMODO CONSUMMEM CURSUM MEUM, &c. Verba hæc: *Non facio*, &c. difficultatem habent, cum alibi Scriptura dicat, animam homini eſſe pretioſiſſimam. Unde illud: *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Item: *Quid prodeſt homini, ſi lucretur mundum univerſum, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Reſp. *animam* non accipi hoc loco pro præſtantiori hominis parte, qua immortalis eſt, & corpori opponitur; ſed pro vita hac caduca & temporali, ut ſenſus ſit: Vitam corporis non habeo potiori loco, quam meipſum; quemadmodum faciunt, qui propter vitam conſervandam perdunt ſe totos, dum negant fidem, vel periurant, vel aliud ſimile faciunt. Tales animam, id eſt vitam ſuam faciunt pretioſiorem, quam ſeipſos. Græca aliter habent, hoc modo ad verbum: *Neque habeo animam meam pretioſam mihi ipſi;* id eſt, vita mea non eſt mihi cara, neque tanti eam facio, ut non libenter eam pro ſalute veſtra impendam. Sic legit Auguſtinus ſuper Pſalmum XXXVI Concione 2. *Quid confringitis cor meum? Non facio animam meam pretioſam mihi*. Similis phraſis eſt I. Reg. XXVI ubi Saul ad Davidem ait. *Nequaquam tibi ultra maleſaciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie*.

V. 27. NON ENIM SUBTERFUGI QUO MINUS ANNUNTIAREM OMNE CONSILIUM DEI VOBIS. Quomodo igitur verum eſt quod alibi Scriptura dicit: *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei?* Sap. IX. Et, *Quis conſiliarius eius fuit?* Iſaiæ XL. & ad Rom. XI. Reſp. Secreta Dei conſilia nemo novit, de quibus Sapiens; Propheta & Apoſtolus loquuntur; ſed myſteria fidei ad ſalutem hominum pertinentia Deus revelavit Apoſtolis, qui ea aliis annuntiarent. Ac de his tantum hic loquitur Apoſtolus, ſicut & Chriſtus ait Ioannis XV. *Omnia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis;* utrumque enim ſecundum quamdam univerſalitatem accipiendum, quam ſcholæ commodam diſtributionem vocant. Vide Annot. Ioannis XV. & comment. noſt loco cit. Rom. XI.

V. 28. ATTENDITE VOBIS ET UNIVERSO GREGI, IN QUO VOS. Oſtendit hæc Apoſtoli ſententia paſtores & præfectos Eccleſiæ duplicem ſuſtinere perſonam, privatam & publicam. Quantum ad privatam eorum perſonam, dicitur: *Attendite vobis*. Quantum ad publicam, additur: *Et univerſo gregi veſtro*. Quatenus privatam & ſingularem perſonam gerunt, ſervire debent Deo cum omni humilitate, caſtitate, temperantia, & pietate. Verum iſta paſtorem ad ſalutem perducere non poſſunt, niſi & ea etiam diligenter exequatur, quæ ad perſonam eius publicam pertinent, id eſt niſi ſerio & ex animo ſaluti ovium ſuarum invigilet. De has re, & toto paſtoris, offi-

cio,

tio, late tractat B. Auguſtinus Sermone de Paſtoribus, & altero ſermone de ovibus. Habentur Tomo IX.

IN QUO VOS SPIRITUS SANCTUS POSUIT EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM DEI, QUAM ACQUISIVIT SANGUINE SUO. Hoc quod ait: *Quam acquiſivit ſanguine ſuo*, non ad Spiritum ſanctum referendum, non enim Spiritus ſanctus ſuo ſanguine Eccleſiam acquiſivit, ſed ad Deum, id eſt Chriſtum filium Dei. Itaque hic manifeſtum locum habes, ubi Chriſtus Deus vocetur. Et Græce eſt: *Quam comparavit per proprium ſanguinem*.

V. 29. & 30. EGO SCIO QUONIAM INTRABUNT POST DISCESSIONEM MEAM LUPI RAPACES. ET EX VOBIS IPSIS EXURGENT VIRI LOQUENTES PERVERSA ...... PROPTER QUOD VIGILATE. Qualia locuturi ſint, monet Timotheum Epheſiorum Epiſcopum I. Timoth. IV. Unde colligitur ea quæ illic dicuntur, fuiſſe ſtatim eventura, & non demum poſt aliquot ſæcula.

V. 35. QUONIAM SIC LABORANTES OPORTET SUSCIPERE INFIRMOS. Oportere dicit ad cavendum offendiculum infirmorum, cum alioqui poteſtatem haberet vivendi ex Evangelio, iuxta Chriſti ordinationem. Unde ait I. ad Cor. IX. *Sed non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti*. Vide ibid. noſt. comment. BEATIUS EST MAGIS DARE QUAM ACCIPERE. Hoc in Evangelio nuſquam habetur; unde patet quædam de factis & verbis Salvatoris fuiſſe tradita non ſcripta. Dicet hic aliquis; Si dare beatius quam accipere, male faciunt, qui omnibus relictis ex mendicato vivunt; ita enim fit ut tantum accipiant, dandi facultate ſibi ſemel præcluſa. Reſp. tales dederunt ſemel omnia quod eſt heroicæ liberalitatis & magnæ perfectionis: poſtea vero ita accipiunt, temporalia dumtaxat & neceſſaria ut largiantur ſpiritualia, quod dationis genus eſt altero longe beatius, & ſingulare præmium quod aureolam vocant, apud Deum meretur. Vide etiam Bedam in hunc locum. Itaque ſenſus Dominici dicti eſt: Beatius eſt dare beneficium, quam accipere: ratio, quia virtutis eſt dare, neceſſaria accipere. Ex eadem Scriptura novi Ariani docere volunt, Deum Patrem eſſe filio beatiorem, ſed quid iis reſpondendum vide noſt. t. diſt. IX. Conſentit quoque ethnicus Philoſophus Ariſtoteles dicens, virtutis magis proprium eſſe εὐποιεῖν quam εὐπάσχειν.

MARIANAE.

Verſ. 1. COMITATUS EST AUTEM EUM SOPATER PYRRHI BEROEENSIS. Græc. *comitatus eſt autem eum* (ſcilicet Paulum) *uſque Aſiam Sopater Beræenſis*: ſic Syr.

V. 5. SUSTINUERUNT NOS, id eſt expectarunt, præſtolati ſunt nos Troade.

V. 6. ET VENIMUS AD EOS TROADEM IN DIEBUS QUINQUE, id eſt *iter dierum quinque*, ut Gotth. habet.

V. 6. UNA AUTEM SABBATI, id eſt die Dominica. CUM CONVENISSEMUS AD FRANGENDUM PANEM. Syr. *ad frangendam Euchariſtiam*. Ex hoc loco, ac præſertim ex verſ. 21. *frangens panem* (communem) & *guſtans*, quidam colligebant, Paulum toto die Dominico ieiunaſſe, itaque Apoſtolos conſueviſſe illis diebus ieiunare. De quo Auguſtinus epiſt. LXXXVI.

V. 8. LAMPADES COPIOSAE, id eſt *multæ*, Syr. & Gotth. erant in cœnaculo, ubi Paulus docebat.

V. 13. NAVIGAVIMUS IN ASSON. Myſiæ urbs *Aſſos*, quæ & *Apollonia*, Plin. Lib. V. cap. XXX.

V. 22. ALLIGATUS EGO SPIRITU, id eſt ſpiritus prædicit fore, ut liger in Ieruſalem.

V. 23. VINCULA, ET TRIBULATIONES IEROSOLYMIS. Vox *Ieroſolymis*, Græc. & Syr. non eſt.

V. 24. ET MINISTERIUM VERBI. *Verbi* non eſt in iis codicibus.

V. 26. A SANGUINE, id eſt ſi quis perierit, non mihi imputabitur, quia

V. 37. OMNE CONSILIUM DEI manifeſtavi. Syr. & Gotth. *omnem voluntatem*: [illegible] Græcum, utrumque ſignificat.

V. 29. LUPI RAPACES: *graves*, Græc. & Gotth. Syr. *feroces* intrabunt.

V. 32. ET VERBO GRATIAE Dei, vos commendo. *Verbo* redundat, ut ſæpe alias, ex linguæ Hebr. proprietate. Ergo commendo vos gratiæ Dei, ipſe vobis faveat.

V. 35. IPSE DIXIT: BEATUS EST MAGIS DARE. Ubi id Chriſtus dixerit, non inve-

invenitur. Multa fecit & dixit, quæ in Evangeliis ſcripta non ſunt.

MENOCHII.

Verſ. 1. EXHORTATUS EOS. In Græco tantum eſt, προσκαλεσάμενος, id eſt *cum vocaſſet*. Videtur excidiſſe καὶ παρακαλεσάμενος, & *exhortatus*, vel *conſolatus*, ut vertit Syrus: conſolatus quidem propter præteritam qua perfuncti erant tempeſtatem; exhortatus ut in fide permanerent, & ſperarent ſibi Dominum adfore. VALEDIXIT. In Græco eſt ἀσπασάμενος, *cum eſſet deoſculatus*, ſolebant enim olim Chriſtiani ſe oſculo ſancto ſalutare. Vide I. ad Theſſal. v. 26. PROFECTUS EST: cedens furori Demetrii, & Epheſiorum.

V. 3. FACTAE SUNT ILLI INSIDIAE; vel ut illum occiderent, vel ut aliqui volunt, ut eriperent illi pecunias, quas ad pauperes ferebat in Ieruſalem.

V. 4 COMITATUS EST EUM. Textus Græcus addit, *uſque ad Aſiam*. SOPATER: nonnulli legunt *Soſipater*. Hic enim per craſin dicitur Sopater. Fuit hic cognatus Pauli, ut patet ad Rom. XVI. 21. Adſcriptus eſt Sanctorum catalogo 25. Iulii: PYRRHI: filius BEROENSIS: Sopater enim erat patria Berœenſis, ſive Berœæ natus. ARITARCHUS: cuius mentio eſt ſuperiore capite verſ. 29. vide ibi dicta. SECUNDUS: de hoc, quod ſciam, nihil extat, CAIUS DERBAEUS: hic videtur eſſe Caius cuius mentionem fecit ſuperiore capite verſ. 29. Dicitur Derbæus a Derbe patria; huius autem civitatis ſupra meminit Luc. cap. XIV. 6. & verſ. 20. & cap. XVI. 1. TYCHICUS. Hic fuit adminiſter Pauli in perferendis litteris, & mandatis ad abſentes: eius mentio eſt ad Epheſ. VI. Coloſſ. IV. 7. Adſcriptus eſt numero Sanctorum 29. April. TROPHIMUS. Hic fuit Epheſius ex Gentilibus oriundus. Vide cap. ſequenti verſ. 29. SUSTINUERUNT: nos expectaverunt. TROADE. Vide dicta ſup. cap. XVI. 8.

V. 7. UNA AUTEM SABBATI, id eſt prima die poſt ſabbatum, id eſt die Dominica. Vide dicta Luc. XVIII. 12. AD FRANGENDUM PANEM. Syrus habet, *Ad frangendam Euchariſtiam*. DISPUTABAT CUM EIS: *Verba faciebat ad eos*, ut eſt apud Syrum. PROTRAXITQUE SERMONEM USQU IN MEDIAM NOCTEM. Solebant enim initio naſcentis Eccleſiæ exemplo Chriſti veſperi ſacram ſynaxim celebrare, ieiuni uſque ad illam horam permanentes.

V. 8. LAMPADES COPIOSAE: tum ad pellendas noctis tenebras, tum ad decoranda myſteria, & Euchariſtiæ celebrationem, ut etiamnum cereis altaria collucent in miſſa.

V. 9. DUCTUS SOMMO: ſomno victus. DE TERTIO CAENACULO: de tertia contignatione.

V. 10. INCUBUIT SUPER EUM: inſtar Eliæ III. Reg. XVII. 21. & Eliſæi IV. Reg. IV. 34. qui incumbentes puero mortuo, eum ſuſcitarunt. ANIMA IPSIUS IN IPSO EST, id eſt vivus eſt.

V. 11. FRANGENSQUE PANEM, ET GUSTANS Guſtandi verbum de cibo communi dicitur, non de Euchariſtia. Itaque diſtinguenda eſt fractio panis a guſtatione, & hæc ad cibum uſualem, illa ad myſticum referenda.

V. 12. CONSOLATI SUNT NON MINIME, id eſt maximam conſolationem perceperunt.

V. 13. IN ASSON: urbs in AEolide iuxta Troadem, alio nomine dicta Apollonia, ait D. Hieronymus in locis Hebraicis.

V. 14. IPSE PER TERRAM ITER FACTURUS: ut Evangelium etiam in itinere iis annunciare poſſet, per quorum urbes, ac regiones iter faciebat.

V. 15. MITYLENEN: nobilis nomen urbis, & ab urbe denominatæ inſulæ inter Methymniam, & Maliam.

V. 16. CHIUM: inſula eſt nota inter Samum, & Leſbum. MILETUM: quæ eſt urbs ad mare in continenti Ioniæ TRANSNAVIGARE: prætervehi Epheſum. PENTECOSTEN: Chriſtianam, & ritu Chriſtianorum.

V. 27. MITTENS EPHESUM: non aberat Epheſus Mileto procul. MAIORES NATU ECCLESIAE. Græc. πρεσβυτέρους, ſacerdotes, & epiſcopos intelligit.

V. 19. CUM OMNI HUMILITATE: quam adverſus omnes exercebam, etiam inferiores. ET LACRYMIS: tum compunctionis ob mea, & omnium fidelium peccata; tum compaſſionis ob tot Chriſtianorum infirmitates, & miſerias; tum orationis, ut a Deo impetrarem gratiam, & ſpiritum toti Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ neceſſarium; tum zeli, & caritatis quibus Iudæorum, & Gentilium duritiam, & cæcitatem miſeratus, ad meliorem mentem, & ad veram fidem eos traducere, & in ſuſcepta confirmare ſtudebam. TENTATIONIBUS: vexationibus, anguſtiis, afflictionibus.

V. 20. NIHIL SUBTRAXERIM UTILIUM: nihil omiſerim eorum quæ vobis prodeſſe poterant. ANNUNTIAREM: prædicarem. PUBLICE, ET PER DOMOS: publice, & privatim, cum veſtras domos obibam.

V. 21. TESTIFICANS: publice & libere prædicans. IN DEUM POENITENTIAM: qua ad Deum converteremini.

V. 22. ECCE ALLIGATUS EGO SPIRITU, &c. pro, velut alligatus, quaſi dicat, Impellente ſpiritu, qui me ita poſſidet, ut non tam agere, quam ab ipſo agi videar, iuxta illud ad Roman. VIII. 14. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*.

V. 23. SPIRITUS SANCTUS PER OMNES CIVITATES PROTESTATUR: per ora fidelium prophetantium; multi enim Eccleſiæ initio accipiebant donum prophetiæ.

V. 24. NIL HORUM VEREOR: timeo, Græce *λογοποιῶμαι*, *curo*. Græca phraſis ad unguem reſpondet Italicæ, *Faccio conto*. NEC FACIO ANIMAM MEAM PRETIOSIOREM QUAM ME, id eſt nec vitam pluris facio quam me; me autem conſecravi Chriſto, & Evangelio, ergo & vitam; ideoque paratus ſum tam hanc, quam me pro Chriſto prodigere, & perdere. DUMMODO CONSUMMEM CURSUM MEUM: & dicere poſſim: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*. Ad Pilip. I. 13. MINISTERIUM VERBI, id eſt prædicationis Evangelii. TESTIFICARI, prædicare. EVANGELIUM GRATIAE DEI: per Evangelium enim Dei gratia annuntiatur Chriſti incarnatio, vita, mors, & reſurrectio, & per eum, qui ſalvator eſt noſter, remiſſio peccatorum, &c.

V. 25. SCIO: per inſtinctum & revelationem divinam.

V. 26. CONTESTOR VOS: proteſtor. Italice diceremus, *Io vi proteſto*. MUNDUS SUM A SANGUINE OMNIUM; quaſi dicat: Si quis veſtrum pereat, ſua culpa peribit non mea. Ego enim meo officio perfunctus ſum, docendo, hortando, monendo, &c.

V. 27. OMNE CONSILIUM DEI. Syrus, *omnem voluntatem Dei*, id eſt omnia quæ Deus a vobis vult fieri, ad veſtram ſalutem.

V. 28. ATTENDITE VOBIS; quaſi dicat, Prima cura veſtri ſit, inſiſtite veſtræ perfectioni, & ſanctitati, deinde ceterorum fidelium veſtræ curæ commiſſorum. EPISCOPOS: quorum munus eſt, ut vox ſignificat, invigilare gregi, & circumſpicere, & amoliri noxia. REGERE: *ποιμαίνειν*, *paſcere*. ACQUISIVIT SANGUINE SUO: nos redimendo, & Eccleſiæ ſuæ per mortem, & ſanguinis effuſionem fundamenta ponendo.

V. 29. LUPI RAPACES: Hæreticos intelligit, qui vaſtant ovile Chriſti.

V. 30. ET EX VOBIS IPSIS EXURGENT, &c. Adeo hoc vere dictum eſt a Paulo, ut ipſo adhuc vivente contra ipſum inſurrexerint Hymenæus, Alexander, Phygellus, & Hermogenes, ut ipſe teſtatur I. Tim. I. 20. & ep. II. cap. I. 15. ABDUCANT POST SE: *τοῦ ἀποσπᾷν*, *ut abducant* a veritate, & poſt ſe trahant in errores, & hæreſes.

V. 31. CUM LACRYMIS: vide dicta ſupra num. 19.

V. 32. COMMENDO VOS DEO: orans, ut ipſe vos dirigat, cuſtodiat, & bono promoveat. ET VERBO GRATIAE IPSIUS: verbum gratiæ per Hebraiſmum eſt ipſa gratia, ſicut verbum Evangelii eſt ipſum Evangelium; quaſi dicat, Commendo vos Deo, & gratiæ eius. Sic dixit Lucas ſupra cap. XIV. 25. Paulum, & Barnabam ab Antiochenis traditos fuiſſe gratiæ Dei. AEDIFICARE: *ἐποικοδομῆσαι*, *ſuperædificare*, id eſt promovere, & perficere Eccleſiæ fabricam augendo illam numero fidelium, & multiplicibus gratiæ ſuæ donis. DARE HEREDITATEM: cæleſtis patriæ. SANCTIFICATIS OMNIBUS, id eſt cum ſanctis omnibus. Sancti enim ſoli huius hereditatis ſunt capaces.

V. 35. OMNIA OSTENDI VOBIS, &c. id eſt, per omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes ſicut ego laboravi, oportet ſe accommodare infirmis, & novis in fide, nec ab illis quidam accipere, ne ipſi putent ſua potius quæri, quam ſe. SUSCIPERE INFIRMOS: *ἀντιλαμβάνεσθαι*, quod proprie ſignificat porrecta manu retinere, aliquo qui læſurum aut abiturum. MEMINISSE

Digitized by Google

VERBI DOMINI IESU : hoc verbum nuſquam ſcriptum extat : illud ergo dixiſſe Chriſtum, Paulus Apoſtolorum traditione, vel revelatione accepit. BEATIUS EST MAGIS DARE QUAM ACCIPERE : temporalia bona. Dare enim ſignum eſt abundantiæ: accipere vero egeſtatis, ideoque illud honeſtius & divinius, hoc autem vilius.

V. 36. ORAVIT CUM OMNIBUS ILLIS: familiare fuit Paulo ut valedicens ſuis in diſceſſu oraret. Simile exemplum recurret ſequenti capite verſ. 5. *Poſitis*, inquit Lucas, *genibus in littore oravimus*. Fiebat autem oratio in ſignum communionis, & caritatis, ut abeuntibus felix iter, remanentibus memoria eius qui diſceſſerat, & deſiderium imitationis virtutum illius, utriſque copioſa Dei gratia divino munere contingeret.

TIRINI.

Verſ. 4. SOPATER per craſin pro *Soſipater*, ut nonnulli legunt, cognatus erat Pauli, ut patet ex epiſtola ad Romanos cap. XVI. 21. inquit ibidem Origenes, Chryſoſtomus & Theophylactus. *Pirrhi*, ſupple, filius: & adſcribitur Sanctis in Martyrologio 25. Iunii. De *Ariſtarcho*, *Gatio* a & *Timotheo* b ante dixi. TICHICUS adminiſter erat Pauli in litteris & mandatis ad abſentes perferendis c, & inſcribitur Martyrologio 29. Aprilis. TROPHIMUS ex patre Gentili Epheſio natus, cauſa poſt fuit captivitatis Pauli Ieroſolymis d. In Martyrologio 29. Decembris dicitur *a Paulo conſtitutus Epiſcopus Arelatæ, e cuius prædicationis fonte, ut S. Zozymus Papa ſcribit, tota Gallia fidei rivulos accepit*.

V. 6. POST DIES AZYMORUM, id eſt poſt exactum Paſchæ ſeptimum. Sed an Chriſtiani ſervabant etiam tum anno 26. a morte e Chriſti ceremonias iſtas Iudaicas? Reſpondeo. Iudæochriſtiani ut plurimum ſervabant, ut licite poterant: nam etſi iam inde a morte Chriſti mortua lex eſſet, non tamen erat mortifera. Sed Gentilichriſtiani, & qui ex Iudæchriſtianis melius ſapiebant, non niſi nomine tenus illas uſurpabant. NAVIGAVIMUS TROADEM f. Ex tertia perſona in primam commutata g colligimus Lucam, qui per aliquot annos a Paulo abſuerat, eidem iam redditum itineris Romam uſque ſocium. Cauſam pro ſua modeſtia ſubticet Lucas, ſed exprimit alibi h Paulus, nempe, quod ad perferendas Ieroſolymam eleemoſynas Achæorum & Macedonum, ab iiſdem Eccleſiis ſocius adiunctus eſſet Paulo, ita ipſomet Paulo petente, ne quis malevolorum ſuſpicari poſſet, ipſum aliquid ex iis in ſuos ſuorumve uſu convertiſſe.

V. 7. & 8. UNA SABBATI, id eſt prima die hebdomadæ i, puta Dominica tertia poſt Paſcha k CUM CONVENISSEMUS AD FRANGENDUM PANEM, non profanum, ut vult Lyranus, ſed Euchariſticum, ut Syrus & S. Auguſtinus epiſt. LXXXVI. quin & Calvinus, Bullingerus & Beza exponunt. ERANT LAMPADES COPIOSAE IN COENACULO, non tantum ad pellendas noctis tenebras (de quo dubium nulli eſſe poterat, neque opus erat eius rei Evangeliſtam meminiſſe,) ſed etiam, & quidem maxime ad decorandam Euchariſtiæ celebrationem: quod etiamnum, cum interdiu Miſſa celebratur, pie imitatur Eccleſia univerſa, ut prolixe docet Baronius.

V. 9. EUTYCHUS DUCTUS; Græce, *victus* SOMNO, DE TERTIO COENACULO; Syrus *de tertia contignatione*, CECIDIT MORTUUS. Caſus huius auctorem Chryſoſt. diabolum facit, ut fructum concionis Pauli interturbaret. Sed Deus novo miraculo illam magis comprobavit, mortuo per ſolum Pauli (ad inſtar Eliæ l & Eliſei m) complexum in vitam reducto.

V. 13. ASSON urbs eſt in AEolide iuxta Troadem n; alio nomine dicta *Apollonia*, inquit S. Hieronymus o.

V. 15. *Samus*, inſula eſt in mari Ionio patria Pythagoræ Sybillæ Samiæ. Unde vaſa *Samia* fictilia, quibus Agatochles ex figulo rex factus, perpetuo in menſa ſua utebatur, ut priſtinæ fortunæ memoria ſemper ob oculos verſaretur. CHIOS, inſula eſt inter Samum & Lesbum, præſtantis vini ferax, quod *Malvaſinum* vocamus, de quo Plinius p.

V. 17. *Miletus* urbs celebris Ioniæ, patria Thaletis, unde lanæ optimæ, inde *Mileſiæ* dictæ.

V. 19. CUM OMNI, id eſt perfecta HUMILITATE SERVIENS DOMINO. Nulla enim re magis profitetur quis ſe ſervire Deo, quam profunda ſui humiliatione non tantum coram Deo, ſed & coram homini-

nibus propter Deum. Servivit eidem Paulus etiam LACRIMIS, non tantum compunctionis, compaſſionis & zeli, ſed maxime orationis, quibus extorquebat gratiam ſibi ſuiſque ovibus neceſſariam. Serviebat denique Deo etiam TENTATIONIBUS, non illis quæ ad peccatum alliciunt, ſed quæ moleſtiis & afflictionibus animum exercent. Tentatio enim ſæpe in Scripturis *g* ſumitur pro tribulatione.

V. 22. & 23. ALLIGATUS, aſtrictus, attractus SPIRITU ſancto, viarum & omnium actionum mearum duce ac moderatore, *vado* quaria iam vice *r* IN IERUSALEM. Vult enim Spiritus ſanctus, ut ubi maxime perſecutus ſum Eccleſiam, maxima quoque patiar pro Eccleſia & ſponſo Eccleſiæ Chriſto. Unde PER OMNES CIVITATES: ore prophetantium fidelium (quorum plurimi erant in primitiva *ſ* Eccleſia) id eſt MIHI PROTESTATUR, ſeu atteſtatur & prædicit.

V. 24. NEC FACIO ANIMAM, ſeu vitam, MEAM PRETIOSIOREM QUAM ME. Atqui me totum conſecravi iam pridem Chriſto & Evangelio; ergo & vitam. Græca iam non habent, τιμιωτέραν ἐμαυτῷ, ut Noſter legit, ſed τιμίαν ἐμαυτῷ, id eſt *pretioſam* ſeu charam *mihi*; Syrus, *nihilo mihi habetur anima*, ſeu vita *mea*, ſcilicet ut pro Chriſto illam profundam. Notum militare axioma: *Ducem gloriæ avidum debere nihili ducere vitam*. Et illud Heliogabali *t*, *Baſilice moriendum, ut mors parem non viderit*. DUMMODO CONSUMMEM glorioſo fine, puta martyrio; Græce, *cum gaudio*, CURSUM MEUM, ſeu curriculum vitæ meæ.

V. 26. MUNDUS SUM A SANGUINE OMNIUM; id eſt, nullius veſtrum perditionis cauſa ſum: ſi quis pereat, culpa ſua peribit, non mea. Ego enim officio meo perfunctus ſum, docendo, hortando, monendo omnes. Amplius a me non exigitur *u*. *A paſtore enim requiritur cura, ſed non curatio*.

V. 28. ATTENDITE primo VOBIS & propriæ perfectioni ac ſaluti: dein UNIVERSO GREGI ſingulis a *Spiritu ſancto* commiſſo. Quo enim magis ſe perficit paſtor, eo magis perficiet gregem ſuum: ſicut mater quo melius ſe curat, eo plus & melioris lactis habet ad lactandum infantulum ſuum, ut pulchre S. Gregorius & Chryſoſtomus *x* declarant. Per EPISCOPOS autem intelligit vel Presbyteros primarios, quos verſ. 17. vocavit *maiores natu*: vel etiam proprie dictos *Epiſcopos*: non unius, ſed plurium civitatum provinciæ Epheſinæ, quos, ut colligitur ex verſ. 25. evocarat Miletum: ita Irenæus *y*. Sed non dicit, commiſſam illis curam totius Eccleſiæ Dei, (ut commiſſa fuerat Petro, Ioan. ult. verſ. 15.)

V. 29. LUPI RAPACES; Syrus, *feroces*, hæretici ſunt, inquit Ambroſius *z*. Unde & luporum inſtar extirpandi, inquit S. Clemens *aa*.

V. 30. ET EX VOBIS IPSIS EXSURGENT. Quam verus vates fuit Paulus, nam ipſo adhuc vivente, in ipſum inſurrexerunt *Hymenæus*, *Alexander*, *Phigellus & Hermogenes*, ut ex ipſiuſmet Pauli ſcriptis *bb* conſtat.

V. 31. PER TRIENNIUM, (non integrum, ſed tertio anno per timeſtre inchoato, ut ſupra *cc* dixi,) NON CESSAVI (nota ſingula verba,) MONENS UNUMQUEMQUE, & quidem CUM LACRIMIS, idque NOCTE ET DIE. Hæc & nos faciamus, inquit Chryſoſt. *Non dolet malus? Tu dole forſan & ille dolebit*.

V. 22. *Verbum* GRATIAE DEI, hebraiſmo eſt ipſa *gratia*, favor, & beneficentia *Dei*: nam Hebræi omnem rem metonymice vocant *verbum*. Porro Deus, ut POTENS & pronus EST AEDIFICARE & ſtabilire inchoatam a me apud vos Eccleſiam, ita rogo eumdem, ut de facto etiam ædificet illam & perficiat, uſque dum univerſi eius filii HEREDITATEM ſibi in cælis paratam aſſequantur cum OMNIBUS aliis ad id SANCTIFICATIS, vel *ſanctis*, ut Syrus vertit.

V. 33. ARGENTUM NULLIUS CONCUPIVI. In hoc ſimilis fuit Paulus Moyſi & Samueli *dd* ſed in illo ipſis ſuperior.

V. 34. AD EA QUAE MIHI OPUS ERANT, *& ſociis meis*, qui non pauci erant, MINISTRAVERUNT MANUS ISTAE *ee*. Quæ gloria Paulo propria fuit.

V. 35. OMNIA OSTENDI VOBIS; id eſt, omnem modum iuvandi infirmos exhibui vobis, & meo exemplo edocui, labores aſſiduos, continuam prædicationem, monitionem cum lachrymis, mille ærumnarum tolerantiam, munerum repulſam, victus veſtituſque conquiſitionem propriis manibus. SIC OPORTET INFIRMOS SUSCIPERE; Græc.

Græc. ἀντιλαμβάνεσθαι, id eſt porrecta manu retinere, lapſuros alioqui vel abituros, inquit Vatablus. Et meminisse verbi Domini Iesu, (etſi in Evangelio non deſcripti) Beatius est magis dare quam accipere. Primo, quia *dare*, ſignum eſt abundantiæ: *accipere*, egeſtatis, inquit S. Auguſtinus *ff*. Secundo, *dare*, eſt liberalitatis: accipere neceſſitatis aut cupiditatis, inquit Caſſianus *gg*. Tertio, *dare*, honorabilius eſt, utpote regale ac divinum: *accipere*, vilius, humanum ac plebeium, inquit S. Hieron. *hh* Quarto, *dare*, eſt alterum ſibi obſtringere: *accipere*, eſt libertatem vendere, inquit Ariſtoteles & P. Syrus *ii*. Quinto, qui *accipit*, ſolum temporalia accipit: qui *dat*, ſpiritualia recipit, preces, benedictiones & gratiarum actiones ab accipiente: a Deo etiam mercedem gratiæ & gloriæ. Porro generale hoc axioma negat S. Auguſt. *kk* locum habere in divinis, ubi tam nobile eſt accipere quam dare divinitatem. Et S. Chryſoſtom in creatis reſtringit ad beneficia: nam in iniuriis, inquit, beatius eſt accipere, quam dare.

V. 36. Positis, id eſt flexis, genibus. Hic ſitus eſt ſupplicum, reorum, orantium ac Numen reverentium, ut pulchre demonſtrat Rupertus *mm*. Et imitatione non modo Salomonis, Danielis *nn*, & aliorum Prophetarum, ſed & Stephani ſui, immo & Chriſti frequenter id faciebat Paulus & alii Apoſtoli, inquit S. Chryſoſtomus *oo*.

(a) Act. xix. 29.
(b) Act. xvi. 1.
(c) Epheſ. vi. 21. & Coloſſ. iv. 7.
(d) Act. xxi. 29.
(e) Chron. cap. ult. in an. 3. Neronis.
(f) Act. xvi. 8.
(g) Ibid. verſ. 10.
(h) II. Cor. viii. 19.
(i) Chron. cap. iii.
(k) Hic. verſ. 6. & 16.
(l) III. Reg. vii. 21.
(m) IV. Reg. iv. 31.
(n) Actor. xvi. 8.
(o) Hieron. in Locis Hebr.
(p) Plin. Lib. XIV. cap. vii.
(q) Hebr. xi. 37. & Iac. i. 2. &c.
(r) Act. xviii. 22.
(ſ) Act. ii. 27. xix. iii. 1. 6. &c.
(t) Lamprid. in Vita Heliogabali.
(u) Ezech. iii. 17. &c.
(x) Gregor. in Paſtorali. Chryſoſt. Lib. III. & VI. de Sacerdotio.
(y) Iren. Lib. II. cap. xiv.
(z) Ambroſ. Lib. VII. in cap. x. Luc.
(aa) Clem. Lib. VIII. Conſtitut. Apoſt. cap. xviii.
(bb) Tim. xi. 20. & epiſt. II. cap. i. 15.
(cc) Actor. xix. 9.
(dd) Num. xix. 1. I. Reg. xii. 3.
(ee) Hic verſ. 4. Actor. xviii. 3.
(ff) Auguſt. Lib. III. cont. Maximum cap. xiv.
(gg) Caſſian. Lib. X. de Inſtit. renuntiat. cap. xviii. & xix.
(hh) Hieron. ad Nepotian.
(ii) Ariſt. Lib. IX. Et hic P. Syrus in Mimo.
(kk) Auguſt. ſup.
(ll) Chryſoſt. hom. lxxviii. ad. popul.
(mm) Ruper. in Cant. vi. 7.
(nn) III. Reg. viii. 54. Dan. vi. 10.
(oo) Act. vii. 59. Lucæ xxii. 41. Hic. & cap. ſeq. verſ. v. & Actor. ix. 40. Chryſoſt. hom. v. in Matt.

GORDONI.

Verſ. 1. Venit hoc anno Chriſti 58. Paulus e Græcia Miletum, quando finitum videtur triennium illud de quo ad initium capitis xix. dictum eſt. In Latino eſt, *vocavit* & *hortatus eſt*: e Græco excidiſſe videtur παρακαλέσαμενος, *exhortatus*. Cedit furori Demetrii Paulus.

V. 3. Factae sunt illi insidiae. Cauſa eſſe potuit, vel ut eum occiderent, vel ut eriperent quas deferebat Ieroſolymam eleemoſynas in ſubſidium pauperum Chriſtianorum.

V. 4. & 5. Sopater, vel ſine eraſi Soſipater: cognatus Pauli, adſcriptus Martyrologio 25. Iunii, Pyrrhi ſcilicet filius. Tychicus adminiſter & Tabellarius Pauli: vide Martyrologium 29. Aprilis. Trophimus & alii hic recenſiti, sustinuerunt. Expectaverunt nos Troade: hæc olim Troia dicebatur, nunc Antigonia, non longe ab Helleſponto.

V. 7. uſque ad 11. Una autem Sabbati, id eſt, prima poſt ſabbatum: nobis dies Dominicus. Ad frangendum panem, ſacrum ſane & Euchariſtiam (lege Auguſtinum, Epiſt. lxxxvi.) ut etiam fatetur hic Calvinus. En ex Paulo conſuetudinem celebrandi Miſſam die Dominico, quando communicabant fideles. At quomodo protractus ſermo ad noctem? Certe quia in primitiva Eccleſia mos erat exemplo Chriſti Synaxin veſperi celebrare, nullo ante ſumpto cibo. Sequitur verſu 8. miraculum reſuſcitati Eutychi a Paulo, incumbente ſuper eum, ut olim Elias III. Reg. xvii. Lampades verſ. 8. & propter noctis tenebras, & ad decoranda myſteria. Hæc Troade.

V. 11. Ascendens. Optime hic Lucas diſtinguit hæc duo: frangere panem, & gu-

guſtare: illud ad cibum myſticum ſpectat; hoc ad temporalem.

V. 13. Nos autem ascendentes navim. Verba deſignant nunc Lucam fuiſſe cum Paulo. Troade navigant in Aſſon. Hieronymus Apolloniam vocat. Inde Mitylenam. Inſulæ, & urbi nomen eſt; commune. Inde per AEgæum mare ſeu Ionium venitur in Chium, Samum & Leſbum inſulas; & tandem Miletum. Colligit Chryſoſtomus Paulum terra veniſſe Aſſon uſque: at ex verſ. 13. & 14. videtur veniſſe ad ſocios qui erant in navi. Chius vini ferax eſt: dat Arviſium (Malvaſiam vocant;) Samo Pythagoræ patria. Ac tandem Miletum, Thaletis patriam. Reliqua cap. XXI. quando ivit Mileto Ieroſolymam. Hoc excurrente anno, coniicio ſcriptam epiſtolam ad Galatas.

V. 17. A Mileto. Paulus convocatis Epheſo (non multum diſtabat Mileto) maioribus nata, iturus Ieroſolymam, & habita ad omnes præclara exhortatione, dixit omnibus extremum vale. Sic finitur hoc caput.

V. 20. 21. 22. Nihil utilium. Paulus in hac extrema ſalutatione præſtat, & docet ſeniores quicquid eſt muneris veri prælati, in zelo, in fortitudine, ſubmiſſione, & denique integritate; ita ut nihil omiſerit eorum quæ utilia videbantur in doctrina, tunc neceſſaria, & moribus. Ecce, inquit (verſ. 22.) nunc alligatus quaſi, & impellente ſancto Spiritu, Ieroſolymam eo; ubi me manent vincula: ſed hæc me non morantur, qui vitam non tanti facio, ac miniſterium verbi. Perorans commendat omnes verbo gratiæ, ſeu gratiæ divinæ.

V. 35. Omnia ostendi vobis. Ut ſupra verſ. 20. & 27. Certe omnia quæ Deus voluit ſciri a vobis. Verum quomodo ereſcat fides explicita ſupra aliquoties dictum eſt. Et de hoc triennio dixi capite præcedente. Sed ubi illud prolatum a Chriſto, Beatius est dare? Sane ſæpe, & quoties danda eſſe temporalia docuit in bonum finem. An non etiam dare eſt honeſtæ liberalitatis, accipere vero egeſtatis? Et quidem de ſenſu verborum res ita ſe habet. Verba autem ipſa ut hic referuntur, non aliter ſcimus prolata a Chriſto, & perveniſſe ad Paulum, quam per traditionem, quam hic concedere coguntur Novatores. Neque ex his verbis dici poteſt, infelicem eſſe paupertatem religioſorum: nam eorum paupertas, & quod omnia accipiant temporalia ab aliis, non eſt ex indigentia (unde dixi naſci hanc deteriorem conditionem) ſed ex abundantia gratiæ, & zelo perfectionis, liberaque electione. Adde religioſos etiam dando eſſe beatiores, quia omnia ſua dederunt Chriſto & pauperibus.

CA-

CAPUT XXI.

Paulo Ieroſolymam tendenti poſt varias navigationes, vaticinatur Agabus propheta afflictiones quas paſſurus erat Ieroſolymis: nec tamen amicorum lacrymis averti poteſt ne aſcendat Ieruſalem, paratus pro Chriſto etiam mortem ſubire: cumque Ieruſalem perveniſſet, Iacobus ipſi ſuadet ut cum quinque viris votum habentibus ſe ſanctificet: quod cum faceret, rapitur a Iudæis, ſed ex eorum manibus eripitur a tribuno a quo catenis alligatus ducitur in caſtra: impetrat tamen facultatem loquendi ad populum.

1. CUm autem factum eſſet ut navigaremus abſtracti ab eis,
recto curſu venimus Coum, & ſequenti die Rhodum, &
inde Pataram. 2. Et cum inveniſſemus navem transfretan-
tem in Phœnicen, aſcendentes navigavimus. 3. Cum ap-
paruiſſemus autem Cypro, relinquentes eam ad ſiniſtram,
navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim
navis expoſitura erat onus. 4. Inventis autem diſcipulis,
manſimus ibi diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per Spi-
ritum ne aſcenderet Ieroſolymam. 5. Et expletis diebus profecti ibamus, de-
ducentibus nos omnibus cum uxoribus & filiis uſque foras civitatem: & po-
ſitis genibus in littore, oravimus. 6. Et cum valefeciſſemus invicem, aſcen-
dimus navem: illi autem redierunt in ſua. 7. * Nos vero navigatione expleta
a Tyro deſcendimus Ptolemaidam: & ſalutatis fratribus, manſimus die una a-
pud illos. 8. Alia autem die profecti, venimus Cæſaream. Et intrantes do-
mum Philippi evangeliſtæ, (*a*) qui erat unus de ſeptem, manſimus apud
eum. 9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. 10. Et cum
moraremur per dies aliquot, ſupervenit quidam a Iudæa propheta, nomine
Agabus. 11. Is cum veniſſet ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans ſibi pedes
& manus, dixit: Hæc dicit Spiritus ſanctus: Virum, cuius eſt zona hæc, ſic
alligabunt in Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus Gentium. 12. Quod cum
audiſſemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne aſcenderet Ieroſoly-
mam. 13. Tunc reſpondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligen-
tes cor meum? Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem para-
tus ſum, propter nomen Domini Ieſu. 14. Et cum ei ſuadere non poſſemus,
quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat. 15. Poſt dies autem iſtos præpara-
ti, aſcendebamus in Ieruſalem. 16. Venerunt autem & ex diſcipulis a Cæſa-
rea nobiſcum, adducentes ſecum apud quem hoſpitaremur * Mnaſonem quem-
dam Cyprium, antiquum diſcipulum. 17. Et cum veniſſemus Ieroſolymam,
libenter exceperunt nos fratres. 18. Sequenti autem die introibat Paulus no-
biſcum ad Iacobum, omneſque collecti ſunt ſeniores. 19. Quos cum ſalutaſ-
ſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ip-
ſius. 20. At illi cum audiſſent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides
frater quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt
legis. 21. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas a Moyſe eorum,
qui per Gentes ſunt, Iudæorum: dicens non debere eos circumcidere filios
ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi. 22. Quid ergo eſt? utique o-
portet convenire multitudinem: audient enim te ſuperveniſſe. 23. Hoc ergo
fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe. 24.

His

Digitized by Google

Ilis aſſumptis, ſanctifica te cum illis: & impende in illis (*b*) ut radant capita: & ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. 25. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, (*c*) nos ſcripſimus, iudicantes ut abſtineant ſe ab idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. 26. Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. 27. Dum autem ſeptem dies conſummarentur, hi qui de Aſia erant Iudæi, cum vidiſſent eum in templo, concitaverunt omnem popolum, & iniecerunt ei manus, clamantes: 28. Viri Iſraelitæ, adiuvate: hic eſt homo, qui adverſus populum, & legem, & locum hunc, omnes ubique docens, inſuper & Gentiles induxit in templum, & violavit ſanctum locum iſtum. 29. Viderant enim Trophimum Epheſium in civitate cum ipſo, quem æſtimaverunt quoniam in templum introduxiſſet Paulus. 30. Commotaque eſt civitas tota, & facta eſt concurſio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: & ſtatim clauſæ ſunt ianuæ. 31. Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum eſt tribuno cohortis: Quia tota confunditur Ieruſalem. 32. Qui ſtatim aſſumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidiſſent tribunum, & milites, ceſſaverunt percutere Paulum. 33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & iuſſit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis eſſet, & quid feciſſet. 34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non poſſet certum cognoſcere præ tumultu, iuſſit duci eum in caſtra. 35. Et cum veniſſet ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi. 36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum. 37. Et cum cœpiſset induci in caſtra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græce noſti? 38. Nonne tu es AEgyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum? 39. Et dixit ad eum Paulus: Ego homo ſum quidem Iudæus a Tharſo Ciliciæ, * non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. 40. Et cum ille permiſiſset, Paulus ſtans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto, allocutus eſt lingua Hebræa, dicens:

(a) Sup. VI. 5. (b) Num. VI. 18. Sup. XVIII. 8. (c) Sup. XV. 20. 29.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 7. Nos vero navigatione expleta. Pro *expleta* non ſcribas *explicita*.

Verſ. 16. Mnaſonem quemdam ſpiritum. Non mutes *Mnaſonem* in *Iaſonem*, id eſt liquidas duas in unam *i* conſonantem.

Verſ. 39. Non ignotæ civitatis municeps. Quidam legunt *civis* explicare, volentes quid ſit *municeps*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. PATARAM. Hæc patria S. Nicolai.

V. 4. DICEBANT. Forte prævidentes quæ illic eſſet paſſurus.

V. 6. VALEFECISSEMUS. Syr. *deoſculati eſſemus*. Vide cap. XX. ſup. ubi idem verbum Græcum.

V. 8. ALIA, ſcilicet ſequenti. CAESAREAM. Vide ſup. cap. XX. SEPTEM, ſcilicet Diaconis.

V. 10. ALIQUOT. Græc. *plures*.

V. 11. SIBI, ſcilicet Agabo.

V. 13. Nomen Domini, id eſt Dominum.

V. 14. Suadere; pro, perſuadere.

V. 15. Praeparati, ſcilicet ſublatis ſarcinulis.

V. 20. Magnificabant. Græc. *glorificabant*. AEmulatores. Græc. *zelatores*, ſcilicet ſtudioſi ſectatores.

V. 21. Discessionem. Græc. ἀποςασίαν, id eſt *defectionem*. Consuetudinem, id eſt priſtinum morem. Ingredi, id eſt vivere, ſeu agere.

V. 22. Est, ſcilicet quod a te volumus.

V. 23. Votum, ſcilicet Nazaræatus.

V. 24. Sanctifica, id eſt purifica. Impende in illis, id eſt fac ſumptus pro illis neceſſarios, vel ſimul cum illis. Falsa sunt. Græc. *nihil ſunt*; quaſi dicat, Temere te culpant. Ambulas, id eſt vivis, ſeu converſaris. Legem. Not. quod licitum fuit primis illis temporibus legalia ſervare, non autem neceſſarium, in quo Galatæ ſeducti errabant. Vide ibi.

V. 25. De his, &c. Reducunt Paulo in mentem, quæ per illum Antiochenis ſcripſerant.

V. 26. Annuntians, ſcilicet ſacerdotibus. Donec, ſcilicet illic perſiſtens. Offerretur, id eſt oblata eſſet.

V. 27. Septem, ſcilicet ab adventu eius, ſeu ritus purificationis illius.

V. 28. Homo: ὁ ἄνθρωπος, id eſt *homo ille*.

V. 31. Confunditur, id eſt turbatur.

V. 34. Castra, id eſt locum militum.

V. 36. Tolle, id eſt de vita.

V. 37. Si; pro, numquid.

V. 38. Sicariorum, id eſt gladios ad cædem geſtantium, *ſica* enim gladius, a ſecando. Syr. *ſceleratorum*.

V. 39. Ignotae, id eſt ignobilis. Municeps. Græc. πολίτης, id eſt *civis*.

ESTII.

Verſ. 3. & 4. Venimus Tyrum. Inventis autem discipulis. Dixerat Dominus in Evangelio: *Si in Tyro & Sidone factæ*, &c. Ecce pervenit Evangelii prædicatio ad Tyrios; & crediderunt; & Paulum abeuntem, magno comitatu, maxima devotione ad navem deduxerunt. Obſervavit hoc etiam Beda. Inventis autem discipulis, mansimus ibi (Tyri) diebus septem, qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Ierosolymam. Quomodo per ſpiritum monebant Paulum ne aſcenderet Ieroſolymam, cum Paulus ipſe ſuperiori capite dixit: *Ecce alligatus ego ſpiritu vado in Ieruſalem?* Et hoc capite per Agabum & alios teſtetur ſpiritus eum Ieroſolymis multa paſſurum, quod fieri non poterat niſi eo aſcenderet? Reſp. ſenſus eſt: diſcipuli per ſpiritum videntes, aut per revelationem aliis factam intelligentes, quæ mala Ieroſolymis paſſurus eſſet; rogabant eum ne eo aſcenderet. Sed iterum quæritur; Si per ſpiritum ſciebant eum Ieroſolymis talia mala paſſurum, quomodo monebant ne aſcenderet? cum prophetia illa impleri non poſſet niſi eo aſcenderet? Reſponderi poteſt eos putaſſe prædictionem illam conditionatam eſſe: nempe multa eum Ieroſolymis paſſurum, ſi eo aſcenderet. Et proinde hortabantur ne aſcenderet, quomodo Davidi conditionate dictum erat: *Tradent te viri Ceila*. Aliter dici poteſt quoſdam diſcipulos vidiſſe per ſpiritum, & prædixiſſe quæ paſſurus eſſet; alios autem conatos eum revocare a profectione. Nam & paulo poſt Agabus prædicit; alii autem deprecantur profectionem.

V. 6. Illi autem redierunt in sua. Sic Ioannes dicitur accepiſſe matrem Domini in ſua; eſt enim utrobique Græce *εἰς τὰ ἴδια*: quæ phraſis quid ſibi velit, vide Annotat. Ioannis xix.

V. 8. Et intrantes domum Philippi. Non quam ut propriam poſſidebat, ſed quam fratribus fecerat communem, ſicut & Ioannes qui matrem Domini accepit in ſua. Erat enim Philippus ex iis qui omnia ſua contulerant in commune; atque adeo unus ex iis qui communium bonorum diſpenſationi fuerant ab Apoſtolis præpoſiti, Act. vi. At cur primi illi fideles non vendebant domos, ut earum pretia conferrent in commune, ſicut agros? Reſponſio perſpicua, quia debebat eas retinere ad inhabitandum, nondum enim erant cænobiticæ domus fidelibus ædificatæ, quod poſtea cœptum eſt fieri. Itaque ſingulæ domus fidelium erant quædam cænobia ſeu magis cœnacia, id eſt domus communes. Philippi evangelistae, qui erat unus de septem: ſcilicet diaconis. *Unus*

non

non eſt in Græco, recte tamen additum ab interprete ſenſus illuſtrandi cauſa. Quod & ab Eraſmo factum eſt; quamquam nonnulli MSS. codices id non habent. Philippum Lucas vocat Evangeliſtam ab officio prædicationis Evangelicæ apud infideles; quod quam diligenter & quo fructu exercuerit, probat hiſtoria capitis VIII. huius libri.

V. 9. HUIC AUTEM ERANT QUATUOR FILIAE VIRGINES PROPHETANTES. In his impletum illud Ioelis: *Prophetabunt filiæ veſtræ*. Dubium autem utrum prophetaſſe dicantur, quia futura prænuntiabant; qualis propheta fuit Agabus, de quo ſtatim poſt: an quia donum a Deo acceperant exponendi ſcripturas, præſertim propheticas, quæ ceteris ſunt obſcuriores. De quo genere prophetiæ loquitur Apoſtolus I. Corinth. XIV. Sane quia pater inſignis Evangeliſta erat, idemque prophetarum doctus interpres (nam Eunucho laboranti locum Iſaiæ accurate expoſuit) convenienter intelligitur & filias in ſcientia Scripturarum a Spiritu ſancto, ſimul & a patre, inſtitutas fuiſſe. *Virgines* autem intellige virum non cognoſcentes; eo modo quo ſanctiſſiſſima Virgo dicebat: *Quoniam virum non cognoſco*; id eſt, perpetuæ virginitati ex voto conſecratas. Nam ſi viros erant accepturæ, non erat cauſa cur peculiariter Lucas commemoraret, quod fuerint virgines. Et quidem refert Euſebius Lib. III. Hiſtor. cap. III. ex Polycrate, eas in virginitate conſenuiſſe. De iiſdem vide Baronium Tomo I. Annalium. At Clemens Lib. III. Stromatum, dicit eas viris traditas a patre. Sed magis credendum Polycrati utpote antiquiori. Forte Clemens id habet ex aliquo apocrypho. Habet & alia paradoxa Clemens Alexandrinus: & Baronius dicit id omnium atteſtatione reiici. Polycrates dicit hunc Philippum fuiſſe unum ex duodecim Apoſtolis; quod eſt contra id quod hic dicitur fuiſſe unum ex ſeptem diaconis. Vide Hieronymum in Polycrate. Ceterum virgines iſtæ *prophetantes* non erant puellæ, ſed adultiori ætate. Nam ea quæ Lucas hic commemorat, contigerunt anno Domini 58. Nec credibile eſt Philippum poſtquam diaconus factus eſt, procreaſſe liberos. Superabant ergo omnes hæ filiæ annum ætatis 25. Quæ res etiam facit ad probandum in eis perpetuæ virginitatis propoſitum. Quin & ex eo quod dicuntur prophetaſſe, argumentum probabile ſumitur quod virgines fuerint propoſito & voto. Nam virgines quæ nuptias cogitant, parum aptæ ſunt dono prophetiæ recipiendo.

V. 14. CUM EI SUADERE NON POSSEMUS, QUIEVIMUS DICENTES: DOMINI VOLUNTAS FIAT. Quæ voluntas intelligitur, beneplaciti an ſigni? id eſt, voluntas abſoluta, an voluntas præcepti? Utraque intelligi poteſt: nam & abſolute Deus volebat Paulum multa pati Ieroſolymis; quod ſatis ſignificabat per tam frequentes prædictiones. Ex iiſdem prædictionibus ſatis intelligebat Paulus ſibi præcipi a Deo, ut Ieroſolymam proficiſceretur. Vide Annotat. Matth. VI. Sed quomodo dicitur de voluntate beneplaciti: *Domini voluntas fiat*, cum illa voluntas ſemper impleatur, etiam nobis repugnantibus? Reſpondetur non hunc eſſe ſenſum: Optamus vel oramus ut de Paulo fiat quod Deus ſtatuit, ſed iſtum; Non repugnemus amplius acquieſcamus voluntati ac beneplacito Dei, quod nobis per Prophetas ſuos declaravit. Ita Iudas Machabæus: *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat*; loquens de incerto eventu ſui prelii. Ita etiam vulgo dicunt pii Chriſtiani in rebus adverſis: *Fiat voluntas Domini*. Quin & hoc modo intelligi poteſt petitio orationis dominicæ, ut ſenſus ſit: Placeat nobis omnis voluntas tua, & numquam contra eam murmuremus; ſicuti placet Angelis in cælo. Fere tamen exponitur de voluntate ſigni, hoc ſenſu: Faciamus id quod præcipis.

V. 18. SEQUENTI AUTEM DIE INTROIBAT NOBISCUM PAULUS AD IACOBUM: quare non ad Petrum, niſi quia Petrus Ieroſolymis non erat, ſed iam Romæ vel in Italiæ partibus agebat? unde hoc loco, ubi alioqui maxime oportebat, nulla Petri mentio.

V. 19. NARRABAT PER SINGULA QUAE DEUS FECISSET IN GENTIBUS PER MINISTERIUM IPSIUS. AT ILLI CUM AUDIVISSENT, MAGNIFICABANT DEUM. Vide Annot. ſup. cap. XIV.

V. 20. VIDES FRATER, QUOT MILLIA SUNT IN IUDAEIS, QUI CREDIDERUNT: ET OMNES AEMULATORES SUNT LEGIS. *Omnes*, id eſt plerique omnes. Ægre enim poterant adduci Iudæi, ut avellerentur ab obſervatione legis, aut ut ſibi eam puta-

rent non eſſe obſervandam; vel quia conſilium Dei de legis abrogatione per legem Chriſti non ſatis capiebant, præſertim cum eſſet lex divina; vel propter conſuetudinem. De quo vide Comment. Rom. xiv. Ex quo loco etiam conſtat non omnino omnes Iudæos qui crediderant, fuiſſe tales. Erant enim qui ſcientiam haberent libertatis non obſervandi; quamvis ea libertate quidam eorum per imprudentiam abuterentur, cum offendiculo fratrum infirmorum. Sed quæritur, an hi vere fuerint Chriſtiani, cum appareat eos fuiſſe Iudaizantes, exiſtimantes legem debere ſervari? At Iacobus eos numerat interl fideles, dicens: *Quot millia ſunt in Iudæis qui crediderunt*. An hic locum habet illud ad Rom. xiv. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat?* Quod etiam de male opinantibus circa religionem intelligitur. Vide Comment. illius loci.

V. 21. Dicens eos non debere circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi, id eſt maleſacere Iudæos ſi circumcidérent filios ſuos, aliaſque legis cæremonias de more ſervarent. Nam etſi Iudæi extra metum ſcandali ad hæc non tenerentur, atque id Paulus doceret; non tamen docebat illicitam illis eſſe legalium obſervationem, ut calumniabantur adverſarii. Igitur *non debere eos*, idem eſt quod non licere eis; vel, tranſpoſita negatione, debere non circumcidere; Græce tantum eſt: λέγων μὴ περιτέμνειν αὐτοὺς τὰ τέκνα, &c. *Dicens non circumcidere eos filios*, id eſt prohibens eis ne circumcidant. At ſenſum bene reddidit interpres, ut & iiſdem verbis Eraſmus.

V. 24. His assumptis sanctifica te cum illis, et impende in illis, ut radant capita. Et infra: *Poſtera die cum illis ſanctificatus intravit in templum annuntians explicationem dierum purificationes*. Cur hic non eſt mendacium & ſimulatio, cum Paulus revera dies a lege præſcriptos non expleſſet, ſed id tantum videatur præſtitiſſe; adiungens ſe ſocium aliis qui expleverunt? dicitur enim poſtera die quam ad Iacobum veniſſet, id feciſſe. Reſponderi poteſt, Paulum hic non egiſſe Nazaræum, ſed ſuo facto palam probaſſe iſtorum quatuor Nazaræiſmum. Et scient omnes quia quae de te audierunt, falsa sunt. Non dicit: Putabunt, ſed *ſcient*. Non ergo ſimulatio aliqua hic ſuadetur Paulo, ſed vera legis obſervatio, unde intelligatur quod revera non docuerat] illicitam eſſe Iudæis obſervationem legalium eo tempore. Unde ipſemet Timotheum Iudæum circumciderat, ſupra cap. xvi.

V. 26. Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus, &c. Quare Paulus in hoc facto non fuerit reprehenſibilis, ſicut Petrus ad Galat. ii. a Paulo reprehenſus, quod abſtineret a cibis lege prohibitis: vide Comment. ad Galat. ii. Reſp. quia Petrus fecit cum ſcandalo gentilium non Paulus.

V. 28. Insuper et Gentiles induxit in templum. Vide Annot. III. Reg. viii. & ad Hebræos ix. ad illud: *Sanctum ſæculare*, & ibi Riberam.

V. 30. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum. Ergo hæc fiebant in templo, *Et ſtatim clauſæ ſunt ianuæ*, ſcilicet templi, velut prophanati per ingreſſum hominis gentilis.

V. 38. Graece nosti, &c. Vide Annot. Matth. xxvii. Quare Paulus ei Græce loquebatur, cum tribunus eſſet homo Romanus? quia græca lingua paſſim erat uſitatior, & pleriſque etiam Romanis nota; ſicut nunc paſſim gallica etiam apud Belgas, Anglos, Germanos. Unde Paulus etiam ad Romanos Græce ſcripſit.

MARIANAE.

Verſ. 1. Venimus Coum, inſulam ad Auſtrum. Rhodum, magis Auſtralem. Pataram; urbs eſt in continenti, maritima Lyciæ pars.

V. 3. Relinquentes eam ad sinistram. Ex Aſia navigantes in Syriam, Cyprum ad dexteram potius relinquunt. Ergo aut magno facto circuitu navigarunt, aut *Cyprum* ipſam *ſiniſtram* vocat, quod navigantibus a Syria in Occaſum ad ſiniſtram ſit: ſic nonnemo. Favent Græca, quæ ſic habent: *Relinquentes ipſam ſiniſtram*, ut ſit Cypri epitheton.

V. 4. Per Spiritum ne ascenderet. Et ſuperiori tamen capite Spiritus illi dicebat ut iret in Ieruſalem. Nempe per Spiritum hi habebant quæ Paulus erat paſſurus: ex affectu autem de ſuo addiderunt, ne eo iret: ſic Lyranus.

V. 6. Ascendimus navem; pro, in navem.

V. 8. Unus de septem, ſcilicet diaconis cap. vi. 5. erat Philippus:

V. 9.

Digitized by Google

V. 9. Quatuor filiae virgines prophetantes. Prædicebant futura, aut Sacros libros explicabant. Utrumque dicitur *prophetare*.

V. 16. Mnasonem: ſic lege, non *Iaſonem*, aut *Naſonem*, ut alii, Cyprium natione.

V. 17. Libenter exceperunt, aut *benigne*, Ieroſolymæ.

V. 18. Introibat Paulus ad Iacobum, aut *nos introivimus cum Paulo*: ſic Gotth. ſed alii codices repugnant.

V. 25. Ab idolis immolato. Sic lege ſine diſtinctione, quaſi una dictio eſſet, Græc. εἰδωλόθυτον. Itaque quatuor ſunt, a quibus abſtinere iubent, non quinque: ſic etiam cap. xv. 29.

V. 26. Annuntians, ſcilicet ſacerdotibus impletos eſſe dies purificationis eorum. Donec; pro, ut offerretur. Græc. *uſquequo oblata eſt pro unoquoque eorum oblatio*.

V. 29. Trophimum. Erat Pauli ſocius, cap. xx. 4. Erat Aſianus, non Iudæus. Ideo ſunt commoti Iudæi, quia in templo eum viderunt.

V. 30. Extra templum trahebant Paulum, ne ſcilicet Paulum occiderent intra templum.

V. 37. Loqui aliquid. Græc. & Gotth. *ſi licet loqui ad te*; ſed bene ſuppletur vox *aliquid*.

V. 38. Nonne tu es Aegyptius? De hoc *Ægyptio* Ioſephus XX. Antiq. cap. vi. & Euſeb. Hiſt. Lib. II. cap. xx. & in Chron. ubi ait hoc accidiſſe anno Chriſti 55. Eduxerat is in deſertum quatuor millia virorum.

MENOCHII.

Verſ. 1. Cum autem factum esset ut navigaremus; id eſt, cum ſolviſſemus & iam navis per mare curſum ſuum teneret. Abstracti ab eis: ſicut pater a filiis chariſſimis ægre avellitur. Coum: Cous, Cea, & Cea inſula eſt e Cycladibus in mari AEgæo, diverſa a Chio, nam inter Chium, & Coum media eſt Samos. Rhodum: nota, & celebris eſt inſula. Pataram: eſt civitas in continenti Lyciæ, eiuſque provinciæ metropolis.

V. 2. In Phoenicem: eſt Syriæ regio, cuius metropolis erat Tyrus, quo navis curſum intendebat.

V. 3. Cum apparuissemus Cypro: cum cœpiſſet nobis aperiri, & apparere Cyprus. Italice dicimus, *avendo ſcorta l'Iſola di Cypro*; quæ phraſis exacte reſpondet Græce, ἀναφάναντες τὴν κύπρον. Discipulis: Chriſtianis. Per spiritum: propheticum. Ne ascenderet Ierosolymam: monentes, & orantes ne ſe in apertum vitæ periculum daret.

V. 5. Foras civitatem: extra civitatem. Positis genibus in litore, &c. vide dicta ſuperiori cap. num. 36.

V. 6. In sua: ad domos ſuas.

V. 7. Ptolemaidam: olim dicebatur Acco Iud. 1. 31. poſtea a quodam Ptolemæo AEgypti rege dicta eſt Ptolemais, ſive Ptolemaida. Diſtat a Tyrio triginta duobus milliaribus, in finibus tribus Aſer.

V. 8. Caesaream: Palæſtinæ, quæ prius dicebatur Turris Stratonis: Philippi Evangelistae; non quod ſcripſit, ſed quod prædicatur Evangelium. Erat hic unus e ſeptem Diaconis, ſupra cap. v.

V. 9. Virgines prophetantes: virginitatis enim præmium eſt ſapientia, & prophetia, ait Oecumenius. Agabus: hic eſt propheta, qui famem ſub Claudio Imperatore prædixit, cap. xi. 28.

V. 11. Alligans sibi pedes et manus: imitatus eſt Agabus hac in re antiquos prophetas, qui non verbis tantum, ſed factis etiam vaticinabantur, ut Iſaias cap. xx. Ieremias c. xiii. & xxvii. & alii, ut res viſa, præſertim nova, & altius infigeretur animo, & ad inveſtigandam prophetiæ ſignificationem magis excitaret. In manus gentium: tribuno, & præſidi Romano, ac tandem fero Neroni.

V. 12. Qui loci illius erant: Chriſtiani Cæſareæ habitantes.

V. 13. Affligentes cor meum: *Qui in propriis tentationibus non patiebatur, dolebat præ amore, quia videbat lacrymantes, & lædi ſe conquerebatur ab ipſis, quaſi cenſerent eum periculis, quæ prædicabantur, ægre affici*, inquit Chryſoſtomus.

V. 12. Suadere: perſuadere. Praeparati: ἐπισκευασάμενοι, *ſublatis ſarcinis*.

V. 14. Apud quem hospitaremur: Ieroſolymis.

V. 18. Introibat Paulus nobiscum; *detulit*, inquit Chryſoſtomus, *dignitati Epiſcopali quam Iacobus frater Domini Ieroſolymis gerebat, & eximiæ ſanctitati, & aucto-*

auctoritati qua pollebat. COLLECTI SUNT SENIORES: πρεσβύτεροι, vel ſacri maiores miniſtri, vel natu grandiores, vel in diſcipulatu antiquiores: primum maxime, ac proprie.

V. 20. QUOT MILLIA SUNT IN IUDAEIS: in Græc. eſt μυριάδες; μυρίας autem continet decem millia, ſed hic confuſe ſumitur, ſignificatque multa millia. AEMULATORES SUNT LEGIS: ζηλωταί, ſtudioſi ſectatores. LEGIS: Moſaicæ; quaſi dicant, Verentur ne illa per te & prædicationem tuam aboleatur.

V. 21. QUIA DISCESSIONEM DOCEAS, &c. id eſt, quod Iudæos omnes, qui ſunt inter gentes, doceas a Moſe deficere. NEQUE SECUNDUM CONSUETUDINEM INGREDI, id eſt neque ſecundum inſtituta, vel conſuetudines patrias, & Iudaicas vivere.

V. 22. QUID ERGO EST? quid ergo facto opus eſt? UTIQUE OPORTET CONVENIRE MULTITUDINEM; id eſt, omnino conveniet multitudo, cum primum audierint te veniſſe, ideoque videndum eſt qua ratione cum illa agendum ſit, nam querentur te legi adverſari, eoque nomine te accuſabunt, &c.

V. 23. HABENTES VOTUM: Nazaræatus, cuius terminus, & conſummatio erat ſanctificatio, id eſt detonſio comæ, luſtratio, & ſacrificii oblatio, iuxta legem Num. VI. 13. SANCTIFICA: ἁγνίσθητι; id eſt, purifica te modo nunc dicto, occaſione depoſitionis Nazaræatus, cuius etiam tu votum habes, & cuius terminus nunc elabitur, vel elapſus eſt. ET IMPENDE IN ILLIS UT RADANT CAPITA: fac ſumptum, expende quod eſt neceſſarium pro illis, ut radant capita iuxta legem depoſitionis Nazaræatus, ſic enim oſtendes te legis Moſaicæ ſtudioſum, & concitatam contra te invidiam mitigabis. Lex hoc tempore licet eſſet mortua, nondum tamen erat mortifera: itaque Nazaræatus ceremonia uſurpari poterat ſine peccato, & conſilium quod a Iacobo dabatur, & aliis diſcipulis, nihil continebat quod reprehendi poſſet. QUIA QUAE DE TE AUDIERUNT FALSA SUNT: quod ſcilicet Moſaicam impugnes, ut tibi falſo obiicitur. Nuſquam vetuerat Paulus Iudæos circumcidi &c. ſervare legem Moſis; immo vero ipſe Timotheum circumciderat, ſupra cap. XVI. 3. & votum Nazaræatus nuncupat, ſupra cap. XVIII. 18.

V. 25. DE HIS AUTEM QUI CREDIDERUNT EX GENTIBUS: occurrit obiectioni: ne enim obtenderet Paulus Gentilium ſcandalum, ſcilicet ipſos exemplo ſuo exiſtimaturos ſe quoque debere ſervare legalia, docet, aut potius reſricat, iam ad eos ſcriptum eſſe, quod lege Moſis non obligarentur, ac iuſſos eſſe abſtinere tantum idolothitis, ſanguine, & ſuffocato, uti ſciebat Paulus, qui huic decreto interfuerat, immo eius cauſa extiterat, Actor. XV. AB IDOLIS IMMOLATO: a carne, & cibo idolis oblato, & immolato. Vide dicta ſupra cap. XV. 20.

V. 26. PURIFICATUS EST CUM ILLIS: purificatus ab aliqua immunditia legali, quæ etiam ſine peccato contrahi poterat. ANNUNTIANS: Sacerdotibus. EXPLETIS AUTEM DIEBUS PURIFICATIONIS. Non videtur hic eſſe ſermo de aliqua purificatione, quæ lege Nazaræatus præſcriberetur, ſed de aliis peculiaribus ex devotione populi, & traditione maiorum introductis; tales enim fuiſſe apud Iudæos patet ex Ioſepho Lib. II. de bello cap. XV. ubi agit de votis Berenices ſororis Agrippæ regis. Senſus ergo eſt, quaſi dicat: Paulus fecit votum victimas offerendi, ideoque iuxta ritum maiorum purificavit ſe ab immunditiis legalibus, & quot diebus vellet orando, aut ieiunando, aut alia huiuſmodi opera a Iudæis ex conſuetudine uſurpari ſolita, exercendo, occupari, ſignificavit ſacerdotibus, nimirum velle ſe ſeptem diebus illis exerceri. DONEC OFFERRETUR PRO UNOQUOQUE EORUM OBLATIO, ſignificans ſe non intermiſſurum opera illa pietatis, quæ exercendo ſuſcipiebat, donec iis expletis offerretur oblatio, ad quam opera illa erant præparatoria, ex Pauli, & ſociorum devotione.

V. 27. DUM AUTEM SEPTEM DIES CONSUMMARENTUR; id eſt, dum decurreret ſpatium ſeptem dierum. HI QUI DE ASIA ERANT IUDAEI, qui aſcenderant in Ieruſalem ad Pentecoſtem, & aſcendenti Paulo inſidias ſtruxerant cap. ſuperiori num. 3. & 19. ut ſiniſtros de illo rumores ſpargerent. Videntur potiſſimum fuiſſe Epheſii, & nomine Aſiæ videtur intelligenda Aſia minor.

V. 28. LOCUM HUNC: templum. GENTILES INDUXIT IN TEMPLUM: capitale erat Gentili ingredi in templum, teſte Ioſepho Lib. V. Antiq. cap. XIV. Per templum intelligunt atria in quibus eſſe Iudæis tantum

tum

Digitized by Google

tum licebat, non Gentilibus, quibus aliud atrium peculiare erat attributum, ut in illo ſi vellent adorare poſſent.

V. 29. VIDERANT ENIM TROPHIMUM EPHESIUM. Trophimum; hunc Iudæi habebant pro Gentili, quia licet Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſet, non erat tamen circumciſus, nec factus ipſorum more proſelytus. IN TEMPLUM INTRODUXISSET: ex eo coniectutam capiebant, quoniam videbant Trophimum lateri Pauli adhærentem. Paulum vero templum frequentantem, inde illis orta ſuſpicio adductum Throphimum in templum. TRAHEBANT EXTRA TEMPLUM: ut eum liberius occiderent, nec templum eius ſanguine pollueretur. Quia vero iudicabant Paulum loci ſanctitatem violaſſe, ideo indignum arbitrabantur cui in eiuſdem reverentiam parceretur. CLAUSAE SUNT IANUAE: militibus templi, ut probabile eſt fieri ſolitum cum aliquis tumultus in templo excitaretur, ad vitandum ſcilicet maiorem concurſum, ex quo maiores turbæ otiri poſſent, & ad præcludendum effugium ſontibus, publicæ pacis, & loci ſancti violatoribus.

V. 31. TRIBUNO: cohortis præfecto, qui arcem, Antoniam dictam, cuſtodiebat, quæ templo a Septentrione adiacet. CONFUNDITUR: *συγκέχυται*, *commiſcetur*, *conturbatur*.

V. 33. CATENIS DUABUS: conſtrictis manibus, pedibuſque, ut Agabus vaticinatus fuerat, ſupra verſ. 11.

V. 34. IN CASTRA: hæc erant præſidium Romanorum in arce Antonia, de qua proxime dictum eſt.

V. 35. AD GRADUS: quibus aſcendebatur in arcem Antoniam.

V. 37. TOLLE EUM: de vita: tolle de medio, interficiendo, extremo ſupplicio afficiendo, ſic clamarunt Iudæi contra Chriſtum Ioan. XIX. 15.

V. 37. SI LICET: an licet? licet ne? GRAECE NOSTI? quaſi dicat, Licet ſi Græce noſti, ego enim Hebraicam, vel Syriacam veſtram linguam non intelligo.

V. 38. NONNE TU ES AEGYPTIUS? De hoc AEgyptio narrat Ioſeph. Lib. XX. antiq. cap. XX. eum veniſſe Ieroſolymam, & vatem ſe profeſſum, ſuaſiſſe plebi ut ſecum in montem Oliveti aſcenderet, ſe ex illo loco iuſſurum, ut urbis mœnia caderent. Fœlix Præſes in ſeductam turbam invaſit cum militibus, & quadringentos occidit. AEgyptius pugna elapſus diſparuit. Acciderat hoc anno 13. Claudii Imperatoris, hoc eſt triennio antequam hæc circa Paulum fierent Ieroſolymis. QUATUOR MILLIA. Tot initio eduxerat ex AEgypto, ſed ut fit, affluente turba prædonum numerus excrevit ad triginta millia, ut Ioſephus citatus narrat.

V. 34. TARSO CILICIAE: addit Ciliciæ, quia eſt alia Tarſus in Bithynia. MUNICEPS: *πολίτης*, *civis*.

T I R I N I.

Verſ. 1. COus, Côa vel Cea, inſula eſt e Cycladibus in mari AEgæo ad Auſtrum. Patria ſuit Hippocratis medicorum, & Apellis pictorum principis. Sed alia fuit a *Coa* AEgyptia, cuius alibi *a* fit mentio. *Rhodus* vicina Coo inſula magis Auſtralis, quam Selymus Turcarum Imperator anno Domini 1522. Chriſtianis eripuit. De hac aſſerit Plinius *b*, numquam tam nubilum eſſe diem, quin ſol Rhodo appareat & in ea ex ære coloſſum, ſeu ſtatuam Soli erectam, altitudine pedum centum & quinque, unum e ſeptem miraculis mundi. *Patara* urbs eſt in continenti, maritima Lyciæ pars.

V. 4. DICEBANT PAULO PER SPIRITUM propheticum, ſi IEROSOLYMAM iret, capiendum a Iudæis: ſuadebant ergo, ſed ex proprio ſpiritu, ſeu affectu, NE EO ASCENDERET. Alioqui voluntas erat Spiritus ſancti, ut Ieroſolymam pergeret *c*, inquit Lyranus.

V. 7. *Ptolemais*, *Abon* vel *Hakum* olim dicebatur, ut Syrus legit: civitas in tribu Aser ad mare. De *Cæſarea* alibi *d* dixi.

V. 8. *Philippus* vocatur *Evangeliſta* non quod ſcripſerit, ſed quod prædicarit *e* Evangelium: eratque unus de ſeptem primis *f* Diaconis.

V. 9. HUIC ERANT QUATUOR FILIAE VIRGINES PROPHETANTES, id eſt divinas laudes celebrantes, ut nunc faciunt Moniales, inquit Ioannes Alba *g*. Sed alii Prophetides proprie dictas vocant; Virginitatis *h* enim præmium eſt ſapientia & prophetia, inquit Oecumenius. De una harum, Hermione dicta, legimus in Menologio, graviſſima ſub Traiano paſſam, in Domino quieviſſe 4. Septembr. Reliquæ

etiam

etiam catalogo SS. virginum adſcriptæ ſunt: & tempore S. Paulæ extabant adhuc illarum cubicula Cæſareæ, inquit S. Hieronimus *i*.

V. 10. AGABUS idem eſt qui famem ſub Claudio Imp. ante 16. annos prædixit k.

V. 11. ALLIGANS SIBI PEDES ET MANUS: exemplo Iſaiæ, Ieremiæ & Ezechielis. Sed S- Grægorius *l* Dionyſius & quidam alii pro αὑτοῦ, id eſt *ſibi*, legerunt αὐτοῦ, id eſt *ipſi*, ſcilicet Paulo.

V. 14. SUADERE ponitur pro *perſuadere*.

V. 16. 'MNASONEM (ſic legendum, non *Iaſonem*, ut quidam volunt,) Cæſarea Ieroſolymam ſecum deducunt diſcipuli, ut iſtic domi eius hoſpitentur, ne Ieroſolymitanis rapinam bonorum ſuorum nuper paſſis (quibus proinde Paulus collectas ex Achaia & Macedonia *m* eleemoſynas deferebat,) graves eſſent, maxime in Pentecoſte qua Iudæi undique Ieroſolymam ad amicorum hoſpitia confluebant *n*.

V. 17. IEROSOLYMAM quarta vice *venit* Paulus, paulo ante Pentecoſten, anno a morte Chriſti 26. Neronis 3. *o*.

V. 18. INTROIBAT AD IACOBUM Ieroſolymorum Epiſcopum eximiæ ſanctitatis & auctoritatis Apoſtolum, cui deferre voluit Paulus. Hic 4. abhinc anno, puta 7. Noronis, poſtquam 29. annos & pene tres menſes Eccleſiam Ieroſolymitanam ſanctiſſime rexiſſet, a Iudæis e templi faſtigio præcipitatus, fullonis vecte occiſus eſt, ut dixi in Chronico *p*.

V. 20. QUOT MILLIA; Græce, *quot myriades*, id eſt quot dena millia Iudæorum, CREDIDERUNT in Chriſtum. Ex quo patet, Deum non ita reieciſſe Iudæos, quin ingentem numerum ex eis ſibi delegerit quos ſalvaret. ET OMNES AEMULATORES SUNT LEGIS, ut una cum chriſtianiſmo ceremonias Moſaicas obſervent, quod adhuc licebat tum temporis, ut ſupra *q* dixi. Hi extreme tibi offenſi ſunt.

V. 21. Quia AUDIERUNT, QUIA DISCESSIONEM; Græce, ἀποςασίαν, id eſt defectionem, A MOISE DOCEAS omnes Iudæos qui extra terram ſanctam *inter* GENTES habitant: dicendo, NON DEBERE, id eſt non licere, CIRCUMCIDERE FILIOS SUOS, NEQUE SECUNDUM receptos patriæ mores & maiorum CONSUETUDINES vivere. Sed erat hæc calumnia, nam circumcidendo Timotheum, & nazaræatus *r* votum ſuſcipiendo contrarium demonſtrat Paulus iam pridem. Tantum docebat, iuſtificari nos per fidem & gratiam Chriſti, non per legem Moiſis, quæ ſolum umbra erat & præambulum Chriſti.

V. 22. QUID ERGO EST faciendum? quid conſilii? Utique prævertere oportet zelotas illos, teque legis ſtudioſum ipſis oſtendere, ne male de te informati, male etiam te tractent & mulctent.

V. 24. SANCTIFICA; Græce, *purifica* TE CUM ILLIS *quatuor* viris *qui votum* nazaræatus *habent ſuper ſe*. Nempe, IMPENDE TE ut nuper *ſ* ita iam rurſus, IN, ſeu cum, ILLIS, radendo caput, comam detondendo, & luſtrando, & ſacrificium per ſeptiduum offerri iuberdo publice in templo, iuxta legis Moſaicæ præſcriptum *t*.

V. 25. DE HIS AUTEM QUI EX GENTIBUS CREDIDERUNT: ne ſis anxius, quaſi ſcandalo ipſis futurus ſis, anſamque daturus, qua exiſtiment, ſe tuo exemplo debere quoque ſervare legalia. Iam enim pridem conſtat illis ex publico noſtro reſcripto, quod lege Moſaica nullatenus teneantur, ſed ſolum pauculis ceremoniis ad tempus aliquod ſe Iudæis accommodent, ut ſupra *u* decretum.

V. 26. PAULUS obſequens bene monenti, POSTERA DIE PURIFICATUS eſt CUM ILLIS, nempe a contactu cadaveris, vel alia aliqua immunditia legali, impendens illi rei ſeptiduum, ex legis *x* præſcripto: ut ſic plane mundus inchoaret votum nazaræatus una cum quatuor ſociis illis. Ut etiam nuper fecerat in Cenchris *y*: ita Sanchez & a Lapide, qui *annuntiationem* cuius hic fit mentio, cenſet ſacerdotibus factam, ad quos ſpectabat cura ceremoniarum a Nazaræis explendarum.

V. 27. DUM SEPTEM DIES CONSUMMARENTUR, id eſt conſummari inciperent z, Græce, *cum futurum eſſet ut complerentur*. Nam cap. XXIV. 11. colligitur primo ipſo ſeptidui die captum Paulum.

V. 28. GENTILES IN TEMPLUM, id eſt in atrium Iudæorum, INDUXIT. Quod teſte Ioſepho *aa*, capitale erat. Licet enim *Trophimus* Gentilis eſſe deſiiſſet eo ipſo quo ad Chriſtum converſus fuit; quia tamen ad iudaiſmum non tranſierat, ut Gentilis

tilis

tilis adhuc a Iudæis habebatur, immo magis exoſus erat, utpote capitalis iudaiſmi adverſarius.

V. 30. TRAHEBANT PAULUM EXTRA TEMPLUM, ne ſanguine illius pollueretur, inquit Chryſoſtomus. ET STATIM CLAUSAE SUNT templi IANUAE a Levitis, ne qua forte a Gentilibus (quorum cauſa tumultus hic oriebatur) irruptio fieret in templum, Trophimi vel Pauli ulciſcendi cauſa.

V. 32. *Tribunus* ex arce *Antonia*, (quam Ioſephus, Ariſtæas & Hegeſippus *bb* deſcribunt,) cum Romanis cohortibus DECURRIT AD tumultuantes.

V. 33. & 34. *Et iubet* Paulum ALLIGARI CATENIS DUABUS, una qua manus, altera qua pedes conſtringerentur, ut ei futurum prædixerat verſ. 11. Agabus Propheta. Vinctum autem *ducit* IN CASTRA, id eſt in arcem Antoniam, in qua erat Romanorum præſidium, & in quam nonniſi per multos gradus patebat aſcenſus.

V. 38. NONNE TU ES AEGYPTIUS ille pſeudovates & impoſtor, QUI ANTE HOS DIES, id eſt ante triennium, nempe anno 13. imperii Claudii, TUMULTUM hic CONCITASTI, eductis ex AEgypto *quatuor millibus* SICARIORUM, qui poſtea facile ad triginta millia excreverunt? ut Ioſephus & Euſebius *cc* narrant, adduntque a præſide Felice *dd*, fuſos fugatoſque hos ſicarios, multis occiſis, multis captis, *AEgyptio* incerium quo dilapſo.

V. 39. EGO, reſpondet Paulus, non ſum AEgyptius, ſed IUDAEUS E TARSO CILICIAE, NON IGNOTAE ſed celeberrimæ CIVITATIS, utpote metropolis illius provinciæ, MUNICEPS, id eſt civis, ut Ulpianus *ee* exponit. Et quia civis Tarſenſis, conſequenter etiam civis *Romanus* ſum, ut clarius exprimit cap. ſeq. verſ. 25.

(a) III. Reg. x. 28.
(b) Plin. Lib. II. cap. lxxi. & Lib. XXXIV. cap. vii.
(c) Actor. xx. 22.
(d) Actor. x. 1.
(e) Actor. viii. 5. & 35.
(f) Actor. vi. 5.
(g) Ioannes Alba Elector. cap. lviii.
(h) IV. Reg. xxii. 14.
(i) Hieron. in Epitaphio Paulæ, & Lib. I. contra Iovinian.
(k) Chron. cap. ult. in anno 4. Caii, & 3. Neronis. Actor. xi. 28. Iſaiæ xx. 2. Ierem. xxvii. 2. Ezech. iv. 8. & c. xii. 3.
(l) Greg. homil xxxvii. in Evang.
(m) Actor. xx. vi.
(n) Exodi xxiii. 17.
(o) Chron. cap. ult. in an. 3. Neronis.
(p) Ibid. anno Neronic.
(q) Actor. xx. 6.
(r) Actor. xvi. 3. Actor. xviii. 18.
(ſ) Actor. xviii. 18. & 22.
(t) Num. vi. 13. &c.
(u) Actor. xv. 20. & 29.
(x) Num. vi. 10.
(y) Actor. xviii. 18.
(z) Proleg. de Idiotiſmis Heb. n. 56.
(aa) Ioſeph. Lib. V. Antiq. cap. xiv.
(bb) Ioſeph. apud Adrichom. in Deſcript. Ieruſalem Ariſtæas Lib. de 72. interpretibus. Hegeſipp. Lib. I. de Excidio Ieroſol. cap. vi.
(cc) Ioſeph. Lib. XX. Antiq. cap. xx. Euſeb. Lib. II. Hiſtoriæ.
(dd) Chronici cap. xlv. ſub. fin.
(ee) Ulpian. in Lib. I. ff. ad municipales.

G O R D O N I.

Verſ. 1. ITer Pauli Mileto Ieroſolymam eſt tale. Mileto venit Coum. Eſt hæc Cycladum una in Ægæo mari, non procul a Lesbo. Inde ventum eſt Rhodum, Rhodo Pataram Lyciæ Metropolim, ſanctâ Nicolai Epiſcopatu nobilitatam. Demum navis tranſgreſſa Phœnicem eſt Cyprum, appulit Tyrum; & Tyro Ptolemaidam. Hæc urbs eſt maritima prope Carmelum in Tribu Aſer. Abeſſe putatur Tyro 32. miliaribus. Ptolomaide ventum eſt Cæſaream Palæſtinæ, ubi invenit Paulus Philippum Diaconum: & ſuperveniens Agabus prædicit Paulo vincula Ieroſolymis. Supereſt iter Pauli Romam uſque, de quo Lucas hic cap. XXVII. & XXVIII. Interim de vinculis Pauli agitur.

V. 8. & 9. ALIA AUTEM DIE. Hic Philippus unus numeratur e ſeptem primis Diaconis; de quibus dixi cap. VI. 5. Vocatur vero nunc Evangeliſta, non quidem ut ſcriptor, ſed ſolum concionator Evangelii. De his virginibus fit mentio in Martyrologio 4. Septemb. & apud Hieronymum in Epitaphio Paulæ. Hic Agabus eſt de quo cap. XI. 28. & qui famem prædixit ſub Claudio Imp.

V. 11. ALLIGANS SIBI PEDES: *τὸ ſibi* ambiguum eſt in Græco: nam ſi legas αὐτοῦ cum ſpiritu leni referet Paulum: ſi vero αὑτοῦ denſo ſpiritu refert Agabum. Noſter qui vertit *ſibi*, ſignificat Agabum ſibi ipſi ligaſſe pedes & manus, ut hoc ſigno oſtenderet Paulo quod futurum erat. Quæ ſequuntur, clara ſunt.

V. 17. & 18. ET CUM VENISSEMUS. Probabilius eſt Paulum veniſſe Ieroſolymam

paulo ante Pentecoſten, uti deſtinavit cap. xx. 16. idque hoc anno Chriſti 58. Quo etiam obiiſſe verius eſt Beatam Virginem, & ætatis ſuæ anno 72. aſſumptam poſt triduum. Euſebius quidem in Chron. dat annum Chriſti 48. At nondum tunc fuit converſus S. Dionyſius, qui interfuit huic funeri, ut ipſe ſcribit Lib. de divin. nom. cap. III. An Paulus funeri interſuerit (qui eo anno Ieroſolymis fuit in Pentecoſte) dubia res eſt. Nam forte vincula impediebant. Componere porro recte oportebit diem decimum quintum Auguſti, cum Pentecoſte, & præſentia libera Pauli in urbe. Multa quidem poterant hic a Deo fieri, qui etiam effeciſſe potuit ut adeſſent Apoſtoli: ſed quid factum, quidve verius ſit, quæſtio manet, & ſatis annoſa.

V. 20. & 21. AT ILLI CUM AUDISSENT. Opponunt Paulo periculum. Multi, inquiunt, credunt Chriſto, & tamen non probant plenam diſceſſionem a lege Moſaica; quam tamen diſceſſionem tu prædicas. Ne ergo naſcatur offenſio, & quærantur te egi adverſari, adiunge te habentibus votum. QUIA DISCESSIONEM. Mortua erat lex Moſaica ſtatim a paſſione. Nondum tamen dum hæc agerentur, mortifera. Necdum prohibita erat Iudæis nec ad eam compellendi erant converſi Gentiles: uſus liber erat.

V. 23. 24. & 25. HABENTES VOTUM. Ergo Nazareatus adhuc licitus erat, de quo vide Num. VI. 13. Per Nazareatum homo ſanctificari ſeu purificari putabatur, per detonſionem comæ, luſtrationem & oblationem ſacrificii. IMPENDE, hoc eſt, expende pro illis quod neceſſarium eſt, ut tu cum illis deponas comam in ſignum finiti Nazareatus. Supponitur hic Paulum prius habuiſſe votum Nazareatus, quam veniret in urbem. DE HIS AUTEM; ac ſi diceretur; Ne ſis ſollicitus de ſcandalo Gentium: iam enim ſciunt quid illis per Eccleſiam ſit licitum vel permiſſum.

V. 27. DUM AUTEM. Ventum eſt ad vincula Pauli prævisa: inter capita accuſationis eſt, induxiſſe gentiles in templum, quod nefas habebatur. Per templum intellige atria illa, in quibus eſſe tantum Iudæis licebat. Erat autem aliud gentium. Trophimus hic habebatur gentilis a Iudæis: quia licet eſſet Chriſtianus, nondum tamen erat circumciſus: agnitus vero eſt ab accuſatoribus Pauli, & quia videbant eum in civitate cum Paulo, putabant cum Paulo veniſſe in templum.

V 34. CASTRA. Intelligit Præſidium Romanorum in arce Antonia: de quale lege Adrichomium in deſcriptione Ieruſalem. Petit & impetrat Paulus facultatem loquendi ad populum, ea quæ narrantur in ſequenti capite.

CAPUT XXII.

Ubi Paulus in ſui excuſationem narraſſet ſuæ converſionis ordinem, vociferantur Iudæi ipſum de terra tollendum, eo quod diceret ſe a Deo miſſum fuiſſe ad prædicandum Gentibus, a tribuno autem iuſſus flagellis cædi & torqueri, liberatus eſt dicendo ſe civem Romanum eſſe.

1\. VIri fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem. 2. Cum audiſſent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præſtiterunt ſilentium. 3. Et dicit: Ego ſum vir Iudæus, * natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta civitate, ſecus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, ſicut & vos omnes eſtis hodie: 4. (*a*) qui hanc viam perſecutus ſum uſque ad mortem, alligans & tradens in cuſtodias viros ac mulieres, 5. ſicut princeps ſacerdotum mihi teſtimonium reddit, & omnes maiores natu, (*b*) a quibus & epiſtolas accipiens, ad fra-

tres

Digitized by Google

tres Damaſcum pergebam , ut adducerem inde vinctos in Ieruſalem ut punirentur. 6. Factum eſt autem, eunte me, & appropinquante Damaſco media die, ſubito de cælo circumfulſit me lux copioſa: 7. & decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me perſequeris? 8. Ego autem reſpondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. 9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum. 10. Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damaſcum: & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere. 11. Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damaſcum 12. Ananias autem quidam, vir ſecundum legem teſtimonium habens * ab omnibus cohabitantibus Iudæis, 13. veniens ad me, & aſtans dixit mihi: Saule frater reſpice. Et ego eadem hora reſpexi in eum. 14. At ille dixit: Deus patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, & audires vocem ex ore eius: 15. quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum quæ vidiſti & audiſti. 16. Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius. 17. *Factum eſt autem revertenti mihi in Ieruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, 18. & videre illum dicentem mihi: Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de me. 19. Et ego dixi: Domine ipſi ſciunt (c) quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per ſynagogas eos qui credebant in te: 20. & cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, (d) ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum. 21. Et dixit ad me: Vade: quoniam ego in nationes longe mittam te. 22. Audiebant autem eum uſque ad hoc verbum, & levaverunt vocem ſuam dicentes: Tolle de terra huiuſmodi: non enim fas eſt eum vivere. 23. Vociferantibus autem eis, & proiicientibus veſtimenta ſua, & pulverem iactantibus in aerem, 24. iuſſit tribunus induci eum in caſtra, & flagellis cædi, & torqueri eum, ut ſciret propter quam cauſam ſic acclamarent ei. 25. Et cum adſtrinxiſſent eum loris: dicit aſtanti ſibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? 26. Quo audito, Centurio acceſſit ad tribunum, & nuntiavit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo, civis Romanus eſt. 27. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi ſi tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. 28. Et reſpondit tribunus: * Ego multa ſumma civilitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus ait: Ego autem & natus ſum. 29. Protinus ergo diſceſſerunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit poſtquam reſcivit, quia civis Romanus eſſet, & quia alligaſſet eum. 30. Poſtera autem die volens ſcire diligentius, qua ex cauſa accuſaretur a Iudæis, ſolvit eum, & iuſſit ſacerdotes convenire, & omne concilium, & producens Paulum, ſtatuit inter illos.

(a) Sup. VIII. 3. (b) Sup. IX. 2. (c) Sup. XIII. 2. (d) Sup. VII. 58.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. *Natus in Tarſo Ciliciæ.* Non eſt omittenda præpoſitio *in*.

Verſ. 12. *Ab omnibus cohabitantibus Iudæis.* Compoſitum *cohabitantibus* non eſt mutandum cum ſimplici *habitantibus*.

Verſ. 28. Ego *multa ſumma civilitatem hanc conſecutus ſum.* Non *civitatem*, ſed *civilitatem* legendum eſt, quinque ſyllabis.

Notatio.

Verſ. 17. F*Actum eſt autem* (&c.) *fieri me in ſtupore mentis.* Pro *ſtupore men-*

mentis annotat V. Beda, atque ex eo alii quidam codices habent *mentis exceſſum*, alii *pavorem*, alii *alienationem:* diverſe enim interpretatur Latine ,, quod Græce dicitur Ecſtaſis. Porro illud *in ſtupore mentis* vulgatæ edictionis eſſe, vix dubium eſt; quotquot nos vidimus, Latini Libri, unanimiter id habent.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 3. VERITATEM. Græc. ἀκρίβειαν, id eſt *exactam rationem*. Syr. *perfecte*. AEMULATOR, id eſt zelator, ſeu ſtudioſus.

V. 4. VIAM, ſcilicet Chriſtianam Religionem.

V. 5. MAIORES NATU, id eſt ſeniores. Græc. πρεσβυτέριον, id eſt *ordo ſeniorum*.

V. 6. MEDIA DIE. Græc. *circa meridiem*.

V. 9. NON AUDIERUNT. Vide cap. IX.

V. 12. VIR. Græc. *pius*, ſeu *religioſus*.

V. 13. RESPICE Græc. ἀνάβλεψον, id eſt *recipe viſum*.

V. 14. IUSTUM Græc. τὸν δίκαιον, id eſt *iuſtum illum*, ſcilicet Chriſtum.

V. 16. NOMINE IPSIUS, id eſt ipſo.

V. 17. STUPORE MENTIS. Græc. ἐκστάσει.

V. 19. CAEDENS, id eſt verberans.

V. 20. VESTIMENTA, id eſt pallia.

V. 21. IN NATIONES, id eſt ad Gentes.

V. 22. FAS. Græc. *decens*.

V. 24. TORQUERI. Græc. *examinari*, ſcilicet per flagella.

V. 25. INDEMNATUM, id eſt non condemnatum per ſententiam.

V. 26. ACTURUS ES? pro, agere vis?

V. 27. SI; pro, num.

V. 28. SUMMA, ſcilicet pecuniæ. NATUS, ſcilicet civis.

V. 29. TORTURI, ſcilicet flagellis.

V. 30. SACERDOTES. . Græc. *ſacerdotum principes*.

E S T I I.

Verſ. 3. IUXTA VERITATEM PATERNAE LEGIS. Græc. κατὰ ἀκρίβειαν. Vide Annot. II. Machab. II.

V. 9. QUI MECUM ERANT, LUMEN QUIDEM VIDERUNT, VOCEM AUTEM NON AUDIERUNT EIUS QUI LOQUEBATUR MECUM. Capite IX. ſic legitur: *Viri autem illi qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem; neminem autem videntes*. Quomodo illa conſentiunt: *Vocem non audierunt eius qui loquebatur mecum*; &, *Audientes quidem vocem?* Nam de aliis duobus nulla eſt difficultas; *Lumen viderunt*; &, *Neminem videntes*. Licet enim lumen viderent, neminem tamen videbant cum Paulo loquentem. Reſponderi poteſt duobus modis. Quidam dicunt comites Pauli audiviſſe quidem ſonum confuſæ vocis; ſed quid ea ſignificatur, diſtincte non potuiſſe intelligere. Sic Ioannis XII. legitur vox facta ad Chriſtum: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. De qua voce dicit Chriſtus, *Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos*: & tamen eam turbæ audientes, non intellexerunt; ſed alii dicebant tonitruum factum eſſe, alii Angelum ei eſſe locutum. Aliter intelligi poteſt, comites Pauli audiviſſe quidem vocem ipſius Pauli reſpondentis. non autem Chriſti loquentis. Unde hic expreſſe additur: *Eius qui loquebatur mecum*.

V. 13. SAULE FRATER, RESPICE. *Reſpice*, verbum eſt operatorium, quo reſtitutus eſt Paulo viſus; ſicut in Evangelio Lucæ cap. XVIII. quando Dominus cæco dixit: *Reſpice*. Et ſicut illud, *Surge, & ambula*, & alia huiuſmodi.

V. 14. ET VIDERET IUSTUM, ET AUDIRET VOCEM EX ORE EIUS. *Iuſtum*, id eſt Chriſtum, quem vocat *Iuſtum*, quod in eo vera & perfectiſſima eſſet iuſtitia non aliunde, quam per ipſius meritum haberi poſſit. Quod quidem convenienter Saulo dicitur, qui iuſtitiam ex lege quærebat, iuſtitiæ quæ a Deo eſt per Chriſtum, nolens eſſe ſubiectus. Vidit Chriſtum oculis corporeis in humana ipſius & glorioſa ſpecie: unde & ſtatim excæcatus eſt claritatem non ſuſtinens. Vocem quoque ipſius ad ſe corporaliter loquentis audivit, ſed cum terrore: ſcilicet increpantis:

Digitized by Google

tis: *Quid me perſequeris*; *Durum eſt tibi*, &c. Veriſimile eſt autem Chriſtum Paulo appariuiſſe in ſublimi aere vicino, non autem e ſummo cælo, ſicut Stephano; Stephanus enim certans pro Chriſto videre illum debuit ibi exiſtentem, ubi ſedebat in gloria patris, & quo ipſe ſtatim per agonem mortis erat recipiendus, quaſi loco beatitudinis & gloriæ promiſſæ,& exſpectatæ, ei monſtrato: Saulus autem perſecutor inde videre & audire Chriſtum debuit, ubi eum perſequebatur, ſcilicet in terra. Non poteſt autem dici hic intelligi viſionem tantum imaginariam aut corporalem quidem, ſed Chriſti per angelum in ſimilitudine corporis eius repræſentata; quia hoc non eſſet Chriſtum ipſum videre, ſicut alii Apoſtoli & diſcipuli eum viderunt poſt eius reſurrectionem. Atqui Paulus I. Corinth. xv. ſe illis annumerat, tamquam veris & oculatis teſtibus reſurrectionis. Vidit ergo ſuis oculis ipſum Chriſtum in propria ſpecie humana: vide comment. I. Corinth. xv.

V. 16. BAPTIZARE ET ABLUE PECCATA TUA. Quomodo dicitur ei: *Ablue peccata tua*, cum nemo ſibi ipſi remittat peccata? ſenſus eſt: Suſcipe baptiſmum, & per baptiſmi lotionem accipe peccatorum tuorum remiſſionem. Poteſt verbum græcum paſſive verti; quod huic loco magis quadrat; & eſt in MSS. Martinus Duncanus Lib. I. contra Anabaptiſtas dicit ex hoc loco apertiſſime liquere, quod Paulus non prius, ſed per baptiſmum acceperit remiſſionem peccatorum. Et ſane Ananias, qui poterat ſaltem veriſimiliter cognoſcere magnitudinem contritionis in Paulo, de qua habebat tam inſignem revelationem, non ita fuiſſet locutus, niſi putaſſet ordinarie per contritionem non haberi remiſſionem peccatorum ante Sacramentum. At dices, Paulum illo triduo raptum in tertium cælum & in paradiſum, & audiviſſe arcana quæ non licet homini loqui; proinde veriſimile eſſe quod iam erat in gratia Dei; neque enim Deus niſi amicum ſuum in cælum raperet, & ei ineffabilia arcana revelaret. Reſpondetur, revelationes illas non hoc triduo factas, ſed alio tempore, ac forte longe poſt: de quo vide Baronium, & noſtrum Commentarium in II. ad Corinth. xii. Quod non hoc triduo, vel ex eo manifeſte colligitur, quod Paulo dictum eſt in ipſa ſui converſione: *Ingredere civitatem, & dicetur tibi*, ſcilicet a diſcipulis Chriſtianis, *quid te oporteat facere*, id eſt ibi catechizaberis; quod certe opus non erat, immo plane fuiſſe ſuperfluum, ſi antequam ad eum Ananias veniret, iam divinitus erat inſtitutus, non in rudimentis tantum fidei Chriſtianæ, ſed in ſummis ſecretiſſimis myſteriis. Bellarminus Lib. I. de Sacramentis in genere cap. xv. dicit Scripturam hic diſertis verbis docere, ſacramenta in præſenti gratiam adſerre, & internam ablutionem tunc perfici quum exterius baptizamur. Idem ſignificat Lib. II. cap. iii. Sed Libro II. de Pœnitentia cap. xiv. ad hunc locum ſibi obiectum pro ea doctrina quæ dicit contritionem poſſe eſſe ſine remiſſione peccatorum; conatur reſpondere, & multa dicit, ſed quæ non videntur ſatisfacere. Obiici tamen poteſt illud quod Concilium Trident. dicit contingere contritionem aliquando ex caritate perfecta ante ſuſceptionem Sacramenti. Quod videtur maxime locum habuiſſe in Paulo, cuius tam mirabilis fuit converſio. Vide noſtra in 4. diſtinct. xvii.

V. 22. AUDIEBANT AUTEM EUM USQUE AD HOC VERBUM; ſcilicet tantum; quaſi dicat: Eo audito verbo non ſuſtinuerunt eum diutius audire, ſed levaverunt vocem ſuam, &c.

V. 25. SI HOMINEM ROMANUM, &c. Apoſtolus dicit ſe civem Romanum, quia ius & privilegia civitatis Romanæ poſſidebat, ii enim cives Romani vocabantur. Unde dicit Tribunus: *Ego ingenti ſumma hanc civitatem conſecutus ſum*. *Natus* autem erat *civis Romanus*; quia natus Tharſi, quæ Romana civitate donata erat. Itaque Paulus in eo privilegio natus erat. Privilegium illud erat, ut qui eo donatus erat, vel cum eo natus, ubicumque gentium eſſet quod Romano imperio pareret a vi liber & immunis eſſet, tantum commemoratione verbi? Romanus civis ſum. legendum autem *Civitatem*, non *Civilitatem*, ut civitas intelligatur ius & privilegium. Græce πολιτείαν. Vide Franciſcum Lucam in Notationibus.

MARIANAE.

Verſ. 3. NATUS IN THARSO. Non ergo Giſchalæ, ut Hieronymus de Viris ait, ſed reiicit id in Epiſtolam

ad

ad Philem. AEMULATOR LEGIS'. Græc. & Syr. *æmulator* ſeu *zelator exiſtens Dei*: ſolus Velcſius pro Θεῦ, id eſt *Dei*, ſubſtituit νόμου, id eſt *legis*, neſcio unde.

V. 5. TESTIMONIUM REDDIT, ſeu *reddet*, ſeu *teſtis eſt*, ut Syr. Princeps ſacerdotum.

V. 6. LUX COPIOSA, ſeu *multa* circumfulſit me.

V. 9. VOCEM AUTEM NON AUDIERUNT. Cap. IX. 7. dicitur: *Audientes quidem vocem*. Reſp. Audierunt quidem, ſed non intellexerunt. Id ſignificat quod hic dicit, comites non audiſſe vocem.

V. 11. AD MANUM DEDUCTUS, id eſt apprehenſa manu mea me Damaſcum deduxerunt, id χειραγωγία eſt.

V. 12. ANANIAS AUTEM QUIDAM VIR. Græc. εὐλαβὴς κατὰ τὸν νόμον, *timoratus ſecundum legem*: ſic Gotth. Syr. dixit, *iuſtus in lege*. COHABITANTIBUS IUDAEIS. Græc. *habitantibus in Damaſco Iudæis*: ſic Gotth. ſic etiam Regia. Noſter. per *cohabitantibus*, eam vocem *in Damaſco* ſupplevit.

V. 14. ET VIDERES IUSTUM; pro, *iuſtum illum*, propter articulum, ſcilicet Chriſtum, te ordinavit. Verba Annaniæ ad Paulum. Quando id? quando vidit Chriſtum? cum prope Damaſcum audivit. *Audire*, *videre* eſt: aut in ecſtaſi vidit, ut mox additur.

V. 17. FIERI ME IN STUPORE MENTIS. Beda quoidam codices ait legere, *in mentis exceſſu*, quoſdam *in pavore*, quoſdam *in alienatione*. His enim modis omnibus, quod Græce eſt ἐν ἐκστάσει, transferri poteſt.

V. 22. AUDIEBANT, aut *audierunt*, ut Gotth. aut *cum audiſſent*, ut Syr. vox ἤκουον verſiones omnes has fert. Audiebant ergo quouſque dixit, *In nationes longe mittam te*.

V. 24 FLAGELLIS CAEDI iuſſit tribunus, ut eo tormento veritatem exprimeret.

V. 25. SI HOMINEM ROMANUM, ET INDEMNATUM. Duplex crimen. Inauditum cædi, & civem Romanum flagellari. Briſſonius I. Select. ex Iure civili Antiq. colligit prærogativas civium Rom. Inter alias ea eſt: *Verberibus cædi*, *in crucem agi non poſſunt*, *in eos animadverti fas non eſt iniuſſu populi Romani*.

V. 28. CIVILITATEM, πολιτείαν: quidam *civitatem* habent, nimirum τὴν πόλιν, legerunt. Dici etiam poſſet, *ius huius civitatis conſecutus ſum*.

V. 30. POSTERA AUTEM DIE, ſeu *craſtina*, ſeu *proxima*, ſeu *ſequenti*, τῇ δὲ ἐπαύριον. OMNE CONCILIUM, συνέδριον, conventum, cœtum ſcilicet ſeniorum, iuſſit tribunus convenire.

MENOCHII.

Verſ. 1. VIRI FRATRES, ET PATRES. Simili exordio uſus eſt ſanctus Stephanus ſupra cap. VII. 2. vide ibi dicta.

V. 3. SECUS PEDES GAMALIEL, id eſt diſcipulus Gamalielis; diſcipulorum enim eſt ſtare, vel ſedere ad pedes magiſtri. Sic Magdalena Luc. X. 39. *Sedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius*. AEMULATOR LEGIS: zelator legis.

V. 4. HANC VIAM: hoc vivendi inſtitutum, & morem, id eſt Chriſtianiſmum. PERSECUTUS SUM USQUE AD MORTEM: morti tradens Stephanum, & alios ad mortem quærens.

V. 5. SICUT PRINCEPS SACERDOTUM MIHI TESTIMONIUM REDDIT. Videtur ſervaſſe D. Paulus patentes litteras olim ſibi a Pontifice traditas, aliquando, ut nunc accidit, uſui futuras, nimirum ad probandum quo zelo legis, cum Chriſtum ignoraret, duceretur. AD FRATRES; ſcilicet Iudæos, qui erant Damaſci.

V. 6. FACTUM EST AUTEM, &c. Vide ſupra cap. IX. ubi hæc hiſtoria narratur, & explicatur.

V. 12. TIMORATUS SECUNDUM LEGEM. Syrus, *iuſtus in lege*, religioſus legis obſervator.

V. 13. RESPICE, id eſt, recipe viſum, apertis oculis me intuere.

V. 14. PRAEORDINAVIT TE: deſignavit, delegit te. UT VIDERES IUSTUM, id eſt Chriſtum, qui eſt iuſtus antonomaſtice.

V. 16. ABLUE PECCATA TUA, per baptiſmum. INVOCATO NOMINE IPSIUS; ſcilicet per orationem.

V. 17. IN STUPORE MENTIS; in extaſi, ut eſt in Græco.

V. 18. EXI VELOCITER E IERUSALEM: quia ſi remaneas in te inſurgent Iudæi, & manus violentas tibi iniicient.

V. 19. CAEDENS: verberans.

V. 20. TESTIS TUI: protomartyris tui.

V. 21.

Digitized by Google

V. 21. In nationes longe: ad gentes.

V. 22. Usque ad hoc verbum: profeſſionis nimirum ad Gentes, &, prædicationis ad illas. Continuerant ſe Iudæi uſque ad hunc locum, quia cetera quæ dicebantur a Paulo inania ab illis putabantur, & ad ſe non pertinentia: ubi vero eo deductus eſt ſermo, ut Gentes indicarentur aliquo modo prælatæ, tunc furor exarſit, & in vociferationem contra Paulum erupit. Proiicientibus vestimenta sua, ſcilicet in Paulum, quia cum lapides ad manum non haberent, iactatione pulveris, & veſtimentorum animi furorem, ut poterant expromebant. In castra. Vide dicta ſuperiori cap. ver. 34.

V. 25. Cum astrinxissent eum loris: ad palum, vel columnam, ut flagellaretur; ita enim ut habebat mos Romanus. Vide Gretſer. de Cruce Lib. I. cap. x. Si licet. An licet? licet ne? ut ſuperiori cap. verſ. 37.

V. 28. Quid acturus es? Quid agere vis? Italice diceremus: *Che vi riſolvete di fare?*

V. 28. Multa summa: multa pecunia, magno ære. Civitatem hanc; ius civitatis Romanæ. Privilegia civium Romanorum, vide apud Briſſonium Lib. I. antiq. iuris civilis cap. III. Inter cetera etiam hoc gaudebant, ut verberibus cædi, aut in crucem agi, aut in eos animadverti iniuſſu populi fas non eſſet. Natus sum: Tarſus enim, ubi natus erat Paulus, hoc privilegium, & ius civitatis Romanæ obtinuerat. Vide Plinium libro quinto, capite vigeſimo ſeptimo.

V. 30. Volens scire diligentius: *καταγαγὼν*, id eſt *demittens*, vel *deducens* Paulum, ſcilicet ex arce Antonia in locum concilii, qui erat inferior, & in templo.

T I R I N I.

Verſ. 1. Patres vocat pontifices, ſacerdotes & alios ætate vel dignitate præſtantes, ſervato ubique decoro, ut cauſam ſuam melius commendat. Reddo rationem; Græce, *ἀπολογίαν*, id eſt *defenſionem* contra iniquam Aſiaticorum accuſationem.

V. 3. Eruditus secus pedes *a Gamaliel*, id eſt diſcipulus Gamalielis, famoſi apud vos doctoris, de quo ſupra *b*. Iuxta veritatem: Græce, *κατ' ἀκρίβειαν*, id eſt iuxta accuratam rationem, vel iuxta rigorem paternae legis Moſaicæ.

V. 4. Hanc viam, ſeu vivendi rationem quam nunc teneo, puta Chriſtianam religionem, persecutus sum usque ad mortem: quam Stephano & tot aliis Chriſtianis infligi euravi.

V. 5. Sicut princeps sacerdotum, qui tunc erat Caiphas *c*, mihi testimonium reddit, ſuiſmet litteris mihi tunc datis, & a me huculque adſervatis: ita Sanchez.

V. 9. Vocem non audierunt: ſupple, articulatam, ſeu diſtinctam: nam confuſum vocis ſonum audiviſſe, patet ex dictis cap. IX. 7. ubi etiam reliqua huius hiſtoriæ expoſui.

V. 11. Cum non viderem, ſed excæcarer, prae claritate: Græce, *præ gloria* luminis: a glorioſo Chriſti mihi apparentis corpore evibrati, quo cæleſtis eius maieſtas repræſentabatur.

V. 12. Vir secundum legem: Græce, *εὐλαβὴς*, id eſt *pius ſecundum exigentiam legis*, id eſt religioſus obſervator legis divinæ.

V. 13. Respice; id eſt, recipe viſum, aperi, attolle clauſos hactenus oculos. Hoc enim verbo Ananias cæcitatem Pauli diſcuſſit, & viſum illi reſtituit.

V. 14. Deus praeordinavit te, vel, ut nunc eſt in Græco, *προεχειρίσατο*, id deſignavit: Syrus, *conſtituit te*, *ut* in via Damaſcena *videres* propriis oculis iustum, id eſt Chriſtum, qui antonomaſtice *iuſtus* eſt, non ſolum formaliter in ſe, ſed & cauſaliter reſpectu omnium hominum qui umquam fuerunt, ſunt, aut erunt iuſti.

V. 16. Ablue peccata tua per baptiſmum invocato nomine Chriſti. Etſi enim per actum contritionis iam iuſtificatus eſſet Paulus, quia tamen is actus includebat propoſitum baptiſmi, merito tribuitur baptiſmo ablutio tum a peccatis, tum a pœnis peccatorum, ut docet Concilium Tridentinum & doctores Scholaſtici *d*.

V. 17. Revertenti in Ierusalem, tertio a converſione anno *e*, et oranti in templo, obtigit *ſtupor* mentis: Græce, *ecſtaſis*, in qua a Chriſto iuſſus ſum relicta Ieroſolyma, pergere ad *nationes longe* diſſitas, ſeu ad Gentes Chriſto adiun-

Digitized by Google

gendas. Eſt ergo hæc ecſtaſis toto ſexennio *f* anterior raptu Pauli in tertium cælum *g*, qui Antiochiæ *h* contigiſſe videtur. *Ego* autem, inquit Paulus, hanc ad Gentes miſſionem modeſte declinare ſtudui, optans Ieroſolymis hærere, & civibus meis fidem Chriſti inculcare. Dicentique Chriſto,

V. 18. Non recipient Ieroſolymitani testimonium tuum de me, (quod ſcientia ſua conditionata *i* infallibiliter præſciebat:)

V. 19. Ego replicavi dicens: Domine, Ieroſolymitani sciunt quam ferventer propugnarim olim iudaiſmum. Unde ſi iam illum apud eoſdem oppugnem, facilius fidem inveniam, utpote quem ſciant non privato odio aut affectu id agere, ſed ſolo Dei, qui me tam miraculoſe ad ſe traxit, impulſu. En quanto artificio Paulus odium miſſionis ad Gentes a ſuis humeris excutiat, & in unius Dei iuſſum coniiciat: ſimulque aculeum conſcientiis Iudæorum infigat, quo eos ad amplexandam Chriſti fidem exſtimulat, ut pote non ab hominibus inductam, ſed de cælo a Deo teſtatiſſimis ſignis revelatam & inculcatam. Sed tantum erat Gentium apud Iudæos odium, ut ſimul atque audierunt, a Paulo Meſſiam Iudæis promiſſum offerri Gentibus, intolerandam in ſui contumeliam interpretati publica conclamatione Paulum quaſi Iudaiſmi & Meſſiæ proditorem depopoſcerint ad necem.

V. 22. Tolle de terra huiusmodi monſtrum, patriæ hoſtem & ſuæ gentis exitium, terræ, aeris, cæli perturbatorem. Id enim iactatione pulveris in aerem ipſos deſignare voluiſſe cenſet Caietanus. Sed Sanchez putat, hoc ſchemate ipſos popoſciſſe, ut lapidibus obrueretur blaſphemus & proditor. Et huic favet, quod in lapidatione veſtimenta abiiciantur, ut hic fiebat ab his ſeditioſis.

V. 25. Cum Paulum flagellandum columnæ astrinxissent loris, ne publico hoc probro Chriſtianis infirmioribus noceretur, vel cauſæ præiudicaretur, dicit astanti; Græce, ἐφεστῶτι, id eſt ſuperſtanti, centurioni, quaſi qui torturæ Pauli præeſſet: Licet ne vobis flagellare civem Romanum, *&* quidem indemnatum? nulla alia de cauſa, quam quia populus in eum tumultuatur & furit?

V. 28. Ego multa summa, id eſt magno pretio, civilitatem; alii legunt, *civitatem*, *hanc* (nam πολιτεία utrumque ſignificat) Syrus, *Romanitatem*, ſeu ius civitatis Romanæ, consecutus sum. Ego autem et natus sum civis Romanus, puta ex patre & patria iuribus & privilegiis urbis Romanæ donatis. Tarſus enim, etiam Plinio & Dione Caſſio k teſtibus, hoc privilegio gaudebat, inquit Baronius. Iura & privilegia civium Romanorum ſane multa & magna qui noſſe volet, adeat Briſſonium *l*. Ad rem noſtram facit, quod verberibus cædi, in crucem agi, vel iniuſſu populi in eos animadverti fas non eſſet.

(a) Deut. XXXIII. 3.
(b) Actor. V. 34.
(c) Chronici cap. XLII. claſſe 3.
(d) Trid. ſeſſ. XIV. cap. IV. Scholaſtici tractatu de baptiſmo & pœnitentia.
(e) Actor. IX. 26. & Gal. I. 18.
(f) Chron. cap. ult. in anno ult. Tiberii & 2. Claudii.
(g) II. Cor. XII. 2.
(h) Actor. XIII. 2.
(i) I. Reg. XXIII. 11. &c.
(k) Plin. Lib. V. cap. XXVII. Dio. Caſſ. Lib. XLVII.
(l) Briſſon. Lib. I. Antiquit. Iuris civil. cap. XXIII.

GORDONI.

Nihil habet caput hoc quod ſit obſcurum.

V. 4. Hanc viam. Chriſtianiſmum intelligit. V. 5. Testimonium. Habebat, quas huc uſque ſervaſſe videtur, a Pontifice litteras. Verſ. 6. narrat converſionem, de qua ſupra capite nono. Verſ. 14. Videres iustum, Chriſtus eſt. Verſ. 17. Fieri me in stupore, ἔκστασις iſta contigit Paulo anno tertio a converſione, idque Ieroſolymis: vide Act. IX. 26. & Gal. I. 18. Non eſt raptus ille ad tertium cælum, de quo Act. XIII. 2. & II. Cor. XII. 2. accidit hic raptus Antiochiæ, ubi Paulus ordinatus eſt Epiſcopus, anno Chriſti 44.

V. 22. In nationes longe. Non ferunt præferri ſibi gentes: exclamant, dant ſigna furoris, ſeditionis, & (poſitis veſtimentis) petunt Paulum ut lapidetur.

V. 28. Audiens Tribunus eſſe civem Romanum, timuit; & delata res eſt donec convocaretur concilium, de quo, capite ſe-

quen-

quente. Lege Plinium Lib. V. cap. xxvii. de hoc iure Tarſi civitatis, ubi natus Paulus ſe civem Romanum profitebatur. De hac immunitate civium Romanorum Briſſon. Lib. I. cap. xiii. de antiquitate iuris Civilis.

CAPUT XXIII.

Paulus coram ſacerdotibus & toto concilio principem ſacerdotum, qui ipſum iuſſerat faciem percuti, dicit parietem dealbatum, ſed excuſat ſe quod neſciſſet eſſe principem ſacerdotum: cumque ibidem dixiſſet ſe Phariſæum, & de reſurrectione mortuorum iudicari, orta eſt inter Phariſæos & Sadducæos magna diſſenſio: Dominus nocte Paulum confortat, prædicens quod etiam Romæ eſſet de ipſo teſtificaturus: detecta multorum de occidendo Paulo coniuratione, tribunus mittit eum Cæſaream militibus ſtipatum ad Felicem præſidem, ſcriptis ad eum litteris quæ hic referuntur.

1. INtendens autem in concilium Paulus ait: Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum uſque in hodiernum diem. 2. Princeps autem ſacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi percutere os eius. 3. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti? 4. Et qui aſtabant dixerunt: Summum ſacerdotem Dei maledicis? 5. Dixit autem Paulus: Neſciebam fratres quia princeps eſt ſacerdotum. Scriptum eſt enim: (*a*) Principem populi tui non maledices. 6. Sciens autem Paulus, quia una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, (*b*) ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor. 7. Et cum hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo. 8. (*c*) Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Phariſæi autem utraque confitentur. 9. Factus eſt autem clamor magnus. Et ſurgentes quidam Phariſæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine iſto: quid ſi Spiritus locutus eſt ei, aut Angelus? 10. Et cum magna diſſenſio facta eſſet, timens tribunus ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, iuſſit milites deſcendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in caſtra. 11. Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus, ait: Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. 12. Facta autem die collegerunt ſe quidam ex Iudæis, & devoverunt ſe dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. 13. Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant. 14. qui acceſſerunt ad principes ſacerdotum, & ſeniores, & dixerunt: Devotione devovimus nos nihil guſtaturos, donec occidamus Paulum. 15. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero prius quam appropiet, parati ſumus interficere illum. 16. Quod cum audiſſet filius ſororis Pauli inſidias, venit, & intravit in caſtra, nuntiavitque Paulo. 17. Vocans autem Paulus ad ſe unum ex Centurionibus, ait: Adoleſcentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi. 18. Et ille quidem aſſumens eum duxit ad tribunum, & ait: † Vinctus Paulus rogavit me hunc adoleſcentem perducere ad

Digitized by Google

ad te, habentem aliquid loqui tibi. 19. Apprehendens autem tribunus ma-
num illius, ſeceſſit cum eo ſeorſum, & interrogavit illum: Quid eſt, quod
habes indicare mihi? 20. Ille autem dixit: Iudæis convenit rogare te; ut
craſtina die producas Paulum in concilium, quaſi aliquid certius inquiſituri
ſint de illo: 21. tu vero ne credideris illis, inſidiantur enim ei ex eis viri
amplius quam quadraginta, qui ſe devoverunt non manducare, neque bibere,
donec interficiant eum: & nunc parati ſunt, expectantes promiſſum tuum.
22. Tribunus igitur dimiſit adoleſcentem, præcipiens ne cui loqueretur quo-
niam hæc nota ſibi feciſſet. 23. * Et vocatis duobus Centurionibus, dixit il-
lis: Parate milites ducentos, ut eant uſque Cæſaream, & equites ſeptuagin-
ta, & lancearios ducentos, a tertia hora noctis: 24. & iumenta præparate,*
ut imponentes Paulum, ſalvum perducerent ad Felicem præſidem: 25. (†
Timuit enim ne forte raperent eum Iudæi, & occiderent, & ipſe poſtea ca-
lumniam ſuſtineret, tamquam accepturus pecuniam) 26. ſcribens epiſtolam
continentem hæc: Claudius Lyſias optimo præſidi, Felici, ſalutem. 27. Vi-
rum hunc comprehenſum a Iudæis, & incipientem interfici ab eis, ſuperve-
niens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus eſt: 28. Voleniſque ſcire
cauſam, quam obiiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. 29. Quem
inveni accuſari de quæſtionibus legis ipſorum, * nihil vero dignum morte aut
vinculis habentem criminis. 30. Et cum mihi perlatum eſſet de inſidiis, quas
paraverant illi, * miſi eum ad te, denuntians & accuſatoribus ut dicant a-
pud te. Vale. 31. * Milites ergo ſecundum præceptum ſibi, aſſumentes Pau-
lum, duxerunt per noctem in Antipatridem. 32. Et poſtera die dimiſſis equi-
tibus ut cum eo irent, reverſi ſunt ad caſtra. 33. Qui cum veniſſent Cæſa-
ream, & tradidiſſent epiſtolam præſidi, ſtatuerunt ante illum & Paulum. 34.
Cum legiſſet autem, & interrogaſſet de qua provincia eſſet: & cognoſcens
quia de Cilicia, 35. Audiam te, inquit, cum accuſatores tui venerint. Iuſ-
ſitque in prætorio Herodis cuſtodiri eum.

(a) Exod. xxii. 28. (b) Philip. iv. 5. (c) Matth. xxii. 32.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 23. **E**T *vocatis duobus centurionibus.* Pro verbo ſimplici *vocatis* non ſcribas compoſitum *convocatis.*

V. 24. *Ut imponentes Paulum, ſalvum perducerent.* Non interponas pronomen *eum* ante *ſalvum.*

V. 29. *Nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis.* Genitivus *criminis* non eſt mutandus in accuſativum *crimen.*

V. 30. *Miſi eum ad te, denuntians & accuſatoribus.* Ita interpungendus eſt, ut participium *denuntians*, iungatur ſequentibus non præcedentibus.

V. 31. *Milites ergo.* Non mutes *ergo* cum *vero.*

Lectionum Varietas.

Verſ. 18. *Vinctus Paulus rogavit me.* Plures libri interponunt *vocans* (*vocans rogavit me*) Græco, & Syro conformiter.

Verſ. 25. *Timuit enim ne forte raperent eum Iudæi & occiderent, & ipſe poſtea calumniam ſuſtineret, tamquam accepturus pecuniam.* Duo ex libris noſtris manuſcriptis ſcribunt *nummos*, pro *pecuniam*; alius omittit illud *tamquam accepturus pecuniam*. Plures totum dictum verſiculum omittunt, Græco & Syro conſentanee.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. OMNI, &c. id eſt quantum mihi conſcius ſum, bene. ANTE DEUM, id eſt Deo ſerviens.

V. 3. PERCUTIET, id eſt dignus es quem percutiat, vel prophetia eſt. IUDICANS; pro, ut iudices.

V. 5. NESCIEBAM, ſcilicet non agnoſcebat pro Pontifice, ceſſaverat enim illud ſacerdotium.

V. 6. DE SPE, id eſt ob ſpem, ſcilicet quam prædico. IUDICOR, id eſt in ius vocor.

V. 9. PUGNABANT, id eſt contendebant. INVENIMUS: præſens eſt. SPIRITUS, ſcilicet Dei.

V. 11. CONSTANS ESTO, Græc. *confide*.

V. 12. COLLEGERUNT SE, id eſt convenerunt. DEVOVERUNT, id eſt cum execrationibus iurarunt, ſeu promiſerunt.

V. 14. DEVOTIONE, &c. Græc. *anathemate anathematizavimus nos*.

V. 15. CUM CONCILIO. Syr. *& primores Synagogæ*.

V. 20. IUDAEIS; pro, inter Iudæos. CONVENIT, ſcilicet conſpirarunt.

V. 22. QUONIAM; pro, quod.

V. 23. ET EQUITES; pro, id eſt equites.

V. 25. PECUNIAM, ſcilicet occidi per miſiſſet.

V. 26. OPTIMO. Græc. κρατίστῳ, id eſt *potentiſſimo*, ſeu *præſtantiſſimo*. Vide infr. cap. XXVI. & Luc. I. Syr. *victorioſo*. SALUTEM. Syr. *pacem*.

V. 27. INCIPIENTEM, &c. id eſt cum prope eſſet ut interficeretur.

E S T I I.

Verſ. 1. VIRI FRATRES, EGO OMNI CONSCIENTIA BONA CONVERSATUS SUM ANTE DEUM. Videtur loqui de vera iuſtitia, quia addit, *ante Deum*; & non addit a quo tempore. Sic Lucæ I. *Erant ambo iuſti ante Deum*, &c. Vide Comment. II. ad Timoth. I. Similis locus Act. XXIV. & XXVI. Vide quoque com. ad Philipp. III. & ad Titum III.

V. 3. PERCUTIET TE DEUS, PARIES DEALBATE. Paulus iuſſus percuti a principe ſacerdotum dicit ad eum: *Percutiet te Deus, paries dealbate*. Quomodo hæc verba Pauli non continent maledictum & contumeliam adverſus principem ſacerdotum? Deinde, maledictum agnoſcere videtur Paulus, quando ſe excuſans ait: *Neſciebam fratres, quia princeps eſt ſacerdotum, ſcriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices*. Reſp. quantum ad verba Pauli, non dixit: *percutiat*, ſed *percutiet*; & proinde non eſt imprecatio, ſed futuri prænuntiatio; quia videlicet ſacerdotium illud iam inutile erat, & cum lege per Chriſti mortem abrogatum. Unde ipſum ſummum ſacerdotem vocat *parietem dealbatum*, id eſt rem exterius ſpecioſam, quæ intus nullius eſt prætii. Quamvis etiam reſpiciat ad hypocriſim perſonæ; erat enim Sadducæus, teſte Ioſepho, & proinde indignus, qui vel Iudaico ſacerdotio fungeretur. Quantum ad verba, *Neſciebam*, &c. quidam hic intelligunt ironiam; quidam putant eum vere neſciiſſe. Sed cum verba præcedentia, uti diximus, prophetica fuerint, & Apoſtolus dixerit; *Tu ſedens iudicas me*, &c. unde agnovit eum ſuum iudicem, cui maledicere non licet; & veriſimile ſic eum loco, habitu, & aliis indiciis notum ſatis fuiſſe: hine omnino apparet, iſta verba etiam occultum & propheticum myſterium continere, ut ſenſus ſit: Neſcio, non approbo, non habeo hunc amplius pro ſummo ſacerdote; ſed pro pariete dealbato, utpote cuius ſacerdotium iam expiravit. Hieron. Lib. III. contra Pelag. cap. II. videtur ob hoc dictum Paulum notare cuiuſdam impatientiæ. Ceterum maledicere iudici palam iniuſto, & manifeſtam reo iniuriam facienti, ſicut hic factum, non videtur illicitum, ſalvis circumſtantiis. Ita ſancti Martyres aliquando iudicibus iniuſtis reſponderunt. Ad præceptum legis, *Principi populi tui non maledices*; reſpondetur, nec iudici detrahendum, nec principi maledicendum, animo nocendi: immo nec ſimpliciter, niſi rei gravitas &; publica utilitas & Dei honor poſtulent. PARIES DEALBATE. Similis locutio cum illa evangeli-

ea: *Sepulcrum dealbatum*. Sicut enim ſepulcra dealbata exterius ſpecioſa ſunt, interius autem plena oſſibus mortuorum, ut ait Dominus; ita paries dealbatus exterius candorem oſtendit, intus autem luteus eſt aut argillaceus. Reſpicitur enim ad parietes ex luto vel argilla factos, non ex lapide nativo aut cocto. Qualis & apud Ezechielem cap. XIII. ſignificatur: *Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis*. Porro de hoc maledicto Pauli vide Pererium in epiſtolam ad Rom. cap. XII. diſput. II. & Lorinum.

V. 6. EGO PHARISAEUS SUM, FILIUS PHARISAEORUM. Vide Annotat. Matth. XVI. Paulus vere erat Phariſæus ſecta, & Phariſæi filius, & Phariſæi Gamalielis diſcipulus. Nam Phariſæum eſſe non vitium nec errorem, ſed inſtitutum ſeverioris vitæ tantum ſignificat. Vide etiam Annot. Matthæi XXIII. Quæritur autem an Paulus ſignificet etiam tunc ſe fuiſſe Phariſæum, an tantum fuiſſe aliquando. Videtur, dicere quod etiam tunc quando loquebatur, Phariſæus erat, nimirum quod fidem doctrinæ, in qua ab eis diſſentiebant Sadducæi; non tamen veriſimile eſt Paulum eo tempore adhuc obſervaſſe Phariſaicum vitæ inſtitutum quoad vivendi regulas, ut abſtinentias, ieiunia, preces. DE SPE ET RESURRECTIONE MORTUORUM EGO IUDICOR. Paulus bona quadam arte vitæ & cauſæ ſuæ conſulens, iudices ſuos inter ſe committit, iniecta mentione reſurrectionis mortuorum, dum crimen de quo accuſabatur ex hypotheſi, transfert ad theſim. Accuſatus enim quod prædicaret Ieſum reſurrexiſſe; dicit ſe iudicari de reſurrectione mortuorum; idque rectiſſime, quia ut ipſe ratiocinatur I. ad Corinth. XV. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides noſtra*: maxime ex parte qua credimus reſurrectionem mortuorum; nullum ergo mendacium eſt in hac defenſione Pauli, neque vafre quidquam egit, ſed prudenter & Chriſtiane.

V. 8. & 9. SADDUCAEI ENIM DICUNT NON ESSE RESURRECTIONEM, NEQUE ANGELUM, NEQUE SPIRITUM. Quomodo hic dicitur quod Sadducæi dicant non eſſe Angelum, cum Sadducæi recipiant Pentateucum Moyſi, in quod frequens eſt angelorum mentio? Forte *angelum* iis locis non aliud quam Deum intelligunt humana ſpecie apparentem: aut Origenis more, allegoricas faciunt locutiones, ut angelus intelligatur inſtinctus bonus, vel admonitio bona a Deo humanæ menti inſpirata. Eſt enim hæreticis commune ſcripturas etiam apertiſſimas detorquere ad alienum ſenſum. NEQUE SPIRITUM. Dubium de quo ſpiritu hoc intelligatur, utrum de ſpiritu Dei, id eſt, de Spiritu ſancto, an de ſpiritu hominis, id eſt de anima poſt mortem corporis ſuperſtite. Nam de ſpiritu angelico non videtur intelligendum; quod iam angelum nominaſſet tamquam diverſum, unde ſequitur: PHARISAEI AUTEM UTRAQUE CONFITENTUR. Qui & ſtatim referuntur dixiſſe: QUID SI SPIRITUS LOCUTUS EST EI AUT ANGELUS? quod ſane videtur de Spiritu hominis accipiendum, hoc ſenſu: Quid ſi Spiritus hominis alicuius mortui, aut angelus ei apparuit, & annuntiavit ea quæ prædicat, maxime de reſurrectione mortuorum? Nam contra peſtilentem doctrinam Sadducæorum erat eo tempore fidelium perſuaſio, non ſolum eſſe angelos, & ſupereſſe Spiritus humanos poſt mortem; vel etiam interdum hominibus apparere & loqui. Unde diſcipuli Chriſti exiſtimabant ſe Spiritum videre, quando Dominum ſuum redivivum cernebant. Et in hoc libro fideles audita Petri voce, quem carcere clauſum putabant, dixerunt: Angelus eius eſt. Neque poteſt hic ſenſus dari: Neque Angelum, neque omnino Spiritum; quaſi dicat, Sadducæos negaſſe Angelum; & in univerſum ſubſtantiam ullam mere ſpiritualem & in corpoream in natura rerum exiſtere; quaſi Spiritus ſit genus angelum comprehendens. Nam Lucas ea vult eſſe diſtincta, cum dicit Phariſæos utrumque confiteri: Deinde nec ſubiuncta Phariſæorum verba, in quibus Spiritus præponitur, hunc ſenſum admittunt.

V. 13. ERANT AUTEM PLUS QUAM QUADRAGINTA VIRI. *Viri* non eſt in Græco, recte tamen additum ab interprete, tametſi MSS. non habent. QUI HANC CONIURATIONEM FECERANT. Erat ergo devotio iuriſiurandi religione firmata, quo minus liceret a propoſito reſilire.

MARIANAE.

Verſ. 2. ANANIAS. Hic fuit quinquageſimus octavus Iudæorum Pontifex, & Iacobum fratrem Domini occidit:

ſic

Digitized by Google

ſio Nicephorus Conſtant. qui addit, ab Agrippa iuniore fuiſſe ſpoliatum Pontificatu, periiſſe in excidio Ieruſalem. Nebedæi quidam filium faciunt, ſuſpicor falſo certe non fuit Caiphæ ſocer.

V. 3. Paries dealbate, id eſt hypocrita, Κονιάω *illinire, calce & opere tectorio inducere* ſignificat. Gregorius VII. Moral. cap. xv. *Electi, ut in arce ſublimi conſtituti, cetera deſpiciunt; ſic Moyſes Pharaoni, Elias Achab, Paulus Pontifici audacter loquuntur. Verum an ea libertas ex elatione veniat, an ex pietate & humilitate, ex aliis actionibus eius qui loquitur, iudicari debet.* Hæc Gregorius.

V. 5. Nesciebam fratres quia princeps. An per ironiam loquitur; quaſi dicat, Nihil in eo ſacerdotio dignum video.

V. 9. Pugnabant; pro, litigabant, contendebant pro Paulo Phariſæi.

V. 13. Plus quam quadraginta viri. Græce, *erant plures quadraginta, qui:* ſic Gotth. *plus quadraginta, qui in necem Pauli coniurarunt.*

V. 18. Vinctus Paulus, &c. Græc. *vinctus Paulus vocans rogavit me, ut hunc adoleſcentem ad te ducerem:* ſic Gotth.

V. 21. Viri amplius quam quadraginta. Græc. *plures quadraginta*). Gotth. viri amplius quadraginta.

V. 23. Vocatis: ſic lege, non *convocatis*, ut Lovan. Caesaream. Erat ſedes Præſidis, nempe tunc Iudææ caput. Tacitus Lib. XVIII.

V. 25. Timuit enim. Totus hic verſus Græc. & Syr. & Gotth. deeſt, ſolus Velcſius qua ſolet felicitate, Græce ſupplet. Deeſt etiam in novem Vulgatæ cod. Lovan. Nos tamen Romanam lectionem retinemus, quæ etiam in Regia eſt, & totus hic verſus. Tamquam accepturus pecuniam, μέλλων ἀργύριον λαμβάνειν; quaſi dicat, Quaſi promiſſa pecunia, ſi Paulus occideretur: ideo tribunus timuit.

V. 30. Quas paraverant illi: in dativo, id eſt contra illum inſidias.

V. 34. Et cognoscens; pro, & cum cognoviſſet: alioquin & redundat. Ergo cum Præſes cognoviſſet Paulum e Cilicia eſſe, & quæ ſequuntur.

MENOCHII.

Verſ. 1. Intendens in concilium: fixis oculis concilium intuens. Omni conscientia bona conversatus sum ante Deum; id eſt, ſincere me geſſi tum in Iudaiſmo, tum in Chriſtianiſmo, & in omni negotio religionis in animo meo Deum propoſui, & dictamen conſcientiæ meæ, quod rectum cenſebam ſum ſecutus.

V. 2. Praecepit astantibus percutere os eius: non ferens Paulum ſe innocentem profiteri, os eius quaſi blaſphemum, & impium percuti iubet.

V. 3. Percutiet te Deus, paries dealbate: ſic eum vocat quod eſſet hypocrita. Paries enim dealbatus ſignificat hominem fictum, & fucatum: ſic Chriſtus Scribas vocabat ſepulcra dealbata. Dixit hoc Paulus non ex impatientia, aut iracundia, ſed ex zelo iuſtitiæ, intentans, & prædicens iniquo iudici iuſtam Dei ultionem, & plagam. Iudicas me secundum legem, id eſt profiteris te iudicare me ſecundum legem. Contra legem iubes me percuti: lex enim naturalis, divina, & humana iubet neminem percuti, aut puniri, niſi prius audiatur, & auditus damnetur.

V. 4. Maledicis: λοιδορεῖς, *convitio afficis.*

V. 5. Nesciebam fratres, &c. Paulus non agnoverat Pontificem, quia diutius Ieroſolyma abfuerat, & novus erat hic Pontifex, & multis adſtantibus cingebatur. Fortaſſe etiam audivit vocem, ſed a quo eſſet emiſſa non animadvertit. Scriptum est enim: Exod. xxii. 28. Non maledices: non detrahes, non conviciaberis, non vilipendes.

V. 6. Sadducaeorum: de quibus dixi Matth. iii. 7. ut etiam de Phariſæis. De spe, et resurrectone mortuorum ego iudicor. Syrus, *de ſpe reſurrectionis mortuorum ego iudicor*; quaſi dicat: Propterea accuſor, & vexor, quod defendam, & afferam ſperandam eſſe omnium reſurrectionem. Iudicor: in iudicium vocor.

V. 7. Facta est dissensio: Phariſæis Paulum defendere conantibus, quaſi ſuarum partium hominem; Sadducæis contra perdere volentibus, tamquam ſuo dogmati contrarium. Soluta est multitudo: non domum diſcedendo, ſed in varias factiones, ſententias, & ſtudia abeundo.

V. 8. Utraque, id eſt reſurrectionem, *& ſpiritus.* Spiritus autem nomine comprehendit etiam Angelos.

V. 9. Pugnabant: non ſtudio veritatis, ſed

ſed ſectæ ſuæ tuendæ. QUID SI SPIRITUS, &c. quaſi dicat: Quid ſi Deus, vel ſpiritus aliquis, aut Angelus locutus eſt ei, culpabimus ne propterea Paulum, vel damnabimus? Alludunt ad extaſim, quas Paulus ſe a Deo abreptum, edoctum, & miſſum, dixit cap. XXII. 17. ſimulque perſtringunt adverſarios negantes Angelos, & Spiritus.

V. 10. NE DISCERPERETUR PAULUS AB IPSIS: a Sadducæis, quibus favebat Pontifex. Vel ab utriſque Phariſæis ad ſe illum rapientibus, ut defenderent; Sadducæis, ut perderent. DESCENDERE: ex arce Antonia. IN CASTRA: in eandem arcem Antoniam.

V. 11. ASSISTENS ET DOMINUS: per ſomnium.

V. 12. DEVOVERUNT SE: diris ſe devoverunt, dicendo, verbi gratia, Deus nos male perdat ſi aliquid comederimus, aut biberimus antequam Paulum occidamus.

V. 14. DEVOTIONE DEVOVIMUS NOS. Geminatio vim habet augendæ orationis, ſicut illud ſupra cap. v. 28. *Præcipiendo præcepimus vobis*, &c.

V. 15. NOTUM FACITE TRIBUNO CUM CONCILIO: Syrus. *Petite vos, & primores ſynagogæ a tribuno.*

V. 16. QUOD CUM AUDISSET, &c. caſu ne audierit, an de induſtria, quod de avunculi ſalute ſolicitus eſſet, incertum eſt. INSIDIAS; ſcilicet Paulo parari. NUNCIAVITQUE PAULO; non enim adeo arcte tenebatur Paulus, quin illum alloqui poſſent amici, & ei miniſtrare.

V. 18. VINCTUS PAULUS: Paulus qui in carcere eſt catena vinctus.

V. 19. APPREHENDENS TRIBUNUS MANUM EIUS. Humaniter excipit adoleſcentem, vel ex naturali benignitate, vel ut faciat aliquo modo iniuriam Paulo civi Romano factam, eum illum cædi iuſſit; vel quod munus aliquod aut pecuniam ſibi afferri putaret ab adoleſcente.

V. 21. EXPECTANTES PROMISSUM TUUM: non factum, ſed faciendum; quaſi dicat: Expectant, ut promittas te cras producturum Paulum in concilium.

V. 23. MILITES DUCENTOS. Tam hi qui dicuntur milites, quam Lancearii pedites erant, nam utrique ab equitibus ſeptuaginta diſtinguuntur. Lancearii haſtis erant inſtructi, reliqui ducenti milites aliis armis, quibus pedibus pugnare mos erat. A TERTIA HORA NOCTIS: ut tertia hora noctis exacta ire incipiant, & Paulum Cæſaream uſque ſecurum deducant.

V. 24. AD FELICEM PRAESIDEM. Huic Felici prænomen fuit Antonius, & a Claudio Imperatore miſſus in Iudæam procurator, ut docet Ioſephus Lib. XX. antiq. cap. v.

V. 25. TAMQUAM ACCEPTURUS PECUNIAM; ſcilicet a Iudæis, permiſiſſet ab eis occidi Paulum.

V. 26. CLAUDIUS LYSIAS: nomen eſt Tribuni. OPTIMO: κρατίςῳ, quod vertit etiam *potentiſſimo*, vel *præſtantiſſimo*: erat titulus quo ordinarie Præſes ſolebat appellari, ut etiam nunc pro varietate; dignitatum varii etiam tituli adhibentur ab iis, qui Principes, aut Magiſtratus alloquuntur, aut ad eos ſcribunt.

V. 27. INCIPIENTEM INTERFICI AB EIS: μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι, veriantem in periculo ne interficeretur. CUM EXERCITU, cum militibus meis.

V. 38. DICANT APUD TR: contra Paulum ſi in accuſatione velint pergere.

V. 31. DUXERUNT PER NOCTEM IN ANTIPATRIDEM: non ita tamen ut de nocte eo pervenerint, nam diſtabat Ieroſolymis ſeptemdecim leucis, hoc eſt itinere ſeptemdecim horarum. REVERSI SUNT AD CASTRA: iam enim Paulus tuto loco erat conſtitutus, ideoque redeunt pedites minus neceſſarii, & ad iter agendum magis impediti.

V. 35. IN PRAETORIO HERODIS. Prætorium erat ipſum Palatium in quo Præſes habitabat: quod olim ab Herode fuerat ædificatum.

T I R I N I.

Verſ. 1. INTENDENS. Græc. ἀτενίσας, id eſt fixis intentiſque oculis intuens aſſeſſores; quod magnæ erat confidentiæ, libertatis & animoſitatis, ſimul & prudentiæ, ut orationem & geſtum ſuum ſuis auditoribus attemperaret: prodebat denique innocentiam, & conciliabat benevolentiam & attentionem. Et certum eſt, maximam perſuadendi vim perdere ex obtutu & ardore oculorum. EGO OMNI CONSCIENTIA BONA, nullius criminis mihi conſcius, ſive in Iudaiſmum, ſive in Chriſtianiſmo, reſpectu veſtri vel legis veſtræ, CONVERSATUS SUM ANTE DEUM.

Græ-

Græce, πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ, id eſt officium mihi concreditum adminiſtravi in honorem Dei: nam in Iudaiſmo propugnavi ſtrenue legem, in Chriſtianiſmo Evangelium. Hac Pauli libertate, & quia non ſalutaſſet illos, de more *Patriæ a*, ut cenſet Dionyſius, extreme offenſi fuere.

V. 2. PRINCEPS SACERDOTUM ANANIAS Nebedæi *b* filius, teſte Ioſepho & Sigonio *c*, PRAECEPIT ASTANTIBUS SIBI PERCUTERE pugnis OS EIUS: quaſi notorie impium & publice blaſphemum. Nempe publicus apoſtata, proditor religionis, hoſtis patriæ iuratus, in pleno iudicum conſeſſu ſe innocentem, nulliuſque culpæ conſcium iactet? Sed quid ad hæc Paulus? an percuſſus & percuſſus obmuteſcet, & cauſam hoſtibus prodet?

V. 3. PERCUTIET TE DEUS, PARIES DEALBATE, id eſt hypocrita *d*: fingis enim te iuſtum iudicem agere, & SECUNDUM LEGEM ME meamque cauſam *iudicare*; interea CONTRA LEGEM omnem, ſeu naturalem, ſeu poſitivam, divinam, humanam, IUBES ME PERCUTI nec damnatum, nec auditum? Hanc animi celſitudinem, indeque redarguendi iniquos principes libertatem in Paulo, aliiſque Apoſtolis & Prophetis, mire deprædicat S. Chryſoſt. Auguſt. & Gregorius *e*. Additque Chryſoſtom. pontificem hoc Pauli tam iuſto reſponſo, quaſi fulmine ictum, obſtupuiſſe, & elinguem ac ſemimortuum, ne verbum quidem reſpondere potuiſſe, unde alios aſtantes id pro ipſo feciſſe.

V. 4. SUMMUM SACERDOTEM DEI MALEDICIS? Græce, λοιδορεῖς, id eſt conviciaris? vocando parietem dealbatum, & malum illi imprecando. Multi enim pro, *percutiet te*, ut eſt in Romanis & Græcis, legunt, *percutiat te*. Sed & per enallagen *f* frequens eſt Hebræis uti futuro pro optativo, & contra, ut docent S. Hieron. & Auguſt. *g* Poterat autem Apoſtolica auctoritate, & zelo iuſtitiæ iuſtam Dei vltionem non modo prædicare, ſed & intentare vel imprecari iniuſto pontifici, etiam agnito pro tali, maxime in præſentia tribuni, ut ſaltem coram illo ius ſuum & decus tueretur, inquit idem Chryſoſt. & Oecumen. Maluit tamen Chriſtianæ modeſtiæ & obſervantiæ erga Prælatos, etiam impios ac tyrannos, publicum omnibus tam præſentibus, quam poſteris exemplum relinquere, & quaſi commiſſum ex ignorantia errorem agnoſcere ac rettactare.

V. 5. NESCIEBAM QUIA PRINCEPS EST SACERDOTUM. Diu enim abſuerat Ieroſolyma Paulus, & novus erat hic pontifex, & multis aſſidentibus atque aſtantibus cingebatur, inquit Chryſoſtomus, Lyranus & Dionyſius. Forte etiam neſciebat Paulus, a quo vox eſſet profecta, inquit Sanchez. Forte etiam tumultuarie & confuſe ſedebatur, nec erat certus pontifici locus, utpote non in templo, nec domi ſuæ, ſed alienæ, in quam iuſſu tribuni convenerant. PRINCIPEM POPULI TUI NON MALEDICES *h*. Non conviciaberis, non vilipendes, non detrahes. Si Paulus ita *reveritus eſt pontificem, qui tantum inane nomen & umbram pontificis gerebat, quomodo reverendi ſunt*, inquit S. Cyprianus, *Pontifices Catholici & Romani, quibus ſacerdotalis auctoritas & poteſtas de divina dignatione firmatur*.

V. 6. & 7. SCIENS PAULUS QUIA iudicium in conſilio præſentium UNA PARS ESSET SADDUCAEORUM, (quod genus eſt omnium Iudæorum in iudicando crudeliſſimum, inquit Ioſephus k,) & ex iis ipſe pontifex: ALTERA PHARISAEORUM, quæ ſecta licet melior eſſet, & e diametro adverſaretur Sadducæis, in hac tamen Pauli cauſa conſpirabat cum illis. *Sciens*, inquam, *Paulus*, ſe utriſque ſimul iunctis reſiſtendo non eſſe, prudenti conſilio pomum diſcordiæ iacit in medium, altera voce exclamans: EGO PHARISAEUS SUM *l*, DE SPE ET RESURRECTIONE *m* MORTUORUM EGO IUDICOR; Syrus, *in iudicium vocor*; Vatablus, *accuſor eo quod aſſeram ſperandam eſſe corporum reſurrectionem*. Nempe eo quod doceam, Chriſtum crucifixum reſurrexiſſe, ac nobis omnibus reſurrectionem & cæleſtem gloriam promeruiſſe. Porro licere, immo expedire, diſſenſionem ſerere inter hoſtes in perniciem, ſeu meam, ſeu aliorum conſpirantes, expreſſe docet S. Gregorius, S. Thomas *n* & alii. Et ſucceſſit Paulo ex animi ſententia. Nam *facta* ſubito *diſſenſione* INTER PHARISAEOS ET SADDUCAEOS, SOLUTA; Græce, *diſſecta*, EST etiam MULTITUDO aſtantium in varias ſententias & factiones, non iam amplius cauſam Pauli, ſed propria agitantium.

V. 9. QUID SI SPIRITUS, vel anima Ieſu,

Digitized by Google

Ieſu, AUT ANGELUS, quiſpiam LOCUTUS *fuerit* Paulo? quis id culpet, aut in eo accuſet? Græca addunt, [b]*ne pugnemus cum Deo*. Quod & Gamaliel ſupra inculcabat cap. v. 39. Ita Phariſæi pro Paulo tamquam pro aris & focis pugnant, etſi iurato ſuo hoſte; idque ob hoc ſolum quod ipſe ſe Phariſæum profiteretur.

V. 12. QUIDAM, nempe Sadducæi, DEVOVERUNT ſe diris, anathematizantes ſeipſos, ut eſt in Græco, id eſt deierantes ſe velut anathema perdi velle a Deo, ſi quid comederent aut biberent, antequam propriis manibus PAULUM *occidiſſent*.

V. 21. EXSPECTANTES PROMISSUM SUUM: non factum ipſis, ſed faciendum; nempe exſpectant ut poſtulantibus promittas te cras producturum Paulum in eorum conſeſſum, quo poſſint hac occaſione ipſum ex itinere trucidare.

V. 23. PARATE MILITES levis armaturæ DUCENTOS, ET EQUITES SEPTUAGINTA, ET LANCEARIOS ſive haſtatos, qui loricati longas, haſtas gerunt, etiam DUCENTOS; UT A TERTIA HORA NOCTIS, ſeu tertia hora ab occaſu ſolis, cum Paulo EANT USQUE CAESAREAM [o], ubi teſte Tacito, ſedes tunc erat præſidis Iudææ, propter maris opportunitatem. Sicut Ravennæ, non vero Romæ, ſedes poſtea fuit Exarchorum Italiæ. Nolebat culpari tribunus, quod

V. 25. TAMQUAM ACCEPTURUS PECUNIAM a Iudæis, permiſiſſet occidi ab eis Paulum.

V. 26. OPTIMO, κρατίςῳ etiam verti poteſt, *potentiſſimo*, ut vertit Vatablus; *præſtantiſſimo*, ut Pagninus; *victorioſiſſimo*, ut Syrus. Sed de hoc alibi [i]. *Felix* hic, teſte Suetonio, frater erat Pallantis, qui e ſervo factus libertus a Claudio Imp. maxima apud eum gratia & potentia pollebat: adeoque nuptias Agrippinæ, (ex qua natus Nero) cum Claudio patruo ſuo conciliavit, & ſic Neroni imperium paravit. In gratiam vero Pallantis, Claudius Felicem illius fratrem provinciæ Samariæ, Trachonitidi, Batancæ, & Gaulanitidi, Nero toti dein Iudææ præfecit: ſed ſeneſcente gratia, turpiter poſt biennium [r] ſubmovit. Tacitus [ſ] prænomen illi dat, *Antonius*, ab Antonia matre Claudii, cuius fuerat ſervus: Ioſephus, Zonaras & Suidas *Claudium* vocant, a Claudio Imp. qui ex ſervo libertum fecerat. Vocabatur ergo & *Antonius*, & *Claudius Felix*, ut fere ſolebant binomines eſſe liberti; inquit Lipſius [t].

V. 31. *Antipatris* ante *Caphar-ſalama* dicebatur, urbs pulchra & amœna ad mare Mediterraneum, media inter Ioppem & Cæſaream, ab utraque circiter 8. leucis diſſita, Ieroſolymis vero fere 17. leucis. Iuxta hanc Nicanor a Iuda Machabæo eſt cæſus [u]. Herodes ab Antipatro ſuo *Antipatridem* nominari voluit. Tempore belli ſacri, a Godefrido Bullonio fruſtra obſeſſa, ab eius ſucceſſore Balduino capta eſt. Nunc tantum eſt pagus, qui *Aſſur* dicitur, inquit Borchardus & Adrichomius [x].

V. 35. *Prætorium*. Palatium erat prætoris, ſeu præſidis: vocaturque HERODIS, quia a rege Herode magnificentiſſimis fabricis constructum.

(a) Actor. xxii. 2.
(b) Chron cap. xlii. claſſe 3.
(c) Ioſeph. Lib. XVIII. & XX. Antiq. cap. iii. Sigon. Lib V. de Repub. Heb. cap. 2.
(d) Matt. xxiii. 27.
(e) Chryſoſt. hic Aug. Lib. I. de Serm. Domini in monte cap. xix. & Lib. de Mendacio cap. xv. Greg. Lib. VII. Moral. cap. xv.
(f) Prolag. de Idiotiſm. Hebr. n. 44.
(g) Hieron. in Pſal. xi. Auguſt. in Pſal. lxxviii.
(h) Exod. xxii. 28.
(i) Cyprian. Lib. I. epiſt. iii. quæ in edit. Pamelii eſt 55.
(k) Ioſeph. Lib. XX. Antiq. cap. viii.
(l) Actor. xxii. & 3. & v. 34.
(m) Matt. iii. 7.
(n) Greg. Lib. XXXIV. Moral cap. iv. S. Thom. 2. 2. quæſt. xxxvii. a 1. ad 2.
(o) Acto. x. 1.
(p) Tacit. Lib. XVIII.
(q) Lucæ 2. 3.
(r) Actor. xxiv. 25. & 27.
(ſ) Tacit. Lib. V. Hiſtor.
(t) Lipſ. in Lib. XII. Annal. Taciti.
(u) I. Mach. vii. 31.
(x) Borch. & Adrich. in Deſcrip. terræ ſanctæ.

GORDONI.

Verſ. 2. & 3. HIc Princeps Sacerdotum imperans percuſſionem eſt Ananias: quis vero ſit incertum; an, inquam, Annas ſocer Caiphæ, an Annæ filius? Placet pluribus eſſe Ananiam Nebedæi filium, datum ab Agrippa Chalcidis rege. Sigon. Lib. V. de Repub. Heb. cap. 1. Ceterum vir erat Paulo ignotus, ex verſu quinto; præſertim in illo conſeſſu, ubi omnia erant inſolita, Tribunus, modus agendi, & (quod probabile eſt) Pontifex

tifex veſte pontificia non inſignitus. PARIES DEALBATE. Hæc vox deſignat hypocritam, fictum, fucatum: ſic Scribæ ſepulcra dealbata dicuntur a Chriſto. De principe populi honorando, vide Exod. xxii. 28.

V. 5. & 7. SCIENS. Prudenter movet Paulus hanc quæſtionem, ut iniuſtam perſecutionem dimoveat. Vexor, inquit, hodie, quia doceo ſperandam eſſe reſurrectionem contra Sadducæos: ſic ſoluta multitudine Paulus reducitur in caſtra; ne in hac contentione partium opprimeretur; præſertim cum Pontifex ſtaret pro Sadducæis. De horum errore lege Auguſtinum Lib. X. de Geneſi ad litteram, duobus extremis capitibus, ubi de anima ex traduce; quaſi inſtar plantarum patris anima profeminaret animam filii. Fingebat etiam Tertullianus ex Auguſtino omnia eſſe corporea, animam, Angelos & Deum ipſum.

V. 12. & 21. DEVOVERUNT SE. Mala ſibi a Deo imprecantes, niſi Paulum occiderent. Hi an ſacerdotes, aut Sadducæi incertum. EXPECTANTES PROMISSUM TUUM, promiſſum futurum. Expectant, inquit, ut promittas te producturum Paulum.

V. 23. 24. TERTIA HORA NOCTIS. Tertia poſt ſolis occaſum, ut alibi dixi. Felix hic præſes eſt Iudææ miſſus a Claudio, Lyſias Tribunus eſt.

V. 31. ANTIPATRIDEM. Abeſt leucis ſeptemdecim Ieroſolymis. Iter eſt ſeptemdecim horarum. Ergo confectum nocte illa, ſed excurrente parte ſequentis diei. Inde redeunt pedites. IN PRAETORIO, verſ. 25. Hoc prætorium palatium fuit olim ædificatum ab Herode, ſed in quo nunc habitabat præſes: Cæſarea tunc præſidis ſedes erat, & Iudææ caput: olim Turris Stratonis.

CAPUT XXIV.

Accuſatus Paulus coram Felice præſide a Tertullo Iudæorum oratore; reſpondet negans impoſita ſibi crimina, confitens tamen ſe Chriſtianum, & dixiſſe ſe de reſurrectione mortuorum iudicari: Felix & ipſius uxor Iudæa audiunt Paulum de fide Chriſtiana; cum autem non acciperet a Paulo pecuniam, reliquit eum vinctum: accipiens ſucceſſorem Portium Feſtum.

1. POſt quinque autem dies deſcendit princeps ſacerdotum,
Ananias, cum ſenioribus quibuſdam, & Tertullo quodam
oratore, qui adierunt Præſidem adverſus Paulum. 2. Et
citato Paulo cœpit accuſare Tertullus, dicens: cum in
multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam
providentiam; 3. ſemper & ubique ſuſcipimus, optime
Felix, cum omni gratiarum actione. 4. Ne diutius au-
tem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua cle-
mentia. 5. Invenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones
omnibus Iudæis in univerſo orbe, & auctorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum:
6. qui etiam templum violare conatus eſt*, quem & apprehenſum voluimus ſe-
cundum legem noſtram iudicare. 7. Superveniens autem tribunus Lyſias, cum
vi magna eripuit eum de manibus noſtris, 8. iubens accuſatores eius ad te
venire: a quo poteris ipſe iudicans, de omnibus iſtis cognoſcere de quibus
nos accuſamus eum. 9. Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita ſe ha-
bere. 10. Reſpondit autem Paulus, (annuente ſibi Præſide dicere:) Ex multis
annis te eſſe iudicem genti huic ſciens, bono animo pro me ſatisfaciam. 11.
Potes enim cognoſcere, quia non plus ſunt mihi dies, quam duodecim, ex
quo aſcendi adorare in Ieruſalem; 12. & neque in templo invenerunt me cum

aliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neque in ſynagogis; 13 neque in civitate: neque probare poſſunt tibi de quibus nunc me accuſant. 14. Confiteor autem hoc tibi, quod ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſervio Patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt: 15. ſpem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram iuſtorum, & iniquorum. 16. In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper. 17. Poſt annos autem plures, eleemoſynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes, & vota. 18. (*a*) In quibus invenerunt me purificatum in templo; non cum turba, * neque cum tumultu. 19. Quidam autem ex Aſia Iudæi, quos oportebat apud te præſto eſſe, & accuſare ſi quid haberent adverſum me: 20. aut hi ipſi dicant ſi quid invenerunt in me iniquitatis, cum ſtem in concilio, 21. niſi de una hac ſolummodo voce, qua clamavi inter eos ſtans: (*b*) Quoniam de reſurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis. 22. Diſtulit autem illos Felix, certiſſime ſciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lyſias deſcenderit, audiam vos. 23. Iuſſitque Centurioni cuſtodire eum, & habere requiem, nec quemquam de ſuis prohibere miniſtrare ei. 24. Poſt aliquot autem dies veniens Felix cum Druſilla uxore ſua, quæ erat Iudæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quæ eſt in Chriſtum Ieſum. 25. Diſputante autem illo de iuſtitia, & caſtitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix reſpondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accerſam te: 26. ſimul & ſperans, quod pecunia ei daretur a Paulo: propter quod & frequenter accerſens eum, loquebatur cum eo. 27. Biennio autem expleto, accepit ſucceſſorem Felix Portium Feſtum. Volens autem gratiam præſtare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

(a) Sup. xxi. 26. (b) Sup. xxiii. 6.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 6. & 7. Quem & apprehenſum voluimus ſecundum legem noſtram iudicare: ſupperveniens autem tribunus Lyſias cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris iubens accuſatores eius ad te venire. Non ſunt hæc omittenda iudicio Patrum, prout a quibuſdam omittuntur omnia, exceptis primis duobus verbis, lectis hac ratione: *Quem apprehendimus.*

Verſ. 18. *Neque cum tumultu.* Quæ ſubiiciuntur in quibuſdam exemplaribus: *Et apprehenderunt me clamantes & dicentes. Tolle inimicum noſtrum*; ut ſuperflua auferenda Patres cenſuerunt.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. CITATO, id eſt vocato.
Verſ. 3. SUSCIPIMUS, id eſt approbamus, ſeu recipimus. OPTIME. Syr. *victorioſe*: vide ſup.

V. 4. CLEMENTIA, id eſt humanitate.

V. 5. NAZARENORUM, id eſt Chriſtianorum.

V. 6. VIOLARE, id eſt profanare.

V. 8. IUDICANS: pro, exquirens.

V. 12. CONCURSUM, &c. quaſi dicat, Seditionem ſeu tumultum.

V. 14. SECTAM. Græc. ὁδὸν, id eſt *viam*, ſcilicet vitæ inſtitutum. DICUNT, ſcilicet vulgo Græci. SIC; ſcilicet ut ſequitur. PATRI ET DEO. Græc. *patrio Deo*. Syr. *Deo patrum meorum*.

V. 16. IN HOC. Syr. *propterea*; AD; pro, coram.

V. 18. IN QUIBUS, ſcilicet rebus occupatum.

V. 19. IUDAEI. Syr. *Iudæi tumultuati ſunt*.

V. 20.

V. 20. Ipsi, ſcilicet qui adſunt.
V. 21. Nisi, ſcilicet me accuſare volunt.
V. 22. Via, ſcilicet cuiuſmodi eſſet.
V. 23. Requiem, id eſt relaxationem, ſcilicet mitius tractari.
V. 24. Drusilla. Vide ſupra cap. xii.
V. 25. Disputante, id eſt differente. Castitate. Græc. *temperantia*. Syr. *ſanctimonia*. Quod nunc attinet; quaſi dicat, Interim.
V. 27. Biennio, ſcilicet officii ſui, vel carceris Pauli.

ESTII.

Verſ. 3. Auctorem seditionis sectae Nazarenorum. Pro ſecta Græce αἱρέσις, quæ tunc generaliter quamvis ſectam ſignificaſſe videtur; ſaltem vitioſam. Paulus in ſua reſponſione ait: *Secundum ſectam quam dicunt hæreſim*. Sed ibi profecta græce eſt ὁδὸς, ut vertendum potius fuerit, *ſecundum viam quam dicunt ſectam*; concedit enim & fatetur religionem Chriſtianam eſſe viam, id eſt certam rationem, formam ac inſtitutum vivendi, non tamen ſectam: licet adverſarii ſic eam vocarent. Unde & Lucas poſtea hoc eodem cap. rurſum *viam* vocat dicens de præſide: *Certiſſime ſciens de via hac*, id eſt probe inſtructus de hoc genere vitæ ac religionis. Non ergo ex hoc loco doceri poteſt religionis Chriſtianæ inſtitutum ſectam vocari. Cicero initio Paradoxorum: Cato in ea hæreſi eſt, quæ nullum ſequitur florem orationis, &c. ubi hæreſim videtur vocare opinionem privatam & peculiarem, qua aſſeritur aliquid inopinabile, & a communi ſenſu diverſum. Cur religio Chriſtiana non recte vocetur hæreſis, colligitur ex Hieron ſupra ad Galat. v. & habetur apud Gratianum 24. quæſt. iii. capit: Hæreſes, quia ſcilicet non eligitur humano arbitrio, ſed tradita eſt divinitus. Vide Hieronymum.

V. 14. Secundum sectam quam dicunt haeresim. Quæritur an loquatur de religione Chriſtiana, an de inſtituto Phariſaico? Pro priori facit illud: *Quam dicunt hæreſim*. Nam Tertullus in ſua oratione religionem Chriſtianam vocaverat hæreſim. Sed reſponderi poteſt ſenſum eſſe, *quam dicunt*, id eſt quam (ſcilicet viam) vulgo vocant hæreſim, ſeu ſectam; quia etiam inſtitutum Phariſæorum vocabatur ſecta, Græce αἱρέσις, id eſt inſtitutum quoddam peculiare. Et Paulus hoc loco ſicut & in concilio ſacerdotum ſe defendit ea ratione quod vixerit iuxta inſtitutum Phariſæorum, quod erat apud Iudæos probatum; unde & hic repetit quod illic dixerat de fide reſurrectionis mortuorum.

V. 15. Spem habens in Deum, quam et hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum et iniquorum. Non ſignificat iniquorum reſurrectionem eſſe obiectum ſpei, ſed reſurrectionem in genere; quæ magnum bonum eſt, licet iniquis non ſit bona.

V. 17. Eleemosynas facturus in gentem meam veni: eas ſcilicet eleemoſinas de quibus agitur Rom. xv. I. Cor. xvi. & in II. Epiſt cap. viii. & ix. Galat. ii. Erat hæc ſecunda legatio Pauli pro ſanctis pauperibus, qui erant Ieroſolymis, nam de prima: quam cum Barnaba communem habuit, agitur ſupra cap. xi. in fine. Vide Comment Galat. ii.

V. 20. & 21. Si quid invenerunt in me iniquitatis, nisi de una hac solummodo voce, &c. Non ſignificat eam unam inventam in ſe iniquitatem, quod exclamaverit, ſed phraſi Hebraica *niſi* pro *ſed* ponitur; quaſi dicat: Sed tantum hoc in me accuſare poſſunt, quod exclamaverim, &c. Vide Ioannis xvii. Notandum quoque interdum contra, *ſed* pro *niſi* phraſi hebraica accipi, ut cum dicitur: *Omnis blaſphemia non remittetur*, id eſt excepta blaſphemia in Spiritum ſanctum. Et I. ad Chorinth. vi. *Omne peccatum extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*, id eſt excepto peccato fornicationis.

V. 24. Cum Drusilla uxore sua quae erat Iudaea. Et filia Herodis Agrippæ, de qua vide Ioſephum Lib. XX. Antiq. cap. v. Et audivit ab eo fidem, quae est in Christum Iesum. quæritur an crediderit, hoc enim videri poteſt, quod Felix eius concione tremefactus eſt; nemo autem timet quod non credit. Reſpondeo, videtur crediſſe iudicium futurum, ſaltem opinative; quia ratione naturali utcumque poteſt illud homo aſſequi quantum ad animas. Iuſtum eſt enim bona

Nn 2

na opera numerari, & puniri malefacta. Item, quia coniugem habebat Iudæam, quæ ſecundum ſuam religionem id credebat. Sed de Chriſto non apparet quod crediderit aliquid ſecundum pietatem; ſed fortaſſis ſimulaverit, ut ſpem Paulo faceret, muneris aut pecuniarum interventu evadendi.

V. 25. Disputante autem illo de iustitia et castitate, et iudicio futuro tremefactus Felix. De iuſtitia, quia Felix avarus erat, & iuſtitiam pretio habebat venalem. Nam & a Paulo ſperabat pecuniam; & cum non acciperet, gratiam voluit præſtare Iudæis relinquendo Paulum in vinculis. De caſtitate coniugali, quia gentiles paſſim, eo maxime tempore, ut ex Suetonio & aliis auctoribus diſcere licet, variis atque infandis immunditiis etiam legitimum thorum commaculabant, pervertentes uſum naturæ, ut eſt ad Rom. 1. Unde & fornicatio ſimplex non reputabatur apud illos peccatum: Act. xv. De iudicio futuro, ut eius commemoratione & fide revocaretur ab his & huiuſmodi peccatis. Et nota quod non fidem ſpecialem his Paulus prædicaverit, dicens: Credite vobis per Chriſtum donari peccata, voſque per ipſum iuſtos eſſe: & certiſſime ſalutem conſecuturos. Quod ſi dixiſſet, nihil fuiſſet opus terribilis iudicii commemoratione, per quod Felix contremiſceret. Quæres an timor ille fuerit donum Dei. Sane non dubium quin donum fuerit, in quantum erat aliquid boni, quo retrahebatur a malo. An autem pertinueris ad gratiam Chriſti; maior quæſtio, inde pendens, an ille timor fuerit bonum aliquod ſalutare, id eſt pertinens ad ſalutem vitæ æternæ; de his enim bonis dictum eſt a Chriſto: *Sine me nihil poteſtis facere*. Videtur autem tale bonum fuiſſe ſi ex fide aliqua Chriſti mediatoris proceſſerit; non item, ſi ex ſola commemoratione iudicii divini, quomodo etiam Adam ſtatim ut peccavit, timuit, quia Deum ut iudicem ſuum apprehendebat.

V. 26. Quod pecunia ei daretur a Paulo. Unde ſperabat pecuniam a Paulo paupere? Idcirco opinor quia Paulus dixerat ſe Ieroſolymam veniſſe facturum eleemoſynas in gentem ſuam. Unde ſuſpicabatur eſſe hominem pecunioſum, aut certe amicos habere divites, qui pro eius redemptione libenter eſſent multum pecuniæ daturi.

MARIANAE.

Verſ. 2. Ananias. De hoc cap. ſuperiori verſ. 2.

V. 3. Suscipimus: ſupple, gratiam hanc & beneficia, quod ſis Præſes, o Felix.

V. 6. Quem et apprehensum. Gotth. *apprehendimus*; & quod ſequitur, ſcilicet *volumus ſecundum legem* uſque ad illud verſ. 8. *a quo poteris*, non habet. Latini quoque codices Bedæ non habuerunt; fatetur tamen eſſe id in Græco & quibuſdam Latinis codicibus. Nos in omnibus Græcis invenimus, & in Latinis præter Gotth. Quin Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius, ea omnia verba habent, ut ſunt in editione Vulgata. Confiteor autem, ait Paulus Præſidi, quod

V. 14. Sic deservio Patri et Deo meo. Quidam, *patrio Deo meo*, ſic Græc. & Syr.

V. 18. Neque cum tumultu. Sequitur in quibuſdam codicibus, *Et apprehenderunt me clamantes & dicentes; Tolle inimicum noſtrum*. Verum hoc Græce non eſt, neque in Vulgata Romana: ſic reiicitur.

V. 22. Certissime sciens de via hac, id eſt doctrinæ Chriſtianorum & Iudæorum notitiam habens. Fuerat Præſes multo tempore Iudææ, uxor eius Iudæa, lites inter utroſque diuturnæ & publicæ. Sic potuit noſſe quæ hæc eſſent.

V. 27. Biennio autem expleto. Hoc poteſt referri ad vincula Pauli. Verum non videtur tamdiu in Iudæa in vinculis fuiſſe. Poteſt referri ad tempus quo Felix præfuit. Nam etſi Paulus verſ. 10. dixit eum multis annis præfuiſſe genti, poteſt id accipi de tempore quo cum Cumano parti Provinciæ eius præfuit: Tacitus Lib. XXI. biennium vero, ex quo ſolus manſit toti Iudææ Præfectus ſub initium Imperii Neronis. Quidam ad annos Imperii Neronis referunt: nam Paulus Romam venit ſecundo Neronis anno, ut hi volunt, expleto Chriſti 57. aut 58. Lector ex his eligat quod magis placuerit: nobis ſecundus modus magis arridet, ut duo illi anni Præfecturæ Felicis ſint. Verum de Felice ſequen-

quenti cap. plura, cum ſimul de Agrippa agetur.

M E N O C H I I.

Verſ. 1. POST QUINQUE AUTEM DIES: ab appulſu Pauli Cæſaream. TERTULLO QUODAM ORATORE: quem Ananias quaſi Advocatum aſſumpſit, vel ob dicendi facultatem, vel quia linguæ Latinæ peritus erat, quam Ananias ignorabat.

V. 2. CITATO PAULO: mos enim fuit Romanorum, ut dicitur cap. ſequenti verſ. 16. *Ut nullus damnetur priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumve defendendi accipiat ad abluenda crimina*. CUM IN MULTA PACE AGAMUS PER TE, &c. adulatoria oratio.

V. 13. SUSCIPIMUS: *ἀναδεχόμεθα*, *amplectimur*, ſcilicet tuam providentiam, comprobamus, admiramur, ſuſpicimus, ut aliqui ſcripſiſſe putant Latinum interpretem. Optime: *κράτιστε*, vide dicta ſuperiore cap. verſ. 26.

V. 4. PRO TUA CLEMENTIA: *ἐπιεικείᾳ*, id eſt manſuetudine, æquitate, lenitate, modeſtia, facilitate, patientia.

V. 4. AUCTOREM: *πρωτοστάτην*, anteſignanum, & primarium promotorem, & defenſorem. SEDITIONIS SECTAE NAZARENORUM; quaſi dicat: Huius ſectæ Nazarenorum, ſive Chriſtianorum, ubique ſeditiones, & turbas commovet.

V. 6. QUI ETIAM TEMPLUM VIOLARE CONATUS EST. Hoc ei crimen cap. XXI. verſ. 28. obiectum eſt, quod exiſtimaretur Trophimum Gentilem in templum induxiſſe. SECUNDUM LEGEM NOSTRAM: Iudaicam: licet enim Tertullus videatur fuiſſe Gentilis, tamen Iudæorum nomen, & legem ſibi arrogat, quia eorum cauſam, ut Advocatus, agebat. IUDICARE: iudicialiter damnare, ac damnatum tradere occidendum Præſidi Romano. Mentitur, nam Iudæi Paulum tumultuarie occidere volebant, non autem ſecundum legem iudicare.

V. 8. A QUO: ſcilicet Paulo; quaſi dicat: Paulus ipſe negare non poterit ſi illum interroges, vera eſſe quæ dicimus. IUDICANS: *ἀνακρίνας*, id eſt examinans, interrogans ad eliciendam veritatem.

V. 9. ADIECERUNT, &c. quæ dicebantur a Tertullo ipſi confirmarunt, teſtificantes ita ſe rem habere.

V. 10. ANNUENTE. *νεύσαντος*, *innuente*, nutu ſignificante, ut pro ſe diceret, ſi vellet. EX MULTIS ANNIS, &c. quaſi dicat: Cum tot annis huic genti præfueris, nec umquam a Iudæis de me querelam ullam audieris, facile colliges me nulli umquam nocuiſſe. Felix multis annis a Claudio Imperatore præfectus fuerat Traconitidi, Batanææ, & Gaulanitidi, quæ ſunt vicinæ Iudææ; ſed ipſi Iudææ, cum hæc agerentur biennio tantum præfuerat: ſi aliquas Paulus turbas concitaſſet ignorare, Felix non potuiſſet, etiam cum non Iudææ, ſed conterminis regionibus præeſſet. BONO ANIMO: intrepide, & confidenter, ſperans te mihi æquum iudicem futurum.

V. 11. NON SUNT PLUS MIHI DIES, QUAM DUODECIM; quaſi dicat, Quomodo ergo tam paucis diebus potui ego peregrinus tot ſeditiones concitare; & ſcelera perpetrare, quot, & quanta Iudæi mihi obiiciunt? ASCENDI ADORARE: veni religionis cauſa in Ieruſalem.

V. 14. SECUNDUM SECTAM: *ὁδὸν*, id eſt *viam*, hoc eſt, inſtitutum, normamque vivendi; hoc eſt, ſecundum Chriſtianiſmum, quem ipſi vocant hæreſim, id eſt ſectam, & factionem, ſed parum æque, & perperam. DESERVIO: *λατρεύω*, id eſt *latria colo*, & adoro. PATRI ET DEO: *πατρῴῳ θεῷ*, *Patrio Deo*, quem ſcilicet mei, & Iudæorum patres coluerunt.

V. 15. SPEM HABENS, &c. id eſt, ſperans fore reſurrectionem mortuorum, quam & ipſi ſperant.

V. 16. SINE OFFENDICULO: inoffenſam, & puram. AD DEUM, & AD HOMINES: ut nec homines, nec Deus cordium ſcrutator eam culpare poſſint.

V. 17. ELEEMOSYNAS FACTURUS; quaſi dicat: Adeo non ſum ſeditioſus, ut beneficentiæ, & eleemoſynæ cauſa faciendæ genti meæ, tantum iter Ieroſolymam ſuſceperim. Vide II. ad Corinth. cap. VIII. & IX. OBLATIONES: in templo offerendas, ex quo probat ſe templi, & legis eſſe cultorem.

V. 18. IN QUIBUS: negotiis, vel operibus. PURIFICATUM IN TEMPLO: de hac purificatione ſupra cap. XXI. 26. NON CUM

TUR-

TURBA: non cientem turbas, aut tumultum ſacientem.

V. 19. QUIDAM AUTEM EX ASIA IUDAEI, &c. quaſi dicat: Accuſatores mei concitarunt tumultum non ego: illos ergo hie ſiſtere oporteret, iudicare, & punire, non me, qui iniuriam paſſus ſum, & plagas pene lethiferas accepi.

V. 20. CUM STEM IN CONCILIO, id eſt in hoc iudicio, cui tu præes. In Græco eſt, *ςάντος*, quod cum ſit aoriſti, verti poteſt, *cum ſteti*, aut, *cum ſtarem*, ſcilicet in concilio Ieroſolymitano, in quo Sadducæi contra Paulum, Phariſæi pro illo pugnarunt, quæ explicatio melius cohæret cum ſequentibus.

V. 21. NISI DE UNA HAC VOCE, &c. quaſi dicat: Niſi forte me damnari volunt propterea quod in eo concilio dixi, *Quoniam de reſurrectione*, &c.

V. 22. DISTULIT ILLOS FELIX, in aliud tempus iudicium differens. CERTISSIME SCIENS DE VIA HAC: cum probe eſſet edoctus Chriſtianorum inſtitutum nihil continere, quod primariis, & præcipuis legis Moſis capitibus, & ſcripturarum præceptis, & documentis adverſaretur.

V. 23. HABERE REQUIEM: *ἄνεσιν*, *relaxationem*, id eſt laxius haberi, & mitius tractari.

V. 44. CUM DRUSILLA UXORE: quæ erat filia Herodis Agrippæ, qui ſanctum petrum in carcerem coniecit ſupra cap. XII. I.

V. 25. TREMEFACTUS FELIX: efficacitate ſermonis Pauli, & peccatorum ſuorum conſcientia. QUOD NUNC ATTINET: in præſentia. Ital. dicimus, *Per adeſſo*.

V. 26. SPERANS QUOD PECUNIA EI DARETUR. Videtur in hanc ſpem inductus, quod proxime audierat a Paulo eleemoſynas allatas ab ipſo in Ieruſalem, & quod ſciret Apoſtolum Chriſtianis admodum charum eſſe, ut pro illo liberando nullo ſumptui parcerent. PROPTER QUOD ET FREQUENTER ACCERSENS EUM, &c. Frequenter illum accerſebat, & alloquebatur, ſperans Paulum de captivitate, pecunia ſolvenda mentionem illaturum.

V. 27. BIENNIO AUTEM EXPLETO: vel a captivitate Pauli; vel a Neronis imperio; vel ab inchoata Felicis præfectura in Iudæa. Hæ tres explicationes ſuos habent auctores, & ſuas coniecturas, quibus nitantur. GRATIAM PRAESTARE: rem gratam facere.

TIRINI.

Verſ. I. TErtullus ex nomine videtur Italus fuiſſe. Præſides enim provinciarum ſolebant ex Italia procuratores & advocatos ſecum adducere, ut cauſas in provinciis latine coram ſe agerent. Talis *orator*, ſeu advocatus etiam fuit poſtea *Tertullianus a*, nomen a *Tertullo* mutuatus; ſed ubi Chriſto nomen dedit, vale fecit foro.

V. 3. SEMPER ET UBIQUE SUSCIPIMUS; Clarius & Tigurini, *comprobamus*; alii, *complectimur*, ſupple, officia & obſequia tua. Hic Felix *AEgyptium* pſeudoprophetam cum factioſis ſuis de quibus ſupra *b*, armis compreſſerat: & ſic Iudæos magno metu liberarat. Sed viciſſim valde ipſis nocuerat, cum *Ionatham* pontificem Annæ filium, quod liberius ab illo increparetur, per ſicarios interſecit, promiſſis illis etiam in alios Iudæos impune graſſari, inquit Ioſephus? Verum Tertullus, ut ſolent rabulæ forenſes, callide ſubticet quod cauſæ ſuæ non futurum ſciebat. In innocentem vero Paulum ea crimina coniicit, quæ erant ipſorummer Iudæorum. Hi enim erant *peſtes* orbis; hi *ſeditiones* in omnibus provinciis *d* contra Paulum concitarant: hi *auctores* erant *ſectionis*, ſeu ſchiſmatis popularium ſuorum de Chriſto ſuo: hi templum violarant, violentas inibi manus iniicientes *e* in Paulum, & tantum non occidentes: mentitur enim cum verſ. *6.* ait Iudæos voluiſſe ſolum *iudicare* illum, ſeu cauſam eius cognoſcere: nam ne quidem audire ſuſtinuerunt *f* pro ſe dicentem, ſed omnibus viis occidere voluerunt *g*. Illud vero quam abſurdum, quod *auctorem ſeditionis ſectæ* verſ. 5. id eſt ſectæ ſeditioſiſſimæ, *Nazarenorum*, ſeu Chriſtianorum, dicit fuiſſe Paulum, cum conſtaret toti orbi, id ipſi Chriſto tribuendum: niſi velis, Græcum verbum *πρωτοστάτην*, non *auctorem* proprie dictum, ſed *anteſignanum*, deſignare, & quaſi primum in acie ſtantem: talis enim vere erat Paulus in acie Chriſti, inter primos fidem & religionem eius propugnans.

V. 10.

V. 10. Respondit autem Paulus, non per advocatum, qui reis dari iubetur, ſed ore proprio, confiſus Deo & æquitati cauſæ ſuæ: multis annis te iudicem esse genti huic *h* terræ Paleſtinæ sciens bono, alacri, ſecuro animo pro me satisfaciam. Cum enim nullas umquam de me querelas audieris, facile colliges me nec *ſeditioſum*, nec *peſtiferum* antehac fuiſſe, ut iſti proclamant. Sed neque recens conflare potui tanta crimina, cum

V. 11. Non plus quam duodecim dies mihi sint, ex quo ascendi adorare, ſeu ſacrificare *i* in Ierusalem, e quibus facile novem dies in vinculis exegi; ut etſi voluiſſem, tam exiguo tempore non potuiſſem advena, peregrinus & incomitatus ſeditionem vel tumultum concitare. Hoc unum fateor:

V. 14. Quod secundum sectam; Græce, κατ' ὁδὸν, id eſt ixxta viam, ſeu inſtitutum, normamque vivendi Chriſtianorum, quam ipsi dicunt haeresim, deſerviam Patri, tamquam obediens filius, et Deo, tamquam fidelis ſervus; Græce, *patrio Deo*, non novo vel inventitio, ſed ab omni tempore a patribus noſtris culto, & a lege ac Prophetis præſcripto: ita Syrus, Oecumen. Tigurini & alii paſſim. Tantum vero abeſt ſim ſeditioſus, ut collectas in Aſia

V. 17. Eleemosynas ingentem meam facturus venerim Ieroſolymam, et oblationes quas Deo vovi, idque non niſi post plures annos, nempe 24. a converſione mea ad Chriſtum k: (etſi interea amicos ſubinde *l* reviſerim, ſed curſim & raro,) neque umquam cum ſtrepitu vel tumultu. Et qua fronte audent dicere, me hoc ultimo adventu templum violaſſe?

V. 18. Invenerunt enim ipſimet me purificatum in templo *m*. An hoc eſt templum violaſſe?

V. 19. Quidam ex Asia Iudaei, ſupple, tumultum qui Ieroſolymis fuit, excitarunt, non ego: ita Syrus & Vatablus: quos oportebat hic apud te praesto esse, ut si quid cauſæ haberent ita adversum me inſurgendi, ipſi depromant, vel talionis lege puniantur.

V. 22. Distulit illos Felix, reiecta ſententia in aliud tempus; certissime sciens quidem de via hac, puta de inſtituto chriſtianiſmi & moribus Pauli: quomodo enim latere hæc poſſent prudentem & expertum tot annorum præſidem, pa te utraque audita, & veritate rei geſtæ ex litteris tribuni ſat ſuperque cognita? unde iure merito debebat Paulum abſolvere & miſſum facere. Sed metus offendendi pontifices, & ſpes pecuniæ *n* a Paulo emungendæ, ſuaſit rem differre. Interim

V. 23. Iussit habere requiem; Græce, ἄνεσιν, id eſt *relaxationem*, id eſt laxius & mitius haberi in cuſtodia.

V. 24. Drusilla filia erat Herodis Agrippæ ſenioris *o*, qui Iacobum occidit: & ſoror Agrippæ iunioris *p*, qui una cum Tito Ieroſolymam obſedit: neptis Antonii & Cleopatræ, ex horum filia *Cypride*, uxore Agrippæ, inquit ex Ioſepho & Tacito Mariana *q*. Nomen *Druſillæ* ſortita videtur a *Druſo* patre Claudii, qui Agrippæ amantiſſimus fuit, vel a Livia *Druſilla* uxore Auguſti & matre *Druſi*.

V. 25. Disputante, ſeu perorante, Paulo coram Felice & Druſilla de iustitia, de castitate, de iudicio futuro, tremefactus eſt Felix. Quid mirum? Felix enim per omnem ſævitiam ac libidinem ius regium ſervili ingenio exercebat, cuncta maleficia ſibi impune licere ratus, inquit Tacitus *r*. Druſillam vere nuptam Azizo Emeſæ regi, ob eximiam pulchritudinem, opera magi cuiuſdam, ad ſuum thorum pellexerat, inquit Ioſephus *ſ*. Et quid non audeat in plebeios ac ſubditos, qui externi & potentis regis thalamo non pepercit? Erat quidem periculi plenum negotium coniuges hos de adulterio reprehendere, neque latebat Paulum, hac via Ioannem Baptiſtam, dum propatruum huius eiuſdem Druſillæ Herodem Antipam de ſimili flagitio argueret, mortem ſibi acceſſiviſſe: ſed maior erat animus Pauli, quam ut metu mortis ab oportuna commonitione deterretur: & martyrium non horrebat, ſed extreme ambiebat. Verum tyranno huic non iram acuit libera hæc reprehenſio, ſed timorem ac tremorem: ad pœnitentiam tamen non pertraxit. Quin potius in gratiam Iudæorum, quibus alioquin exoſum ſe norat, Paulum in vinculis reliquit. Sed impius gratiam illorum nanciſci non potuit. Nam ab iiſdem Romam

ac-

accuſatus, ad Neronem vinctus miſſus eſt a Feſto ſucceſſore, dediſſetque omnino pœnas, niſi Pallantis fratris ſui precibus illum Nero donaſſet, inquit idem Ioſephus (t).

(a) Tertull. de Pallio cap. V.
(b) Actor. XXI. 38.
(c) Ioſeph. Lib. XX. Antiq. cap. V. & VI.
(d) Act. IV. 23. XIII. 50. XIV. 5. XVIII. 12. XXI. 30.
(e) Act. XXI. 29.
(f) Act. XXIII. 2.
(g) Ibid. verſ. 12. &c.
(h) Act. XXIII. 26.
(i) Ioan. IV. 20.
(k) Chron. cap. ult. anno 5. & 26. a morte Chriſti.
(l) Act. IX. 26. XIV. 4. XVIII. 21.
(m) Act. XXI. 26.
(n) Hic verſ. 17.
(o) Act. XII. 1.
(p) Act. XXV. 13.
(q) Ioſeph. Lib. II. Belli cap. X. Tacit Lib. V. Hiſt. Mariana in Act. XXV. 13.
(r) Tacit. Lib. XXI. annal. &. Lib. V. Hiſtoriæ.
(ſ) Ioſeph. ſup. cap. V.
(t) Ioſeph. ſup. cap. VII. & XII.

GORDONI.

Verſ. 1. EXactis quinque diebus a Pauli adventu venit Cæſaream Ananias, de quo capite XXIII. 2. ſimul cum Tertullo Oratore in Paulum dicturo, & gnaro linguæ Latinæ, quam ignorabat Ananias.

V. 2. & 3. CITATO. Citari ſolebat reus: nec enim damnari homo debet indicta cauſa. SUSCIPIMUS, approbamus, & magnificamus tuam providentiam: reticentiam habet, ut fit in gratiarum actione. Addit titulum optimi, ſeu præſtantiſſimi, non inſuetum Præſidibus; & alia, ut compleat orationem adulatoriam. Italus putatur hic Tertullus, quamvis (quod proprium & familiare eſt patrono iuris) cauſam Clientis ſuam eſſe dicat. In multis hic forenſis rabula mentitur, & profert accuſatores Iudæos pro teſtibus.

V. 10. RESPONDIT AUTEM PAULUS. Quod hic ait Paulus a multis annis, explicari poteſt ab hanno Chriſti 52. ut dixi in Chron. ibidem. Profert pro ſe Paulus temporis brevitatem, ex quo eſt Ieroſolymis: item falſa eſſe quæ de ſeditione proferuntur, & alia quæ evincunt ipſum eſſe innocentem. Profitetur vero Paulus ſe Phariſæorum eſſe, quantum patitur Chriſtiana religio.

V. 24. De hac Druſilla Felicis uxore & ſorore iunioris Agrippæ, lege Tacitum Lib. II. filia proinde ſenioris Agrippæ, qui Petrum coniecit in carcerem, de quo ſupra cap. XII.

V. 27. BIENNIO EXPLETO. Hoc biennium a variis varie explicatur. Mihi eſt exactum biennium ab inchoato imperio Neronis, quaſi inde ſumpta Epocha. Explicari etiam poſſet de biennio ex quo Felix præeſt Iudææ, niſi forte obſtet quod ait Paulus verſu decimo præfuiſſe multis annis. Fateor rem eſſe utcumque dubiam. Interim revocatus Felix reliquit Feſto vinctum Paulum, ut gratiam præſtaret Iudæis.

Digitized by Google

C A P U T XXV.

Feſtus non obſequitur Iudæis inſidioſe petentibus ut Paulus Ieroſolymam ducatur : ſed Cæſareæ audit eius accuſatores & Pauli reſponſionem : qui a Feſto requiſitus an vellet de his iudicari Ieroſolymis, appellat Cæſarem : Feſtus cauſam regi Agrippæ indicat, qui ipſum audire cupit, poſteroque die iubente Feſto adducitur coram Agrippa & Bernice.

1. Feſtus ergo cum veniſſet in provinciam, poſt triduum aſcendit Ieroſolymam a Cæſarea. 2. Adieruntque eum principes ſacerdotum, & primi Iudæorum, adverſus Paulum: & rogabant eum, 3. poſtulantes gratiam adverſus eum, ut iuberet perduci eum in Ieruſalem, inſidias tendentes ut interficerent eum in via. 4. Feſtus autem reſpondit, ſervari Paulum in Cæſarea: ſe autem maturius profecturum. 5. Qui ergo in vobis (ait) potentes ſunt, deſcendentes ſimul, ſi quod eſt in vero crimen, accuſent eum. 6. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo, aut decem, deſcendit Cæſaream, & altera die ſedit pro tribunali, & iuſſit Paulum adduci. 7. Qui cum perductus eſſet, circumſteterunt eum, qui ab Ieroſolyma deſcenderant Iudæi, multas & graves cauſas obiicientes, quas non poterant probare, 8. Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæſarem quidquam peccavi. 9. Feſtus autem volens gratiam præſtare Iudæis, reſpondens Paulo, dixit: Vis Ieroſolymam aſcendere, & ibi de his iudicari apud me? 10. Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari: Iudæis non nocui, ſicut tu melius noſti. 11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori: ſi vero nihil eſt eorum, quæ hi accuſant me, nemo poteſt me illis donare. Cæſarem appello. 12. Tunc Feſtus cum concilio locutus, reſpondit: Cæſarem appellaſti? ad Cæſarem ibis. 13. Et cum dies aliquot tranſacti eſſent, Agrippa rex & Bernice deſcenderunt Cæſaream ad ſalutandum Feſtum. 14. Et cum dies plures ibi demorarentur, Feſtus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam eſt derelictus a Felice vinctus, 15. de quo cum eſſem Ieroſolymis, adierunt me principes ſacerdotum, & ſeniores Iudæorum, poſtulantes adverſus illum damnationem. 16. Ad quos reſpondi: * Quia non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. 17. Cum ergo huc conveniſſent ſine ulla dilatione, ſequenti die ſedens pro tribunali, iuſſi adduci virum. 18. De quo, cum ſtetiſſent accuſatores, nullam cauſam deferebant, de quibus ego ſuſpicabar malum: 19. Quæſtiones vero quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant adverſus eum, & de quodam Ieſu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. 20. Hæſitans autem ego de huiuſmodi quæſtione, dicebam ſi vellet ire Ieroſolymam, & ibi iudicari de iſtis. 21. Paulo autem appellante ut ſervaretur ad Auguſti cognitionem, iuſſi ſervari eum, donec mittam eum ad Cæſarem. 22. Agrippa autem dixit ad Feſtum: Volebam & ipſe hominem audire. Cras, inquit, audies eum. 23. Altera autem die, cum veniſſet Agrippa, & Bernice, cum multa ambitione, & introiſſent in audito-

rium cum tribunis, & viris principalibus civitatis, iubente Feſto, adductus eſt Paulus. 24. Et dicit Feſtus: Agrippa rex, & omnes, qui ſimul adeſtis nobiſcum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellavit me Ieroſolymis, petentes & acclamantes non oportere eum vivere amplius. 25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Ipſo autem hoc appellante ad Auguſtum, iudicavi mittere. 26. De quo quid certum ſcribam domino non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maxime ad te rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid ſcribam. 27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & cauſas eius non ſignificare.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 16. Quia non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam. Alii libri ſcribunt *donare*, quod eſt, largiri, quo modo & Græce legitur χαρίζεσθαι: ſed quia Græce additur εἰς ἀπώλειαν, in interitum ſive perditionem, Interpres, *donare ad perditionem*, intelligitur interpretatus *damnare*, ſeu condemnare, prout Patres correxerunt.

Notationes.

Verſ. 6. 7. 8. QUem & (*etiam* 1. MS.) *apprehenſum voluimus ſecundum legem noſtram iudicare. Superveniens autem Tribunus Lyſias cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris, iubens accuſatores eius ad te venire. A quo poteris ipſe iudicans de omnibus iſtis cognoſcere, &c.* Duo eorum Latinorum manuſcriptorum, quibus Pariſienſes ſunt uſi, Di. I. Ge. I. *Quem apprehendimus, a quo poteris*, legunt, & quæ intermedia ſunt tollunt. Suſtulerunt eadem Latinus pervetuſtus codex quem exhibuit, enarratori cuidam Conſtantia, & Græca exemplaria, quæ illa conſuluit, uno dempto, in cuius ſpatio marginali minutiſſimis formulis adſcripta fuerant. Quidam etiam Latini Bedæ codices hæc ipſa tranſfixerunt: *Quem & apprehendimus; a quo poteris* legit Beda. Verum habita ea fuiſſe in Græco, & Latinis aliis teſtatur. Pariſienſes nulli Græcorum ſuorum exemplarium deeſſe ſignarunt. Nos in omnibus quos vidimus & Latinis, & Græcis libris ea invenimus; quin & apud Syros, & Græcos interpretes Chryſoſtomum, Theophylactum, atque Oecumenium reperimus. Chryſoſtomus diſerte explicat. Porro non paucas eorum quibus hæc leguntur tum Græcorum, tum Latinorum obſervavimus varietates. Septem noſtra Latina manuſcripta legunt *volumus* pro *voluimus*; quatuor habent: *Quem apprehendimus, & volebamus eum iudicare ſecundum Legem noſtram. Superveniens autem cum vi magna Lyſias Tribunus eripuit eum de manibus noſtris*; unum: *Quem & apprehendimus, & volebamus ſecundum legem noſtram iudicare. Superveniens autem Tribunus Lyſias cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris.* Notat quidam, quoſdam codices habuiſſe pro *ſuperveniens*, *intercedens*, id quod ex altera eſt verſione Græcæ vocis, παρελθών. Græce eſt: ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν παρελθὼν δὲ Λυσίας ὁ χιλίαρχος μετὰ πολλῆς βίας ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀπήγαγεν. *Quem & apprehendimus, & ſecundum noſtram legem voluimus iudicare. Superveniens autem Lyſias Tribunus cum multa vi ex manibus noſtris eripuit.* Theophylacti textus, & Complutenſis editio habent κρῖναι pro κρίνειν; Complutenſis editio, βίᾳ πολλῇ pro μετὰ πολλῆς βίας: 3. Complutenſis editio, & quæ eam ſequuntur octavuſque Pariſienſium codex, ἀφείλετο pro ἀπήγαγεν ſive ut in aliis eſt, ἀπήγαγε habent: adduntque dein, Syrico textu concinente, quod alii libri non agnoſcunt: καὶ πρός σε ἀπέστειλε, *& ad te miſit*; Actor. XXIII. verſ. 30. id quod ex Lyſiæ ad Felicem epiſtola acceptum videri poſſit, ex qua totum quidam ſumptum eſſe coniectat. Sequitur in Complutenſi, & quæ ex ea ſunt editionibus κελεύσας καὶ, *iubens quoque*, Syrico & hac in parte reſpondente. Alia antigrapha κελεύσας dumtaxat, vel κελεύσων, ut nos Latine ſcribunt: perguntque τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι ἐπὶ σε: ἐπί σε, pro quo Theophylactus habet ἐπὶ σοῦ, iterum diſſonæ Hiſpanorum editiones tollunt contra Syricum textum. In fine Græcum Pariſienſium exemplar; ια ſignatum pro παρ᾽ οὗ. παρ᾽ ὧν; noſtrum Latinum ſcriptum G. notatum, pro *a quo*, *a quibus* legunt. Quæ omnes varietates loci veritatem in dubium poſſint vocare.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. PROVINCIAM, ſcilicet Iudæam.
V. 3. GRATIAM, id eſt favorem.

V. 4. MATURIUS, id eſt celeriter, ſeu brevi. Græc. *ἐν τάχει*.

V. 5. POTENTES: vulgo, *Valenti uomini*.

V. 6. ALTERA, id eſt ſequenti: ſic inf.

V. 11. QUAE HI; pro, de quibus hi.

V. 12. CONSILIO. Syr. *conſiliariis ſuis*.

V. 13. BERNICE, ſcilicet eius ſoror. AD SALUTANDUM FESTUM. Syr. *ad poſtulandam pacem Feſti*, ſcilicet ſic appellatur Hebr. & Syr. ſalutatio.

V. 16. DAMNARE, ſcilicet interficiendum.

V. 18. CAUSAM, id eſt crimen. Syr. *culpam flagitioſam*. MALUM, non eſt Græc.

V. 19. SUPERSTITIONE. Sic vocat Iudæorum religionem.

V. 20. HAESITANS, &c. quaſi dicat, Cum non ſatis intelligerem earum quæſtionum momenta.

V. 22. VOLEBAM; pro, vellem.

V. 23. AMBITIONE, id eſt apparatu, ſeu oſtentatione, Græc. *φαντασίας*.

V. 24. INTERPELLAVIT, id eſt convenit.

V. 25. HOC; pro, eo, quamquam ſi non legatur (abundat enim) facilior eſt lectio.

V. 26. INTERROGATIONE, id eſt examinatione.

V. 27. SINE RATIONE; quaſi dicat, Stultum; ſeu irrationabile, *ἄλογον* Græc. CAUSAS, id eſt crimina.

ESTII.

Verſ. 10. AD TRIBUNAL CAESARIS STO, IBI ME OPORTET IUDICARI. Hoc dicit Paulus quia civis Romanus erat, id eſt privilegium habens civitatis Romanæ; huiuſmodi autem periclitantes ad Cæſarem appellare poterant. Hinc diſcimus non pertinere ad fortitudinem Chriſtianam, ſed potius eſſe inſanæ temeritatis, ſemet zelo quodam imprudenti in mortem præcipitare, aut etiam ubi patet via vel occaſio evadendi, eam non arripere; id quod Paulum ubique feciſſe legimus: nam Damaſci fuga evaſit, Philippis & Ieroſolymis ſe civem Romanum profitetur, Cæſareæ ad Cæſarem appellat, Romæ etiam apud Neronem primo & ſecundo cauſam ſuam egit, quam vocat defenſionem: atque huiuſmodi præſidiis non ſolum poteſt, ſed & debet uti Chriſtianus, tum ad vitæ ſuæ defenſionem, ad quam tenetur, tum ad avertendum in aliis homicidium. At dices: Nemo alius martyrum legitur appellaſſe a ſententia iudicis contra ſe lata aut ferenda. Reſp. non omnia eſſe ſcripta; & in præſenti facto multa concurrere, propter quæ omnino debuerit Paulus appellare; quia civis Romanus, quia Romæ ſe teſtificaturum ex revelatione didicerat, quia debebat adhuc gentibus prædicare, quarum erat doctor. Item ſciebat deferendum eſſe ſuæ appellationi. Quod ſi alii martyres appellaſſent, nec tamen fuiſſet delatum; viſi fuiſſent non libenter mortem pro Chriſto oppetere. Chriſtus quoque non appellavit; quia nec civis Romanus erat, nec facere quidquam debuit in iudicio, nec dicere, ex quo videretur haud voluntarie pati. Forte S. Chryſogonus & alii quidam nobiles, aut Romani cives, appellarunt ad Cæſarem. Hinc etiam liquet quod liceat appellare nondum audita inferioris iudicis ſententia; quando videlicet iudex ſuſpectus eſt aliquo modo. Non repugnat autem huic Apoſtoli defenſioni ad Rom. XII. *Non voſmetipſos defendentes*; ibi enim vindicta prohibetur, non defenſio legitima; eſt enim Græce, *vindicantes*. Unde & ſequitur: *Scriptum eſt enim; mihi vindictam*. Nec illud repugnat I. Corinth. VI. *Iam omnino delictum eſt quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis?* ibi enim ſignificat lites plerumque non ſuſcipi & produci ſine peccato propter odia & acerbitates animorum, quæ intercedunt, etiamſi iuſtam quis cauſam foveat; ideoque in rebus minutis ſatius eſt eas dimittere, quam temporis iacturam facere; hic au-

tem Paulus de vita periclitabatur, quæ toti Eccleſiæ adhuc multum erat neceſſaria; & revelationem acceperat a Domino, quod & Romæ oporteret eum teſtificari; ideoque appellandi Romam occaſionem hanc arripuit, tamquam oblatam ad perficiendum quod Deus prædixerat. Vide comment. I. Corinth. VI. Nec fecit Paulus contra illud: *Audet aliquis veſtrum iudicari apud infideles, & non potius apud ſanctos?* hoc enim locum habet cum ambo litigantes Chriſtiani ſunt; qui proinde in iudicem vel arbitrum aliquem Chriſtianum conſentire & compromittere poſſunt & debent. At Paulo negotium erat contra Iudæos incredulos, qui Chriſtianos inſenſe oderant, & Chriſtianam religionem ex profeſſo impugnabant; tantum abeſt, ut Chriſtianum iudicem admiſſuri eſſent. Unde Paulus neceſſitate compulſus ad Cæſarem appellavit; qui etſi etiam religioni Chriſtianæ tunc fuiſſet parum æquus; poterat tamen ab eo, tamquam neutrali, ſperari rectum iudicium de eo quod Iudæi Paulo intentabant; nempe utrum in templum & legem peccaſſet. Item huiuſmodi exemplis oſtenditur, etiam recte feciſſe P. Ignatium, quando ſuam & ſuorum ſociorum innocentiam calumniis improborum quorumdam impetitam, voluit adverſus eos, & ad totius ſocietatis honorem & Eccleſiæ utilitatem publicis teſtimoniis eſſe comprobatam; neque ceſſavit uſque dum & pro ſe ac ſuis a iudice lata eſſet ſententia, & rei geſtæ publicum in ſcripto obtineret inſtrumentum; quod exſtat in vita eius per Ribadeneira, Lib. II. cap. XIV. Quæres quomodo ex eo quod Paulus ait: *Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari*; & rurſum, *Cæſarem appello*, non ſit conſequens ad iudices laicos pertinere iudicium de controverſiis religionis? Reſp. Dictum id eſt ratione perſonæ, non cauſæ; erat enim Paulus civis Romanus. Nam quod ad cauſam attinet, ſubterſugere non poterat, quin vel Romæ iudicaretur a Cæſare, vel Ieroſolymis apud ſuos adverſarios; elegit itaque id in quo minus erat periculi, quamquam & ratione cauſæ potuit aliquo modo iudicari apud Cæſarem: accuſabatur enim Paulus velut ſeditioſus, & plebem commovens contra Cæſarem, quaſi alium regem prædicaret; cuius rei cognitio ad Cæſarem ſpectabat. Unde & ſupra hoc eodem cap. crimen hoc depellit a ſe dicens: *Quoniam neque in regem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæſarem peccavi*. Item apud quemcumque iudicem, etiam incompetentem, iniuſtum & infidelem, licet cuique ſe & cauſam ſuam iuſta ratione defendere; quando iudicium declinare non poteſt, ſicut etiam apud privatos homines recte quis ſe purgat, negando, vel cauſam reddendo facti ſui; ſi fuerit apud eos inſimulatus alicuius criminis. Per hoc enim non agnoſcit in eis poteſtatem publicam; ſed ſolum iudicandi rationalem facultatem. Item appellat ad Cæſarem ut ab eo abſolvatur tamquam innocens, dum non probatur nocens.

IUDAEIS NON NOCUI, SICUT TU MELIUS NOSTI. Græce: *Iudæis nihil iniuriatus ſum ſicut & tu melius noſti*. Quare dicit: *Melius*, non comparatione Pauli, ſed Iudæorum fortaſſe, qui malitia excæcati nolebant videre Pauli innocentiam.

V. 13. AGRIPPA REX ET BERNICE DESCENDERUNT CAESAREAM AD SALUTANDUM FESTUM. Hic Agrippa filius fuit Herodis, quem Angelus Domini percuſſit, ſupra cap. XII. Bernice ſecundum quoſdam ſoror eius fuit, ſecundum alios uxor, quod & tradit Lyranus ex Ioſepho. Qui viri nomen eſſe dicunt, refellantur ex Græco. Auctor interpretationis nominum propriorum Scripturæ interpretatur gravem victoriam, vel pondus victoriæ; nimirum ex græcis vocabulis βάρος & νίκη. Equidem magis crediderim compoſitum eſſe ex Hebræo ſeu potius Syriaco *Ber* & Græco νίκη, & ſignificari filiam victoriæ. Nomen idem eſt cum *Veronica*, ſeu potius Beronica, o littera interpoſita, euphoniæ cauſa. Hinc & viri nomen Beronicianus in actis Synodi Chalcedonenſis.

V. 19. QUAESTIONES VERO QUASDAM DE SUA SUPERSTITIONE HABEBANT ADVERSUS EUM. Græce περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας, quidam in bonum interpretantur; *de ſua ipſorum religione*. At non eſt neceſſe; ſed poteſt generatim intelligi, ut ſit vox media. Vide Lexicon Græcum & Annot. ſupra cap. XVII.

MA-

by Google

M A R I A N AE.

Verſ. I. POSTULANTES GRATIAM: ſupple, *ab eo*, ut Syr. ſcilicet a Præſide contra Paulum.

V. 5. QUI ..... POTENTES SUNT, ſcilicet ad accuſandum. Accuſant illi, Paulus appellat Cæſarem.

V. 10. IBI ME OPORTET IUDICARI: aut *ubi*, ut Græce eſt, & Lovan. legunt.

V. 11. NIHIL EST EORUM, QUAE HI ACCUSANT ME; pro, in me. Eſtque conſtructio inverſa: ſic ordinat Syr. *Nihil eſt in me eorum quæ hi accuſant*.

V. 12. CUM CONCILIO, ſive *concilio*, ſive ut Syr. *collocutus eſt cum conſultoribus ſuis, & ait*.

V. 13. AGRIPPA REX ET BERNICE. *Agrippa* hic filius Herodis fuit, eius quem Angelus occidit, cap. XII. 21. Is ex uxore Cypride Agrippam hunc, Berenicem, Mariamnem & Druſillam reliquit: Ioſephus II. de Bello Iud. cap. x. de quibus ſingulis dicendum eſt. *Agrippa*, cum mortuus eſt pater, puer erat Romæ, & a Claudio Rex Chalcidis eſt factus, deinde Philippi tetrarchia & Trachonitidis eſt adiecta, ſed regio nomine. Iudæa ſub Præſidibus manſit. Druſilla prius Azizo nupſit Regi Emeſenorum: deinde ab hoc repudiata, Felici Præſidi, de quo deinde. Ex Mariamne & Archelao Chalciæ filio nata eſt Berenice, uxor avunculi Agrippæ. Berenice Agrippæ ſoror poſt obitum Herodis patrui, cui nupſerat, ſuſpecta quaſi cum fratre Agrippa turpiter ageret, Polemoni Ciliciæ Regi prius circumciſo nupſit, ditiſſimæ feminæ opum avido. Hanc credam a Tito adamatam (de quo Svetonius & Tacitus) non Berenicem iuniorem. Verba Taciti ſubiicio Lib. XVIII. *Nec minore animo Regina Berenice partes iuvabat florens ætate formaque, & ſeni quoque Veſpaſiano magnificentia numerum grata*. Porro Cypris huius mater, uxor Herodis Agrippæ, M. Antonii & Cleopatræ filia fuit, quando Tacitus Lib. XXI. Druſillam eius filiam eorum neptem facit. Hic *Agrippa* vocatur etiam *Herodes*, ab Hebræis *Agrippina*, ad diſtinctionem patris, quem Lucas *Herodem* vocat, ipſi & Ioſephus *Agrippam*. De *Felice* Præſide addendum ex Ioſepho Lib. XX. cap. v. fuit Pallantis frater, eius qui Claudii libertus effecit, ut Agrippina Claudio patruo nuberet, novo prorſus exemplo. Pallantis gratia fratrem extulit, quamvis peſſimo ingenio. De quo Tacitus Libro XXI. *Claudius*, ait, *defunctis regibus* (nempe Iudææ) *aut ad modicum redactis, Iudæam Provinciam equitibus Romanis, aut libertis permiſit. E quibus Antonius Felix per omnem ſævitiam ac libidinem ius regium ſervili ingenio exercuit*. Hactenus Tacitus. Eum ergo ut fratris gratia evexit, ſic ea ſeneſcente, Nerone Imperatore Agrippinæ minori potentia decidit. Felicem Pallantis fratrem Seneca in Ludo facit: & a Claudio Auguſto utrumque occiſum indicat. De Portio Feſto ſucceſſore nil erat quod dicam, niſi quod eius, Albini & Flori, qui deinceps fuerunt Iudææ Præſides, pravis actionibus coacti Iudæi ſunt arma ſumere, unde urbis Ieroſolymæ & templi excidium. De quo Ioſephus libro ſecundo de Bello Iudaic. cap. XVI.

V. 14. VIR QUIDAM EST DERELICTUS; pro, *relictus a Felice*, ut Gotth.

V. 16. DAMNARE. Græc. *donare aliquem hominem in perditionem*, ut eſt etiam Syr. Dono tradere aliquem interficiendum.

V. 23. CUM MULTA AMBITIONE, *μετὰ πολλῆς φαντασίας*, *cum multo faſtu*. Suidas, φαντάζεσθαι παλαιοὶ ἐπὶ τὸ φύσει ἔλεγον; pro, *apparare & apparatu*. Herodotus in Polymnia: Θεὸς οὐδ' ἐᾷ φαντάζεσθαι, *non ſinit Deus ſuperbire*. Quod Lucas hic dixit μετὰ πολλῆς φαντασίας, Machab. IX. 37. dicitur μετὰ πολλῆς παραπομπῆς, *cum multa pompa*: ibi etiam noſter Interpres, *cum multa ambitione* dixit, id eſt faſtu, apparatu, oſtentatione.

V. 24. INTERPELLAVIT, ſeu *compellavit*, ſeu *appellavit* me Iudæorum multitudo. ACCLAMANTES, ſeu *clamantes*, ἐπιβοῶντες, non oportere Paulum vivere.

V. 25. HOC APPELLANTE AD AUGUSTUM. Non eſt bona conſtructio: ſic ego diſtinguerem: *Appellante hoc, ad Auguſtum iudicavi mittere*, ſcilicet eum. Mittere tamen &

V. 27. CAUSAS EIUS NON SIGNIFICARE non decet, ſeu *cauſam*, ut Gotth. & *cau-*

ſam

ſam pro *delicto*, ut ſumit Syr. *ἀιτία* id etiam ſignificat.

MENOCHII.

Verſ. 3. POSTULANTES GRATIAM: ut ſcilicet Paulus Cæſarea remitteretur Ieroſolymam.

V. 4. SERVARI PAULUM IN CAESAREA. Reiecit Feſtus Iudæorum poſtulatum, quod fortaſſe aliquid de inſidiis eorum cognoviſſet, vel quod tribunal Præſidis eſſet Cæſareæ, quo ipſe properabat. SERVARI: ut ſervaretur, ut etiam aliqui vertunt. MATURIUS, id eſt celeriter, ſeu brevi, *ἐν τάχει*.

V. 5. POTENTES SUNT: qui ſine ſuo, ac rerum ſuarum detrimento venire poſſunt. Vel, qui potentes ſunt lingua, dicendi facultate pollentes.

V. 7. MULTAS, ET GRAVES CAUSAS: *αἰτιώματα*, *crimina*, *criminationes*. Quænam ea fuerint docebit Pauli reſponſio.

V. 8. NEQUE IN CAESAREM: ut ſeditioſus.

V. 10. AD TRIBUNAL CAESARIS STO; quaſi dicat: Cæſar ſuum tribunal, quod tu nunc eius vice occupas, o Feſte, habet hic Cæſareæ, quaſi in Metropoli Provinciæ, hic me iudicari oportet, non Ieroſolymis.

V. 11. ME ILLIS DONARE: ut pro ſuo arbitratu in me ſæviant. Tacite perſtringit Præſidem, quod nimis Iudæis gratificandi ſtudioſus, velit Paulum iudicare Ieroſolymis; hoc enim erat Iudæis tradere, qui meditabantur contra illum inſidias in itinere collocare. CAESAREM APPELLO. Ad Cæſarem Paulus provocat, quia Præſidem in Iudæos propenſum animadvertebat. Præterea quia a Deo oraculum acceperat, ſupra cap. XXIII. II. ſe Romæ Evangelizaturum; huius ergo occaſionem commodam captat, appellando Cæſarem: ſciens id Deum velle, ideoque ipſi appellationis huius ſucceſſum, curæ, & cordi fore.

V. 12. CUM CONSILIO LOCUTUS; ſcilicet, cum ſuis conſiliariis. AD CAESAREM IBIS. Hoc fuit conſiliariorum Præſidis reſponſum, quod commodum viſum eſt, tum ut aliqua ratione ſatisfaceret Iudæis, amando longius Paulum, tum ut Cæſaris nomini deferretur.

V. 13. AGRIPPA REX. Hic Agrippa non fuit ſenior ille, qui ab Angelo percuſſus interiit cap. XII. ſed eius filius, frater Druſillæ, & Bernices. Vide Ioſephum Lib. XVIII. Antiq. cap. VII.

V. 16. NON EST ROMANIS CONSUETUDO, &c. Eadem conſuetudo fuit apud alios populos; eſt enim iuris naturæ, & gentium, ut reus accuſatus non damnetur inauditus. DONARE ALIQUEM HOMINEM. In Græco additur, *εἰς ἀπώλειαν*, *ad interitum*.

V. 18. CAUSAM: delictum, crimen. DE QUIBUS EGO SUSPICABAR MALUM: nullum grave crimen, ut ego ſuſpicabar impingebant.

V. 19. DE QUODAM IESU, &c. *Quemdam* appellat per contemptum, & ut oſtendat doctrinam illam Reipublicæ minime noxiam eſſe.

V. 20. HAESITANS AUTEM EGO, &c. Mentitur Feſtus, ut ſuum factum coloret; re enim vera volebat in gratiam Iudæorum Paulum Ieroſolymam remittere, ut vidimus ſupra verſ. 9.

V. 21. AUGUSTI: ſcilicet, Neronis, qui eo tempore Romanus erat Imperator. VOLEBAM: vellem.

V. 23. CUM MULTA AMBITIONE: *φαντασίας*, id eſt apparentia, oſtentatione, pompa, comitatu, & faſtu. IN AUDITORIUM: in prætorii aulam, ubi agebantur, & audiebantur cauſæ coram pro tribunali ſedente.

V. 24. VIDETIS HUNC, &c. quaſi dicat, Hic ille eſt, de quo, &c. INTERPELLAVIT ME: *ἐνέτυχόν μοι*, *convenerunt me*.

V. 25. IPSO AUTEM HOC, id eſt ipſomet Paulo. IUDICAVI MITTERE: ipſe ad Auguſtum.

V. 26. DOMINO: imperatori. INTERROGATIONE FACTA: diligentiori facta interrogatione, & inquiſitione in eius doctrina, & moribus.

TIRINI.

Verſ. 1. FESTUS CUM VENISSET IN PROVINCIAM Iudææ ſibi a Cæſare commiſſam, eius curam & regimen ſuſcepturus, CAESAREA, ubi ſedes erat

præ-

præſidis, ASCENDIT IEROSOLYMAM, ut ſolemni iſtic ritu inauguraretur a Iudæis. Solet autem a recens inauguratis gratia aliqua provincialibus concedi pro voto & petitione eorumdem. Iudæi non aliam petunt, quam ut Paulus Cæſarea Ieroſolymam traſmitti iubeatur, prætextu cognoſcendi iſtic cauſam illius, ſed revera animo occidendi ipſum in itinere. Summam enim rerum ſuarum in hoc uno capite verti arbitrabantur.

V. 4. FESTUS AUTEM, ſubodoratus quod erat, abnuit iniuſtæ petitioni, iubetque Cæſaream excurrere, ſi *qui* eſſent ex ipſis

V. 5. POTENTES, ſeu validi ad dicendum & convincendum reum. Hic *Portius Feſtus*, quiſquis fuerit, non videtur multum ſtuduiſſe commodis Iudæorum, vel gratiæ illorum aucupandæ: quin potius irritaſſe quoties licuit, & veſtigiis eius inſtiterunt etiam ſucceſſores illius Albinus, & Florus; quorum pravis machinationibus cum alia via non poſſent obviare Iudæi, tandem arma ſumpſerunt; ſed ſuo malo & extremo excidio, ut Ioſephus & alii enarrant.

V. 7. MULTAS ET GRAVES CAUSAS; Græce, αἰτιάματα, id eſt crimina, ſeu criminationes, *obiiciunt Iudæi* Paulo, QUAS tamen iudici PROBARE NON POTERANT, neque idoneis argumentis confirmare vel demonſtrare.

V. 9. VIS IEROSOLYMAM ASCENDERE ET IBI IUDICARI non a Iudæis, ſed APUD ME, ſeu in meo tribunali? Nutare cœpit præſes, & importunitati Iudæorum volebat aliquid indulgere, noluit tamen iubere, ne videretur iniquior vel acerbior in civem Romanum. Sed Paulus de perfidia Iudæorum ſat inſtructus,

V. 10. AD TRIBUNAL, inquit, CAESARIS STO, id eſt decrevi ſtare: ut enim hactenus ſteti coram tuo, o Feſte, tribunali, quod vice Cæſaris habes hic Cæſareæ, ita deinceps ſtare volo coram eiuſdem Cæſaris tribunali quod habet Romæ. IUDAEIS NON NOCUI, SICUT TU MELIUS NOSTI, quam ut plenioris inſtructionis cauſa oporteat te Ieroſolymam excurrere, meamque cauſam ibidem exactius inveſtigare. Cum animadverteret Paulus præſidens paulatim in Iudæorum partes deflectere, neque aliam ſupereſſe viam ſeſe ex his laqueis extricandi, ſimul ut oraculo a Chriſto nuperrime *a* accepto, quo prædicebatur, etiam Romæ ipſum pro fide decertaturum, hac occaſione obſequeretur; prudentiſſimo conſilio etiam Feſti præſidis declinat iudicium, & Romam *ad Cæſaris Neronis* tribunal *appellat*.

V. 12. FESTUS hac iudicii declinatione ſuboffenſus, iuſtæ tamen appellationi non auſus refragari, partes loco excedere iubet, & CUM CONCILIO, id eſt *cum ſuis conſultoribus*, ut Syrus vertit, ſecreto deliberat, an expediat annuere poſtulatis Pauli. Nam ſi conſtaret, ſeditiones a Paulo concitatas, ut accuſabant Iudæi, debebat ex præſcripto legum, illico plecti, omni appellatione reiecta. Sed conſiliarii declarant id nullo modo liquere, ac proinde appellationem admittendam.

V. 13. AGRIPPA hic iunior, filius Agrippæ ſenioris, ante 13. annos ab angelo percuſſi *b*, & frater Druſi *c*, Druſillæ *d*, Berenicis *e* & Mariamnæ, REX erat non Iudææ ſed Chalcidis & Trachonitidis. Vocatus uterque *Agrippa*; quaſi dicat: AEgre partus, in gratiam *M. Agrippæ* qui fuit gener Auguſti Cæſaris. BERNICE; quaſi dicat: Gravis, ſeu ponderoſa victoria, ſic dicta fuit a proamita ſua *Bernice* Herodis Aſcalonitæ filia. Fuit non modo ſoror Agrippæ iunioris, ſed & concubina, lateri eius perpetuo inhærens: unde & a S. Chryſoſtomo, uxor Agrippæ vocatur. Hunc rumorem ut dilueret Bernice, nupſit Polemoni Ciliciæ, vel, ut alii volunt, *Lyciæ regi*: cuius tamen mox thorum faſtidivit, ut Ioſephus *f* enarrat. Tacitus *g* vult eam poſtea placuiſſe Veſpaſiano, & nihil propius fuiſſe, quam ut nuberet filio eius Tito. Eiuſdem cum hac nominis fuit uxor Ptolemæi Lagi, item filia Ptolemæi Philadelphi: denique & S. *Veronica*, quæ Chriſto ad crucem eunti ſudarium porrexit, cui Chriſtus vultum ſuum impreſſit: quod Romæ etiamnum aſſervatur, & quotannis in baſilica S. Petri, die Cœnæ Domini, populo ſpectandum exhibetur.

V. 18. NULLAM CAUSAM; Syrus, *nullum crimen*, DEFEREBANT, ſeu proferebant, Pauli ACCUSATORES, ex illo malorum criminum genere, DE QUIBUS EGO SUSPICABAR ex illorum furtis reum ipſum agi,

Digitized by Google

agi, v. g. ſeditionis, rebellionis, vel affe-ctati imperii.

V. 21. Per *Auguſtum* intelligit Neronem Imp. Nam quilibet Imp. in gratam primorum anteceſſorum memoriam uſurpabat nomen *Cæſaris*, cognomen *Auguſti h*, quod *venerandum* ſignificat, & inſtar Numinis, ſancte colendum.

V. 23. AUDITORIUM Iuriſperiti vocant aulam in qua audiuntur & deciduntur cauſæ reorum. Huc e carcere inducitur Paulus, vinctus quidem, ſed præſide, rege, totoque conſeſſu celſior ac ſuperior *i*, ut videbimus cap. ſequenti.

V. 26. *Dominus* titulus erat Imperatorum adeo ſublimis, ut Cæſar Auguſtus, Dione & Tertulliano teſtibus, illum recuſarit, quaſi tanto nomine indignus. Sed faciebat hoc divino inſtinctu, ut glorioſus ille titulus intactus maneret uni Dei Filio Regi regum, & Dominantium, mox in orbem adventuro, cuius ipſe non niſi typus erat & umbra. Sic Turcæ ſuum Imperatorem vocant *magnum dominum*: & Tartari, Perſæ, aliique Orientales *Sultanum*, id eſt Dominum.

(a) Actor. xxiii. 11.
(b) Act. xii. 25. & Chronici cap. ult. in anno 23. & 26. a morte Chriſti.
(c) *Ioſeph.* Lib. XVIII. Antiq. cap. vii.
(d) Actor. xxiv. 24.
(e) Ioſeph. ſup.
(f) Ioſeph. Lib. XX. Antiq. cap. v.
(g) Tacitus Lib. I. & II. hiſt.
(h) Chron. xlix.

GORDONI.

Verſ. 1 HIs primis ſex verſibus Feſtus repellit Iudæos, qui urgebant, ut Paulus mitteretur Ieroſolymam, non ignorans forte paratas inſidias. Verum Paulus, verſ. 7. & 8. oſtendens quæ obiiciebantur eſſe falſa; ne donetur Iudæis, cogitur, ad Cæſarem appellare. In hoc Præſes perſtringitur tacite, & ſimul obtemperat oraculo Paulus, de quo vide cap. xxiii. 11.

V. 13. Agrippa iſte eſt iunior, Druſillæ frater, & ſenioris Agrippæ filius: vide cap. xii. Narrat Feſtus Agrippæ, quid hactenus egerit in cauſa Pauli; promittitque coram vocandum, ut ſuggerat Agrippa quid ſcribendum ſit ad Cæſarem, ut hic narratur verſ. 23. & 24. Interim prolocutus Feſtus teſtatur nihil morte dignum repertum eſſe in Paulo. Qui iam imperabat Nero eſt, & annus imperii ſecundus vel tertius. Certe nullo iure poterat Paulus dari Iudæis, cum ipſe Civis Romanus ſtaret Cæſareæ ad tribunal Cæſaris. Acceſſit præterea provocatio ad Cæſarem.

C A P U T XXVI.

Paulus coram Agrippa ſuam cauſam defendit, referens ſuæ ad Chriſtum converſionis ordinem, & ſe Iudæis ac Gentibus ſub divina protectione prædicaſſe oſtendens; Feſtoque ipſum ex nimia ſcientia inſanire dicenti reſpondet, omneſque optat eſſe Chriſtianos: Agrippa dicit eum potuiſſe dimitti, niſi Cæſarem appellaſſet.

1. AGrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro te-
metipſo. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem red-
dere. 2. De omnibus, quibus accuſor a Iudæis, rex A-
grippa, æſtimo me beatum, apud te cum ſim defenſurus
me hodie, 3. *maxime te ſciente omnia, & quæ apud Iudæos
ſunt conſuetudines, & quæſtiones: propter quod obſecro
patienter me audias. 4. Et quidem vitam meam a iuven-
tute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ieroſolymis,
noverunt omnes Iudæi: 5. præſcientes me ab initio (ſi velint teſtimonium
perhibere) quoniam ſecundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Pha-
riſæus. 6. Et nunc in ſpe, quæ ad patres noſtros repromiſſionis facta eſt a
Deo, ſto iudicio ſubiectus: 7. *in quam duodecim tribus noſtræ, nocte ac die
deſervientes, ſperant devenire De qua ſpe accuſor a Iudæis, rex. 8. Quid
incredibile iudicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat? 9. Et ego quidem
exiſtimaveram, me adverſus nomen Ieſu Nazareni debere multa contraria
agere: 10. (*a*) quod & feci Ieroſolymis; & multos ſanctorum ego in carce-
ribus incluſi, a principibus ſacerdotum poteſtate accepta: & cum occideren-
tur, detuli ſententiam. 11. Et per omnes ſynagogas frequenter puniens eos,
compellebam blaſphemare: & amplius inſaniens in eos, perſequebar uſque in
exteras civitates. 12. In quibus (*b*) dum irem Damaſcum cum poteſtate &
permiſſu principum ſacerdotum, 13. die media in via, vidi, rex, de cælo
ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos qui mecum ſimul
erant. 14. Omneſque nos cum decidiſſemus in terram, audivi vocem loquen-
tem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt
tibi contra ſtimulum calcitrare. 15. Ego autem dixi: Quis es Domine? Do-
minus autem dixit: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. 16. Sed exurge,
& ſta ſuper pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut conſtituam te mini-
ſtrum, & teſtem eorum quæ vidiſti, & eorum quibus apparebo tibi, 17. *eri-
piens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te. 18. Aperire
oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, & de poteſtate ſatanæ
ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos,
per fidem quæ eſt in me. 19. Unde rex Agrippa, non fui incredulus cæle-
ſti viſioni: 20. (*c*) ſed his, qui ſunt Damaſci primum, & Ieroſolymis, &
in omnem regionem Iudææ, & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam age-
rent, & converterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes. 21. Hac
ex cauſa me Iudæi, cum eſſem in templo, (*d*)* comprehenſum tentabant in-
terficere. 22. Auxilio autem adiutus Dei, uſque in hodiernum diem ſto, te-
ſtificans minori atque maiori, nihil extra dicens quam ea quæ Prophetæ locuti
ſunt futura eſſe, & Moſes, 23. ſi paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione

mortuorum, lumen annuntiaturus eſt populo, & Gentibus. 24. Hæc loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paule: multæ te litteræ ad inſaniam convertunt. 25. Et Paulus: Non inſanio (inquit) optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor. 26. Scit enim de his rex, ad quem & conſtanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum geſtum eſt. 27. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis. 28. Agrippa autem ad Paulum: In modico ſuades me Chriſtianum fieri. 29. Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, ſed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his. 30. Et exurrexit rex, & præſes, & Bernice, & qui aſſidebant eis. 31. Et cum receſſiſſent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iſte. 32. Agrippa autem Feſto dixit: Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.

(a) Sup. VIII. 9. (b) Sup. IX. 2. (c) Sup. XIII. & XIV. (d) Sup. XXI. 32.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. Maxime te ſcient omnia & quæ apud Iudæos ſunt conſuetudines, & quæſtiones. Nihil opus eſt mutare neutrum *omnia* in femininum *omnes*, modo non omittatur conjunctio & ſubſequens prout omitti non debet.

Verſ. 7. In quam duodecim tribus noſtræ. Non mutes accuſativum *quam* in ablativum *qua*.

Verſ. 17. Eripiens te de populo & gentibus. Singularem numerum *populo*, non commutes cum plurali *populis*.

Verſ. 21. Comprehenſum tentabant interficere. Non addas *volentes me* ante interficere.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. Aestimo, id eſt arbitror.

Verſ. 5. Certissimam. Syr. *præcipuam*. Nostrae, id eſt Iudaicæ.

*V.*6. In spe, id eſt ob ſpem vel ſpe fretus. Repromissionis; pro, promiſſionis, ſcilicet de reſurrectione.

V. 7. Quam. Syr. *quam ſpem*, id eſt rem ſperatam.

V. 8. Quid, id eſt cur. Vos. Videtur id dixiſſe ad Proconſulem, & Gentiles converſus; Si; pro, quod.

V. 10. Et multos; pro, nam multos. Sententiam. Græc. & Syr. *ſuffragium*.

V. 11. Blasphemare. Syr. *blaſphemare nomen Ieſu*. Amplius, id eſt vehementer.

V. 12. Quibus, ſcilicet rebus verſans. Permissu. Græc. & Syr. *procuratione*.

V. 13. Supra; pro, ſuperans.

V. 16. Apparebo tibi, id eſt apparens te docebo.

V. 17. Populo, ſcilicet Iudæorum.

V. 18. Sortem, id eſt hereditatem.

V. 19. Incredulus. Syr. *repugnans*.

V. 23. Si; pro, quod. Passibilis; pro, paſſioni deſtinatus.

V. 25. Optime. Vide ſup. cap. XXIV.

V. 26. Constanter, id eſt confidenter.

V. 28. In modico; quaſi dicat, Paucis verbis.

V. 29. Opto. Græc. *optarim*. In modico, et in magno. Græc. *in parvo & in multo*; quaſi dicat, Omnino, ſeu per omnem modum. Exceptis, &c. quaſi dicat, Loquor de animo, non de corporis ſervitute.

ESTII.

Digitized by Google

E S T I I.

Verſ. 5. SECUNDUM CERTISSIMAM SECTAM NOSTRAE RELIGIONIS VIXI PHARISAEUS. Vide Annot. Matth. XVI. Græce eſt: *Secundum exactiſſimam*, ſeu ut Eraſmus vertit, *exquiſitiſſimam ſectam*, Pro *ſectam* in greco eſt αἵρεσις, quod vocabulum tunc generale erat ad omnem ſectam: poſtea ſpecialius uſurpari cœptum; immo & iam tum cœpit ſpecialem illam habere ſignificationem, ut patet ex his ſcripturæ locis: *Oportet hæreſes eſſe*. *Hereticum hominem poſt unam*, &c. Vocatur autem Phariſæorum ſecta certiſſima ſeu exactiſſima, quia probatiſſima inter ſectas Iudaicas. Sadducæi enim hæretici erant; Phrariſæi, orthodoxi quantum ad ea quæ profitebantur ex illo inſtituto quo erant Phariſæi; tametſi traditiones quædam partim vanæ, partim etiam noxiæ immo & impiæ, poſtea ab illis excogitatæ ſunt, & populo traditæ. At Sadducæi origine & profeſſione ſuerunt hæretici, non multum diſſimiles a ſecta Epicureorum. Legitur quidem apud Ioſephum & Epiphanium Phariſæos docuiſſe μετεμψύχωσιν, idque probant quidam ex eo, quia dicebant Chriſtum eſſe Eliam aut Hieremiam aut unum ex Prophetis. At non legimus Phariſæos hoc dixiſſe, ſed homines e vulgo. Deinde, ſi vere fuit ea doctrina Phariſæorum; referenda eſt non ad inſtitutum & profeſſionem eorum, ſed ad poſtea invectas corruptelas doctrinæ, a pleriſque eorum receptas. Certe conſtat ex Act. XXIII. & aliunde Phariſæos credidiſſe reſurrectionem mortuorum: cum qua non bene conſiſtit μετεμψυχώσεως. Si enim animæ migrant e corporibus; quid igitur opus ut primum corpus quod habuit, aliquando reſurgat; cum naturali eius deſiderio ſatisfiat per coniunctionem unius corporis?

V. 18. APERIRE OCULOS EORUM: ſpirituales nimirum; ubi nota non Deo tantum, ſed & hominibus Dei miniſtris tribui, *aperire oculos* mentis hominum a Deo aberrantium; ſed Deo id convenit principaliter, ut loquuntur, hominibus miniſtetialiter. Et nota quod etiam id quod ſequitur, UT CONVERTANTUR, in græco activum eſt, *convertere a tenebris ad lucem:* ut utrumque tam aperire quam convertere Paulo tribuatur, ſed eo modo quo dixi. ET SORTEM INTER SANCTOS. Vocatur ſors quia non ex meritis. Additur tamen: PER FIDEM QUAE EST IN ME, quia fides eſt initium iuſtificationis gratuitæ. Sic alibi docet nos iuſtificari gratis per fidem, Rom. III.

V. 20. ET GENTIBUS ANNUNTIABAM, UT POENITENTIAM AGERENT, ET CONVERTERENTUR AD DEUM, DIGNA POENITENTIAE OPERA FACIENTES. Nota manifeſtum locum ubi Paulus non ſola fide contentus, digna pœnitentiæ opera requirit ad iuſtificationem. Qui locus obiiciendus eſt iis, qui ex epiſtolis Paulinis ſolam fidem nobis obiectant: neque enim ſibi Paulus contrarius eſt. Ita conferatur hic locus cum illo Matth. III. & Lucæ III. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Utrobique facere fructus dignos, ſeu opera digna pœnitentiæ, ab iis exigitur, qui nondum erant baptizati: ſed tamen illi quibus Ioannes loquitur, erant circumciſi. Quare hic Paulus non nominat fidem? quia ſub pœninentia etiam fides comprehenditur hoc loco; quia non poteſt quis infidelis pœnitentiam agere, niſi primum ex infidelitate convertatur ad fidem.

V. 22. NIHIL EXTRA DICENS QUAM EA QUAE PROPHETAE LOCUTI SUNT, &c. Non ſignificat nihil extra ſcripturas doceri aut credi debere: ſed excuſat ſe tamquam nullo modo culpabilem, & iuſtiſſima ratione abſolvendum, qui non aliud quam quod expreſſum in Prophetis eſt, docuerit. Quod ſi quis importunius hanc ſcripturam urgere velit ad reiiciendas traditiones, ſequitur nihil extra Prophetas eſſe docendum, & ceteros ſcripturæ libros eſſe abiiciendos.

QUAM EA QUAE PROPHETAE LOCUTI SUNT FUTURA ESSE, ET MOYSES. Addit *& Moyſes* non quod Moyſes non fuerit Prophæta, ſed hac expreſſione ſignificans eius excellentiam ſupra alios prophetas; quaſi diceret, Ac nominatim Moyſes, quem Iudæi ut legislatorem ſuum ac prophetarum præcipuum, plurimum faciunt. Sic in evangelio Marci ult. dicit angelus: *Dicite diſcipulis eius & Petro*. Sicut Paulus nihil extra prophetas, ita nos nihil extra Apoſtolos tradere debemus pro dogmate fidei: nam nihil eſt credendum fide, quod non ſit acceptum ab Apoſtolis, ſaltem in ſuis principiis.

V. 23. SI PASSIBILIS CHRISTUS. Non eſt ſenſus: Si Chriſtus pati potuit, ſi corpus habuit paſſibile, quod lædi & occidi poſſet: hoc enim a Iudæis, quod ſciam, non fuit ſubitatum. Neque etiam ſenſus eſt, Si Chriſtus eſſet aliquando moriturus: nam nec hoc videntur Iudæorum Rabbini præcipui negaſſe; tametſi ex vulgo quidam perſuaſum habuerint eum non moriturum. Unde illud apud Ioannem XII. *Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum, & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis?* ſed ſenſus eſt: Si Chriſtus paſſurus, id eſt ignominioſam crucis paſſionem & mortem ſubiturus. Hoc enim David, Iſaias, & alii prophetæ prædixerant. Et hoc erat quod Paulus docebat, immo in quo tota eius prædicatio verſabatur: ut I. Cor. II. dicat, ſe non aliud ſcire quam Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. In eo autem Iudæi omnes fide nondum illuminati ſcandalum patiebantur: neque enim inducere in animum poterant, ut eum pro ſuo Meſſia reciperent, quem tam probroſa morte affectum ſcirent. Græce eſt *παθητός*, *paſſibilis*, quod recte vertit Eraſmus, *Paſſurus*. Nomen verbale poſitum pro participio.

V. 24. PAULO RATIONEM REDDENTE, ſuæ religionis: FESTUS MAGNA VOCE DIXIT: INSANIS PAULE: MULTAE TE LITTERAE AD INSANIAM CONVERTUNT. Ea ſemper fuit, ſemperque erit hominum impiorum & carnalium opinio de ſanctis & ſpiritualibus hominibus, ut eos putent inſanos eſſe, & mente parum ſobrios; cuius opinionis ratio eſt quia, ut ait Apoſtolus, *Animalis & carnalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi*. Hinc de quodam ex filiis Prophetarum veniente ad Iehu, dicebant principes Iſrael: *Quid venit inſanus iſte ad te?* IV. Reg. IX. Et in perſona impiorum dicit Sapiens cap. V. *Nos vitam illorum æſtimabamus inſaniam*. Et de Chriſto Iudæi, Ioan. X. *Dæmonium habet, & inſanit, quid eum auditis?* Et Marci III. etiam de cognatis eius dicitur, quod exierunt tenere eum, dicentes: *Quoniam in furorem verſus eſt*. Huiuſmodi opprobria ſervorum Dei immo ipſius Dei & Chriſti capitis noſtri, conſolantur omnes pios & ſpirituales homines, ſi quando ſimilibus probris impetuntur ab hominibus carnalibus & profanis. Nam & hodie valde vulgare eſt, Theologum vocari phantaſticum. Sed tale opprobrium verum & cordatum Theologum movere non debet. Vide etiam Annot. Oſee IX. & Sapientiæ V.

V. 27. CREDIS REX AGRIPPA PROPHETIS? SCIO QUIA CREDIS. Dicet aliquis: Si credebat prophetis; ergo Chriſtum Ieſum recipiebat, & ei credebat, ipſo Chriſto dicente ad Iudæos Ioan. V. *Si crederetis Moyſi, utique crederetis & mihi*. Reſp. quod credebat in generali tantum, ſicut Iudæi etiamnum hodie credunt; non autem in particulari; quia non intelligunt. Loquitur autem Chriſtus de fide particulari & diſtincta eorum quæ in prophetis continentur: vel loquitur de fide univerſali applicata ad particularia. Vide Annot. Ioan. V.

V. 28. Agrippa commotus Pauli verbis ait: IN MODICO SUADES ME CHRISTIANUM FIERI. Et Paulus: *Opto apud Deum & in modico & in magno*. Quid eſt in modico, in magno? varie exponitur. Quidam ſic: Brevi oratione mihi perſuadere tentas ut fiam Chriſtianus. Cui Paulus reſpondet: Sive paucis, ſive multis verbis opus ſit ad ſuadendum; opto te fieri Chriſtianum. Alii ſic: Parum abeſt quin perſuadeas me fieri Chriſtianum; propemodum perſuades. Cui Paulus: reſp. Sive parum abeſt, ſive multum; omnino optarim apud Deum, te Chriſtianum fieri. Alii denique non improbabiliter hoc modo: Aliquantulum me commoviſti ſermone tuo, ut Chriſtianus fiam. Cui Paulus: Utinam non ſolum aliquantulum, ſed etiam multum commotus eſſes ad ſuſcipiendam fidem Chriſtianam. Multum adhuc aberat ut Chriſtianus fieret, ſed tamen aliquantulum oratione Pauli commotus erat, ut fieret. Secunda expoſitio non conſiſtit, quia Paulus optat in modico & in magno; nec tamen optabat, ut multum abeſſet ut Chriſtianus fieret. Epheſ. III. vertit: *In brevi*. Vide eius loci Comment.

MARIANAE.

Verſ. I. PAULUS EXTENTA MANU: ſive *extendens manum*, ut Græc. & Gotth.

V. 5. SECUNDUM CERTISSIMAM SECTAM vixi. Nempe quia Phariſæi comparatione Sadducæorum certiora dogmata ſectabantur.

Aut

Aut quia inter ſeptem Phariſæorum genera, quæ cum ſuis nominibus in Thalmud libro סוטה *Sutah* numerantur, Paulus ex optimo erat. Porro Phariſæi nomen non a פרץ *Paraz* deducitur, quod eſt *frangere*, ſed a פרש *Paras*, id eſt *dividere*, quia ut Religioſi ſeiuncti erant ab aliis.

V. 6. IN SPE, ob ſpem, quam ſcilicet prædico. STO IUDICIO SUBIECTUS, id eſt ut reus cogor ad tribunal litigare.

V. 10. DETULI SENTENTIAM, cum occiderentur Chriſtiani, id eſt meo ſuffragio probavi cædem, quæ in pios decernebatur.

V. 14. VOCEM LOQUENTEM; pro, dicentem mihi audivi.

V. 16. ET EORUM QUIBUS APPAREBO TIBI; id eſt, eris teſtis eorum quæ vidiſti, & eorum quæ viſurus es, me ea monſtrante.

V. 19. NON FUI INCREDULUS, ſeu *contumax*, ſeu *inobediens*, ἀπειθὴς Græc.

V. 21 TENTABANT INTERFICERE. Sic eſt Græ. Regia & Lovan. *volentes me interficere*, ſed falſo, & vox *volentes me*, ſententiam perturbat. Veleſius tamen id Græce adiicit.

V. 23. SI PASSIBILIS; pro, quod paſſibilis eſt Chriſtus, quod eſſet paſſurus & reſurrecturus, id annuntio, id prædico. Aut oratio ſit incompleta, & ſuppleatur aliquid ſic: Si paſſibilis eſt Chriſtus, ſi ſurrexit, ſi hæc ita ſe habent, vera eſt mea prædicatio.

V. 28. AGRIPPA AUTEM AD PAULUM, ſcilicet *ait*, ut eſt Græ. IN MODICO SUADES; quaſi dicat, Parum abeſt quo minus ſiam Chriſtianus. Ironice.

V. 29. QUI AUDIUNT, ſcilicet *me hodie*, ut eſt Græce, fieri. QUALIS ET EGO SUM, ſcilicet credere.

V. 31. NIHIL MORTE, AUT VINCULIS DIGNUM QUID fecit hic homo. *Quid* redundat, neque Græce eſt, neque Syriace. FECIT. Græce *facit*, ſed pro *fecit*: ſic dicebant Rex & Præſes: Poterat dimitti.

V. 32. SI NON APPELLASSET CAESAREM. Sic recte, non *ad Cæſarem*, aut *ad Auguſtum*. De quo cap. xxv. 25.

MENOCHII.

Verſ. 1. EXTENTA MANU, more concionantium. RATIONEM REDDERE: ſuæ doctrinæ, vitæ & inſtituti.

V. 2. DE OMNIBUS, &c. ſenſus eſt: Exiſtimo me beatum, quod coram te, Rex Agrippa, ſim hodie me defenſurus, & mei rationem redditurus. AESTIMO ME BEATUM: non modicam magnæ cuiuſdam felicitatis partem arbitror eſſe, quod apud te dicam. Italice diceremus, *reputo a mia gran ventura*.

V. 3. MAXIME TE SCIENTE OMNIA; id eſt, præſertim cum ſciam te ſcire omnia, quæ ad præſentem controverſiam cum Iudæis pertinent VITAM: βίωσιν, id eſt vitæ actus, & mores. *Converſationem meam*, ut vertit Syrus. PRAESCIENTES ME AB INITIO: προγινώσκοντες, id eſt *præcognoſcentes me*, qui ſcilicet noverunt me, & mea facta ante Chriſtianiſmum. CERTISSIMAM SECTAM: ἀκριβεστάτην, id eſt diligentiſſimam, exactiſſimam, religioſiſſimam inter Iudæos; talis enim Phariſæorum ſecta.

V. 6. IN SPE: propter ſpem, accipitur hoc loco ſpes pro re ſperata, id eſt pro iuſtitia, & ſalute per Chriſtum parta, quæ fuit obiectum ſpei antiquorum Patrum, quibus eius promiſſio fuit facta.

V. 7. DUODECIM TRIBUS NOSTRAE: quam non ſolum Phariſæi, ſed omnis Iſraeliticus populus ſperat ſe conſecuturum per Meſſiam. DE QUA IPSE ACCUSOR: licet enim conveniamus, quod obtineatur ſalus per Meſſiam, tamen in hoc diſſentimus, quod ego Meſſiam adveniſſe affirmo, aioque eum Ieſum eſſe, Iudæi vero negant.

V. 8. QUID INCREDIBILE, &c. quaſi dicat: Incredibile videri non debet quod Deus mortuos ſuſcitet, cum ſit omnipotens, Dominus vitæ, & mortis & dubitandum non ſit quin is poſſit a mortuis homines ſuſcitare, qui potuit eoſdem de nihilo creare.

V. 9. EXISTIMAVERAM: mihi ipſi perſuaſeram, prorſuſque decreveram.

V. 10. QUOD ET FECI IEROSOLYMIS. Vide ſupra cap. IX. DETULI SENTENTIAM: latam a Iudicibus, nimirum a Principibus Iudæorum, hanc enim ego detuli ad miniſtros, quorum erat eam executioni mandare, & Chriſtianos damnatos occidere.

V. 11. COMPELLEBAM BLASPHEMARE, id eſt negare Chriſtum, dicendo eum Meſſiam non eſſe. INSANIENS: furens. IN EXTE-

TE-

TERAS CIVITATES: non tantum in Damaſcum, licet cap. IX. 2. huius tantum mentio fiat.

V. 14. IN QUIBUS: civitatibus, vel operibus inſaniæ. Pagninus vertit, *quarum rerum ſtudio*. ET PERMISSU: ϗ ἐπιτροπῆς, quod verti poteſt, *commiſſione*, ſive, *procuratione*. Noſter maluit dicere *permiſſu*, ut indicaret Paulum potius a ſe ipſo incitatum in Chriſtianos ſæviiſſe, quam iuſſu principum ſacerdotum.

V. 13. REX: o Rex Agrippa. Quæ hic habentur explicata ſunt ſupra cap. IX.

V. 16. MINISTRUM: Evangelii, eiuſque præconem, & teſtem. EORUM, QUAE VIDISTI: vidit enim Paulus Chriſtum ſibi præſentem, & adſtantem, idque ut ab eo edoctus, & miſſus poſſet eſſe teſtis oculatus. EORUM QUIBUS APPAREBO TIBI. In Græco, ὧν τε ὀφθήσομαί σοι, *quorum cauſa apparebo tibi*, ut ſcilicet ea te doceam. Ex hoc ergo loco conſtat Chriſtum ſæpius apparuiſſe Paulo, & illi multa revelaſſe.

V. 17. ERIPIAM TE DE POPULO. Promiſſum hoc de ereptione non excludit illam prædictionem capitis IX. 16. *oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*: Solum id continet, futurum, ut evadat mortem, eique ſpatium concedatur exequenti munus iniunctum.

V. 18. SORTEM: hereditatem. PER FIDEM, QUAE EST IN ME: per fidem in me, qui ſum Chriſtus.

V. 19. INCREDULUS: ἀπειθὴς, *inobediens*: ſtatim mihi perſuaderi paſſus ſum fidem Chriſti; ſtatim credidi, ſtatim obedivi.

V. 21. CUM ESSEM IN TEMPLO, &c. hiſtoriam habes ſupra cap. XXI. 31.

V. 22. STO: ſuperſtes ſum, nihilo ſum, nihilo ſegnior factus ad evangelizandum. MINORI, ATQUE MAIORI: parvis æque, ac magnis; omnis conditionis hominibus. NIHIL EXTRA DICENS: nihil aliud dicens.

V. 23. SI PASSIBILIS CHRISTUS, &c. quaſi dicat: Argumentum mearum concionum eſt, venturus ne eſſet Meſſias in carne paſſibili, an non: eſſet ne moriturus pro humano genere, & quo genere mortis, &c. SI PRIMUS EX RESURRECTIONE MORTUORUM: an Chriſtus primus ſit, qui ex morte ad vitam immortalem reſurrexerit. LUMEN ANNUNCIATURUS: an ipſe ſit qui venit in hunc mundum, ut lucem afferret Evangelii. *Erat* enim Chriſtus, ut dicitur Ioan. 1. 19. *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

V. 24. INSANIS PAULE: emotæ mentis illum putat præſes, tum quia proponit myſteria captum hominis gentilis ſuperantia, viſiones Chriſti, lucem admirabilem, reſurrectionem mortuorum, & ſimilia; tum quia magno animi, vultus, & oculorum ardore loquebatur. MULTAE LITTERAE: hoc enim aliquando nimium ſtudioſis litterarum evenit, ut ex capitis, & organorum fatigatione, morbum, & inſaniam contrahant.

V. 25. VERITATIS, ET SOBRIETATIS: vera loquor, nec vinum aut inſania mentem de ſtatu ſuo deiecit, cum ſim ſanus, & ſobrius.

V. 26. SCIT ENIM DE HIS REX: ſane tu Rex Agrippa es horum maxime gnarus. NEQUE ENIM IN ANGULO QUIDQUAM HORUM GESTUM EST: crux nimirum, & mors Chriſti, & eiuſdem reſurrectio, cum ceteris, quæ pertinent ad univerſam œconomiam redemptionis noſtræ.

V. 28. IN MODICO SUADES ME CHRISTIANUM FIERI; quaſi dicat Agrippa: Nimium urges me Paule, & parum abeſt quin mihi aperte ſuadeas ut Chriſtianus fiam. OPTO APUD DEUM; id eſt, opto mihi hoc a Deo concedi. IN MODICO, ET IN MAGNO. Græce, *in parvo, & in multo*; quaſi dicat, Omnino, ſeu, per omnem modum. QUALIS EGO SUM; ſcilicet, Chriſtianus.

V. 32. POTERAT DIMITTI, &c. immo vero etiam poſt interpoſitam appellationem dimitti poterat, provocaverat enim ad Cæſarem neceſſitate compulſus, & in ſubſidium iuris.

T I R I N I.

Verſ. 1. EXTENTA MANU, more oratorum, non tam ad ſilentium captandum, ut vult Apuleius *a*, quam ad auctoritatem, libertatem, animique fiduciam conteſtandam *b*.

V. 2. AEſtimos me beatum, &c. Non adulatur regi, ſed ut benevolentiam eius captet, laudat illum ex vero. Vir enim erat ut bonæ indolis & ſedatæ mentis ita prudens atque intelligens, teſte Ioſepho *c*. Et collimabat Paulus ut regem ad Chriſtum converteret, inquit Chryſoſtomus *d*.

V. 5.

V. 5. SECUNDUM CERTISSIMAM, *ἀκριβεστάτην*, id eſt exactiſſimam & religioſiſſimam, SECTAM VIXI PHARISAEUS, quaſi dicat: Qui talis fuit adoleſcens, potui ſeditioſus eſſe? ſed deſii forte probus eſſe. Quin potius

V. 6. ET NUNC quoque STO & perſto in eodem propoſito. Neque aliam ob cauſam trahor in iudicium, quam quod iuſtitiam & ſalutem per Chriſtum orbi partam, olim a Deo patribus noſtris promiſſam, & tot iam ſæculis ab omnibus Iudæis ſperatam & exſpectatam, tandemque reipſa conceſſam, ubique prædicem & inculcem. Sumitur enim hic metonymice *ſpes* pro re ſperata.

V. 8. QUID vero INCREDIBILE vel impoſſibile IUDICATUR, Ieſum a Iudæis occiſum, alioſque MORTUOS *ſuſcitari a Deo*, cum Deus ſit omnipotens? qui enim potuit homines totumque mundum, cum non eſſent, ex nihilo creare, non poterit eoſdem iam creatos, ſed per mortem diſſolutos, redintegrare & in vitam revocare? *Et quid mirum*, inquit S. Gregorius, *ſi oſſa, nervos, carnem, capilloſque reducat ex pulvere, qui lignum, folia, fructus in magna arboris mole, ex parvo quotidie ſemine reſtaurat?*

V. 10. SENTENTIAM damnationis Chriſtianorum latam a iudicibus, DETULI ego ad officiales, quorum erat illam executioni mandare. Et graviſſimis ſuppliciis, quibus involvebam Chriſtianos,

V. 11. COMPELLEBAM EOS BLASPHEMARE, nempe negare Ieſum eſſe promiſſum Meſſiam, ſeu Chriſtum: quod blaſphemum erat, utpote Chriſto, & Deo iniurium. *Compellebam*, inquam, non tam imperio, quam

V. 12. PERMISSU PRINCIPUM SACERDOTUM, a quibus hanc ego poteſtatem ultro ſollicitabam & quaſi extorquebam. Quo ipſo ſignificat ingentem ardorem & zelum ſuum pro iudaiſmo contra Chriſtum & Chriſtianos: neque caſu vel animi levitate ſe ex iudaiſmo tranſiſſe ad Eccleſiam Chriſti, ſed mira magnaque vi pertractum a Deo, ut mox exponit.

V. 16. CONSTITUAM TE TESTEM EORUM QUAE iam, me tibi apparente, VIDISTI, ET etiam EORUM QUIBUS, ſeu quorum myſteriorum cauſa, ſæpius iterum APPAREBO TIBI. Ex quo patet, Chriſtum redivivum apparuiſſe Paulo in proprio corpore: neque enim alias potuiſſet oculatus teſtis eſſe redivivi Chriſti: nec tantum in converſione, ſed ſæpius poſtea apparuiſſe Paulo, inquit Sanchez, & a Lapide.

V. 22. NIHIL EXTRA; Pagninus, *nihil aliud*, DICENS QUAM EA QUAE PROPHETAE LOCUTI SUNT FUTURA ESSE, puta

V. 23. SI PASSIBILIS CHRISTUS: hebraiſmo, id eſt quod paſſurus & moriturus eſſet Chriſtus, & primus a morte reſurrecturus, ac deinde per illum ceteri Chriſtiani, non ex ſolo POPULO Iudaico, ſed ET ex GENTIBUS colligendi: omnibus enim omnino per univerſum orbem, ut Prophetæ prædixerunt, *annuntiatus eſt* per diſcipulos ſuos Chriſtus LUMEN veræ fidei, religionis & ſalutis: quod idem etiam Simeon de Chriſto recens nato prædixerat. Eſt hoc tertium argumentum quo in apologia ſua utitur Paulus. Primum deſumpſerat ex communi ſenſu & conſenſu omnium Iudæorum, tum antiquorum, tum modernorum: ſecundum ex illuſtratione & vocatione divina: tertium ex oraculis Prophetarum.

V. 24. INSANIS PAULE, abſurda paſſionis Filii Dei, & reſurrectionis deliramenta nobis obtrudens, idque eo animi ardore & impetu, ac ſi emotæ mentis eſſes. MULTAE LITTERAE, quas tot annis devoraſti, iam TE AD INSANIAM CONVERTUNT. Pertinax enim ſtudium ſubinde melancholiam pluſculum adauget, indeque phreneſin & maniam inducit, teſte Ariſtotele, qui addit, etiam Platonem, Socratem, Empedoclem, multoſque Poetas & Heroes laboraſſe melancholia, nonnullos etiam mania: nullumque magnum ingenium fuiſſe ſine mixtura dementiæ.

Sed Nota hic inſanum mundi iudicium, qui ſi quos videtur viros religioſos, zeloſos, vereque divinos, inſigni contemptu ſtultos, ſtolidos, inſanos vocat: ſed erit tempus cum tales ſeipſos potius inſaniſſe deprehendent, nempe cum in altera vita, horribili gemitu errorem hunc ſuum, ſed ſerius corrigent, *Nos g inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam*, &c.

V. 25. NON INSANIO, OPTIME *h Feſte:* neque ſomnia vel deliria, SED VERITATIS VERBA, id eſt veriſſima, narro: neque exaggero quidquam, aut ſupra veritatem extollo, ſed *ſobrie*, circumſpecte & attente ſingula verba proloquor, nuſquam veritatis modeſtiæ limites excedens.

V. 27.

Digitized by Google

V. 27. Credis rex Agrippa Prophetis? Ergo crede in Chriſtum, & crede quæ ego doceo de Chriſto. Quia eadem omnia, nec alia prædixerunt Prophetæ de Chriſto. Hac apoſtrophe Paulus acrem ſtimulum infixit cordi regis. Unde & Gagneius & Salmeron putant, Agrippam occulte factum Chriſtianum. Saltem hæſitanti vox hæc excuſſa:

V. 28. In modico suades, id eſt propemodum perſuadet, me Christianum fieri.

V. 29. Cui Paulus: Opto & precor Deum: ut & propemodum, & admodum perſuadearis, ſeu, ut id quod parum abeſt, omnino perficiatur: ita Cyrillus, Caietanus, Sanchez & plures alii. *Opto* enim toto cordis affectu, omnes fieri tales, qualis ego sum, puta Chriſti aſſeclas & præcones; exceptis vinculis his, ſeu captivitate qua nunc detineor. Non quod de vinculis ſuis doleret Paulus, in quibus exultare & gloriari *i* ſolebat; ſed quod Agrippa rex pompis k ſæculi adhuc involutus, necdum capax eſſet ſublimioris ſapientiæ, inquit S. Chryſoſtomus *l*, qui vincula Pauli miris laudibus iure merito extollit *m*.

V. 32. Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Caesarem. Sed cur fraudi illi ſit appellaſſe, cum conſtet, coacte feciſſe, & appellando non aliud quam liberationem quæſiiſſe? Sed rex ſolum pro larva iuſtæ detentionis Pauli prætexit eius appellationem, ut & præſes fecerat *n*, quia neuter volebat Iudæos offendere relaxando Paulum.

(a) Apul. Lib. II. de Aſino aureo.
(b) Actor. xxiii. 1.
(c) Ioſeph. Lib. II. Belli cap. xvi.
(d) Chryſt. hom. xxxiii. in I. ad Corinth.
(e) Matth. iii. 7.
(f) IV. Reg. ii. 11. Marci iii. 21.
(g) Sap. v. 4.
(h) Lucæ i. 1.

(i) *II.* Cor. xi. & xii.
(k) Actor. xxv. 23
(l) Chryſoſt. hic hom. lii.
(m) Hom. ix. in ep. ad Epheſios tom. iv.
(n) Act. xxv. 25.

GORDONI.

Verſ. 1. ORditur Paulus (extenſione manus more Oratorum) a captanda benevolentia, feliciter ſibi accidiſſe putans, quod de his rebus dicendum ſibi eſſet coram Agrippa, qui &c. Compellat vero Agrippam nunc: nam coram Feſto iam de hac re prælocutus erat: ex cap. xxv.

V. 5. 6. Docet Paulus ſe prius fideliter vixiſſe in lege Moſis iuxta ſectam Phariſæorum, & nunc veſtigiis veteris profeſſionis inſiſtentem, agere pro ſpe & promiſſione maioribus facta, ut ex his efficiat ſe nullo modo apoſtatam eſſe a vetere inſtituto; ſed tueri in adventu Meſſiæ quod Patribus per Prophetas promiſſum erat. Et de hac, inquit, fide hodie iudicor.

V. 9. Narrat deinceps tum zelum ſuum in priore illa vita ſub lege: tum converſionem Deo incitante peractam, & quid deinde fecerit, verſu 19. quidve propterea paſſus ſit verſ. 21. Sequitur dialogiſmus cum Feſto & Agrippa.

V. 22. & 24 Paulus pro argumento ſuarum concionum & doctrinæ hoc tractabat, quid dixiſſent Prophetæ, quid e cælo miraculoſe oſtenſum eſſet, an Meſſias in carne paſſibili venturus eſſet, an moriturus, pro genere humano, & quo genere mortis, an reſurrecturus, & an allaturus novam lucem mundo. Et hæc arcana ſunt, ad quæ exclamat Feſtus de nimia ſcientia Pauli. Hæc & alia Paulus, an Grece, quod aliqui volunt; an Latine, quod probabilius eſt, non plane conſtat. Sane ut Feſtus Romanus erat, ita Agrippa a prima ætate Romæ educatus Latine ſciebat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Paulus a centurione Iulio ducitur Romam verſus, navigans per varia loca: adverſante autem ipſis vento, vix perveniunt ad quemdam in Creta locum: a quo licet prædiceret Paulus periculoſam eſſe navigationem, diſcedentes, patiuntur ingentem tempeſtatem: tandemque poſt Pauli conſolationem, qui narrans factam ſibi de omnium ſalute revelationem, hortabatur eos ad cibum ſumendum, paſſi naufragium omnes evadunt incolumes.

1. UT autem iudicatum eſt navigare eum in Italiam, & tra-
di Paulum cum reliquis cuſtodiis centurioni nomine Iu-
lio cohortis Auguſtæ, 2. (*a*) * aſcendentes navem Adru-
metinam, incipientes navigare circa Aſiæ loca, ſuſtuli-
mus, perſeverante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſ-
ſalonicenſi. 3. Sequenti autem die devenimus Sidonem.
Humane autem tractans Iulius Paulum, permiſit ad ami-
cos ire, & curam ſui agere. 4. Et inde cum ſuſtuliſſe-
mus, ſubnavigavimus Cyprum, propterea quod eſſent venti contrarii. 5. Et
pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ navigantes, venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ:
6. & ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam,
tranſpoſuit nos in eam. 7. Et cum multis diebus tarde navigaremus, & vix
deveniſſemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ,
iuxta Salmonem: 8. & vix iuxta navigantes, venimus in locum quemdam,
qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat civitas Thalaſſa. 9. Multo autem tem-
pore peracto, & cum iam non eſſet tuta navigatio, * eo quod & ieiunium
iam præteriiſſet, conſolabatur eos Paulus, 10. dicens eis: Viri, video quo-
niam cum iniuria & multo damno, non ſolum oneris & navis, ſed etiam
animarum noſtrarum, incipit eſſe navigatio. 11. Centurio autem gubernato-
ri & nauclero magis credebat, quam his quæ a Paulo dicebantur. 12. Et
cum aptus portus non eſſet ad hiemandum, plurimi ſtatuerunt conſilium na-
vigare inde, ſi quomodo poſſent, devenientes Phœnicen, hiemare, portum
Cretæ reſpicientem ad Africum, & ad Corum. 13. Aſpirante autem Auſtro,
æſtimantes propoſitum ſe tenere, cum ſuſtuliſſent de Aſſon, legebant Cre-
tam. 14. Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus,
qui vocatur Euroaquilo. 15. Cumque arrepta eſſet navis, & non poſſet cona-
ri in ventum, data nave flatibus, ferebamur. 16. In inſulam autem quam-
dam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere ſcapham. 17.
Qua ſublata, adiutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim
inciderent, ſummiſſo vaſe ſic ferebantur. 18. * Valida autem nobis tempe-
ſtate iactatis, ſequenti die iactum fecerunt: 19. & tertia die ſuis manibus
armamenta navis proiecerunt. 20. Neque autem ſole, neque ſideribus appa-
rentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, iam ablata e-
rat ſpes omnis ſalutis noſtræ. 21. Et cum multa ieiunatio fuiſſet, tunc ſtans
Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o viri, audito me, non
tollere a Creta, lucrique facere iniuriam hanc & iacturam. 22. Et nunc ſua-
deo vobis bono animo eſſe: amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præ-
terquam navis. 23. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego,
& cui deſervio, 24. dicens: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere: &

Digitized by Google

ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. 25. Propter quod bono animo eſtote viri: credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi. 26. In inſulam autem quamdam oportet nos devenire. 27. Sed poſteaquam quartadecima nox ſupervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem. 28. Qui & ſummittentes bolidem, invenerunt paſſus viginti: & puſillum inde ſeparati, invenerunt paſſus quindecim. 29. Timentes autem ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. 30. Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu quaſi inciperent a prora anchoras extendere, 31. dixit Paulus Centurioni, & militibus: Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis. 32. Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eam excidere. 33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. 34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra: quia nullius veſtrum capillus de capite peribit. 35. Et cum hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu ominum: & cum fregiſſet, cœpit manducare. 36. Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt cibum. 37. Eramus vero univerſæ animæ in navi ducentæ ſeptuaginta ſex. 38. Et ſatiati cibo alleviabant navem, iactantes triticum in mare. 39. Cum autem dies factus eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum vero quemdam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent, eiicere navem. 40. Et cum anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes iuncturas gubernaculorum: & levato artemone ſecundum auræ flatum tendebant ad littus. 41. Et cum incidiſſemus in locum dithalaſſum, impegerunt navem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero ſolvebatur a vi maris. 42. Militum autem conſilium fuit ut cuſtodias occiderent: nequis cum enataſſet, effugeret. 43. Centurio autem volens ſervare Paulum, prohibuit fieri: iuſſitque eos, qui poſſent natare, emittere ſe primos, & evadere, & ad terram exire: 44. & ceteros alios in tabulis ferebant: quoſdam ſuper ea, quæ de navi erant. Et ſic factum eſt, ut omnes animæ evaderent ad terram.

(a) II. Cor. xi. 25.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. Aſcendentes navem Adrumentinam. Non augeas vocem *Adrumentinam*, littera *n* medio adiecta.

Sequitur. *Incipientes navigare*. Plurale primi caſus *incipientes*, non mutes in ſingulare quarti caſus *incipientem*.

Verſ. 9. Eo quod & ieiunium iam præteriiſſet. Non eſt omittendum medium illud *&*.

Sequitur: *Conſolabatur eos Paulus*. Neque hic omittendum pronomen *eos*.

Verſ. 18. Valida autem nobis tempeſtate iactatis. Alii pro nomine *valida* ſcribunt adverbium *valide*.

Notatio.

Verſ. 2. A*Scendentes navem Adrumetinam*. Maior Latinorum codicum pars cum Rabbano in Gloſſa citato, Carenſi, Lyrano, & Richelio enarratoribus, *Adrumetinam* navem vocat: quinque noſtri Brug. Lob. Malmund. O. Lugd. cum adſpiratione, *Hadrumetinam* ſcribunt. Novem *Adrumentinam* legunt, duoque præmittunt adſpirationem, *Hadrumentinam*. Pro priori lectione facit Catalogus locorum huius libri in 3. Hieronymi, & 5. Bedæ tomo extans, qui *Hadrumetus* habet, civitas in Byzantio (Ae *Bizatio* Ae *Bazatio*.) regione Africæ; quod iam recenſiti enarratores ſequuntur. Id autem ex Plinio

nio ſumptum videtur, cuius de ea quæ proprie vocatur Africa, hæc ſunt cap. IV. Libri V. verba: „ Mox Africæ ipſius alia diſtin„ ctio. Libyphænices vocantur, qui Byzan„ tium incolunt. Ita appellatur regio 250000. „ paſſuum per circuitum, fertilitatis eximiæ, „ cum centeſima fruge agricolis fœnus red„ dente terra. Hic oppida libera Leptis, „ Adrumetum, Ruſpina, &c. “ Pro poſteriori lectione facit Syriacum Teſtamentum quod navem quæ erat ex Adramanto civitate deſcribit. Apud Plinium civitas quæ Lib. V. vocata eſt *Adrumetum*, capite ultimo ſexti libri ſcribitur *Hadrumentum*. Forte utroque appellata fuit modo: itaque idem ſit *Adrumentina*, quod *Adrumentina*. Textus Latinus Complutenſium Bibliorum *Hadramytenam* (*Adramytenam* R.) habet, ut Græcus ἀδραμυττινῷ. Quenteliana Biblia *Adramyttinam*, ut Græci codices plerique ἀδραμυττηνῷ aut ἀδραμυττινῷ. Theophylacti textus ἀδραμυττινῷ dicit, is quo uſus eſt Magdalius Iacobus, ἀτραμυττηνῷ. Plinius Adramittii unguento nobilis meminit Lib. XIII. cap. 1. & Atramitarum populi libri ſexti cap. XXVIII.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. IUDICATUM, id eſt decretum. EUM. Græc. *nos*. CUSTODIIS, id eſt vinctis: ſic inf.

V. 2. ADRUMETINAM. Syr. *ex civitate Adrimanto*. INCIPIENTES NAVIGARE. Græ. *navigaturi*. CIRCA, &c. ſcilicet ad ea loca navis proficiſcebatur. SUSTULIMUS, id eſt ſolvimus portu, ſic inf. PERSEVERANTE, ſcilicet in comitatu.

V. 5. LYSTRAM. Græc. & Syr. *Myram*.

V. 7. GNIDUM. Urbs eſt Cariæ in Aſia. Syr. *Caindum inſulam*. SALMONEM. Syr. *Salmonem urbem*.

V. 8. BONIPORTUS, id eſt pulchri. THALASSA. Græc. & Syr. *Laſæa*.

V. 9. IEIUNIUM. Syr. *ieiunium Iudæorum*; quaſi dicat, Autumnus; eo enim tempore ieiunabant. CONSOLABATUR. Græc. *exhortabatur*. Syr. *conſilium dabat*, ſcilicet de non navigando. INIURIA, id eſt detrimento.

V. 11. NAUCLERO. Syr. *domino navis*.

V. 12. STATUERUNT CONSILIUM, id eſt decreverunt. PORTUM. Appoſitio; quaſi dicat, Qui erat portus. AFRICUM, &c. Ventorum ſunt nomina.

V. 13. LEGEBANT, id eſt prætenavigabant.

V. 14. IPSAM, ſcilicet Cretam. EUROAQUILO, eſt inter Eurum & Aquilonem, unde ei nomen.

V. 16. OBTINERE. Syr. *prehendere*.

V. 17. SUBLATA, ſcilicet in navim. ADIUTORIIS, id eſt remediis, quibus poterant. ACCINGENTES, ſcilicet funibus, ne vi tempeſtatis diſſolveretur. SYRTIM, id eſt ſcopulos, vel loca arenoſa. VASE: quidam ſcapham putant. Syr. *antenna*.

V. 18. IACTUM, ſcilicet rerum in mare.

V. 19. ARMAMENTA, id eſt inſtrumenta.

V. 21. IEIUNATIO, ſcilicet diu cibo abſtinuerant. INIURIAM, id eſt damnum.

V. 22. ET NUNC; pro, ſed nunc.

V. 27. QUARTADECIMA, ſcilicet tempeſtatis. ADRIA. Syr. *Adriatico mari*.

V. 28. BOLIDEM, id eſt pondus funiculo alligatum, quo exploratur maris altitudo.

V. 31. NON POTESTIS. At promiſerat Deus neminem periturum, ſcilicet niſi temere periculo ſe obiicerent.

V. 33. NIHIL, ſcilicet fere.

V. 34. SALUTE, id eſt incolumitate. QUIA NULLIUS, &c. quaſi dicat: *Nihil enim detrimenti patiemini*. Hebr.

V. 36. ANIMAEQUIORES, id eſt bono animo.

V. 40. SUSTULISSENT. Syr. *abſcidiſſent*. GUBERNACULORUM; pro, gubernaculi. ARTEMONE. Syr. *parvo velo*.

V. 41. DITHALASSUM, id eſt bimarem, ſcilicet Iſthmon.

V. 44. DE NAVI, ſcilicet res aptas ad ferendum iactatos in mare. Syr. *ligna navis*.

ESTII.

Verſ. 9. EO QUOD IEIUNIUM IAM PRAETERIISSET. Omnino veriſimile eſt ſtatum aliquod ieiunium intelligi, idque Iudæorum; fortaſſe illud quod in menſe ſeptimo celebrabant ex lege. Verſio Syriaca habet: *Tempus ieiunii Iudæorum*: & Eraſmus vertit: *Cum ieiunii tempus prateriiſſet*.

riiſſet. Quod de ieiunio Iudæorum ob mortem Godoliæ dicitur, neſcio quid habent probabilitatis: quæ enim cauſa ut propter Godoliam ieiunium inſtitueretur; ac non potius ob multos alios ſuæ gentis ſanctos viros ac deſideratiſſimos, vel occiſos vel præmatura morte abreptos? ut Ioſiam, Hieremiam, Iſaiam, &c. Vide Calendarium Hebræorum apud Genebrardum in Pſalterio; ubi multa habes ieiunia, ſed quæ non omnia adhuc illo tempore quo facta ſunt, quæ hic ſcribuntur, erant inſtituta. Maxime veriſimile eſt intelligi ieiunium illud celeberrimum, quod ſecundum legem Moſaicam agebatur die decima ſeptimi menſis, qui noſtro fere reſpondet Septembri; nam Paulus & Lucas & ceteri comites eius Iudæi legem ſervabant, quod manifeſte de Paulo teſtatur Iacobus cap. xxi. huius libri; & quidem Iudæi a ſuis feſtis & ieiuniis tempora nominabant ac diſtinguebant. Unde Lucas alibi in hoc libro nominat Paſcha & Pentecoſten Iudaicam. Sed & ex eo probabile fit ieiunium ſeptimi menſis intelligi, quia poſt menſem Septembrem propter intemperiem cæli urgentis ad hyemem, periculoſa incipit eſſet navigatio in mari. Unde & ſequenti capite dicitur quod propter imminentem imbrem & frigus, omnes accenſa pyra ſe reficiebant. Erat quidem etiam apud Iudæos ieiunium decimi menſis de quo Zachar. viii. ſed minus celebre, quod proinde abſoluto vocabulo ieiunii non ſignificaretur; neque tempore illius ieiunii incipiebat navigatio eſſe periculoſa; ſed multo ante. Quidam locum hunc interpretantur de ieiunio decimi menſis Chriſtianorum, ſcilicet, eo, quod menſe Decembri celebratur, & a Leone aliiſque Patribus ieiunium decimi menſis vocatur. Sic Bellarminus Lib II. de bonis operibus cap. xix. Sed nullum habet auctorem. Nec eſt probabile; quia ieiunium illud, ut ſatis patet ibidem ex allegata epiſtola Calliſti quartum ieiunium, quod eſt decimi menſis, aliis tribus poſtremum fuit additum. Et Chryſoſt. & Oecumenius ieiunium hebræorum intelligunt. Ita & Baronius, affirmans Lucam anni tempus hebraico more deſcripſiſſe. Idem ſatis certum putat Lucam loqui de ieiunio decimi menſis. Vide eius probationem. Item, nec menſes hebræi, nec Romani Græce ſcribentibus erant in uſu. Vide Eraſmum in Annot. de vocabulis græcis νηστεία & ἀσιτία, & Lyranum, & ab eo bene diſſentientem Burgenſem.

V. 11. CENTURIO AUTEM GUBERNATORI ET NAUCLERO MAGIS CREDEBAT, QUAM HIS QUAE DICEBANTUR A PAULO. Quæritur an peccaverit Centurio magis credens gubernatori, quam Paulo. Videtur quod non, quia unicuique perito in ſua arte credendum. Verumtamen peccaſſe eum apparet ex Pauli reprehenſione, qua poſtea dixit: *Oportebat, o viri, audito me non tollere a Creta*, &c. Debuiſſet ergo Centurio Paulum audire potius quam gubernatorem; ac merito: Paulus enim miraculis & ſanctitate vitæ celebris erat, neque id ignorabat Centurio, qui utique ſciebat qualem virum ſibi haberet commendatum a Feſto Præſide. Neque in obſcuro erant quæ geſſerat Paulus, & quæ paſſus fuerat; itaque conſilium eius, id eſt tanti viri, ſaltem expendere debuiſſet, tamquam profectum ab homine Spiritum Dei habente. Qua ratione præferendum fuerat conſilio naucleri, tametſi periti; præſertim cum in huiuſmodi rebus dubiis & periculoſis contingat ſæpe etiam peritos artifices falli; propterea quod eventus pendeat ab occultis cauſis, velut in curationibus infirmorum, in quibus variant ſæpe medicorum conſilia.

V. 22. & ſeqq. SUADEO VOBIS BONO ANIMO ESSE: AMISSIO ENIM NULLIUS ANIMAE ERIT EX VOBIS, PRAETERQUAM NAVIS. ASTITIT ENIM MIHI HAC NOCTE ANGELUS DEI, CUIUS SUM EGO ET CUI DESERVIO, DICENS: NE TIMEAS PAULE, CAESARI TE OPORTET ASSISTERE. ET ECCE DONAVIT TIBI DEUS OMNES QUI NAVIGANT TECUM. PROPTER QUOD BONO ANIMO ESTOTE VIRI; CREDO ENIM DEO, QUIA SIC ERIT, QUEMADMODUM DICTUM EST MIHI. Illud: *Cuius ego ſum & cui deſervio*, non ad angelum referendum, ſed ad Deum, ut ſenſus ſit: Aſtitit mihi angelus Dei, cuius Dei ſum ego, videlicet cultor, & cui deſervio, id eſt quem colo. Nam Græce eſt λατρεύω. Ex verbis commemoratis duo breviter notari poſſunt. Unum, quod ſicut interdum propter malos etiam boni puniuntur; ut fit in generalibus calamitatibus peſtis, famis, belli; unde & Abraham & Iſaac & Iacob propter famem peregrinari coacti ſunt; ita pro-

propter unum bonum parcit Deus aliquando multitudini, in qua plures mali ſunt. Nam hic propter Paulum parcit animabus ducentis ſeptuaginta ſex, id eſt omnibus illis donat vitam temporalem. Neque enim de æterna ſalute hic agitur, ſed corporis; anima enim hic vitam ſignificat, aut hominem, ex parte totum intelligendo. Alterum, Deum aliquando promittere aliquid, quod cum promiſſum eſt, certum eſt eventurum: & tamen præſtatur per media humana & fallibilia, ſed quæ in Dei præſcientia certa ſunt. Nam hoc loco Deus Paulo promittit omnes qui ſecum in navi erat ſalvos fore: idque certum erat; unde Paulus dicebat, *Credo Deo, quia ſic erit:* & tamen præſtitum eſt illud promiſſum per media apud homines admodum dubia. Nautæ enim fugere volebant, de quibus dicit Paulus; *Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis*. Milites etiam cuſtodias occidere volebant; quos prohibuit Centurio. Denique omnes naufragium paſſi ad unum tamen evaſere, ita iſta media, in ſe dubia, & mutabilia, Deus direxit ad implendum ſuum promiſſum. Sic etiam per humana media, & per homines, qui falli poſſunt, ſive Epiſcopos, ſive ſummos Pontifices, implet Deus promiſſum de eccleſia in fide manſura. Et ſimiliter implet electionem ſingulorum: unde idem Paulus II Timoth. II. *Omnia ſuſtineo propter electos, ut ſalutem conſequantur* Vide eius loci comment. & Annot. Iud. xx. & Gen. xxxII. & Aug. ibi allegatum. Hieronymus contra Vigilantium allegat hunc locum pro meritis & interceſſione ſanctorum cum Chriſto regnantium. AMISSIO NULLIUS ANIMAE ERIT EX VOBIS, PRAETERQUAM NAVIS. Impropria exceptiæ, non enim navis habet animam, ſed ſenſus eſt: Vobis omnibus ſalvis, navis peribit. Vide Annot. ad Ioan. XVII. Simile quid I Corinth. VII. *Nolite fraudare invicem, niſi conſenſu ad tempus*. Ita Act. XXIV. *Si quid invenerunt in me iniquitatis, niſi de hac voce*, &c.

V. 24. NE TIMEAS PAULE, CAESARI TE OPORTET ASSISTERE. At cur timuit, qui iam ante cum adhuc Ieroſolymis eſſet, acceperat revelationem ſe teſtificaturum Romæ, ſicut fecerat Ieroſolymis? non ergo timere debuit ne naufragatio vel alio modo vitam amitteret priuſquam Romam veniſſet. An timor ille tantum fuit naturalis, & involuntarius affectus partis animæ inferioris, ortus ex præſentia periculorum? adverſus quem iubetur animum roborare, renovata ei revelatione futuri adventus ſui in urbem Romam. An vero ideo timebat, quod etſi ſciret ex revelatione ſe perventurum Romam, neſciret tamen quibus modis & mediis id eſſet implendum? Vide Annot. Gen. xxxII. & præcedent. verſ. 23. Poteſt etiam reſponderi, non eſſe hinc conſequens Paulum timuiſſe, ut ſi cui dicam, ne facias hoc aut illud, non eſt conſequens eum iam hoc facere; verba enim ſunt prohibentis ne fiat: quod alioqui quis facere poſſet. Ita Paulus induci potuit ad timendum; ſi non iterum confortatus fuiſſet angelica revelatione.

V. 33. NIHIL ACCIPIENTES, id eſt per modicum. Non enim cibo ſe refecerant aut ſatiati ſuerant; ſicut ad Pauli exhortationem fecerunt, ut ſequentia verba teſtantur: *Et ſatiati cibo:* verſ. 38.

V. 35. SUMENS PANEM GRATIAS EGIT DEO IN CONSPECTU OMNIUM, ET CUM FREGISSET, COEPIT MANDUCARE. Nullo modo veriſimile eſt, quod quidam opinantur hic agi de ſumptione panis myſtici, id eſt euchariſtiæ. Neque enim illa tremenda myſteria fas erat tractare coram infidelibus, ac multo minus ea infidelibus communicare. At hic dicitur quod gratias egit in conſpectu omnium, & inſuper additur, quod exemplo Pauli omnes animæquiores facti ſumpſerunt cibum. Agitur ergo de pane & cibo vulgari; quia & illum cum gratiarum actione & oratione ſumere oportet. *Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem; & nihil reiiciendum*, inquit, *quod cum gratiarum actione percipitur, & qui manducat, gratias agit Deo:* ad Rom. XIV. Hoc autem faciens Apoſtolus Dei coram omnibus etiam infidelibus docuit eos a Deo omnia bona expectanda eſſe, & pro omnibus ei gratias agendas; hæc vere Chriſtiana diſciplina eſt. Item in Syriaco non eſt vox illa quæ Act. II. & XX. quæ Euchariſtiam ſignificat. Vide Annot. Act. II. & conſule ipſum textum Syriacum Ceterum Lucam non loqui de pane myſtico, id eſt de Euchariſtia, etiam ex eo probatur, quia hæc refectio facta eſt ad pellendam famem corporis, & ad vires corporis inſtaurandas.

Nam

Nam Paulus exemplo ſuo eeteros omnes qui in navi erant, hortatur nt cibum ſumant pro ſalute ſua, id eſt pro valetudine & robore corporis. Unde & poſtea ſequitur; *Animæquiores autem facti omnes & ipſi ſumpſerunt cibum*. Et paulo poſt: *Et ſatiati cibo alleviabant navem, iactantes triticum in mare*, at Euchariſtia non eſt inſtituta ad refectionem & ſatietatem corporalem; ac nefas quidem eſt de ea ſumere uſque ad corporis ſatietatem.

MARIANAE.

Verſ. 2. ASCENDENTES NAVEM ADRUMETINAM. Sic plerique legunt. Alii *Adrumentinam*. Alii *Hadrumentinam*. Alii *Adramytenam*. Theophylactus *Atramytinam*. Ac ne ipſa urbs, unde ea navis erat, uno modo ſcribitur. Plinius Lib. VI. cap. XXXIV. *Adrumentum* vocat, Hieronymus de Locis ex Actis *Hadrumentum*, atque urbem eſſe in Byzacio Africæ regione. Syr. hic *Adramatum* vocat. Ac nec de nomine, quo nunc vocatur, Auctores conſentiunt. De quo Ortelii Theſaurus Geographicus. Quo in portu aſcenderint navem, non explicatur. Suſpicor Ioppe ſolviſſe, quoniam non procul a Cæſaræa diſtat.

V. 3. DEVENIMUS SIDONEM. Petentibus Italiam, Sidon devia erat & remotior; ſed fortaſſe navis eo merces deferebat, aut inde erat acceptura. Inde in Cyprum,

V. 4. QUOD ESSENT VENTI CONTRARII. Cyprus non erat devia navigantibus in Italiam, ſed videntur ibi aliquamdiu ſubſtitiſſe propter ventos.

V. 7. CONTRA GNIDUM. Urbs aut promontorium minoris Aſiæ, Cretæ obiectam. ADNAVIGAVIMUS CRETAE, pro, *Cretam*, ut eſt Greeæ & Syr. ad eam pervenimus. IUXTA SALMONEM. Cretæ eſt promontorium.

V. 8. BONIPORTUS. Una dictio eſt, nomen portus Cretæ. Iuxta eum civitas THALASSA. Græce, *Laſæa*. Plerique *Thalaſſam* corruptum putant, & ſubſtituendam *Laſæam*, iniqui iudices, cur enim *Laſæam* potius non dicamus corruptum? At Syr. *Laſia* ponit: ſed & Veleſius Θάλασσα ponit ex aliquo certe codice Græco.

V. 9. QUOD ET IEIUNIUM IAM PRAETERISSET. Gotth. *Autumnus*. An pro νηστείαν in aliquo codice invenerunt ὀπώραν; an relictis verbis ſententiam ſunt ſecuti. Syr. *ieiunium Iudæorum* ait: nempe quod die ſexto menſis *Marcheſuam*, id eſt *Octobris*, incipiebant Iudæi, ob excæcatum Sedechiam Regem Iuda, & dies aliquot continuabatur. Ita plerique Expoſitores. Nam de ieiunio Chriſtianorum, quod veris initio incidit, aut de ieiunio Quatuor temporum, ut intelligatur; non placet.

V. 12. NAVIGARE INDE: ſupple, ut viderent, SI QUOMODO POSSENT, DEVENIENTES PHOENICEN. Nomen eſt portus Cretæ ad Auſtrum, ut mox dicitur.

V. 13. CUM SUSTULISSENT, id eſt ſolviſſent. DE ASSON. *Aſſon* duplex: altera Myſiæ urbs, de qua cap. XX. 13. altera Cretæ, unde nunc ſolverunt.

V. 14. VENTUS TYPHONICUS, id eſt *vorticoſus*, qui in mari vortices facit. Τυφῶν *vortex* eſt. Gotth. *ventus vehemens*, ſententiam ſequitur. EUROAQUILO. Græce Εὐροκλύδων, id eſt *Eurus tempeſtuoſus*, qualis Eurus ad Aquilonem vergens: inde nova compoſitione *Euroaquilo*, Græci Καικίαν dixere, ut puto. Aut una voce duo venti deſignantur, quibus concurrentibus procellæ concitantur, ut ait Vegetius Lib. IV. cap. XXXVIII.

V. 16. QUAE VOCATUR CAUDA. Græci codices omnes & plerique Latini *Clauda*. Quæ ubi ſit, Auctores variant. POTUIMUS VIX OBTINERE SCAPHAM, id eſt in navem eam ſublevare. Aut *ſchapham*, pro *ſcapha* vix eam inſulam tenere potuimus.

V. 17 SYRTIM. *Syrtis* eſt locus vadoſus & arenoſus. *Breve* etiam vocatur, ubi hærent naves: nec loquitur de Syrtibus Africæ. SUMMISSO VASE, id eſt antenna demiſſa ferebamur.

V. 18. IACTUS FECERUNT mercium, ſcilicet ne onere navis mergeretur.

V. 21. OPORTEBAT; pro, *oportuerat*: ſic Gotth. non diſcedere a Creta.

V. 39. TERRAM NON AGNOSCEBANT, ſcilicet nautæ, qua in plaga eſſent.

V. 40. COMMITTEBANT SE MARI, id eſt permittebant ut eos ferret, non reſiſtebant procellæ. SIMUL LAXANTES IUNCTURAS GUBERNACULORUM, id eſt temonem reliquerunt, quo navis gubernatur. ET LEVATO ARTEMONE, id eſt velo parvo,

vo, quo ſenſim, & lente ferretur navis, illud explicarunt.

V. 41. IN LOCUM DITHALASSUM, id eſt *bimarem* incidimus: διθάλασσον terra eſt in mari ſurgens, ab utroque tamen latere profundam aquam habens. Goth. *vadoſum* habet, qua voce non male explicatur quid ſit διθάλασσον.

V. 44. SUPER EA, QUAE DE NAVI ERANT, ſcilicet armamenta, ſupellex nautica, navis fragmenta: iis impoſiti evadebant ad terram.

MENOCHII.

Verſ. 1. IUDICATUM EST: a Præſide Feſto. CUSTODIIS, id eſt vinctis.

V. 2. NAVEM ADRUMETINAM. Syrus, *quæ erat ex Adrumeto urbe*, quæ eſt in Africa; eam Ortelius in theſauro Geographico ait nunc appellari *la Machometta*. SUSTULIMUS: anchoras ſolvimus, vela fecimus. Probabile eſt navim hanc ſolviſſe ex Ioppe, quæ non longe aberat Cæſarea, unde victus mittebatur Paulus. ARISTARCHO MACEDONE: cuius mentio eſt ſupra, cap. XX. 4.

V. 3. SIDONEM: quæ eſt urbs in Phœnicia, diſtans a Tyro ſtadiis ducentis. CURAM SUI AGERE: curare corpus feſſum laboribus, & vinculis; quæ ad navigationem erant neceſſaria parare.

V. 4. SUSTULISSEMUS: anchoras, ut nu. 2. SUBNAVIGAVIMUS CYPRUM, id eſt ſub, vel iuxta Cyprum navigavimus, non enim videntur ingreſſi Cyprum, ſed in mari manſiſſe.

V. 5. LYSTRAM: cuius mentio ſupra cap. XIV. 6. QUAE EST LICIAE: Lyſtra proprie eſt in Lycaonia, ſed hic Lycia late ſumitur, ut etiam Lycaoniam comprehendat.

V. 7. CONTRA GNIDUM. Gnidus eſt urbs, aut promontorium Aſiæ, Cretæ obiectum. ADNAVIGAVIMUS CRETAE: iuxta Cretam. SALMONEM: quod Strabo Lib. II. ait eſſe Cretæ Orientale promontorium.

V. 8. IUXTA NAVIGANTES: littus legentes. BONIPORTUS: fortaſſe eſt ille quem Stephanus de urbibus appellat καλὴν ἀκτὴν, id eſt *bonum littus*, & ait eſſe Cretenſium civitatem. THALASSA: in Greco eſt *λασαία*.

V. 9. EO QUOD IEIUNIUM PRAETERIISSET: ieiunium quatuor temporum menſis Decembris, ut interpretatur Bellarmin. Lib. II. de bonis operibus cap. XIX. & alii; eſt enim huius ieiunii lex, & conſuetudo valde antiqua, ideoque inſtituta, quia eo menſe ſacræ ordinationes fiebant, ut etiam nunc fiunt. CONSOLABATUR EOS *PAULUS*: in tam lenta, moleſta, ac periculoſa navigatione. In Græco eſt, παρῄνει, quod verti poteſt, *exhortabatur*. Syrus habet, *conſilium dabat*, ſcilicet de non navigando.

V. 10. VIDEO: non tam ex aere aliiſque naturæ prognoſticis, quam ex ſpiritu prophetico. INIURIA; quaſi dicat, Iniqui, & iniurii ſumus, non tantum navi, & mercibus, earumque dominis nimirum mercatoribus; ſed & animabus, id eſt vitæ noſtræ, hæc enim omnia naufragii, & mortis periculo exponimus, ſic hoc tempore hiberno, & importuno navigare pergamus.

V. 12. PLURIMI: maior pars. STATUERUNT CONSILIUM: decreverunt. PHOENICEM: urbs eſt, & portus in latere Auſtrali Cretæ. AFRICUM: ventum qui flat ab occaſu brumali ex Plin. Lib. II. cap XLVII. & ab Africa, Græci Liba vocant. CORUM: qui etiam dicitur Argeſtes, flat ab occaſu ſolſtitiali, eſtque oppoſitus Aquiloni. Vide Plin. loco citato.

V. 13. AUSTRO: qui flat a meridie. AESTIMANTES PROPOSITUM SE TENERE: *putarentque ſe quaſi voluntatem ſua conſecutos*, ait Syrus. CUM SUSTULISSENT; ſcilicet, antennas, & anchoras, id eſt cum ſolviſſent. DE ASSON: quæ eſt urbs, & portus Cretæ ad Septentrionem. LEGEBANT CRETAM, id eſt, prætemavigabant.

V. 14. VENTUS TYPHONICUS: ventus Typhon ille dicitur, qui eſt ſubitaneus, procelloſus, & vorticoſus. Plin. Lib. II. cap. XLVIII. appellat *præcipuam navigantium peſtem, non antennas modo, verum ipſa navigia contecta frangentem*. EUROAQUILO. Eurus flat ab Oriente, ſi vero medius ſit, & mixtus, hoc eſt, ſi flet inter Orientem, & Aquilonem, eſt Euroaquilo. In Græco eſt, εὐροκλύδων, ſed videtur legendum εὐρακύλων.

V. 15. ARREPTA ESSET NAVIS: a vento Typhonico, qui eam agebat in gyrum. DATA NAVE FLATIBUS: navi ventis permiſſa.

V. 16.

V. 16. Cauda'. Plinius Lib. II. cap. viii. *Gaulon* vocat, creditur ea eſſe, quæ nunc appellatur *Gozo*, & eſt Melitæ vicina. Obtinere Schapham: e mari ſubtrahere, & in navim imponere.

V. 17. Sublata: in navim. Adiutoriis utebantur: catenis, uncis, funibus, & huiuſmodi. Accingentes navim: eius latera firmantes contra vim venti, & funibus conſtringentes, ne vi tempeſtatis diſſolveretur. Ne in Syrtim inciderent: ne in loca vadoſa impingerent. Italice dicimus: *avevano paura di dare in ſecco*. Submisso vase. Syrus habet, *ſubmiſimus antennam*, exiguam veli partem explicantes, ut parum venti exciperemus, ne forte navim procellæ vis abriperet, aut demergeret. Italice dicimus, *Navigar con le vele baſſe*. Vas appellatur antenna cum veli parre explicata, in quam dum ventus flat, quaſi vaſis cuiuſdam cavi figuram exhibet.

V. 18. Iactum fecerunt: ſarcinas; & merces in mare proiicientes, ne navis fluctibus iactata, & pondere preſſa ſubſideret.

V. 19. Armamenta navis: inſtrumenta nautica, funes, vela, contos, &c. ut nimirum navis adhuc eſſet levior, & ex ingenti illa tempeſtate, ſi fieri poſſet, enataret.

V. 20. Imminente: quia nimirum invaleſcentis tempeſtatis ſigna videbantur.

V. 21. Ieiunatio; ἀσιτία, inedia, ob periculum imminens, quod cogitationem, & appetentiam cibi adimebat. Tollere: ſolvere. Lucrifacere: vitare. Italice diceremus, *Riſparmi are di entrare in queſto travaglio, e pericolo*. Inturiam: iactationem, vexationem, & periculum. Iactura: damnum.

V. 22. Nullius animae: vitæ nullius.

V. 23. Cuius sum ego: miniſter, cultor, & Apoſtolus.

V. 24. Donavit tibi: vitæ eorum in tui gratiam pepercit.

V. 27. In Adria: in mari Adriatico. Suspicabantur, &c. ſibi videbantur accedere ad terram & illam videre.

V. 28. Bolidem, id eſt pondus funiculo alligatum quo exploratur maris altitudo. Separati: progreſſi.

V. 26. In aspera loca: in ſcopulos, aut ſyrtes. Anchoras quatuor: ut navim ſiſterent.

V. 30. Obtentu: prætextu. A prora anchoras extendere: vel in ipſo mari, vel in terra, & litore, fingentes navim iam ad littus appuliſſe, & eſſe in tuto.

V. 31. Nisi hi in navi manserint: qui peritiam habent regendæ navis.

V. 32. Eam excidere: ſcapham perire.

V. 33. Nihil accipientes: parum, & obiter cibum accipientes.

V. 34. Pro salute vestra: ut ſalvi eſſe poſſitis: refocillando vires ad enatandum e naufragio neceſſarias.

V. 35. Gratias agens, &c. ex laudabili more cibo benedicendi antequam ſumatur.

V. 36. Animaequiores facti: hilariores, & fidentiores.

V. 37. Animae: capita.

V. 39. Considerabant: videbant. Eiicere navim: appellere.

V. 40. Laxantes iuncturas gubernaculorum. Syrus, *ſolverunt vincula gubernaculorum*, ut nimirum poſſent uti gubernaculo, & navim dirigere, prius enim videntur alligaſſe, fortaſſe ne iactatione tempeſtatis aut frangeretur, dum ſtarent, aut avelleretur. Levato artemone. Syrus, *parvo velo*. Itali dicunt, *far trinchetto*. Secundum aurae flatum: ad excipiendum ventum.

V. 41. Dithalassum, id eſt bimarem, ſive Iſthmum, in terræ dorſum, quod utrumque mari cingebatur. Locus hic etiam nunc appellatur, *la Cala di S. Paolo*. Vide Philippum Cluverium Lib. II. de antiqua Sicilia cap. xvi. Fixa manebat: arenoſo loco impacta.

V. 42. Custodias: vinctos reos, quos cuſtodiebant.

V. 44. Alios in tabulis ferebant. In Græco tantum eſt, *partim in tabulis*, tabulis innitentes enatabant. Quosdam super ea quae de navi erant: partim in navis fragmentis, tignis, vaſis, ſarcinis, &c. Omnes animae: omnes qui in navi fuerant, nautæ, milites, vectores, &c.

TI-

TIRINI.

Verſ. 1. *Cuſtodiæ* hic non ſumuntur proprie pro carcere, vel pro cuſtodibus, ut ſubinde ſumit Tacitus, Cæſar & Virgilius *a*: ſed metonymice (ut Suetonius & Iuriſperiti *b* uſurpant) pro ipſis cuſtoditis & incarceratis, qui una cum Paulo Cæſarea Romam, ſeu ob criminum enormitatem, ſeu ob cauſarum difficultatem, ſeu ob ſimilem cum Paulo appellationem ad Cæſaris tribunal, ſeu aliam ob cauſam, eadem opera devehebantur a *centurione* COHORTIS AUGUSTAE, ſeu Imperatricis, cui tutandæ & cohoneſtandæ deſerviebat de more; ſed iam negotiorum cauſa, forte ut Feſtum præſidem deducc. ret, in Syriam tranſmiſſa fuerat.

V. 2. *Adrumetum* Plinio & S. Hieronymo *c* urbs eſt in Africa. Sed alii malunt hic urbem Aſiæ deſignari in AEolide, ſeu Myſia, quam Stephanus *d Adramitteum* vocat. SUSTULIMUS, ſupple, anchoras & antennas; Pagninus, *ſolvimus*, vela fecimus; PERSEVERANTE NOBISCUM ARISTARCHO *e*, Theſſalonica Macedoniæ urbe prognato, aliiſque ſociis, quibus S. Lucas ſe quoque adnumerat

V. 5. *Lyſtra*, Timothei patria, Lycaoniæ urbs EST ſimul & LYCIAE. Nam Lycia generatim ſumpta & Lycaoniam & multas alias regiones complectitur, inquit Stephanus *f*.

V. 7. *Gnidus* promontorium eſt Aſiæ, obiectum inſulæ CRETAE.

V. 8. VIX ob adverſos ventos IUXTA terram NAVIGANTES, VENIMUS *Thalaſſam*. Græca & Syrus *Laſæam*, urbem in litt ore Cretæ, inquit Gagneius.

V. 9. MULTO TEMPORE, nempe trimeſtri (vel circiter (ut ex præcedentibus *g* colligitur) PERACTO, puta a Septembri uſque ad finem Decembris, CUM IAM IEIUNIUM *h* decimi menſis, qui fere noſtro Decembri reſpondet, PRAETERIISSET, & propter hiemales tempeſtates NON ESSET TUTA NAVIGATIO, PAULUS prophetico ſpiritu prævidens inſtans naufragium, CONSOLABATUR EOS, oportune cohortando, conſulendoque quid facto opus eſſet. Hæc enim omnia ſignificat Græcum παρῄνει. Porro Syrus, Oecumenius, Sanchez & quidam alii volunt hic intelligi ieiunium Iudæorum; Baronius, Bellarminus *i* & alii, Chriſtianorum ieiunium hiemale Quatuor temporum, quod vocant. Sed in idem pene tempus coincidebant hæc tam Chriſtianorum, quam Iudæorum ieiunia, nempe poſt medium noſtri Decembris, ut patet ex alibi dictis *k*.

V. 12. *Phœnix* non eſt Phœnicia Syriæ regio, cuius caput eſt Tyrus & Sidon: ſed urbs & *portus* in Auſtrali latere CRETAE, *reſpiciens* AD AFRICUM (ventus eſt medius inter Auſtrum & Occidentem) ET AD CORUM, qui medius eſt inter Africum & Occidentem.

V. 13. *Aſſon* non eſt illa urbs iuxta Troadem, de qua ſupra *l*, ſed portus *Cretæ*, ad Septemtrionem, inquit Baronius.

V. 14. *Typhon* ventus eſt contortus & turbulentus, Græcis *ecnephias* dictus, id eſt ex nube erumpens, nempe per exiguum nubis foramen & ingenti impetu: unde procelloſus eſt & quidquid obvium habet, ſternit, convellit, evertit, inquit Ariſtoteles & Plinius *m*. Talis hic erat EUROAQUILO, flans teſte eodem Plinio, inter *Eurum* ventum Orientalem, & *Aquilonem* Septemtrionalem: a Columella *n* vocatur *Euronotus*, a Gellio *o Vulturnus*. Sed hic mox cum aliis ventis, etiam contrariis, ut fit in tempeſtate concurrens, extremum navigantibus periculum creavit. S. Chryſoſtomus hanc tempeſtatem innuit a diabolo excitatam, ad demergendum & perdendum Paulum: permiſſam vero a Deo, ut per eam Pauli virtus, charitas, ſanctitas ac dignitas magis eluceſceret.

V. 5. ARREPTA NAVI a ventis qui illam inſtar turbinis gyrabant, nunc hac, nunc illac agentes.

V. 16. IN INSULAM CAUDAM; Græce, *Claudam*, (quæ a Plinio *Gaulus*, a Mela *Gaudos*, a Ptolemæo *p Claudos*, ab aliis *Caudos* vocatur, & vicina eſt *Cretæ*, hoc nomine memorabilis, inquit Suidas, quod illic ingentis magnitudinis onagri generentur:) DECURRENTES, vi ventorum impellente, VIX SCAPHAM navi noſtræ alligatam POTUIMUS OBTINERE, ſeu ex undis ſubducere & in navim imponere.

V. 17. *Adiutoria* vocat catenas, uncos, funes, aliaque inſtrumenta quibus fatiſcentem *navim accingebant* & conſtringebant, tranſverſim illam in medio & ad proram, de more, colligantes, ne, ſi in vada con-

tingat impingere, diffringatur & in fruſta diſſiliat: ita Beda, Gagneius, Arias & alii. SUMMISSO VASE, id eſt navi, eiuſque ventre & fundo, quantum poſſibile fuit, in mare depreſſo per anchoras eiectas, per ſaxa aliaque pondera in imum navis deiecta, ne tam facile vi ventorum everteretur, vel IN SYRTIM ageretur: ita Salmeron & a Lapide. Erat autem *Syrtis* in ſingulari, vel *Syrtes* in plurali conglobatio locorum arenoſorum circa fines Africæ AEgyptum verſus; ſic dicta a *σύρειν*, id eſt *trahere*, quod naves trahat & ſorbeat. Unde *Syrenes* in Syrtibus naves & nautas incantare & ſorbere fabulati ſunt Poetæ. poſtea ampliato nomine quælibet arenoſa loca in quolibet mari, vocare placuit *Syrtes*, inquit Servius. Quibus cum vicini eſſemus, ne navis adeo onerata, nimio impetu illis infigeretur,

V. 18. 19. IACTUM, ſeu iacturam, FECERUNT mercium & ſarcinarum, dein & *armamentorum* NAVIS minus neceſſariorum, v. g. antennarum, contorum, remorum, &c. nova rurſus

V. 20. IMMINENTE NON EXIGUA TEMPESTATE nubium, imbrium, ventorum, fulminum ac tonitruorum, qualem pulchre deſcribit Silius *q* & Virg.

V. 21. CUM MULTA IEIUNATIO fuiſſet; Græce, cum longa, ſeu prolixa, duraſſet inedia, partim ob metum inſtantis naufragii, & continuas occupationes: partim ad placandum & propitiandum: STANS PAULUS erecto non minus animo, quam corpore, DIXIT: OPORTEBAT NON TOLLERE, id eſt non ſolvere, A CRETA, & ſic LUCRIFACERE, id eſt evitare, HANC INIURIAM, eiectionis mercium & confractionis navigii: quæ ſane damnoſa & iniurioſa erat tam nautis & vectoribus, quam dominis mercium. Sed error commiſſus; quid remedii?

V. 24. TIBI, o Paule, DONAVIT DEUS OMNES QUI NAVIGANT TECUM. In tui gratiam omnes ſalvi evadent, etiam quoad animam, inquit Chryſoſtomus: additque *propter oracula*, *miracula*, *beneficia* per Paulum accepta, coactos vectores, *etſi lapides fuiſſent*, de Paulo magna præſumere. Tandem, *Cogita*, inquit, quam utile ſit *habere domi ſuæ virum ſanctum*. Perditi erant hi 276. ſed in unius Pauli gratiam omnes intacti ſervantur. Sed qui tanta potuit apud Deum mortalis adhuc & peccator, quid apud eumdem non poterit iam immortalis & glorioſus? inquit S. Hieronymus *r*.

V. 27. ADRIA; Syrus, *mare Adriaticum* vertit, ſic dictum ab *Adria* veteri oppido & portu ad Padum fluvium a Tuſcis condito, inquit Plinius *ſ*. Porro *Adriaticum mare* non ſolum complectitur ſinum Venetum, ſed etiam mare Siculum & Ionium, teſte Strabone, cuius fere ævo contigit hæc Pauli navigatio.

V. 28. 29. & 30. *Bolide*, ſeu perpendiculo nautico, nempe plumbeo globulo funi appenſo, explorant alvei profunditatem, NE IN ASPERA LOCA, puta in vada, arenas & ſcopulos, ex improviſo navis impingat. Interim nautæ SCAPHAM MITTUNT IN MARE, OBTENTU, id eſt ficto prætextu, quod in ſcapham deſcendere vellent, non fugiendi cauſa, ſed ANCHORAS A PRORA longius extendi, & ſic navim melius continendi. Sed dolo comperto

V. 31. DIXIT PAULUS CENTURIONI ET MILITIBUS: NISI HI nautæ IN NAVI MANSERINT, & opera atque induſtria ſua vos iuvare perrexerint, VOS SALVI FIERI NON POTESTIS: promiſſum enim de omnibus ſalvandis, quod ſupra *t* protuli, hac conditione limitatur, ſi ordinariis mediis, quæ ad manum ſint, utamini. Non utemini autem, ſi nautis, qui ſoli rei nauticæ periti ſunt, copiam fugiendi feceritis: ita Theophylactus.

V. 33. QUARTADECIMA DIE HODIE IEIUNI PERMANETIS, NIHIL per modum iuſtæ refectionis ACCIPIENTES: ita Hugo, Gagneius, a Lapide & plerique alii, qui volunt, vectores carptim ſubinde quædam delibaſſe, ad vitam vireſque aliquo modo fovendas: quod abſque omni cibo potuque naturaliter ultra ſeptimum diem in corpore alioqui ſano fieri non poſſe, Hippocrates *u* & alii malunt, miraculo tamdiu omnes ſine ullo cibo victitaſſe. Et plura eiuſmodi exempla profert S. Auguſt. *x*.

V. 40. LAXANTES IUNCTURAS GUBERNACULORUM, id eſt vincula quibus firmatur clavus navigii, nempe ut expeditius clavo uterentur ad dirigendam navim in vicinum, ut putabant, littus, LEVATO in altum ARTEMONE, id eſt velo minore & arctiore, ſic dicto ab *ἀρτάω*, id eſt ſuſpendo, inquit Iulius Pollux.

V. 41.

Digitized by Google

V. 41. & 44. *Dithalaſſus*, id eſt bimaris (ut Tigurini vertunt) *locus* eſt inter duo maria, ſive *iſthmus*, qui utrimque mare quaſi ſecat & dividit, ubi certum ſolet eſſe naufragii periculum. Hic *dithalaſſus* adiacet Melitæ, & cauſatur a rupe vicina, nunc *Selmon* dicta, in qua ſacellum S. Paulo ſacrum. In medio huius littoris locus oſtenditur, ubi, SUPER EA QUAE DE NAVI ERANT, id eſt ſuper ligna vel tigna; Vatablus, *ſuper fragmenta navis*, iam vi maris *ſolutæ*, Paulus cum ſociis appulit in terram, vocaturque vulgo *la Cala di S. Paolo*, id eſt *portus* vel appulſus *S. Pauli*, inquit Philippus Cluverius & Octavius Caetanus *y*. Hoc quartum eſt Pauli naufragium: tria alia ipſe recenſet II. Cor. XI. 25. quæ epiſtola multis menſibus ante hoc iter Romanum z conſcripta fuit.

(a) Tacitus Lib. I. Hiſt. Cæſar. Lib. III. de Bello Gallico. Virg. VII. Æneidos.
(b) Sueton. in Domitiano. *Iuriſp.* ff. de reorum cuſtod.
(c) Plin. Lib. VI. cap. XXXIV. Hieron. in Locis Hebr.
(d) Steph. Lib. de Urbibus.
(e) Actor. XX. 4.
(f) Steph. ibid.
(g) Hic 4. 7. &c.
(h) Zachar. VIII. 19.
(i) Bellar. Lib. II. de bonis operib. cap. XIX.
(k) Chron. cap. XV. & Zacharias ſup.
(l) Actor. XX. 13.
(m) Ariſtot. Lib. III. Meteor. Plin. Lib. II cap. XLVII. & XLVIII.
(n) Columella Lib. III. cap. XI.
(o) Gellius Lib II. cap. XXII.
(p) Plin. Lib. III. cap. VIII. Mela Lib. II. cap. XVII. Ptolom. Lib. III. cap. XVII.
(q) Silius Lib. IV.
(r) Hieron. Lib. cont. Vigilantium & Hagiomachos.
(ſ) Plin. Lib. III. cap. VI.
(t) Hic verſ. 24.
(u) Hippocr. Lib. de Carnibus.
(x) Aug. ep. LXXXVI.
(y) Cluver. Lib. II. de Antiqua Sicilia cap. XVI. Oct. Caet. Iſagoge Siciliæ cap. XIX.
(z) Chron. cap. ult. in anno Neronis 3. & præfat. in II. ad Corinthios.

GORDONI.

Verſ. 1. ERAT hic Iulius Centurio Cohortis Auguſtæ, quæ conſtare ſolebat 5000. militum ex Dione. Navis Adrumetina ex urbe Adrumeto: in Africa urbs eſt. SUSTULIMUS, ſolvimus. Probabile eſt ex Ioppe ſolviſſe quæ parum aberat Cæſarea: ventum Sydonem quæ in Phœnicia abeſt Tyro ſtadiis ducentis, ubi licuit Paulo agere cum amicis. Venitur inde Cyprum aut iuxta eam, & Lyſtram, de qua cap. XIV. 6. Lycia late ſumpta Lycaoniam complectitur. Gnidus eſt urbs vel promontorium Aſiæ: navem mutat Centurio nactus Alexandrinam. Salmon videtur Cretæ promontorium.

V. 9. & 10. Paulus prædicens naufragium ſuadet hyemare in Creta, cum iam præteriiſſet ieiunium, deſignat exeuntem Novembrem, præteriiſſe Tabernaculorum ieiunium apud Iudæos. Boni-portus eſt Cretenſium civitas ex Stephano. Phœnicem, de qua verſ. 12. putant aliqui eſſe portum Cretæ. Idem de *Aſſon*. *Africus* eſt ventus ab occaſu brumali, & ab Africa Græci Liba vocant. *Corus* flat ab occaſu ſolſtitiali; *Argeſtes* vocatur: lege Plinium Lib. II. cap. XLVII. At quis ventus *Typhonicus*? fieri ſolet ſpirante Aquilone, & ventum deſignat vehementem, ac (ut ſolent eſſe Typhones) interruptum. Proprium nomen eſt *Euroaquilo*, hoc eſt, Eurus cum impetu, inſtar vehementioris Aquilonis. Εὐροκλύδων, *Eurus fluctuans*, immo & verticoſus ac ſubitaneus. CAUDA verſ. 16. Militæ vicina eſt, hodie Gozo.

V. 17. Nautæ adiutoriis utuntur accingentes navim: firmabant latera funibus, ne diſſolveretur navis. Adhibita etiam remedia ad lentam navigationem procurandam, ne in Syrtes Africæ pellerentur. Ideo ſubmiſſa onuſta ſcapha iactum faciunt, &c. SUBMISSO VASE: obſcurum hoc eſt. Non male Beda ſubmiſſam antennam intelligit. Lignum eſt tranſverſum malo iunctum, unde pendet velum: ſic ergo ſubmiſſum magna ex parte velum eſt, ne adeo pateret vento. Poſt iactum, armamenta navis proiecerunt, ſunt vela, funes, & conti, ut levior redderetur navis.

V. 27. Poſt iactationem in Adria ſeu ore Adriatici maris, & iuxta infames ſcopulos Acroceraunia in fronte Epiri, ubi deficit mare Ionium, deferuntur in inſulam Melitem (verſ. 39.) ubi re deſperata impulerunt navim in Dithalaſſum, locum bimarem, ſeu littus in mare protenſum; & ſic natando, tabulis, aliiſque præſidiis adiuti evaſerunt omnes.

V. 28. 33. & 40. Submiſerunt bolidem. Maſſa plumbea eſt, funi alligata, quo inſtrumento explorant nautæ profunditatem maris. NIHIL ACCIPIENTES, hoc eſt, parum valde. LAXANTES IUNCTRAS. Videtur

tur etiam alligatum arcte gubernaculum fuiſ-
ſe, ne aut avelleretur, aut frangeretur.
Nunc laxatur ad regendam navim recta in
terram. Levato Artemone, parvo velo,
ut vento modico uterentur.

CAPUT XXVIII

Paulus ceterique ipſius comites humane a Barbaris excipiuntur in inſula Melita, in qua percuſſus a vipera Paulus nihil mali patitur, patremque Publii principis inſulæ ſanitati reſtituit, ac alios multos curat: & ab eo loco navigantes tandem Romam perveniunt, ubi Paulus convocatis primis Iudæorum cauſam exponit cur Cæſarem appellaverit: dieque ab ipſis conſtituto prædicat de Chriſto, cuius verbis multi non credunt, quod Paulus oſtendit ab Iſaia prædictum eſſe; & per biennium de fide in Chriſtum prædicat omnibus ad ipſum accedentibus.

1. ET cum evaſiſſemus, tunc cognovimus * quia Melita inſula
vocabatur. Barbari vero præſtabant non modicam huma-
nitatem nobis. 2. Accenſa enim pyra, reficiebant nos
omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus. 3.
Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam
multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera a calore
cum proceſſiſſet, invaſit manum eius. 4. Ut vero vide-
runt Barbari pendentem beſtiam de manu eius, ad invi-
cem dicebant: Utique homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari,
ultio non ſinit eum vivere. 5. Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem,
nihil mali paſſus eſt. 6. At illi exiſtimabant eum in tumorem convertendum,
& ſubito caſurum, & mori. * Diu autem illis expetantibus, & videntibus
nihil mali in eo fieri, convertentes ſe, dicebant eum eſſe Deum. 7. In lo-
cis autem illis erant prædia principis inſulæ, nomine Publii, qui nos ſuſci-
piens, triduo benigne exhibuit. 8. Contigit autem, patrem Publii febribus &
dyſenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intravit: & cum oraſſet, & im-
poſuiſſet ei manus, ſalvavit eum. 9. Quo facto, omnes, qui in inſula habe-
bant infirmitates, accedebant, & curabantur: 10. qui etiam multis honoribus
nos honoraverunt, & navigantibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant. 11. Poſt
menſes autem tres, navigavimus in navi Alexandrina, quæ in inſula hiema-
verat, cui erat inſigne Caſtorum. 12. Et cum veniſſemus Syracuſam, manſi-
mus ibi triduo. 13. Inde circumlegentes devenimus Rhegium: & poſt unum
diem flante Auſtro, ſecunda die venimus Puteolos; 14. ubi inventis fratribus
rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem: & ſic venimus Romam. 15. Et
inde cum audiſſent fratres, occurrerunt nobis uſque ad Appii forum; ac tres
Tabernas. Quos cum vidiſſet Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.
16. Cum autem veniſſemus Romam, permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum
cuſtodiente ſe milite. 17. Poſt tertium autem diem convocavit primos Iudæo-
rum. Cumque conveniſſent, dicebat eis: Ego, viri fratres, * nihil adverſus
plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ieroſolymis traditus ſum
in manus Romanorum: 18. qui cum interrogationem de me habuiſſent,
voluerunt me dimittere, eo quod nulla eſſet cauſa mortis in me. 19. Contra-
dicentibus autem Iudæis, coactus ſum appellare Cæſarem, non quaſi gentem
meam habens aliquid accuſare. 20. Propter hanc igitur cauſam rogavi vos
videre, & alloqui: Propter ſpem enim Iſrael catena hac circumdatus ſum.

21.

21. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te a Iudæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus eſt quid de te malum. 22. Rogamus autem a te audire quæ ſentis: nam de ſecta hac notum eſt nobis quia ubique ei contradicitur. 23. Cum conſtituiſſent autem illi diem, venerunt ad eum in hoſpitium plurimi, quibus exponebat teſtificans regnum Dei, ſuadenſque eis de Ieſu ex Lege Moyſi & Prophetis, a mane uſque ad veſperam. 24. Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam vero non credebant. 25. Cumque invicem non eſſent conſentientes, diſcedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam prophetam ad patres noſtros, 26. dicens; (*a*) Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis. 27. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos. 28. Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient. 29. Et cum hæc dixiſſent, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter ſe quæſtionem. 30. Manſit autem biennio toto in ſuo conducto: & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, 31. prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto, cum omni fiducia, ſine prohibitione.

(*a*) Iſa. VI. 9. *Matth.* XIII. 14. Marc. XIV. 12. Luc. VIII. 10. Ioan. XII. 40. Rom. XV. 8.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 1. *Quia Melita inſula vocabatur*. Non ſcribas *Mitylene* quadriſyllabum pro triſſyllabo *Melita*.

Verſ. 6. *Diu autem illis expectantibus*. Non mutes *expectantibus* in *ſperantibus*

Verſ. 17. *Nihil adverſus plebem faciens*. Cave ſcribas *legem*, pro *plebem*, quod eſt populum.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. MELITA, vulgo *Malta*.

V. 2. PYRA, id eſt lignorum ſtrue.

V. 4. VITIO id eſt criminis punitio. Syr. *iuſtitia*.

V. 6. CONVERTENTES SE, id eſt mutata ſententia.

V. 7. EXHIBUIT, id eſt tractavit humaniter hoſpitio exceptos.

V. 8. SALVAVIT, id eſt ſanum reddidit.

V. 11. CASTORUM, ſcilicet Caſtoris & Pollucis. Græc. *Dioſcurorum*, ſcilicet dicebantur *Dioſcuri*, id eſt *Iovis filii*.

V. 16. SIBIMET. Syr. *ubicumque vellet*.

V. 18. INTERROGATIONEM, id eſt examinationem.

V. 20. ISRAEL, id eſt quam habet Iſrael, ſcilicet Meſſiæ, vel reſurrectionis. HAC, ſcilicet Chriſtianorum.

V. 23. EXPONEBAT, ſcilicet Scripturas, vel regnum Dei.

V. 26. PERSPICIETIS, id eſt cernetis.

V. 27. INCRASSATUM: Syr. *obtenebratum*.

V. 28. HOC SALUTARE. Syr. *hæc redemptio*.

V. 29. QUAESTIONEM, id eſt diſceptationem.

V. 30. CONDUCTO, ſcilicet domo conducta.

Digitized by Google

ESTII.

Verſ. 1. BARBARI VERO PRAESTABANT NON MODICAM HUMANITATEM NOBIS. Græce φιλανθρωπίαν. Vide comment. Tit. III. hinc quoque diſce non omnia infidelium opera eſſe peccata; quod imprudenter a quibuſdam aſſeritur. Barbaros vocat non lingua; erant enim Græci, ſed quod nec moribus nec diſciplinis exculti eſſent, utpote in inſula ab iis urbibus quæ cultiores erant, remota, habitantes; homines alioqui non mali & ad humanitatem propenſi; quod hic Lucas teſtatur; quaſi dicat: Barbari, minime erant nobis barbari, ſed valde humani.

V. 4. UT VIDERUNT BARBARI BESTIAM PENDENTEM DE MANU EIUS, AD INVICEM DICEBANT: UTIQUE HOMICIDA EST HOMO HIC, QUI CUM EVASERIT DE MARI, ULTRO NON SINIT EUM VIVERE. Omnium fere animis ea impreſſa eſt opinio, ut putent inſolitam calamitatem accidere homini, ex inſolito & enormi aliquo peccato. Ita in Evangelio diſcipuli Dominum interrogant de cæco nato; *Quis peccavit, hic an parentes eius, ut cæcus naſceretur?* hoc etiam argumento contra ſanctiſſimum Iob uſi ſunt amici eius; ut quia videbant eum inſolita & gravi tribulatione affligi, putarent eum eſſe magnum peccatorem: quod quia ex eius externa converſatione non apparebat; dicebant eum eſſe hypocritam. Sed hanc opinionem Chriſtus apud Lucam iniquam oſtendit, quando docet non fuiſſe maiores peccatores, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum eorum ſacrificiis, aut ſuper quos ceciderat turris in Siloe, præ aliis e vulgo; quibus dicit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Ratio cur ea opinio ſit iniqua, duplex eſt: Una, quia bona & mala huius vitæ communia ſunt piis & impiis, immo interdum pii graviores patiuntur hic afflictiones, quam impii, quos Deus reſervat futuris & æternis ſuppliciis. Altera, quia caritati proximi adverſatur, ad quam pertinet de proximo non male iudicare; ſed quamdiu aliud non conſtat, bonam de eo habere opinionem. Aliud eſt de pœnis eorum qui manifeſte fuerunt ſcelerati, ut Antiochi, Herodis & ſimilium.

V. 6. Iidem barbari *cum viderent* NIHIL IN EO MALI FIERI, DICEBANT EUM ESSE DEUM. Notanda vulgi inconſtantia, quem paulo ante ſuſpicati ſunt eſſe homicidam & ſceleratum, nunc miraculo converſi in aliam ſententiam, dicunt eſſe Deum: in uno temere iudicantes; in altero ſupra humanum modum hominem extollentes. Paulus autem neque homicidam ſe, neque Deum, ſed miniſtrum Dei eſſe oſtendit, dum non virtute ſua, ſed per invocationem nominis Chriſti infirmos eorum curat. Vide porro quam facile gentiles quempiam deificabant. Non eſt autem dubitandum quin Apoſtolus ſtatim repreſſerit hanc illorum de ſe opinionem atque correxerit errorem, dederitque gloriam Deo; ſecus quam Herodes qui ſimilia audiens a populo, tacuit; ideoque percuſſus fuit ab angelo, ſupra cap. XII. Paulum autem contradixiſſe, quamvis hic expreſſe non dicatur, oſtenditur ex alio loco, ſupra cap. XIV. quando Lyſtrii dicebant eum eſſe Mercurium, & Barnabam Iovem. Porro gravius erat peccatum dicere Paulum eſſe Deum quam dicere homicidam: nam illud continet iniuriam Dei, & ad idololatriæ peccatum pertinet: hoc vero tantum continet iniuriam hominis. Gravius intellige ex genere ſuo: nam propter circumſtantias fortaſſe non erat gravius; tum quia procedebat ex benevolentia quadam; tum quia hominibus deorum cultoribus non adeo grave eſt ad numerum deorum unum aliquem addere: & excuſat eos ex parte conſuetudo & ignorantia. In Chriſtiano autem valde grave eſſet peccatum. Hinc collige, etiam Danielem prohibuiſſe ſibi offerri ſacrificium, licet rex id iuberet: Danielis III. quamvis id ſcriptum non ſit.

V. 11. CUI ERAT INSIGNE CASTORUM. *Cui* ſcilicet navi, non inſulæ, ut patet ex Græco, ubi (Alexandrina) proxime præcedit. Inſula autem eadem ipſa quæ ſupra, intelligitur; nempe Melita. (*Caſtorum*) Græce Διοσκούροις, id eſt Iovis filius: quo nomine peculiariter vocabantur Caſtor & Pollux Ledæ ex Iove filii, ſecundum fabulas; qui & a latinis prioris nomine interdum pluraliter *Caſtores* appellantur. Ideo autem ambos ſimul pro inſigni ſedere navis ſuæ libenter accipiebant nautæ; quia ſi ambo ſidera ſimul adpareant, ſerenitatis indicium eſt, ſin alter ſeorſim, tempeſtatis. Per hos iurabant in duali numero:

νὴ τὼ

ὑλ τῷ θεῷ. *Caſtrorum* plane vitioſa lectio eſt.

V. 13. & 14. VENIMUS PUTEOLOS: UBI INVENTIS FRATRIBUS ROGATI SUMUS MANERE APUD EOS DIES SEPTEM ET SIC VENIMUS ROMAM. ET INDE, CUM AUDISSENT FRATRES, OCCURRERUNT NOBIS USQUE AD APPII FORUM, AC TRES TABERNAS. QUOS CUM VIDISSET PAULUS, GRATIAS AGENS DEO, ACCEPIT FIDUCIAM. Non dubium quin utroque loco fratres intelligantur Chriſtiani. Neque enim Iudæi non Chriſtiani ea fraternæ charitatis officia, quæ hic deſcribuntur, Paulo exhibuiſſent. Unde etiam liquet ante Pauli adventum fuiſſe Romæ & circa Romam Chriſtianos, utique Petri Apoſtoli, qui iamdudum illuc aſcenderat, prædicatione converſos. At poſtea ubi Iudæorum primarii loquuntur ad Paulum: *Neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit*, &c. *Fratres* intelliguntur Iudæi quicumque; nam mos Iudæis erat omnes gentiles ſuos *fratres* vocare. Ceterum in eo quod poſt illa verba, *Et ſic venimus Romam*, ſubiungit de Appii foro & tribus tabernis, &c. quæ loca ſunt extra Romam: quædam recapitulatio eſt, nempe narratio de occurſu fratrum ipſis Romam euntibus facto. ET INDE, CUM AUDISSENT FRATRES, OCCURRERUNT NOBIS. Hic nulla mentio Petri: igitur, inquiunt, ſectarii, non eſt probabile Petrum tanto tempore, id eſt viginti quinque annorum, Romæ ſediſſe. Reſp. argumentum negativum eſt ab auctoritate, quod nullius eſt ponderis. Deinde poterat Petrus propter neceſſitatem eccleſiarum ad tempus abeſſe: quæ abſentia non cenſetur interrumpere reſidentiam Romanam: ſicut nec hodie, ſi Pontifex ob cauſas abſit ab urbe: immo etiamſi per annum unum, aut plures abſit, ſive relegatus in exilium, ſive aliam ob cauſam, dicitur tamen ſediſſe Romæ, ibique cathedram ſuam habuiſſe toto tempore ſui pontificatus. Unde cum dicitur: Sedit tot vel tot annos, non eximuntur ab eo numero anni quibus forte ab urbe abſuerunt. Et idem ſervatur etiam in annotandis annis aliorum epiſcoporum, cathedras & plebem habentium. OCCURRERUNT NOBIS. Ergo iam tum magnum erat nomen Pauli apud Romanos, ad quos etiam ſcripſerat epiſtolam. Quod autem primi Iudæorum quos convocavit minus de eo honorifice ſentiant, non mirum: erant enim forte principes Synagogæ, & legi Moſaicæ ac ceremoniis nimis tenaciter adhærentes, & diligentes honorem hominum magis, quam Dei: ſicut de ſimilibus dicitur Ioannis XII. Qui locus cum iſto conferendus, propter citatum Iſaiæ teſtimonium.

V. 17. POST TERTIUM AUTEM DIEM CONVOCAVIT PRIMOS IUDAEORUM. Capite XVIII. dicuntur Iudæi Roma pulſi a Claudio. Sed intelligendum poſtea rurſum datam iis poteſtatem eo revertendi, aut certe paulatim edictum illud exoleviſſe, ut fieri ſolet in eiuſmodi cauſis nimirum ceſſantibus. NIHIL ADVERSUS PLEBEM FACIENS, AUT MOREM PATERNUM. Legendum non *legem* ſed *plebem*. Sic omnia MSS. & Græca, λαῷ. *Morem paternum*, id eſt inſtituta maiorum. Sed quomodo id verum, cum Paulus docuerit legem abrogandam? Reſp. iſtud intelligendum, ſicut & Iacobus loquitur de Paulo cap. XXI. *Et ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem*. Paulus enim licet ſciret legem quoad ceremonias evacuari per Chriſtum; quia tamen nondum mortifera erat, eam inter Iudæos ſervabat, purificans ſe, &c. & de ea re iniuſte accuſabatur a Iudæis. Inter gentiles autem non ſervabat: ſicut nec volebat Petrum ſervare licet eſſet is apoſtolus circumciſionis, ut patet Galat. II. Sed de hac re non accuſabatur Paulus. Itaque tantum reſpondet ad Iudæorum accuſationem: de legis autem abrogatione per Chriſtum, nullam facit mentionem: quia huius myſterii nondum erant capaces. Et quæri poteſt, anne iſti Iudæi Romæ agentes ex epiſtola ad Romanos ſcripta agnoverint, qualis eſſet eius doctrina? Reſp. poteſt. illam epiſtolam ad gentiles converſos ſcriptam, in manus horum non veniſſe: immo fortaſſe eo tempore Romam perlata eſt, quando iuſſu Claudii Roma Iudæi exultabant.

V. 20. PROPTER SPEM ENIM ISRAEL CATENA HAC CIRCUMDATUS SUM. *Spem Iſrael* vocat reſurrectionem mortuorum, quo articulo maxime Iſraelitæ a ceteris nationibus differebant; & inter Iudæos, orthodoxi ab hæreticis Sadducæis. Unde hac defenſione perpetuo utitur contra ſuos adverſarios Paulus apud Iudæos; ut primum Act. XXIII. quando in concilio exclamavit ſe de ſpe reſurrectione mortuorum iudicari. Deinde apud Felicem: *Spem*

habens, inquit, *in Deum*, *reſurrectionem futuram iuſtorum & iniquorum*. Ubi etiam affirmat nulli accuſationi ſe obnoxium, niſi de una hac voce, qua exclamaverat, de reſurrectione mortuorum ſe iudicari. Item coram Agrippa: *Et nunc in ſpe quæ ad patres noſtros facta eſt a Deo*, *ſto iudicio ſubiectus*, *de qua ſpe accuſor a Iudæis*. Et poſtea de Chriſto: *Si primus ex reſurrectione mortuorum*. Eadem igitur defenſione & hic apud Iudæos Romanos utitur. Alii ſpem Iſrael Chriſtum intelligunt, vel de Chriſto, quem omnes Iudæi exſpectabant; ſed prius illo veriſimilius.

V. 22. NAM DE SECTA HAC NOTUM EST NOBIS. Sectam vocant, id eſt αἵρεσιν Græce, illi qui non credunt. Nam a fidelibus ſectam vocatam fuiſſe, in ſcripturis, ni ſallor, non legimus. Sed *via* vocatur interdum. Vide annot. ſupra cap. XXIV. 5. QUIA UBIQUE EI CONTRADICITUR. Græce: *Quia ubique* ἀντιλέγεται, *contradictionem patitur*. Sic enim prædictum fuerat: *Et in ſignum cui contradicetur*. Græce: εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, id eſt *in ſignum contradictionem ſuſtinens*, *ſeu contradictioni obnoxium*.

V. 30. MANSIT AUTEM BIENNIO TOTO IN SUO CONDUCTO, ET SUSCIPIEBAT OMNES, &c. Hieron. in epiſtolam ad Philemonem reddit rationem cur in conducto manſerit; nec parva, inquit, ut reor, erat manſio, ad quam Iudæorum turbæ quotidie confluebant. Mirum quod Lucas hic nullam faciat mentionem primæ defenſionis Pauli, de qua ipſe II. Timoth. IV. *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit*, &c. quam factam fuiſſe primo anno quo Romam venit, non videtur dubitandum. Sed proculdubio multa Actorum Pauli a Luca ſunt omiſſa; ut bene probat Baronius in Martyrologio ad Theclam. Ac forraſſe Lucas meditabatur tertium librum, in quo repeteret acta illius biennii; ſicut Actor. I. quædam expoſuit tacita ultimo capite Evangelii.

MARIANAE.

Verſ. I. BARBARI. Sic vocabantur, qui nec Græci nec Latini erant. Aut potius hic *barbaros* vocat, qui ruſtici erant.

V. 4. ULTIO, id eſt Nemeſis, divina iuſtitia. NON SINT. Græc. *ſivit*, permiſiſe eum vivere.

V. 6. CASURUM, ET MORI putabant; pro, *moriturum*, ut Gotth. CONVERTENTES SE, id eſt mutato in contrarium ſermone dicebant barbari Paulum eſſe Deum.

V. 7. NOMINE PUBLII. Videtur fuiſſe civis Romanus: ibi prædia habebat.

V. 8. SALVAVIT EUM; pro, *ſanavit*, ut eſt Græc. patrem Publii.

V. II. INSIGNE CASTORUM. *Caſtoris & Pollucis*, qui *Dioſcuri*, id eſt *Iovis filii* dicebantur, & procellis præeſſe putabantur. Id inſigne erat navi Alexandrinæ, in qua inde ſolverunt.

V. 12. SYRACUSAM venerunt. Græc. *Syracuſas*, ſic dictas, quia quatuor urbes erant locis diſcretæ. Gotth. etiam *Syracuſas* legit. Inde.

V. 13. RHEGIUM. Urbs magnæ Græciæ fræto Siculo impoſita ex adverſum Meſſanæ. Inde

V. 15. APPII FORUM, AC TRES TABERNAS. Diſtant Roma diei itinere. Zoſimus Lib. II. de iis meminit, & in eo loco Severum Cæſarem a Maxentii militibus occiſum ait. Romam ingreſſus eſt Paulus ſexta die Iulii, anno ſalutis 58. Uſuardus, Onuphrius in Chron.

V. 16. MANERE SIBIMET. Gotth. *apud ſemetipſum*, id eſt domi ſuæ, ubi vellet, permiſſum Romæ Paulo.

V. 21. DE TE A IUDAEA. Gotth. *adverſum te a Iudæis*; ſcilicet litteras non accepimus.

V. 29. ET CUM HAEC DIXISSET. Totum hunc verſum Gotth. ſic mutat: *Et cum non eſſent intelligentes*, *egreſſi ſunt Iudæi multa ſecum conquirentes*.

V. 30. MANSIT AUTEM, ſcilicet *Paulus*, ut Græce & Gotth. IN SUO CONDUCTO. Syr. *in ædibus de ſuo conductis*, manſit non exiguo quidem tempore, ſed toto biennio, ut ait Hieronymus. ET SUSCIPIEBAT OMNES. Hoc etiam ſic mutat Gott. *Et recipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum*, *Iudæos atque Græcos*, *prædicans regnum Dei*, *& docens*, *quoniam hic eſt Chriſtus Filius Dei*, *per quem omnis mundus iudicabitur*, *cum omni fiducia ſine prohibitione*. Mirabilis varietas, ſed ex qua peſpicitur, variaſſe non minus olim Græca exemplaria, inde tantam varietatem manaſſe.

Digitized by Google

naſſe. Noſtra tamen & conſueta ceteris præferantur.

MENOCHII.

Verſ. 1. MELITA: quæ nunc dicitur Malta. BARBARI: Melitenſes eo tempore lingua, & moribus erant barbari.

V. 3. INVASIT: momordit.

V. 4. ULTIO: numinis vindicta.

V. 6. CONVERTENTES SE, id eſt mutata ſententia. DICEBANT EUM ESSE DEUM. Sic Lycaonii videntes miraculum Pauli clamabant eum eſſe Mercurium, ſupra cap. XIV. 18.

V. 7. PRINCIPIS INSULAE: primarii inter Melitenſes. EXHIBUIT, id eſt tractavit humaniter hoſpitio exceptos.

V. 8. SALVAVIT, id eſt ſanum reddidit.

V. 11. CASTORUM: *Διοσκύρων*, Caſtoris, & Pollucis, qui ita dicebantur, quod Iovis filii cenſerentur.

V. 12. SYRACUSAM: primariam Siciliæ civitatem. CIRCUMLEGENTES: circumnavigantes Siciliæ partem.

V. 13. RHEGIUM: quæ eſt civitas Calabriæ obiacens, & vicina Siciliæ. PUTEOLOS: quæ eſt civitas Campaniæ iuxta Neapolim.

V. 4. FRATRIBUS: Chriſtianis.

V. 15. AD APPII FORUM: quod Plinius Lib. XIV. cap. VI. ponit in agro Setino. TRES TABERNAS: nunc appellatur, *Ciſterna*. ACCEPIT FIDUCIAM. Syrus, *confirmatus eſt*, recreatus eſt eorum humanitate, & concepit ſpem rei Romæ bene gerendæ.

V. 16. MANERE SIBIMET. Syrus, *ubicumque vellet*.

V. 18. INTERROGATIONEM: examinationem.

V. 19. NON QUASI GENTEM MEAM, &c. non quaſi habeam de quo gentem meam accuſem.

V. 20. ROGAVI VOS VIDERE: rogavi vos, ut ad me accederetis. PROPTER SPEM ISRAEL: ſpes ponitur pro re ſperata. Propter ſpem quam habent Iſraelitæ de Meſſiæ adventu.

V. 22. DE SECTA HAC: Chriſtianorum.

V. 23. EXPONEBAT; ſcilicet, ſcripturas. TESTIFICANS REGNUM DEI: multis teſtimoniis Moſis, & Prophetarum oſtendens regnum Dei eſſe Eccleſiam Chriſtianam, eamque eſſe viam ad regnum cælorum.

V. 25. UNUM VERBUM: appoſitum, inſigne & illuſtre. Syrus habet, *hoc verbum*

V. 26. AURE AUDIETIS, &c. Sunt verba Iſaiæ cap. VI. 9. ubi ea explicavimus.

V. 28. GENTIBUS: gentilibus, Ethnicis, qui non ſunt ex ſemine Abrahæ. Hoc SALUTARE DEI, id eſt hæc ſalus Dei, ſcilicet, Chriſtus ſalvator, cuius Evangelium, gratiam, & ſalutem ego prædico.

V. 29. QUAESTIONEM: diſceptationem.

V. 30. IN SUO CONDUCTO: in domo, quam pretio conduxit.

V. 31. CUM OMNI FIDUCIA: *μετὰ παῤῥησίας*, cum libertate, fidenter.

TIRINI.

Verſ 1. MELITA, quo Paulus e naufragio appulit, non eſt illa in Illyrico, ut optime probat Philippus Cluverius: ſed altera oppoſita Siciliæ, vulgo *Malta* iam dicta, mellis præſtantiſſimi ferax, unde & *Melitæ* nomen illi inditum: adverſus Turcas invictum propugnaculum, ſedes Equitum toto orbe celeberrimorum: hoſpitio S. Pauli ſociorumque illius, & merito prolixæ caritatis erga eos exhibitæ famoſiſſima ſimul ac feliciſſima. Melitenſes enim etſi tum temporis adhuc BARBARI, ſeu mores, ſeu linguam ſpectes, PRAESTABANT tamen naufragis NON MODICAM HUMANITATEM. Sed qui barbariem in naufragos exuerunt, pro exilibus humanitatis obſequiis en quanta præmia retulerint. Primum: Evangelio inſtructi per Paulum & ad Chriſti fidem traducti ſunt, tanta conſtantia, ut numquam ab illa defecerint, etſi Mauri inſulam ſubinde occuparint, tenuerintque centenis & pluribus annis. Secundum: non homines modo exuunt barbariem, ſed & viperæ, ſcorpiones & ſerpentes, tam nati Melitæ quam eo illati, ex quo tempore Paulus Melitam appulit, ponunt venenum ſuum. Tertium: glebæ quoque Melitenſes antidota ſunt adverſus venena: ſanant enim morſus quoslibet venenatos, etiam canum rabidorum, ſi vel plagæ imponantur, vel poculis inſpergantur: ſanant & febres malignas, dyſenteriam, variolas, quin & toxica, ſeu caſu, ſeu ſponte hauſta, etſi ſublimato. Quartum: inſulam omnem S. Paulus, quaſi ſibi ſacram,

ſuo præſidio tutari deprehenſus eſt ſæpiſſime adverſus peſtem, famem, hoſtiles incurſus, ut pluribus exemplis probat noſter Octavius Caetanus, Thomas Fazellus *a*, Baronius, & Gagneius. Tanti eſt beneſeciſſe Sanctis, qui numquam ſinent ſe vinci liberalitate.

V. 3. VIPERA non ſic dicitur quaſi *vi pariens*, eroſa per fœtum alvo matris: hoc enim falſum eſſe docet experientia: ſed quaſi *vivipara*, eo quod ſola inter ſerpentes pariat vivum fœtum, non ova, ut alii, inquit Theophraſtus, & ex eo AElianus *b*. Arabes *Therion* vocant a Græco θηρίω, id eſt *fera*. Unde pharmacum contra viperarum & ſerpentum morſus ex ipſius viperæ carnibus confectum, *theriaca* vocatur: cuius compoſitionem, qua nunc quoque utimur, invenit hoc ipſo tempore Neronis Imp. Andromachus medicus, teſte Galeno *c*. Sed ſimilem aliam compoſitionem diu ante in uſu fuiſſe conſtat ex Antiocho Philopatore *d* Aſiæ & Syriæ rege, cui uſus illius contra omnia venena familiaris erat, inquit idem Galenus, & Plinius *e*. Qui etiam addunt, viperam adeo venenoſam ex ſe &, peſtilentem eſſe, ut non ſolo morſu, ſed etiam ſibilo & anhelitu quem efflat, hominem obſtupefaciat, & morbum lethalem afferat. Cuius rei probe gnari Melitenſes ſimul ac vipera Paulum momordit, putabant extemplo, *in tumorem convertendum*; Tigurini & Pagninus, inflammandum, ſeu incendendum, & e veſtigio moriturum. Ex quibus verbis colligo, ante adventum S. Pauli Melitam, eam inſulam venenis obnoxiam fuiſſe, neque immunitatem a venenis naturalem illi eſſe, ut de Hibernia putat Beda, & de Sardinia Solinus *f*: ſed hanc S. Pauli præſentiæ & meritis merito acceptam ferre Melitenſes. Hi cum vidiſſent morſum, ſed illæſum Paulum, toti attoniti, *convertentes ſe* ad invicem, mutata iam mente & opinione, pro *homicida*, qualem prius ex inopinato viperæ morſu, quaſi certa Numinis *ultione*, facinora eiuſmodi ut plurimum proſequente, ſuſpicabantur, iam converſa ſententia dicunt *eum eſſe Deum*, ut ſupra *g* dicebant etiam Licaonii.

V. 7. *Publius*, quod Romanum eſt nomen, vocatur hic *princeps*; Græce, πρῶτος, id eſt primus, ſeu primarius, INSULAE, forte Proprætor: quia Melita ſuberat Romanis, æque ac Sicilia, & ab eiuſdem prætore regebatur per vicarium, inquit Cluverius *h*. Divitem hunc fuiſſe oportuit, qui naufragos numero 276. hoſpitio excepérit, & per *triduum* BENIGNE ac laute neceſſaria omnia *exhibuerit*, ut ait Chryſoſtomus. Hos omnes ibidem a Paulo converſos ac baptizatos fuiſſe communis eſt loci illius traditio, uti & Publii domum fuiſſe, quæ nunc in urbe Melita ædes maxima viſitur S. Paulo dedicata: porro trimeſtri toto, quo Melitæ ſubſtitit Paulus, incolis eius loci fidem Chriſti expoſuit, & pleroſque convertit, ipſumque Publium ipſis Epiſcopum præfecit, ut vult Ado, Beda *i* & alii.

V. 11. INSIGNE CASTORUM, erant iuvenes duo effigiati: cuique dabatur ovi pars dimidia, & iaculum in manu, & equus candidus, ſtella ſuperne capitibus imminenta: ita Lucianus *k*. Signabatur hoc ſymbolo gemellos fuiſſe *Caſtorem* & *Pollucem*. Cum enim Iupiter, ut fingunt Poetæ *l*, cygni formam induiſſet, & ex eo Leda, Tyndari regis coniux, ovum concepiſſet, ex eo ovo prognatos ſomniant hos geminos: qui quod inter Argonautas excelluerint, & mare piratis liberarint, varioſque hoſtes debellarint, poſt mortem inter deos & ſidera relati ſunt a Gentilibus, teſte Cicerone *m*: ſigno cæleſti, quod *Gemini* vocatur, in quo ſol degit menſe Iunio, ipſis appropriato: cuius ſi ambæ ſtellæ appareant, ſerenitatem, quaſi propitiis ambobus diis marinis; ſin altera tantum, tempeſtatem, quaſi uno deorum ſubirato, ſpondere ſibi nautæ ſolent, ut ex Diodoro Siculo & Valerio Flacco Gyraldus *n* enarrat. Ut vero tutelares deos ſuos ad manum ſemper haberent nautæ, ſolebant eorum ſtatuas puppi affixas geſtare, teſte Ovidio *o*: & ſic *Caſtores* huic *Alexandrinæ* puppi affixos fuiſſe opinatur Chryſoſtomus, Sanchez & a Lapide.

V. 12. *Syracuſa* S. Pauli prædicatione & S. Luciæ martyrio nobilis, civitas eſt Siciliæ maxima pulcherrimaque ad radices montis Pachyni: de qua Plinius *p* tradit, numquam tam nubilum eſſe diem toto anno, quin ſol Syracuſis æque ac Rhodi cernatur. Syracuſis S. Paulus a Marciano (quem paucis ante annis S. Petrus Epiſcopum eo miſerat) aliiſque Chriſtianis incredibili lætitia exceptus eſt, inquit Octavius

Digitized by Google

vius Caetanus *q*. Additque ex veterum traditione, etiam reliquam Siciliæ oram a Pachyno ad Pelorum uſque, viſitatam a Paulo, cum ſat lenta eſſet ex inſula Melita Syracuſas navigatio, ſic Deo providente, ut hac via plures ex ea inſula ad Chriſtum perducerentur. Sed & poſt abitum Syracuſis, Apoſtolum eamdem inſulam circumlegiſſe docet hic S. Lucas: & tradunt Siculi, primum deflexiſſe in littus quod eſt inter Tauromenium & Meſſinam, ubi & ædes extat S. Paulo ſacra. Inde per fretum naufragiis infame, quod Thucydides, Mela & Plinius *r* vocant *Chariadin*, traiecit.

V. 13. RHEGIUM Calabriæ portum & urbem obiacentem Siciliæ. Cumque viſendi cauſa ad littus concurrerent Rhegienſes, Paulus more ſuo exorſus prædicare Evangelium, miraculo ſuccenſæ ſubito in illius gratiam marmoreæ columnæ, facili negotio illos ad Chriſtum traduxit: ut habet illius Eccleſiæ, quæ totius Calabriæ, ut tempore, ita & dignitate prima eſt, conſtans traditio. PUTEOLI Campaniæ civitas eſt iuxta Neapolim, ſic dicta a putore aquarum calidarum e venis ſulphureis ebullientium, ait Feſtus *s* a Samiis condita, ut vult Euſebius, eo tempore quo Tarquinii per Brutum Roma ſunt expulſi: poſtea S. Ianuarii Martyrio nobilitata *ſ*.

V. 14 SIC Puteolis terreſtri itinere per Neapolim, & alia oppida interiecta tandem VENIMUS ROMAM.

V. 15 FORUM APPII a Cicerone *t Appia* vocatur ex adverſo Antii ad Pontinas paludes, diſtans Roma uno & quinquaginta paſſuum millibus, inquit Baronius. Vocatur autem *Forum Appii*, quod fuerit Appii-Claudii ſtatua inſignitum. Romani enim loca in quibus principum ſtatuæ poſitæ erant, vocabant eorumdem principum *Fora*: v. g. *Forum Livii*, vulgo *Forlì*: *Forum Iulii*, vulgo *Friuli*. *Forum Sempronii*, vulgo *Foſſombrone*. Paulo viciniores urbi erant *Treſtabernæ*, vulgo *Ciſterna*, quæ urbecula eſt iuxta *Velitras*, patriam Auguſti Cæſaris, triginta tribus paſſuum millibus Roma diſſita: ita Oecumenius ex Iſidoro Peluſiota *u* & aliis. Huculque Paulo fiebant obvii FRATRES, id eſt Chriſtiani Romani, de adventu Pauli ex urbe Puteolis vel Neapoli certiores antea redditi. Quibus *viſis* ACCEPIT FIDUCIAM; Græce, *præſidentiam*, audaciam, animos maiores rei bene gerendæ, fideique Chriſtianæ propagandæ apud Romanos, quos ſentiebat tam benignos, tam ſibi faventes eſſe, ſuamque operam in omnibus offerentes.

V. 16. CUM ROMAM VENISSEMUS, tradidit centurio vinctos omnes principi ſeu præfecto carcerum, ut addunt Græca, PAULO excepto, cui ex centurionis commendatione PERMISSUM EST, SIBIMET MANERE, id eſt pro ſuo arbitratu degere in quocumque vellet hoſpitio, non niſi uno MILITE *cuſtodiæ* cauſa. Paulus enim inſigni ſua comitate, rara ſapientia, & heroicis actibus rapuerat iam pridem animos centurionis, ceterorumque ſociorum, qui laudes eius, quaſi hominis divini & e cælo prognati, paſſim evulgabant. Porro ingreſſus Pauli Romam contigit anno 3. Neronis adhuc fluente, nempe anno a morte Chriſti 27. menſis Iulii die 6. ut in Chronico *x* dixi, & Beda, Ado, Uſuardus & Onuphrius in ſuis quoque Chronicis annotarunt. Eratque annus ille decimus quintus, ex quo S. Petrus, (pene eodem itinere, ut docet Octavius Gaetanus *y*,) Romam primum appulerat, & ſedem ſuam Pontificiam ibidem collocarat.

V. 19. NON QUASI HABENS ALIQUID de quo GENTEM meam apud Cæſaream velim ACCUSARE, ut alii plurimi quotidie adcurrunt, pontifices ſuos vel principes accuſaturi. Eximit eius rei metum Iudæis, ne ipſi contra eum conſpirent ſeſeque arment.

V. 20. Sed neque ob crimen aliquod admiſſum *vinctus ſum*, ſed PROPTER SPEM ISRAEL, id eſt propter Meſſiam quem ſperaverunt & exſpectarunt Iſraelitæ tot iam ſæculis, nempe quia prædico Ieſum eſſe Meſſiam, & ſpem Iſraelis iam completam eſſe. Sed Ieroſolymitani reiiciunt hunc Meſſiam ſuum. Quod ſpero vos non facturos: ideoque volui vos iam ſuper hoc negotio convenire.

V. 22. QUAE SENTIS tu de Meſſia, o Paule: veneritne, ut inſinuas; an adhuc venturus eſt? & an ille ſit Ieſus nuper crucifixus, an alius quiſpiam? NAM DE SECTA HAC, quæ Ieſum Meſſiam eſſe credit, ſcimus QUIA non modo Ieroſolymis, ſed & Romæ, & aliis locis UBIQUE EI acerrime CONTRADICITUR. Sed tuam, utpote eximii & famoſi doctoris, ſententiam audire deſideramus. Ait audita ſententia man-

ferunt nihilominus increduli, ſaltem pleri-que.

V. 25. DICENTE PAULO UNUM, nempe appoſitum, ſelectum, illuſtre, VERBUM ex Iſaiæ cap. VI. 9. ubi illud explicui. Sic de *Fabio* dicebat Ennius: *Unus*, nempe eximius & illuſtris, *homo nobis cunctando reſtituit rem*.

V. 30.] MANSIT AUTEM Paulus BIENNIO TOTO, fere uſque ad finem anni quinti Neronis, IN SUO CONDUCTO, ſcilicet hoſpitio vel domicilio. Sic etiam Cicero *z* *conductum* ſubſtantive accipit pro] *loco conducto* adiective. Porro hoſpitium iſtud Pauli poſtea verſum in eccleſiam, vocatur nunc *Diaconia S. Mariæ in Via lata*, prope Collegium Societatis Ieſu. In hoc hoſpitio S. Lucas hunc Actorum librum conſcripſit, & S. Paulus varias epiſtolas, ut alibi *aa* dixi, & prædicabat.

V. 31. CUM OMNI FIDUCIA. Græcum *παῤῥησία* ſignificat etiam libertatem & audaciam. Hanc Paulo præſtabant. Primo, lene Neronis ingenium primo imperii ſui quinquennio, teſtibus Svetonio, Tacito & Euſebio *bb*. Secundo, copia amicorum quos Romæ partim reperit, partim ſibi comparavit etiam ex intima Cæſaris familia: inter quos eminuerunt Torpes & Evellius, poſtea a Nerone iam crudeliore aſſecti martyrio *cc*: item pocillator Neronis, inquit Chryſoſt. immo & concubina eius, Poppæa Sabina *dd*, ut Baronius docet: & tot alii, de quibus ipſe Paulus ex hoc ſuo libero carcere ad Philippenſes *ee* ſcribit, *Salutant vos omnes Sancti, maxime qui de Cæſaris domo ſunt*. Atque horum amicorum opera, ſimul & excuſatoriis litteris Feſti præſidis Iudææ, impetratum tandem a Nerone, ut poſt biennalem cauſæ Paulinæ diſcuſſionem per Romanos Pontifices (nam his vult Baronius cauſam hanc, utpote ſacram, a Cæſare commiſſam fuiſſe,) prolata publice ſententia Paulus a carcere & vinculis expediretur, anno a morte Chriſti 29. Neronis 5. fluente. Vinculis expeditus Paulus reliquam Italiam peragravit, & Galliam & Hiſpaniam, uti propoſuerat ad Rom. XV. 24. Quæ in hoc itinere egerit, ſigillatim enarrat L. Dexter, Metaphraſtes, Ado, Anſelmus & Baronius *ff*. Supervixit autem totis adhuc octo annis; quando reverſus ex Hiſpaniis in Syriam, peragrata rurſus Aſia, Macedonia, Græcia, ut Theophyl. Oecumen. & alii tradunt, tandem Romam reverſus, poſt acrem ibi cum Simone Mago, aliiſque fidei hoſtibus concertationem, in S. Petri conſortio captus, & una cum ipſo morti adiudicatus, & apoſtolatum ſuum glorioſiſſimo martyrio, capite plexus conſummavit, anno a morte Chriſti 37. Neronis 13. adhuc fluente, menſis Iunii die 29. ut in Chronico multis auctoribus comprobavi.

(a) Oct. Caet. ſupr. Fazell. de Rebus Siculis decade 1. Lib. I. cap. 1.
(b) AElian. Lib. IX. de Hiſtor. animal. cap. XXXI. & XXXII.
(c) Galen. Lib. de Theriaca cap. V.
(d) Chronic. cap. XL.
(e) Plin. Lib. XX. cap. XXIV.
(f) Beda Lib. I. Hiſtor. Anglor. cap. 1. Solin. Poly. hiſt. cap. XXXV.
(g) Actor. XIV. 11.
(h) Cluver. ſup.
(i) Ado in Martyrol. die 21. Ianuarii. Beda 18. Ianuarii.
(k) Lucian. in Deorum Dialog. in fine.
(l) Horat. Lib. I. Carm. & Lib. II. ſerm. ſatyra 1.
(m) Cicero in Verrem actione VII.
(n) Gyrald. Syntag. V. pag. 182.
(o) Ovid. Lib. I. Triſtium elegia 3.
(p) Plin. Lib. II. cap. LXII.
(q) Octav. Cætan. Iſagoges cap. XX. & XXI.
(r) Thucydides Lib. IV. Mela Lib. II. cap. VII. Plin. Lib. XIII. cap. XVIII.
(ſ) Martyrol. 19. Septemb.
(t) Cicer. ad Atticum Lib. II. epiſt. XXIX.
(u) Iſidor. Peluſiota Lib. I. epiſt. 337.
(x) Chronic. cap. ult. in anno 4. Neron.
(y) Octav. Caet. ſup. cap. XIX.
(z) Cicero orat. pro Cluentio.
(aa) Chron. cap. ult. in anno 4. & 5. Neron.
(bb) Sveton. & Tacit. in Nerone. Euſeb. Lib. II. Hiſt. cap. XXII.
(cc) Martyrol. Rom. die 11. & 17. Maii.
(dd) Tacit. Lib. XIII.
(ee) Philip. IV. 22.
(ff) Dexter in Chronico anno Chriſti 64. & ſeqq. Metaphr. in Vita S. Pauli Ado in Chronico. Anſelm. in epiſt. ad Rom. cap. XV. Chronici cap. ult. in anno a morte Chriſti 37.

GORDONI.

Verſ. 1. MELITA (non Mitylena) inſula eſt non quidem illa in Illyrico, ſed alia iuxta Siciliam; miraculis Pauli celebris: & nunc propugnaculum Chriſtianum contra Turcas. Suſpicio eſt dictam Melitam a melle quo abundat.

V. 11. POST MENSES. Poſt tres in Melitenſi inſula menſes exactos, venit in Siciliam, & Syracuſas excurrente anno Neronis ſecundo, verno tempore; poſt ortum Pleiadum, uſus navi, cuius inſigne depictum erat Caſtor & Pollux: vocatur Ge-

Gemini, *Διόσκουροι:* ventum eſt Rhegium. Archiepiſcopalis civitas Calabriæ; & mox Puteolos, quæ urbs octo miliaribus abeſt Neapoli. Forte nomen habet a puteorum multitudine ſcatentium aquis calidis. Occurrunt Fratres Paulo ad Appium forum, & tres Tabernas. Forum illud, quo loco fuerint, non ſatis exploratum, mari proximum fuiſſe apparet. Tres Tabernæ, locus ad recipiendum hoſpites; Roma diſtans 40. miliaribus: hodie Ciſterna vocatur.

V. 16. Nero primo quinquennio mitis in Chriſtianos fuit, & habitus eo tempore bonus princeps a pleriſque. Permiſſa Paulo libera cuſtodia: diſſerit diu cum Iudæis de regno Dei. Hoc anno Chriſti 59. ſcripſit Epiſtolam ſecundam ad Timotheum, in qua cap. IV. 16. ſcribit ſe deſertum ab amicis. Aderat tamen Lucas illi cum hæc ſcribebat, ut conſtat ex eadem Epiſtola. Manſit Paulus per biennium Romæ, nempe uſque ad annum Chriſti 61. Reliqua Pauli acta hoc biennio, & quo poſtea, accepta libertate, ierit, vide in opere Chronologico anno Chriſti 60. 61. 62. & deinceps. Mirum eſt veniſſe in mentem alicui (qui aliquid apud ſcriptores legiſſe potuit) dubitare, an Paulus fuerit Romanus Epiſcopus: hæſit quidem ille Romæ aliquandiu, multos docuit fidei doctrinam, & coadiutor Petri ibidem fuit, fungens etiam munere Apoſtolatus, non tamen ideo urbis deſignatus eſt Epiſcopus, ſicut nec omnes qui Ieroſolymis fuerunt Apoſtoli, habentur illius urbis Epiſcopi. Petrus ut alibi oſtendi, ante Paulum venit Romam, & illam ut princeps, ſibi delegit ſedem Epiſcopalem. Res tam nota eſt, & a tot probata auctoribus, ut ſuperfluum ſit plura proferre.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

CUM inter Iudæos ad Chriſti fidem converſos, & fideles e Gentibus vocatos, circa legalium obſervationem, ac ciborum delectum orta eſſet contentio, ac ſubinde metuendum eſſet ne in partes & factiones, atque inde in ſimultates contentionis ardor erumperet, utroſque ſic conciliat Paulus, ut Iudæorum prærogativas & privilegia præ Gentilibus eſſe conceſſa fateatur: quod illis credita ſint eloquia Dei, fœdus cum iis a Deo ſancitum, Prophetæ ad eos miſſi, ex iis demum Chriſtus natus ſit, qui promiſſa Patribus facta implevit. Sed cum utrique & Iudæi & Gentiles meritis ſuis gratiam vocationis tribuerent, eos hac in re ſic exæquat Paulus, ut eorum merita ante fidem nulla extitiſſe demonſtret. Quare id unum eſt huius Epiſtolæ argumentum, ut Apoſtolus oſtendat, neque humanæ ſapientiæ documentis, nec Legis Moſaicæ præceptis, ſed ſola in Chriſtum fide, ſeu Chriſtiana religione, quatenus utrique opponitur, & Philoſophiæ & Legi veteri, veram acquiri iuſtitiam, quæ nos Deo gratos efficiat; idque ex Gentilium & Iudæorum depravatis moribus primum colligit, cum illi natura, hi Moſis Legem violaverint. Tum in ſecunda Epiſtolæ parte ea præſcribit præcepta quæ in formandis moribus ad veram pietatem ſunt neceſſaria. Iudæos in primis admonet ut poteſtatibus ultro ſe ſubiiciant; Gentiles, ut Iudæorum infirmitati circa delectum ciborum, quæ præcipua videtur fuiſſe diſſenſionis occaſio, ſeſe accommodent; & utroſque ad virtutum exercitationem adhortatur.

Hæc Epiſtola Corinthi ſcripta eſt; nam in fine Epiſtolæ quoſdam Corinthios nominat, quo anno incertum eſt.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Paulus commendato ſuo munere Evangelico, ob magnum prædicandi Evangelii zelum, optabat Romanos inviſere; oſtendens, Ethnicos qui ex creaturis Deum cognoſcentes, illius cultum a ſe abiecerant, colendo creaturarum imagines, merito a Deo deſertos: & in pœnam illius in abominanda, quæ hic recenſentur, incidiſſe ſcelera.

1. PAulus, ſervus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, (*a*) ſegre-
gatus in Evangelium Dei, 2. quod ante promiſerat per
Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis. 3. De Filio ſuo, qui
factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem: 4. qui præ-
deſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum
ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti
Domini noſtri: per quem accepimus gratiam, & Apoſto-
latum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro no-
mine eius, 6. In quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti: 7. omnibus qui ſunt
Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis. Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro,
& Domino Ieſu Chriſto. 8. Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum
Chriſtum pro omnibus vobis: quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mun-
do. 9. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio fi-
lii eius, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio. 10. Semper in ora-
tionibus meis: obſecrans, ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter ha-
beam in voluntate Dei veniendi ad vos. 11. Deſidero enim videre vos, ut
aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos: 12. id eſt, ſi-
mul conſolari in vobis, per eam quæ invicem eſt, fidem veſtram atque me-
am. 13. Nolo autem vos ignorare fratres: quia ſæpe propoſui venire ad vos,
(& prohibitus ſum uſque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis,
ſicut & in ceteris gentibus. 14. Græcis ab Barbaris, ſapientibus & inſi-
pientibus debitor ſum: 15. ita (quod in me) promptum eſt & vo-
bis, qui Romæ eſtis, evangelizare. 16. Non enim erubeſco Evangelium.
Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco.
17. Iuſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt:
(*b*) Iuſtus autem ex fide vivit. 18. Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper
omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in in-
iuſtitia detinent: 19. quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.
Deus enim illis manifeſtavit. 20. Inviſibilia enim ipſius, a creatura mundi,
per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius vir-
tus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles. 21. (*c*) Quia cum cognoviſſent
Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt
in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: 22. dicentes
enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. 23. Et mutaverunt gloriam incorru-
ptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum,
& quadrupedum, & ſerpentium. 24. Propter quod tradidit illos Deus in
deſideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora
ſua in ſemetipſis: 25. qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; &
coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius quam Creatori, qui eſt benedictus
in ſæcula. Amen. 26. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.
Nam

Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt
contra naturam. 27. Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu femi-
næ, * exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitu-
dinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis re-
cipientes. 28. Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit il-
los Deus in reprobum ſenſum, * ut faciant ea quæ non conveniunt, 29. re-
pletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos in-
vidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, 30. detracto-
res, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum,
parentibus non obedientes, 31. inſipientes, incompoſitos, ſine affectione,
abſque fœdere, ſine miſericordia. 32. Qui cum iuſtitiam Dei cognoviſſent,
non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: * & non ſo-
lum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

(a) Act. XIII. 2. (b) Hebr. II. 4. Hebr. X. 38. Gal. III. 11. (c) Epheſ. IV. 17.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 27. Exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem. Non omittas *in* ante *invicem*.

Verſ. 28. Ut faciant ea quæ non conveniunt. Plurale *conveniunt*, præferendum eſt ſingulari *convenit*.

Verſ. 32. Et non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Non magis omittas primum *&*, quam duplex *qui* ſubſequens.

NOTATIO.

Verſ. 32. DUplex eſt loci iſtius lectio. Prior eſt: *Qui cum iuſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte, non ſolum* (*autem* 1. MS.) *qui ea faciunt* (*faciunt ea* MS.), *ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Hæc Latinorum eſt codicum, & veterum patrum; Cypriani epiſtola IV. libri primi, Auguſtini in Pſal. LVII. Iſichii in Levitici caput XX. Auctoris commentariorum Hieronymo attributorum, Primaſii, Sedulii, Haymonis, Anſelmi, & poſteriorum Latinorum Enarratorum. D. Ambroſius libri de bono mortis cap. VII. legit: *Non ſolum qui ea faciunt ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Græcanica ſcholia, quamquam non approbent, indicant, quod nonnullis locus hic ita legi ſoleat, ut facere gravius, conſentire ſit levius. Poſterior lectio iſta eſt: *Qui cum iuſtitiam Dei cognoviſſent, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte, non ſolum ea* (*ipſi* Gg.) *faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus*. Quæ ut Græcorum eſt librorum, ita & Syricorum eſt exemplarium, ac Græcorum Interpretum Origenis, Chryſoſtomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii. Et de Origene quidem non dubitavit, qui commentarium eius introſpexerit: de ceteris autem dubitandi nulla eſt ratio. Auctor commentariorum Ambroſio adſcriptorum, magiſne lectioni poſteriori velit ex iis quæ ſcribit in finem huius, & in principium ſequentis capitis, ſagax lector iudicet. B. Auguſtinus libello quo huius epiſtolæ quaſdam propoſitiones explicat, diſerte legit: *Non ſolum ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus*. Symmachus Pontifex hunc locum contra Anaſtaſium Imperatorem profert, ut conſentire gravius eſſe doceat. Latinorum novi Teſtamenti codicum varietatem, quæ quidem huc faciat, deprehendere haud potuimus aliam, quam quod unus Ge. l. a Pariſienſibus notatus, geminum *qui* tollat (*Non ſolum ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus*) nec Græcorum aliam, quam quod unus Titelmanno, & Sasbout teſtibus *ἐξυνῆκαν*, id eſt *non intellexerunt*, addat. Oecumenii Græcanici ſcholiaſtæ, qui quaſi utriuſque lectionis meminit, hæc ſunt hunc in locum verba, ſed primum hæc textus: *οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι*. „ Rurſum oſtendit eos ex cognitione peccare. Iuſtitiam autem vocat Dei „ præcepta (&c.) duo ponit crimina, & „ facere, & cooperari facientibus, ac pro- „ ximum ad malum adhortari. Quidam au- „ tem id quod dictum eſt non aſſecuti, & „ Apoſtoli verba ſuſpicantes fuiſſe adultera- „ ta, hoc modo illa interpretati ſunt: *οὐ* „ *μόνον οἱ ποιοῦντες αὐτά, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδο-* „ *κοῦντες τοῖς πράσσουσιν*: *Non ſolum qui fa-* „ *ciunt*

„ *ciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Sic enim habuit, dicunt, vetus exemplar, ut maius ſit facere, minus autem conſentire. Ego autem neque depravatos in hoc eſſe Apoſtolicos codices dicens, neque cum his qui non intellexerunt contendere volens, lectoribus iſthuc iudicandum permittam. Dico ergo, quod quum eos qui peccant laudare, longe operoſius ſit, ac maius ad ſupplicii rationem momentum habeat, quam peccare merito dictum eſt, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν, *non ſolum ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus*. Nam is qui &c. “ Circa id quod habet: Quidam vero id quod dictum eſt &c. notatur in margine ἰσιδώρου *Iſidori*. Hentenius interpres in præfatione ad lectorem ſignificatum intelligit, verba eſſe Græci Iſidori, qui referat quoſdam aliter legere, ac contendere, depravatos eſſe Græcos codices, ſubiungatque quæ ſequuntur. Mirum eſt autem non meminiſſe eum particulæ *non intellexerunt*, ſine qua aut ſimili non ſatis ea lectio conſtet: *Non ſolum qui ea faciunt;* vel non inde elevare quod manca ſit. An vero nec Interpres vulgatus id Græce legerit, ſed complendæ ſententiæ gratia addiderit, ignoro: id autem, ſi interrogando pronuntietur, nihil prioris partis ſenſum, ab eo quod ex Græco intelligi ſolet, variet. Porro in poſteriori Græcæ lectionis parte non neceſſe ſit intelligere, maius eſſe conſentire, quam facere: exponi poſſit, & faciunt ea, & facientibus conſentiunt. Ita vero & in Latina lectione haud neceſſario intelligatur, maius ſemper eſſe facere, quam conſentire; niſi plerumque, vel hominum iudicio.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. VOCATUS APOSTOLUS: ad apoſtolici muneris functionem vocatus; eſt autem Græc. κλητός nomen. EVANGELIUM DEI: in evangelium Dei de filio ſuo: quod enim intercedit, legendum eſt per parentheſim.

V. 3. FACTUS EST: temporaria nativitate ſecundum carnem de matre factus eſt homo, qui erat ab æterno ſine matre genitus Deus.

V. 4. PRAEDESTINATUS. Prædeſtinatum eſt fore aliquando, ut homo per humanitatem a verbo aſſumptam Dei filius eſſet in virtute Dei operantis ſecundum ſpiritum ſanctificationis, id eſt per ſpiritum ſanctum virgini inumbrantem. Græcorum ſenſus eſt germanior, qui legunt, ὁρισθέντος, id eſt qui definitus ac declaratus eſt Dei filius. IN VIRTUTE, id eſt per miraculorum virtutes quas operabatur, dicente ipſo: Opera quæ ego facio ipſa teſtimonium perhibent de me. ET SECUNDUM SPIRITUM SANCTIFICATIONIS, id eſt per Spiritum ſanctum, quem (quod ad unum Deum pertinet) in ſe credentibus largiebatur. EX RESURRECTIONE MORTUORUM IESU CHRISTI, id eſt ex eo quod ſua virtute ſuſcitat mortuos aut magis ex eo quod ſuapte virtute ſurrexit a mortuis ipſe Ieſus Chriſtus dominus noſter.

V. 5. AD OBEDIENDUM FIDES, id eſt ut ab omnibus inter gentes fidei obediatur, ſcilicet per quem cum gratia legationem accepimus. PRO NOMINE EIUS, id eſt ut vice ipſius Chriſti (pro quo alibi, legatione ſe fungi ait) ad fidei obeditionem gentes omnes adduceremus.

V. 6. 7. & 8. IN QUIBUS, inter quos ac de quorum numero & vos eſtis: vos inquam, vocati Ieſu Chriſti. Dicit autem vocatos Chriſti pro vocatos a Chriſto, ut vulgo, dilectum Dei, pro dilectum a Deo: quod vero ait vocatis ſanctis, intellige vocatis ad ſanctitatem, ac ut ſancti eſſent. In dictione autem, SANCTIS, finit epigraphe, & ſubaudiendum eſt, ſalutem dicit; atque ita in omni pene reliquarum epiſtolarum epigraphe: neque enim verbum plurale, ſunt, iungi poteſt cum pronomine VOBIS. QUIA FIDES: quia pro quod dictum eſt, idque frequens eſt interpreti.

V. 9. SPIRITU MEO, id eſt quem mente atque animo colo, non Iudaicis ceremoniis. EVANGELIO: in prædicatione Evangelii de filio eius.

V. 10. SI QUO MODO, obſecrans quo modo tandem fieri poteſt, ut Deo volente proſperum iter mihi ad vos contingat.

V. 12. SIMUL CONSOLARI: συμπαρακληθῆναι, id eſt ſimul conſolari, refertur ad illud, deſidero vos videre, id eſt ſimul conſolari in vobis.

V. 13. ET PROHIBITUS, id eſt ſed hactenus inhibitus ſum, ſicut infra cap. xv. propter quod impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.

V. 15. IN ME PROMPTUM EST, id eſt paratus ſum, quantum ad me attinet.

V. 16. NON ENIM ERUBESCO EVANGELIUM, prædicare, id eſt non me pudet Evangelii. Non enim res uſque adeo imbecilla eſt Evangelium, quinimmo admirandæ eſt illud potentiæ, quod ipſum credentes ſanare poteſt. PRIMUM, non dignitate, ſed tempore.

V. 17. IUSTITIA ENIM DEI, id eſt iuſtitia Dei qua nos iuſtificat, quæ eſt, & conſtat EX FIDE IN FIDEM; hoc eſt, fide promovente, ac ſubinde augeſcente (qualis eſt ille Hebraiſmus Pſalm. LXXXIII. *Ibunt de virtute in virtutem*, id eſt in augmentum virtutis) revelatur in Evangelio, quo gratis per Chriſtum credentes iuſtificari intelligimus. Vel, iuſtitia Dei revelatur in Evangelio ex fide in fidem, id eſt ex fide veteris teſtamenti in fidem novi. Quæ enim latebat in veteri teſtamento ſub umbris & figuris Chriſti fides, plane revelata eſt in novo. Vel, iuſtitia Dei, id eſt Chriſtus in Evangelio revelatur ex fide veteris inſtrumenti in fidem, & per fidem novi: qui enim in lege adumbrabatur, manifeſtatus eſt in Evangelio. Nam qui in lege non intelligebat illud Eſa. *Ecce virgo concipiet*, dum in Evangelio legit, *Ecce concipies & paries filium*: qui non capiebat illud Mic. *Egreſſus eius a diebus æternitatis*, dum audit Ioannem tonantem ac dicentem, *In principio erat verbum*: illi revelatur iuſtitia Dei Chriſtus, qui ænigmatice tantum præferebatur in lege. Greg. explicat, iuſtitia quæ eſt ex fide in fidem, id eſt quæ auſpicatur a fide & in fidem deſinere debet: non enim ſalvabitur qui in finem non crediderit, aliter etiam ex fide præteritorum in fidem futurorum: quod non ſat ſit credere Chriſtum pro nobis natum, paſſum, reſurrexiſſe, niſi & nos in illo credamus reſurrecturos, & æternam vitam conſecuturos.

V. 18. IN IUSTITIA, veritatem Dei in iniuſtitia detinent qui agnitam celant; vel ut Græci exponunt, qui ad conditoris iniuriam, Dei cultum ac latriam idolis iniuſte tribuunt.

V. 19. QUOD NOTUM EST DEI, id eſt quod naturaliter de Deo noſci poteſt. MANIFESTUM EST IN ILLIS, id eſt manifeſtum eſt illis. INVISIBILIA ENIM IPSIUS, qualia ſunt bonitas, ſapientia, & ſimilia.

V. 20. PER EA QUAE FACTA SUNT, id eſt ex ipſius effectis intellecta conſpiciuntur, A CREATURA MUNDI, Græce *ὑπὸ τῆς κτίσεως*, id eſt a conditione mundi, ſcilicet ex quo mundus eſt conditus; vel *a creatura mundi*, id eſt homine qui præcipuus eſt creaturarum omnium, INTELLECTA CONSPICIUNTUR. Quomodo autem ex viſibilium conſideratione inviſibilia Dei cognoſcantur, vide egregium libellum 7. Hugonis a ſancto Victore in ſuo Didaſcalico.

V. 21. COGITATIONIBUS: *διαλογισμοῖς*, id eſt *ratiocinationibus*: dum notionem non uni Deo tribuerunt, ſed ſuis argutiis & ſyllogiſmis ad eum ſe perveniſſe gloriati ſunt.

V. 22. DICENTES. Græc. *φάσκοντες*, *exiſtimantes*.

V. 23. VOLUCREM, ſicut anſerem Romani, apim, bovem, & crocodilum ſerpentem AEgyptii coluerunt.

V. 24. TRADIDIT, id eſt abire permiſit: iuxta illud Pſalmi LXXX. *Dimiſit eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.*

V. 25. UT CONTUMELIIS: *τὸ* ut, eventum rei, non cauſam hic dicit, id eſt propter quam Dei deſertionem contigit, ut derelicti ab illo corpora ſua contumeliis afficerent ac dedecorarent.

V. 26. TRADIDIT, id eſt abire permiſit auxilium, tradidit, inquam, illos in PASSIONES IGNOMINIAE, id eſt libidines ignominioſas.

V. 28. NON PROBAVERUNT, id eſt Deum deique beneficia noluerunt agnoſcere. TRADIDIT, deſerendo: ſicut indurare dicitur, cum ſuæ malitiæ, ac libertati pravæ peccatorem derelinquit. UT FACIANT, hic quoque *τὸ* ut, eventum dicit, id eſt propter quod derelicti fecerunt quæ minime oportebat.

V. 30. DEO ODIBILES, Græce *θεοστυγεῖς*, id eſt Deo odibiles, vel Dei oſores.

V. 31. INCOMPOSITOS: *ἀσυνθέτους*, id eſt moribus inurbanis, vel pactorum infractores, & conventis non ſtantes. SINE AFFECTIONE, Græce *ἀστόργους*, id eſt humanitatis expertes & caritatis. Eſt enim *στοργὴ* affectio amicitiæ, & maxime parentum erga filios, ac contra. ABSQUE FOEDERE, Græce *ἀσπόνδους*, id eſt fœdifragos. QUI CUM, &c. non intellexerunt, id eſt intelligere noluerunt. Græci legunt, *Qui cum*

iuſti-

Digitized by Google

iuſtitiam Dei cognoviſſent , nempe quod qui talia agunt , digni ſunt morte, non ſolum ea faciunt , ſed facientibus conſentiunt .

S A.

OStendit , nec Legis nec naturæ vim ſufficere , ſine Chriſti gratia , ad ſalutem .

V. 1. VOCATUS APOSTOLUS , id eſt vocatione Dei Apoſtolus , ſeu ad Apoſtolatum vocatus. SEGREGATUS , ſcilicet per Dei electionem. EVANGELIUM , ſcilicet prædicandum .

V. 3. DE FILIO : coniunge cum *Evangelium*. FACTUS . Syr. *natus*. EI : non eſt Græc. nec in Complut. SECUNDUM CARNEM , id eſt homo , vel , ſecundum quod homo .

V. 4. PRAEDESTINATUS . Græc. *definitus* , ſcilicet prædeſtinatione . Syr. *agnitus* . FILIUS DEI , ſcilicet ab æterno prædeſtinatum , ut Filius Dei eſſet homo , adeoque ut ille homo eſſet Dei Filius : etſi enim Chriſti perſona Dei Filius ſemper fuit , ſed non ſemper homo ſimul Deique Filius . IN VIRTUTE , id eſt cum potentia . SECUNDUM , &c. id eſt qua poteſt ſanctificare . EX RESURRECTIONE , &c. quaſi dicat , Quem Spiritum miſit poſtquam reſurrexit a mortuis . CHRISTI , &c. pro , Chriſto Domino , &c. ut iungatur cum *Filio ſuo* : & ſic legitur Syr.

V. 5. AD OBEDIENDUM , id eſt ut obediatur . PRO NOMINE , id eſt vice , iungendum cum *Apoſtolatum* , iuxta illud , *Pro Chriſto legatione fungimur* .

V. 6. IN QUIBUS , ſcilicet Gentibus . VOCATI , id eſt vocatione . CHRISTI , ſcilicet ſervi , ſeu diſcipuli .

V. 7. VOCATIS SANCTIS , id eſt vocatione ſanctis , ſeu ad ſanctitatem vocatis . PAX , ſcilicet detur, ſeu multiplicetur , ut dicitur I. Petri I.

V. 8. PER IESUM CHRISTUM , ſcilicet ad id impulſus; vel quaſi dicat , In negotio Chriſti . ANNUNTIATUR , id eſt divulgatur. UNIVERSO . Hyperbole : ſic ſolemus cum volumus ſignificare maximam orbis partem .

V. 9. IN SPIRITU , &c. quaſi dicat , Toto animo . EVANGELIO , ſcilicet annuntiando .

V. 10. SI QUOMODO ; pro , ut . IN VOLUNTATE DEI , id eſt Deo volente .

V. 11. GRATIAE , id eſt doni .

V. 12. ID EST . Dicendum erat , itemque ; ſed ſic maluit dicere , modeſtiæ cauſa, ne quod dixerat , arrogantiæ tribueretur. IN VOBIS, id eſt vobiſcum.

V. 13. AD VOS : iunge cum *ut aliquem* , &c. PROHIBITUS , ſcilicet a Deo ; vel quaſi dicat , Occupationibus impeditus .

V. 14. GRAECIS, &c. iunge cum ſuperioribus. SAPIENTIBUS, &c. id eſt doctis & indoctis. DEBITOR ; pro , omnibus enim debitor. SUM . Syr. *ſum ad prædicandum* .

V. 15. ITA . Complut. *itaque* . QUOD IN ME , id eſt quantum in me eſt . PROMPTUM EST; pro promptus ſum.

V. 16. PRIMUM , ſcilicet Iudæis primum prædicatum. GRAECO , id eſt Gentili .

V. 17. IUSTITIA , ſcilicet qua iuſtificat. REVELATER , id eſt declaratur . EX FIDE IN FIDEM , ſcilicet progredientes , nempe in dies in maiorem : ſic dicitur II. Corinth. III. *A claritate in claritatem* , ſcilicet progreſſus: fit a fide informi ad formatam per caritatem , & ab hac cum eſt imperfecta ad perfectam , a qua deinde ad perfectiorem ; vel quaſi dicat , Per fidem qua creditur : ſic dicitur cap. VI *Iniquitati ſervire ad iniquitatem* , id eſt qua inique agitur : clarius ſic diceretur , Ex fide , credendo , ſeu faciente credere , ſicut etiam iniquitati ad iniquitatem , id eſt inique agendo , ſeu facienti inique agere. Vide cap. IV. *in ſpem* ; pro , ſperando , & cap. VIII. *in timorem* , id eſt timere facientem.

V. 18. REVELATUR , ſcilicet per Evangelium. SUPER , id eſt contra . VERITATEM, id eſt notitiam veram . DETINENT, ſcilicet iniuſte vivendo.

V. 19. NOTUM , id eſt cognoſcibile . IN ILLIS; pro , apud illos .

V. 20. INVISIBILIA . Syr. *recondita* . CREATURA , id eſt rebus creatis , ſcilicet per res creatas, ut ſtatim explicatur. VIRTUS, id eſt potentia .

V. 21. EVANUERUNT, id eſt facti ſunt vani. COGITATIONIBUS , id eſt rationibus.

V. 22. DICENTES, id eſt putantes, ſeu profitentes .

V. 23. Et; pro, *nam*, Hebr. Incorruptibilis, id eſt immutabilis. Similitudinem imaginis, id eſt ſimulachrum repræſentans. Serpentium. Græc. *reptilium*.

V. 24. Contumeliis, id eſt dedecore, ſeu turpitudine. In semetipsis, id eſt inter ſe, vel ſuis vitiis. Vide infra.

V. 25. Veritatem Dei, id eſt verum Deum. Mendacium, id eſt idola, quæ Deum mentiuntur. Amen, id eſt certe. Confirmatio eſt poſtremo dicti.

V. 26. Passiones ignominiae, id eſt cupiditates ignominioſas. Contra naturam, ſcilicet miſtæ inter ſe.

V. 28. Probaverunt, id eſt curarunt. Habere in notitia, id eſt videre quid ei placeret, aut diſpliceret. Tradidit, id eſt permiſit tradi. Reprobum sensum, id eſt improbandam mentem. Non conveniunt, id eſt peſſima.

*V.*29. Iniquitate. Græc. *iniuſtitia*. Malitia, id eſt verſutia.

V. 30. Deo odibiles, alii vertunt, *Dei oſores*, ſcilicet in Deum impii.

V. 31. Incompositos, id eſt immodeſtos. Affectione, id eſt caritate. Absque foedere, id eſt fœderis violatores.

V. 32. Non intellexerunt, quod tamen poterant ſi vellent. Græce hic aliquanto aliter; ſed mihi noſtra lectio magis placet; eſtque in quibuſdam Græcis codicibus.

MARIANAE.

Paulus, qui & Saulus, ex perſecutore Eccleſiæ factus Apoſtolus, quatuordecim Epiſtolas ſcripſit. De Epiſtola ad Hebræos eſt dubitatum, ut Euſebius ait Lib. III. Hiſt. cap. iii. & Hieronymus in Catalogo, propter ſtyli elegantiam maiorem quam in aliis. Tertullianus quoque V. contra Marcionem Libro, cum aliarum Epiſtolarum Pauli meminerit, de Epiſtola ad Hebræos nihil. Verum Pauli eſſe Clemens Alexandrinus, & Origenes aiunt apud Euſebium Lib. VI. cap. xi & xix. Alii antiqui Petres paſſim ut Pauli citant. Accedunt Concilia Carthaginenſe III. Laodicenſe, Florentinum, Tridentinum in ſuis Sacrorum librorum Catalogis. Sed & plures alias ſcripſiſſe ad privatos aut Eccleſias non eſt dubium, quæ non ſunt in canone, & periere omnes præter unam ad Laodicenſes: quam competenti loco ſubiicimus, & noſtram de illa cenſuram.

Verſ. 1. Paulus. Græci & Latini initio epiſtolarum nomina ſcribebant, nos in fine. Vocatus Apostolus, id eſt vulgo dictus & appellatione *Apoſtolus*: κλητός, id eſt *vocatus*: nomen eſt, non participium. Segregatus in Evangelium, id eſt ad annuntiandum Evangelium.

V. 2. Quod ante promiserat, non eſt nova doctrina.

V. 3. De Filio suo. Iunge cum *Evangelium Dei*, intermedia per parentheſim. Hyperbaton eſt ob multas & longas parentheſes hoc initio, ob multitudinem quæ ſcribenti Spiritus ſuggerebat. Qui factus. Alia parentheſis bene longa. Ergo temporali nativitate Deo ex matre factus eſt homo, qui iam erat Deus Chriſtus Ieſus.

V. 4. Qui praedestinatus est Filius Dei. Quomodo prædeſtinatur ad id quod iam erat? Verum diſputationem de Chriſti prædeſtinatione ad Scholas ablegamus. Quod rei præſentis eſt, verba ſic ordino: *Qui Filius Dei prædeſtinatus*. In virtute, id eſt ut haberet virtutem faciendi miracula, & ſanctificandi ſuos, & a mortuis reſurgendi. Aut ut alii: *Qui declaratus eſt eſſe Filium Dei* ex miraculis, ſanctificatione ſuorum, reſurrectione ſua. Vox ὁρισθέντος utrumque ſignificat, *prædeſtinatum* ſeu *definitum* & *declaratum*.

V. 5. Per quem, id eſt a quo accepimus munus hoc Apoſtolatus. Ad obediendum fidei, paſſive, ut obediatur fidei. In omnibus Gentibus. Fuit enim Gentium Apoſtolus. Pro nomine eius, id eſt nomini eius & fidei obediatur.

V. 6. Iesu Christi; pro, a Ieſu Chriſto vocati eſtis. Hactenus parentheſis.

V. 7. Dilectis Dei, id eſt a Deo. Vocatis sanctis, id eſt ad ſanctitatem. Gratia vobis et pax. *Gratia* dona cæleſtia, *pax* aliorum bonorum copia. Aut quia ſine gratia non eſt pax, gratia præcedit. Aut cum Hieronymo epiſt. ad Cypr. *Gratia ſit peccatorum remiſſio, per quam pacem habemus cum Deo*. Aut cum Auguſt. I. Retract. cap. xxv. *Gratia ſit, per quam remittuntur peccata. Pax qua Deo reconcilia-*

Digitized by Google

liamur. Quod quomodo accipiendum ſit, ipſe ibi explicat.

V. 9. CUI SERVIO IN SPIRITU MEO, id eſt ex animo, ſerio. IN EVANGELIO, id eſt annuntiando Evangelium.

V. 11. DESIDERO ENIM VIDERE VOS, UT ALIQUID IMPERTIAR, id eſt ut vos doceam.

V. 12. SIMUL CONSOLARI: iunge cum verbo *deſidero*. Porro συμπαρακληθῆναι, *invicem conſolari*, *exhortari*, *conferre* ſignificat.

V. 13. UT ALIQUEM FRUCTUM, iunge cum illo, *propoſui venire ad vos*.

V. 14. GRAECIS AC BARBARIS. Omnes Gentes præter Græcos *barbaros* vocabant. Sic Plautus ſe & Nævium poetam *barbaros* dixit, ut ait Feſtus; ſed & aliquando præter Græcos & Romanos, alii dicuntur *barbari*, ut diximus Act. XXVIII. 1.

V. 15. ITA; pro, itaque, proinde (QUOD IN ME) per parentheſim, PROMPTUM EST.

V. 16. VIRTUS ENIM DEI, id eſt admirandæ potentiæ eſt Evangelium.

V. 17. IUSTITIA ENIM DEI, id eſt quam Deus probat, qua nos ſanctificat, in eo manifeſtatur. EX FIDE IN FIDEM, id eſt per omnes fides. Geminatio æquivalet propoſitioni univerſæ. Aut ex fide veteris Teſtamenti, quod in eo occultum & adumbratum erat, in fide novi manifeſtatur, ut illud, *Ecce Virgo concipiet*, quid ſignificaret, per Evangelium eſt cognitum.

V. 18. REVELATUR ENIM; pro, autem. Oſtenditur autem manifeſte ira Dei in eos QUI VERITATEM DEI IN INIUSTITIA DETINENT. Norunt quod verum eſt, & male operantur. Veritas non ſe exerit iniquitate prohibente. Baſilius in Regul. brev. cap. LXV. *Qui donis Dei ad proprias utilitates abutuntur, ii veritatem detinent in iniuſtitia*, id eſt ea abutuntur.

V. 20. A CREATURA MUNDI, id eſt ab initio, ſic Syr. PER EA QUAE FACTA SUNT. In rebus corporeis, ut in ſpeculo, Dei ſapientiam & alia inviſibilia contemplamur, & quaſi videmus oculis.

V. 21. EVANUERUNT IN COGITATIONIBUS SUIS, diſceptationibus, diſputationibus.

V. 23. ET MUTAVERUNT, *Et*, pro, nam.

V. 24. UT CONTUMELIIS, *Ut* eventum dicit, non cauſam, pro, ſic factum eſt. Iuſta punitio, ut contumeliis eorum contumelia in Deum vindicetur.

V. 28. ET SICUT NON PROBAVERUNT. Græc. ἐδοκίμασαν, *perpenderunt*, non curarunt ſe habere notitiam Dei, iuxta illud verſ. 19. *quia quod notum eſt Dei*.

V. 29. MALITIA, FORNICATIONE repletos. Græc. πονηρίᾳ, πορνείᾳ, Paronomaſia. INVIDIA, HOMICIDIO. Græc. φθόνου, φόνου, alia Paronomaſia. Suidas in dictione Φθόνος, affert Iambos elegantes in hanc rem:

> *Τὸ δεξιστρεφὲς τοῦ φθόνου ξέσας γράμμα,*
> *Εὕροις ἐν αὐτῷ τὸν φόνον γεγραμμένον.*

Efficit invidia mortem non magis in eo qui invidetur, quam in eo qui invidet, iuxta illud:

> *Iuſtius invidia nihil eſt.* ——

Et alius Græce, quod Latine ſic:

> *Peſſimus eſt livor, iuſti tamen hoc habet in ſe:*
> *Corque oculoſque ſuos conficit invidia.*

Sic hoc loco Paulus, & Galat. V. 21. cum *invidia* iungit *homicidium*.

V. 31. INCOMPOSITOS. ἀσυνθέτους, *pactorum infractores*: συνθήκη, *pactum*. SINE AFFECTIONE: ἀστόργους, *inhumanos*. ABSQUE FOEDERE, ἀσπόνδους, *fœdifragos*, ſeu *refractarios*, agreſtes.

V. 32. QUI CUM IUSTITIAM DEI COGNOVISSENT, ſive *iudicium*, ut Syr. ſive quod Deus probat. NON INTELLEXERUNT. Hoc Græce non eſt, nec Syr. Titelmannus tamen in quodam Græco codice ſe vidiſſe ait. QUONIAM QUI TALIA AGUNT, DIGNI SUNT MORTE. Sic Græce. NON SOLUM QUI EA FACIUNT. Græce, *non ſolum ea faciunt, ſed conſentiunt facientibus*. Facile conciliantur, ſi aut in Latina editione demas *qui*, ſecundo & tertio loco, aut in Græca addas geminum οἱ, id eſt *qui*, iiſdem locis, ut Veleſius addit. Verum ut eſt Latine, legit Cyprianus Lib. I. epiſt. IV. Ambroſius de Bono mortis, cap. VII. Auguſtinus in Pſal. LVII. Ut Græci habent, Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Symmachus Pont. contra Anaſtaſium.

ME-

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. 1. VOCATUS APOSTOLUS, id eſt vocatione Apoſtolus, vocatus ad Apoſtolatum, id eſt miſſus a Chriſto per orbem ad Evangelizandum, & docendas gentes. SEGREGATUS IN EVANGELIUM DEI, id eſt peculiariter delectus ad prædicandum Dei Evangelium. Reſpicit illud Act. XIII. 2. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos:*

V. 3. DE FILIO SUO. Refertur hæc particula vel ad *Evangelium Dei*, ut ſignificetur Evangelii materia; vel, ad verbum *promiſerat:* nam Chriſtum Dei filium a Patre fuiſſe promiſſum univerſa novi Teſtamanti Scriptura loquitur. QUI FACTUS EST EI EX SEMINE DAVID, &c. ſic etiam ad Galat. IV. 4. *Factum ex muliere, factum ſub lege.* Vox enim *Factus* magis ſignificat humanam naturam Chriſti. Uult enim Apoſtolus eum qui ab æterno eſt filius Dei, in tempore factum eſſe, ac genitum ſecundum carnem, id eſt ſecundum humanam naruram ex ſemine & poſteritate David.

V. 4. QUI PRAEDESTINATUS EST FILIUS DEI; quaſi dicat: Homo Chriſtus, qui factus eſt ex ſemine David, ſeu cui data eſt eſſentia, & exiſtentia humanæ naturæ, prædeſtinatus eſt ad hoc, ut ſubſiſteret in perſona Filii Dei. IN VIRTUTE, id eſt cum potentia divina, ut ſcilicet, licet eſſet Filius David ſecundum carnem fragilem, & infirmam, haberet tamen tam potentiam, quam hypoſtaſim divinam. SECUNDUM SPIRITUM SANCTIFICATIONIS: nimirum ut per hanc potentiam hic homo unitus Verbo faceret miracula, remitteret peccata, ſanctificaret homines; quam potentiam habuit a Spiritu ſancto, qui totum hoc opus unionis hominis cum Deo in Chriſto peregit. EX RESURRECTIONE MORTUORUM: quæ potentia Spiritus maxime ſe oſtendit ex reſurrectione ex mortuis, id eſt in reſuſcitatione, qua Chriſtus ſe, & alios mortuos ſuſcitavit.

V. 5. PER QUEM: per Chriſtum, beneficio, & evocatione Chriſti. GRATIAM, ET APOSTOLATUM: gratuitum hoc beneficium, quod eſt Apoſtolatus. AD OBEDIENDUM FIDEI, &c. id eſt, ut obediatur fidei ab omnibus gentibus; ſcilicet, ut Apoſtoli ſua prædicatione indicant omnes Gentes ut ſe ſubmittant, credant, & obediant Evangelio. PRO NOMINE EIUS, id eſt pro gloria, & fide nominis Chriſti propaganda.

V. 6. IN QUIBUS: in quarum gentium numero. VOCATI IESU CHRISTI: iam vocati a Ieſu Chriſto, hoc eſt gratuita Dei vocatione facti fideles Ieſu Chriſti.

V. 7. OMNIBUS QUI SUNT ROMAE; ſcilicet, ſcribit hanc Epiſtolam. DILECTIS DEI: amicis Dei. VOCATIS SANCTIS, id eſt vocatis ad ſanctitatem, vocatis ad Chriſtianiſmum, ut ſint ſancti. GRATIA VOBIS, ET PAX; ſcilicet multiplicetur, contingat.

V. 8. PER IESUM CHRITUM, id eſt ob beneficia vobis impenſa per Ieſum Chriſtum iamquam mediatorem noſtrum, a quo bona omnium proveniunt. QUIA FIDES VESTRA, &c. id eſt, Gratias ago Deo pro fide veſtra, quæ tanta eſt, ut fama eius in univerſum mundum pervagetur.

V. 9. TESTIS ENIM MIHI EST DEUS: refertur hoc iuramentum ad illud ſequens: QUOD SINE INTERMISSIONE MEMORIAM VESTRI FACIO, &c. CUI SERVIO: Evangelium prædicando. IN SPIRITU MEO: ad ultimum uſque ſpiritum ei ſerviens, & pro eo laborans, & decertans. Vel, quem pura mente, & ſpiritu colo.

V. 10. VOLUNTATE DEI: per Dei voluntatem, Deo volente.

V. 11. VIDERE VOS: vos alloqui coram: ſic Act. XXVIII. XX. *Rogavi videre vos.* IMPERTIAR: per meum miniſterium, prædicationem, & inſtitutionem in rebus ad fidem ſpectantibus. AD CONFIRMANDUM VOS. Græce eſt, εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, *ad confirmari vos*, id eſt quo fiat ut confirmemini in donis acceptis.

V. 12. ID EST SIMUL CONSOLARI; quaſi dicat: Deſidero videre vos, ut confirmem vos, inſtruendo, & docendo in fide Chriſti, unde naſcatur mutua conſolatio noſtra ex communi fide mea, & veſtra, iam per me aucta, & confirmata.

V. 13. NOLO AUTEM VOS IGNORARE, &c. Excuſat Apoſtolus cur deſiderio nondum ſatisfecerit, docens conatum ſibi non defuiſſe, ſed facultatem. PROHIBITUS SUM USQUE ADHUC, id eſt impeditus ſum. Quale fuerit hoc impedimentum habemus infra cap. XV. ubi commemorat Apoſtolus ſe prædicando in aliis regionibus Evange-

lio

by Google

lio occupatum, Romanos inviſere non potuiſſe. FRUCTUM: ſpiritualem ex prædicatione Evangelii.

V. 14. DEBITOR SUM: annunciandi Evangelium, & docendi ea quæ ad ſalutem ſunt.

V. 15. QUOD IN ME: quod ad me attinet. PROMPTUM EST: promptus ſum, & deſiderio teneor.

V. 16. NON ENIM ERUBESCO EVANGELIUM; quaſi dicat, Licet videatur probroſum, & ſtultum prædicare Chriſtum eſſe crucifixum, non tamen huius rei me pudet. VIRTUS ENIM DEI EST; id eſt, Chriſti mors, merita, ſacramenta, præcepta, promiſſa, licet rideantur ab incredulis, nobis tamen Dei virtus ſunt, & potentia, per quam Deus in fidelibus ſuis ſalutem operatur. IUDAEO PRIMUM: primum enim ac potiſſime a Chriſto, & Apoſtolis annunciatum eſt Evangelium Iudæis, quibus promiſſus erat Chriſtus. ET GRAECO. Et ponitur pro *deinde*. GRAECO, id eſt Gentili.

V. 18. IUSTITIA ENIM DEI, &c. Probat Evangelium eſſe Dei virtutem in ſalutem omni credenti. Per Iuſtitiam Dei intelligitur divina iuſtitia, qua ſcilicet nos iuſtificat per Chriſtum, quæque nos revera in oculis Dei iuſtos facit. IN EO: in Evangelio. REVELATUR. Utitur verbo revelandi, quia de myſterio loquitur ab humanis ſenſibus abſcondito. EX FIDE IN FIDEM: ex fide incipiente, & imperfecta, in fidem proficientem, perfectam, caritate formatam, ſimilive modo augeſcentem, vel in ſe intrinſece, vel extrinſece per ea. ritatem, & virtutes alias, quas fides excitat; quaſi dicat: In Evangelio revelatur vera iuſtitia, quæ eſt, & proficit ex fide in fidem, id eſt quæ incipit, alitur, augeſcit per fidem in dies creſcentem, donec credentem ad ſalutem perducat. SICUT SCRIPTUM EST: Habac. II. 4. IUSTUS AUTEM EX FIDE VIVIT; quaſi dicat, Vita gratiæ, qua vivit iuſtus primo incipit a fide ſola, deinde creſcit, & perficitur fide, licet non ſola, ſed ea ſimul cum aliis virtutibus creſcente. Itaque licet fides ſit initium, radix, & quaſi cor vitæ ſpiritualis gratiæ, per hoc tamen non excluditur ſpes, caritas, aliæque virtutes, quin ex iis quoque vivat iuſtus ſicut in vita corporali, cor eſt radix vitæ, & primum vivens, & ultimum moriens, per hoc tamen non excluduntur cerebrum, pulmo, iecur, ſtomachus, &c. quin ex iis quoque animal vivat.

V. 18. REVELATUR ENIM IRA DEI, &c. quaſi dicat, Recte dixi iuſtitiam veram revelari per Chriſti Evangelium, illudque eſſe virtutem Dei in ſalutem: quia e contrario revelatur tum in eodem Evangelio, tum experientia, tum maxime revelabitur in die iudicii impietas, & iniuſtitia hominum infidelium, quia propterea divinam iram meruerunt, & illi ſunt obnoxii. QUI VERITATEM DEI IN INIUSTITIA DETINENT: veritatem illi dicuntur in iniuſtitia detinere, qui veram, quam de Deo eſſecuti ſunt notitiam, per iniuſtitiam, id eſt pravitatem ſuæ voluntatis ſupprimunt, ac veluti captivitatem intra ſe detinent, dum ea non oſtendunt, & promunt per opera pietatis.

V. 19. QUOD NOTUM EST DEI: γνωςὸν τῦ Θεῦ, id eſt quod de Deo naturaliter eſt cognoſcibile. MANIFESTUM EST IN ILLIS: in illorum mente, intellectu manifeſta ſunt; quaſi dicat, Excuſabiles non ſunt, quaſi veritatem non cognoverint, nec eam detinuerint in iniuſtitia, nam veritatem cognoſcere potuerunt, & re ipſa cognoverunt, quia naturaliter eſt manifeſta, & aperta, eamque docet & dictat ipſa natura. DEUS ENIM ILLIS MANIFESTAVIT; ſcilicet, per lumen naturæ.

V. 20. INVISIBILIA IPSIUS, id eſt attributa, & proprietates Dei, quæ corporeis oculis aſpici non poſſunt. A CREATURA MUNDI: ex univerſa hac creatura viſibili, quæ mundus dicitur; vel ſenſus eſt, a creatione mundi, a condito mundo, ab initio mundi. PER EA QUAE FACTA SUNT INTELLECTA: per creaturas cognita. CONSPICIUNTUR: nam ex operis præſtantia cognoſcitur ars, ingenium, & ſapientia artificis. SEMPITERNA EIUS VIRTUS: vis, & potentia conditoris.

V. 21. QUIA CUM COGNOVISSENT DEUM: ex mundi fabrica, & creaturis. NON SICUT DEUM GLORIFICAVERUNT, AUT GRATIAS EGERUNT: Deo pro mundi fabrica, ſuique ac rerum omnium ad ſuum uſum creatione, & conſervatione. EVANUERUNT, id eſt vani & inanes facti ſunt. IN COGITATIONIBUS SUIS, id eſt diſquiſitionibus, & diſcurſibus, quos ex creaturis de Deo creatore fecerant, quia ſcilicet iis re-

li-

lictis ad vana idola, quæ non erant Deus, colenda deflexerunt. Et obscuratum est insipiens cor eorum: adeoque ſtulti facti ſunt, quia veram ſapientiam, quæ in praxi, & pietate conſiſtit, reſpuerunt, & ſtultiſſime idola pro diis habuerunt, & coluerunt.

V. 22. Dicentes se esse sapientes: cum ſapientiam profiterentur. Stulti facti sunt: longiſſime a vera ſapientia aberrarunt, & in externam ſtultitiam, & inſipientiam delapſi ſunt.

V. 23. Et mutaverunt, &c. quaſi dicat, Idola pro Deo coluerunt. Alludit ad illud Pſal. xx. 105. *Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.*

V. 24. Tradidit illos Deus: ita eos auxiliis gratiæ ſuæ deſtituit, & cupiditatibus eorum permiſit, ut in immunditiæ peccata, ac fœdas libidines proni ac præcipites ierint. Ut contumeliis afficiant, &c. id eſt, ignominia ſeu turpitudine afficiant, nimirum ob fœditatem libidinis, qua illud commaculant.

V. 25. Commutaverunt veritatem Dei in mendacium: quia veritatem Dei, id eſt ea quæ de Deo cognoverant, ut æternitatem, omnipotentiam, ipſamque divinitatem, tranſtulerunt ad idola; colentes ea pro diis, attribuentes quæ divina ſunt. Mendacium, id eſt mendax, & falſum idolum. Qui est benedictus in saecula: qui tamquam Deus omnium rerum creator, & omnium bonorum auctor, iure laudandus & prædicandus eſt per omnia ſæcula, hoc eſt omni tempore. Amen: ita ſit, in æternum laudetur. Tradidit illos: vide dicta verſ. 24 Passiones ignominiae: paſſiones ignominioſas ac pudendas. Nam feminae eorum. Meminit feminarum, ſignificans exemplum virorum etiam in feminas redundaſſe. In eum qui est contra naturam: nefariam libidinem exercendo.

V. 27. Mercedem: ἀντιμισθίαν, recompenſationem, mercedem pro meritis. Quam oportuit: convenientem; quia enim contra naturæ ordinem cum ignominia Creatoris, eo relicto ad creaturæ idololatriam ſe converterunt, hac de cauſa iuſte a Deo permiſſi ſunt naturæ ordinem pariter in actu generationis invertere, & pudenda libidine ſe dedecorare.

V. 28. Non probaverunt: οὐκ ἐδοκίμασαν, non placuit eis. Deum habere in notitia. Deum verum noſſe, ut recte de illo ſentirent, ſed idolis adhæſerunt, eaque pro Deo agnoverunt, & coluerunt. Tradidit illos Deus, &c. permiſit Deus illos incidere in reprobum ſenſum. In reprobum sensum, id eſt improbam, & perverſam mentem, quæ probat non probanda, & reprobat & reiicit quæ ſunt iuſta, pura, ſalutaria. Quae non conveniunt: res turpes, quæ homines maxime dedecent.

V. 29. Repletos: *τὸ repletos*, pendet a verbo, *tradidit*; quaſi dicat, Hoc ipſo quo tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, factum eſt ut replerentur omni iniquitate, &c. Iniquitate: *ἀδικία*, *iniuſtitia*. Malitia: *πονηρία*, *improbitate*. Fornicatione: ſcortatione, & omni genere illiciti concubitus viri cum femina. Nequitia. *κακία*, *malitia*, S. Baſilius Lib. de conſtitut. monaſt. cap. iii. *κακίαν* definit, *Virtutis deſertionem*; hoc tamen loco peculiare vitium ſignificat. Roletus putat eſſe malam inclinationem animi ad prava libenter amplectenda, & recta, iuſta, ſancta averſanda. Alii verſutiam, & fallax nocendi ſtudium interpretantur. Malignitate: *κακοηθείας*, quod eſt vitium, quo omnia in deteriorem partem accipiuntur. Alii morum aſperitatem, & moroſitatem interpretantur.

V. 30. Susurrones, detractores: ſignificantur ii qui proximos occulte mordent, illi ut amicum ab amico diducant; hi ut lacerent famam. Deo odibiles: θεοστυγεῖς, id eſt *Deo odibiles*, aut Dei oſores; utrumque enim vox Græca ſignificat, quos Deus abhorret, vel qui Deum averſantur, quibus Deus eſt horrori; nimirum propter iniuſtitiam, qua vindicat ſcelera. Itaque parit hoc vitium ſcelerata conſcientia. Elatos: *ἀλαζόνας*, glorioſos, iactabundos, *iactantes ſui*, ut legit Cyprianus. Inventores malorum: eos intellige, qui præter ea quæ uſitata, & nota vulgo ſunt mala, alia etiam excogitant, quaſi eis ſatis non ſit communia peccata perpetrare: vide D. Baſil. in reg. brevior. reſp. lxxviii.

V. 31. Insipientes, id eſt ſine iudicio, qui inconſiderate & irrationabiliter omnia peragunt. Incompositos: *ἀσυνθέτους*, inurbanis moribus, inciviles, turbulentos,

ab

ab omni ſocietate, & conſuetudine honeſta alienos. SINE AFFECTIONE: ἀςόργυς, qui neminem amant niſi ſeipſos, qui inhumani ſunt, nec ullo ſenſu pietatis & caritatis tanguntur. SINE FOEDERE: ἀςπόνδυς, *fœdifragos*, qui datam fidem, & fœdera non ſervant. SINE MISERICORDIA: qui alienis miſeriis non ccmmoventur.

V. 32. NON INTELLEXERUNT: noluerunt intelligere, conſiderare, & practice ſibi perſuadere. QUI CONSENTIUNT, &c. Videtur taxare philoſophos qui idololatriam, & alia vitia, quæ mala eſſe ſciebant, diſſimulabant aut probabant.

T I R I N I.

Verſ. 1. VOCATUS, non intruſus, ſeu per me, ſeu per alios (hoc enim proprium eſt pſeudoapoſtolorum & hæreticorum *a*,) ſed divina voluntate ac beneplacito *vocatus* ad apoſtolatum, & peculiariter ſelectus ac SEGREGATUS *b* ad EVANGELIUM *de Filio* Dei, ſeu Meſſia cælitus ad nos miſſo, toto orbe promulgandum. Hunc titulum muneris, profeſſionis ac dignitatis ſuæ præponit Apoſtolus pene ubique initio epiſtolarum ſuarum: ſicut ſolent reges, *Nos Philippus*, *Dei gratia Rex Caſtellæ*, &c. Exhibeant iam Lutherani, Calviniſtæ, ceterique hæretici noſtri, a quo ſint ipſi vocati & a quo miſſi.

V. 3. QUI Filius FACTUS EST *Deo* SECUNDUM CARNEM, id eſt incarnatus eſt, vel ut Syriacus habet, *natus eſt* ſecundum humanam naturam, EX SEMINE DAVID.

V. 4. QUI idem ab æterno PRAEDESTINATU, ſeu prædecretus EST, ut ſecundum hypoſtaſin, ſeu ſubſiſtentiam ſuam eſſet etiam naturalis FILIUS DEI: ita S. Auguſt. *c* Anſelmus, Suarez *d* & alii. Syrus vertit, *qui agnitus eſt*: melius Chryſoſt. & alii Græci Patres, *qui declaratus eſt* (hoc enim proprie ſignificat ὁρίζειν etiam apud profanos *eſſe filius Dei*. Et ſic optime cohærent ſequentia: nempe declaratus eſt eſſe Filius Dei tribus argumentis: primo, IN, ſeu ex, VIRTUTE, id eſt potentia miraculorum editorum ad id comprobandum. Secundo, quia dedit SPIRITUM ſanctum & ſanctificantem. Tertio, EX RESURRECTIONE, tam paſſiva, qua ipſe reſurrexit primogenitus *e* MORTUORUM: quam activa, qua & ſe & alios reſurgere fecit. Et hæc conformiter expoſitioni Græcorum. Secundum Latinum textum & Latinos Patres hic eſt ſenſus: Etſi Chriſtus humanam naturam ex ſemine David hauſtam fragili ſit & infirma carne: tamen ſecundum hypoſtaſin ſuam *prædeſtinatus eſt*, ut ſit naturalis *Filius Dei*, *in*, id eſt cum *virtute*, ſeu potentia divina, ut ſcilicet una cum hypoſtaſi, habeat etiam naturam, & potentiam divinam *f*, patrandi quæcumque vult miracula, remittendi peccata, &c. Quam potentiam, ſimul & unionem hypoſtaticam, habet a *Spiritu* SANCTIFICATIONIS, id eſt a Spiritu ſancto & ſanctificante, qui totum opus unitionis naturæ humanæ cum Verbo divino peregit *g* in Chriſto. Porro hæc potentia Chriſti maxime ſe exeruit & clariſſime patuit *ex reſurrectione* a mortuis, qua & ſe & alios *i* iam mortuos ad vitam reduxit: ita S. Auguſt. & paſſim Latini interpretes.

V. 5. PER QUEM Chriſtum ACCEPIMUS GRATIAM ET APOSTOLATUM. Hendyadis *i*, id eſt gratuitum hoc beneficium & munus apoſtolatus, AD OBEDIENDUM, id eſt cui muneri incumbit curare ut ab OMNIBUS GENTIBUS obediatur FIDEI PRO NOMINE EIUS, id eſt pro gloria nominis Chriſti toto orbe propaganda. Nempe Apoſtolici muneris eſt, inducere omnes gentes ut ſe Chriſto ſubmittant, eiuſque Evangelio credant & obediant *h*. Hinc colligit Origenes & Chryſoſt. eſtque notatu dignum contra Eraſmum & Calvinum, *apoſtolatum* non ſignificare nudam legationem, ſeu miſſionem (ut etymon ſonat;) ſed etiam officium, poteſtatem ac dignitatem, & quidem ſupremam in Eccleſia Chriſti, de qua alibi *l*. Vices enim & perſonam Chriſti repræſentabant in terris *m*, ſicut regis vel Pontificis legatus regem vel Pontificem ipſum repræſentat.

V. 6. IN QUIBUS, id eſt in quarum gentium numero, ESTIS etiam vos, o Romani, VOCATI IESU CHRISTI, id eſt gratuita Dei vocatione facti ſervi, clientes, filii Chriſti.

V. 7. VOCATIS SANCTIS. Græce, κλητοῖς, id eſt *evocatis*, Syrus, *vocatis iis*, nempe ad fidei, motum & ſtatus ſanctimoniam. Olim enim omnes Chriſtiani vo-

cabantur *ſancti*, non quod actu ſemper eſſent tales, ſed vocatione, ſtatu, profeſſione ac debito, inquit Chryſoſt. Auguſt. & alii paſſim.

V. 8. FIDES VESTRA tanta, tam celebris & illuſtris eſt, ut fama eius univerſum orbem pervagetur. Quod S. Cyprianus *n* vult prophetice dictum a Paulo, prævidente perpetuam Romanorum futuris ſæculis in fide conſtantiam: utpote *ad quos*, teſte S. Hieronymo *o*, *perfidia non habet acceſſum*. Unde *Romana* Eccleſia, *Romana* religio, *Romana* fides, idem erat quod *Catholica* fides, religio, Eccleſia: & *Romanus* idem quod *Catholicus*, ut fuſe demonſtrat Bellarminus *p*.

V. 16. EVANGELIUM (id eſt, res Evangelio contentæ, puta Filii Dei incarnatio, paſſio, mors, merita, Sacramenta, præcepta, promiſſa, &c.) licet incredulis ſcandalo *q*, probro & riſu ſit, nobis tamen *credentibus* EST VIRTUS DEI, id eſt virtuoſum, potens & efficax medium, ſeu inſtrumentum, ad SALUTEM æternam conſequendam. IUDAEO PRIMUM, deinde, GRAECO, id eſt Gentili populo. Quia enim Græci a tempore Alexandri Magni Gentilibus fere omnibus dominabantur, ſuamque linguam una cum imperio quaquaverſum propagabant, hinc Gentiles omnes vulgo *Græci* vocabantur, inquit S. Auguſt. *r*. Porro Iudæis primo annuntiandum fuiſſe Evangelium, utpote quibus promiſſus erat Chriſtus, patet ex Matth. x. 12. & aliis locis.

V. 17. IUSTITIA enim DEI, id eſt divina; quaſi dicat: Non illa Iudaica, quæ in ceremoniis legalibus; non etiam illa philoſophica, quæ in nudis moralibus virtutibus conſiſtit; ſed vera, ſupernauralis ac divina iuſtitia, qua nos Deus iuſtificat & revera in oculis ſuis iuſtos facit: hæc inquam, REVELATUR, ſeu clare docetur, *in* Evangelio, inquit S. Auguſt. *ſ* Quæ iuſtitia uti ex fide naſcitur, ita & in dies creſcit EX FIDE IN FIDEM, ſupple, maiorem & ſolidiorem: nempe ex fide informi fit fides caritate formata: ex imperfecta & languida fit robuſta & perfecta, creſcens quotidie, donec credentem (niſi quid aliud obſtet) perducat ad perfectionem & ſalutem æternam. Hæc eſt enim virtus Evangelii, de qua præceſſit *t*: ita Theophyl. Oecumen. Sasbout, Pererius, a lapide. Et ſimiles hebraiſmos alibi *u* ſæpius reperies. IUSTUS enim VIVIT, id eſt veram iuſtitiam, quæ vita eſt animæ, haurit non ex ceremoniis legalibus, ut Iudæi; non etiam ex nudis virtutibus moralibus, ut Gentiles contendunt; ſed neceſſario EX FIDE, eamdemque vitam iam hauſtam conſervat quoque, roborat, auget & perficit ex *fide*, non quidem ſola (quod ſomniant hæretici) nempe ut caritatem & bona opera excludit) ſic enim fides *mortua eſt*: teſte S. Iacob *x*: implicat autem, animam vivere, roborari, creſcere per aliquid mortuum,) ſed prout ſpei, caritati, ceteriſque virtutibus, (quas docet & imperat fides) coniungitur, animatur & vegetatur.

V. 18. REVELATUR IRA & vindicta DEI DE CAELO, ſeu cælitus, SUPER OMNEM IMPIETATEM. Eſt argumentum a contrario; quaſi dicat: Hauriri veram iuſtitiam ex fide Chriſti, ut dixi, patet a contrario: qua quicumque deſtituti ſunt fide, manent obnoxii iræ & vindictæ divinæ, eo ipſo quo adhærent iniuſtitiæ ſuæ & impietati. Hoc vero *revelatur* cum ex eodem Evangelio, tum experientia, tum maxime in die iudicii: ita Chrysoſtomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius. Id mox inductione probat, primo, de Gentilibus hoc reliquo capite: deinde de Iudæis cap. ſeq. Gentiles enim VERITATEM DEI, id eſt veram cognitionem, quam lumine naturali de Deo diviniſque perfectionibus habebant, IN INIUSTITIA, id eſt iniuſte, quaſi captivam DETINENT, nempe ſeris & clauſtris perverſæ voluntatis ſuæ illam concludentes, nec ſinunt illam (conformiter dictamini & iudicio rectæ rationis & conſcientiæ ſuæ) exire in actus & opera conformia notæ veritati, puta in obſequium, cultum & honorem Deo debitum, non ſolius iuſtitiæ titulo, ſed etiam pietatis ac religionis. Quodque omnium iniuſtiſſimum eſt atque impiiſſimum, debitos Deo honores & obſequia non ſolum Deo denegant, ſed ut ægrius Deo faciant, ea ipſa iuratis eius hoſtibus idolis deferunt: ita Chryſoſt. Caietanus & alii.

V. 19. & 20. QUOD NOTUM EST, DEI, *τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ*, id eſt quod naturali lumine cognoſci poteſt de Deo, MANIFESTUM

EST

ET IN ILLIS, ſeu illorum mente atque intellectu. DEUS ENIM id ILLIS MANIFESTAVIT, ſcilicet A CREATURA MUNDI, id eſt ex rebus creatis in hoc mundo. Ex his enim, adhibito ſolo lumine naturali, quod cuique indit Deus, INTELLECTA, ſeu per diſcurſum intellectus, CONSPICIUNTUR INVISIBILIA Dei, id eſt ea quæ alioqui nec videri, nec alio ſenſu percipi poſſunt ab homine. Talia ſunt perfectiones divinæ, ſapientia, bonitas, pulchritudo, iuſtitia, &c. SEMPITERNA QUOQUE EIUS *virtus*, ſeu potentia, qua omnia creavit, gubernat, & ad finem cuique proprium deducit. Item DIVINITAS; id eſt, divina eſſentia, excellentia, & maieſtas, v. g. Deum eſſe primum & perfectiſſimum ens, a quo omia pendent, eſſe Dominum, eſſe ultimum finem omnium, &c. & conſequenter, Deum illum colendum latria, precibus, votis, ſacrificiis, laude, gratiarum actione, &c. ab eoque omnia bona expetenda & mala deprecanda. Unde ex hoc loco, & ex Sap. XIII. 5. patet, ſolo lumine naturali cognoſci poſſe, Deum eſſe, eſſe unicum, eſſe omnipotentem, omniſcium, plene liberum, habere providentiam omnium, non tantum in univerſali, ſed & ſingulorum in particulari: tali enim ſoli ſunt *gratiæ agendæ*, quod exigit verſ. 21. ita Chryſoſtomus, Proſper *y* & alii. Et en humanæ mentis ſtultitiam.

V. 23. MUTAVERUNT GLORIAM *z*; id eſt, glorioſum divinitatis nomen, confeſſionem, cultum, ſeu adorationem quæ uni immortali Deo debentur, converterunt ad *imaginem* arte factam HOMINIS mortalis, immo vituli, crocodili, id eſt pro Deo vero coluerunt idola. Sed an credibile eſt, ſapientiores philoſophos, v. g. Triſmegiſtum, Socratem, Platonem, Senecam, &c. idola coluiſſe? Catharinus negat, & cum eo plerique Novantes, qui etiam de ipſorum ſalute æterna bene ſentiunt. Sed Reſpondeo, omnino coluiſſe idola. Hoc enim expreſſe de Socrate teſtatur Xenophon, ipſeque Plato, & alii apud Euſebium, Athanaſium & S. Auguſtinum *aa*. Etſi enim quidam illorum ipſa lignea vel lapidea ſimulacra non exiſtimarint deos (ut vulgus exiſtimabat;) vana tamen ac falſa numina, ſeu deos per ſimulacra repræſentari volebant, ſicque illa adorabant, & adorando docebant, ſaltem metu legum humanarum, & ut populus hoc uniformi deorum cultu in officio contineretur: ita Tertulianus, Lactantius, Iuſtinus, Cyprianus & alii.

V. 24. PROPTER quam illatam Deo iniuriam & contumeliam, DEUS viciſſim TRADIDIT ILLOS *bb* IN DESIDERIA, ſeu paſſiones, CORDIS EORUM: non impellendo vel neceſſitando, ut Calvinus blaſphemat; ſed permittendo illos tyrannico ductui propriæ concupiſcentiæ, tentationi dæmonum & illecebrarum peccati: nec ſpeciali auxilio gratiæ illos retinendo, roborando, illuminando. Unde fiebat (Deo iuſtiſſime ſic puniente peccata peccatis,) ut proni ruerent in omnia ſcelera, quæ verſ. 29. & ſeqq. enumerantur: puta non in ſolas fornicationes & adulteria, ſed etiam

V. 26. IN PASSIONES IGNOMINIAE, id eſt ignominioſiſſimas maximeque pudendas libidines CONTRA NATURAM: de quibus vide Corn. a Lapide, & fuſius Ludovicum Creſollium, *cc*, qui fœdiſſimas Platonis, Socratis & aliorum Philoſophorum libidines in propatulo oſtentant:

V. 27. MERCEDEM, QUAM OPORTUIT, ERRORIS, id eſt pœnam condignam errori ſuo, RECIPIENTES IN SEMETIPSIS, id eſt in propriis corporibus.

V. 28. SICUT enim NON PROBAVERUNT HABERE DEUM IN NOTITIA; id eſt, non curarunt Deum verum noſſe & colere, ſed idola pro Deo agnoverunt; ita *traditi* ſunt viciſſim *a Deo* IN REPROBUM SENSUM: ἀδόκιμον νοῦν, id eſt in perverſam, diſtortam & erroneam mentem, qua putarant, fornicationem, mollitiem, ſodomiam, ceteraque ſcelera, ſaltem in particulari caſu, hic & nunc, licite patrari: ita Chryſoſtomus, Theodoretus & alii. Et vero Socratem, Platonem, Solonem, Chryſippum, alioſque primarios Philoſophos eiuſmodi nefanda contra naturam ſcelera publice probaſſe, docent idem Chryſoſtomus, Philo, Laertius, Plutarchus & Gellius *dd*.

V. 31. INSIPIENTES; id eſt, qui ſine iudicio omnia peragunt. INCOMPOSITOS, ἀσυνθέτους, id eſt inciviles, inurbanis moribus, ab omni honeſta conſuetudine alienos. SINE AFFECTIONE, ἀστόργους, id eſt inhumanos, qui nullo pietatis aut caritatis ſenſu tanguntur. ABSQUE FOEDERE, ἀσπόνδους, id eſt fœdifragos. En quantam malorum &

Digitized by Google

ſcelerum congeriem trahat ſecum neglectus Dei, & fidei.

(a) Heb. v. 4.
(b) Actor. xiii. 2.
(c) Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. xv.
(d) Suarez iii. p. diſp. I. ſect. 1. & 2.
(e) Apoc. 1. 5.
(f) Apoc. v. 12.
(g) Lucæ 1. 35.
(h) Matt. ult. verſ. 18.
(i) Proleg. de idiotiſm. Hebr. n. 4.
(k) Matt. ult. 19.
(l) Lucæ vi. 13.
(m) II. Cor. v. 20.
(n) Cypr. ep. xxxvii. ad Cornel.
(o) Hieron. Lib. I. con. Ruffi. 4.
(p) Bellarm. de Pontifice.
(q) I. Cor. 1. 23.
(r) Aug. ep. xxx.
(ſ) Aug. de Spiritu & littera cap. ix.
(t) Hic verſ. 24.
(u) Reg. ii. /I. Cor. iii. ult. & Pſal. xxxviii. 8. &c. Habac. ii. 4.
(x) Iac. ii. 17.
(y) Chryſoſt. hom. ix. ad popul. Proſper. Lib. II. de Vocat. Gentium cap. iv.
(z) Pſal. cx. 20.
(aa) Euſeb. Lib. XIII. de Præparat. cap. viii. & xi. Athanaſ. orat. cont. idola. Auguſt. Lib. VI. & VIII. de Civit. Dei.
(bb) Pſal. lxxx. 13.
(cc) Luc. Creſol. de Vit. Sophiſtarum Lib. V.
(dd) Philo Lib. II. de Vita contemplativ. Laertius a Lib. I. uſq. X. Plut. Lib. de Educandis liberis. Gellius Lib. XVIII. cap. ii. & Lib. XIX. cap. xi.

GORDONI.

Verſ. 1. PAULUS. Prius Saulus dictus nomine Iudaico a Saule rege, eiuſdem Tribus. Poſt converſionem Paulus dici voluit nomine Romano, forte ex occaſione Sergii Pauli, quem Cypri Proconſulem convertit ad fidem; de quo Act. cap. xiii. 8. & 9 VOCATUS APOSTOLUS. Vocatus a Chriſto Act. ix. ad Apoſtolatum, non appellatione tantum, ſed munere deſignato ad evangelizandum evocatus, ut fungeretur legatione Apoſtolica, accepta ad hoc auctoritate in totum orbem. Notent hoc hæretici & ſectarii novi, qui abſque vocatione ſe intrudunt ad ſacram hanc functionem, de quibus infra paſſim. Quod ad Paulum attinet, adverte duplicem eſſe vocationem, una eſt ad gratiam & gloriam; alia ad evangelizandum & gubernandam Eccleſiam: hoc poſteriore modo dicitur Paulus. SEGREGATUS, ἀφωρισμένος, quod deſignat ſeparatum a vulgo & a grege, velut ad aliquid eximium & excellens: hinc Act. xiii. 2. *Segregate mihi Paulum & Barnabam*.

V. 2. QUOD ANTE PROMISERAT. Hinc incipit Parentheſis uſque ad verſ. 7. *Omnibus qui ſunt Romæ*, in qua ſe delectum ait ad lætum nuncium, & Evangelium, quod Deus promiſerat per Prophetas de filio ſuo Chriſto, qui Patri factus eſt homo ſecundum carnem ex progenie David. In ſingulis verbis eſt aliquid magni momenti: & primo eſt Evangelium, quod *promiſerat*, nempe non inventum a Paulo, non novum inventum, quale afferunt Sectarii noſtri ſæculi; ſed a Deo decretum ab æterno & promiſſum per prophetas: cetera ſequuntur.

V. 3. FACTUS EX. Factus deſignat humanam naturam. Sic Gal. iv. 4. Senſus ergo eſt, qui ab æterno erat Filius Dei, in tempore factus eſt & genitus ſecundum carnem. Sed de his propoſitionibus, Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus, dixi ſuo loco Lib. X. quæſt. iv. cap. v.

V. 4. PRAEDESTINATUS EST FILIUS DEI. Definitus & declaratus eſt (inquit Vaſquez) per virtutem & potentiam, qua & ipſe reſurrexit, & largitur nobis omnia, etiam hanc gratiam & Apoſtolatum. Oſtendit vero declaratum fuiſſe filium Dei ex duobus, nempe ex potentia remittendi peccata, & ſuſcitandi ſeipſum. Toletus quoque contendit prædeſtinatum hoc loco debere exponi per declaratum, & quod Græce eſt ὁρισθέντος, reddunt declaratum Syrus, Chryſoſtomus & Theophylactus; ut ſcilicet prædeſtinatus hic dicatur non quoad rem, ſed quoad notitiam nominis, quaſi declaratus præ aliis hominibus. Et quamquam hæc interpretatio recipi poſſit: rectius tamen noſter interpres vertit prædeſtinatus, ut etiam legunt Hilarius Lib. VII. de Trinit. & Auguſtinus de prædeſt. Sanct. cap. xv. quo ſenſu, Act. xvii. 26. definita dicuntur tempora, Græce ὡρισμένους καιρούς. Immo Athanaſius Lib. III. de aſſump. hominis aperte legit προορισθέντος, quod eſt *prædeſtinatus*. Senſus autem hoc modo erit: Homo Chriſtus qui eſt ex ſemine David ſecundum humanam naturam, prædeſtinatus eſt ut eſſet filius Dei per unionem hypoſtaticam. Dicet aliquis; relativum *qui* (ut maſculinum eſt) non poſſe referre humanam naturam; ſed nec refert perſonam divinam, quippe quæ prædeſtinari non poteſt, ut prolixe oſtendi ſuo loco Lib X. quæſt. x. Ergo hic ſenſus de prædeſtinatione non poteſt habere locum.

Re-

Reſpondeo, per vocem *qui*, referri Chriſtum. Sed quomodo Chriſtum referat magna quæſtio eſt: aliqui graves auctores volunt referre conceptu velut confuſo & ſubindeterminato ſuppoſito, ut citata quæſtione x. dictum eſt; ubi ſimul explicatum eſt, tam hoc ipſum de obiecto prædeſtinationis huius, quam de terminis variis, ad quos cenſetur Chriſtus prædeſtinari. Hic tamen adverto, ut res clarior ſit, dum in illa enunciatione, Chriſtus prædeſtinatus, mens noſtra circa ſubiectum præſcindit, ut dictum eſt, triplicem hic poſſe eſſe conceptionem; primo ſimplicis naturæ tantum ut exiſtentis, quod non habet difficultatem niſi quod natura non ſit totus Chriſtus. Secundo, ut eſt confuſe ſubſiſtens, de quo iam dixi, & ſic ſtat in conceptu ſufficiens diſtinctio extremorum, ſeu obiecti & termini. Tertio, maior eſt difficultas, ſi concipias ſubiectum ſubſiſtens ſubſiſtentia quadam humanitatis, non concipiendo expreſſe eſſe ſubſiſtentiam Verbi. Et putat Suarez 3. par. quæſt. xxiv. poſſe dici perſonam Chriſti hoc ſenſu prædeſtinatam, quia ſtat adhuc præciſio: certe numquam expreſſe dicendum eſt perſonam Verbi eſſe prædeſtinatam. Fateor eſſe hunc tertium modum perdifficilem, quod nullum aut certe vix explicet diſcrimen inter obiectum & terminum. Nec valde abeſt ſecundus modus ab eadem difficultate. Ac proinde non multum reiicio, quod a pleriſque dicitur de alia conſtitutione termini, ut dicat hic Paulus Chriſtum prædeſtinatum ut ſit filius Dei in virtute & potentia, nulla in his verbis poſita interpunctione, nempe prædeſtinatus ut eſſet filius Dei non more mortalium, ſed in virtute potentia miraculorum, gloria & ſanctificatione: en terminum ab obiecto diverſum.

In virtute; hoc eſt, in potentia divina: ſic enim hoc intelligo, iuxta priorem illam datam interpretationem de prædeſtinatione confuſe: aut certe ſi abſque interpunctione legas, ut dicebam, ſenſus erit secundum spiritum sanctificationis; ut nimirum per hanc potentiam miracula ederet, peccata remitteret & homines ſanctificaret ad vitam æternam, & quam ipſe potentiam etiam apparere fecit ex reſurrectione mortuorum & ſua: ubi vides eſſe ellipſin, & latere aliqua verba ſupplenda, ut ſæpe iuxta Hebræorum loquendi modum contingit.

V. 5. Per quem accepimus Apostolatum. En munus & officium Apoſtolicum. Unde duo hic colliguntur: primum non eſſe poſitum Apoſtolatum in ſola miſſione, ut falſo putat Calvinus, quamvis nec eam ipſe habeat, ſed inſuper in poteſtate prædicandi, fundandi Eccleſias, creatis Epiſcopis, & aliis miniſtris ordinariis, ac demum iubendi, prohibendi & puniendi: quod totum ex hoc 5. & 1. verſiculis habetur. Alterum eſt, omnium quidem Apoſtolorum æqualem in his quæ recenſui fuiſſe poteſtatem, ita tamen ut omnes tenerentur obedire Petro. Cuius etiam ſpecialis fuit prærogativa, quod illi ſuccederetus in poteſtate Apoſtolica, & non aliis Apoſtolis, ut nihil ſpeciatim dicam de primatu. Demum non male hic intelligitur gratia ut diſtincta ab Apoſtolatu, utpote ſpectant ad remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem. Dixi alibi Lib. XI. quæſt. 1. Sectarios inepte per gratiam intelligere benevolentiam ſolam, non dona benevolentiæ, quibus proinde merito carent.

V. 7. Omnibus qui sunt Romae. Coniungenda ſunt hæc verba cum primis Apoſtoli verbis; & ſic finitur, ut initio dixi Parentheſis huc uſque interiecta. Quæ hic optatur gratia Romanis, eſt illa ſolida, per fidem, ſpem & caritatem non ſolus externus favor, aut inanis, non imputatio peccati. Pax. Dat priſcum ſalutandi modum: ſic apud Hebræos שלום לכם, *ſchal m lachem*. Cetera clara ſunt. *Vocati ſancti*, vocati ad ſanctitatem. Inepte Calvinus confidentes intelligit, ſe eſſe prædeſtinatos; certe præſumentes dicere debuit in ſuo errore

V. 8. Velut exordium ſermonis eſt, quod etiam vox, Primum deſignat, ac ſi diceret; Principio gratias ago Deo. Recte ſane principium iungit cum gratiarum actione. Aguntur autem hæ gratiæ per Chriſtum mediatorem, a quo, inquit, ſunt omnia bona noſtra. Cauſa iam cur has agat, eſt, inquit, pro fide veſtra, quæ nota eſt univerſo mundo, adeo enim volat hæc fama, ut audiatur, etiam Romæ crediti Evangelio. Nec male Vaſquez hoc explicat de fide, ut eſt initium quo diſponimur ac perducimur ad iuſtificationem. Certe

te

te non eſt Sectariorum fiducia, qua eorum quilibet ſe etiam in flagitiis, & continuo peccantem ait prædeſtinatum. Non hæreo in hac prima Romanæ fidei laude. Crevit illa continuo ſucceſſu, & tam conſtanter, ut urbs illa hæretica numquam fuerit. Et apud veteres idem eſſet Romanum dicere ac Catholicum, quod latius proſequuntur in hunc locum recentiores.

V. 9. TESTIS EST. Senſus eſt, memoriam ago veſtri, ut teſtis mihi eſt Deus, CUI SERVIO prædicans Evangelium. IN SPIRITU MEO, hoc eſt, dum vivam: ita aliqui: ſed rectius, quem colo mente & ſpiritu in prædicatione Evangelii. *Cui ſervio* ῷ λατρεύω. Latriam deſignat ex uſu Eccleſiæ. Communia verba ſæpe rebus certis attribuuntur.

V. 10. & 11. SEMPER. Per Dei voluntatem, Deoque favente, optat præſens eſſe, ut ſuo miniſterio Romanos confirmet in fide ac promoveat. Addit verſ. 12. SIMUL CONSOLARI, hoc eſt, ad mutuam conſolationem ex communi fide συμπαρακληθῆναι recte vertit Noſter, *ſimul conſolari*: inepte Beza, mutuo exhortari.

V. 14 GRAECIS ET BARBARIS. Agnoſcit ſe debitorem omnibus, abſque perſonarum acceptione, ſive Græcis, ſive Barbaris. Sic Paulus adhuc inter Græcos verſans, Græcorum phraſi utitur; qui vocabant barbaros (Græca vox eſt deſignans quod eſt peregrinum, incultum aut ferox) omnes qui Græca lingua non utebantur. Immo Cicero II. de divin. omnes gentes dividit in Græcos & barbaros.

V. 16. NON ENIM ERUBESCO EVANGELIUM. Nam quamvis ſic Gentibus ſtultitia; eſt tamen virtus Dei & potentia per quam Deus mortalium ſalutem operatur. Et ſalus facta eſt Iudæis primum, ſeu ab his incipit, quibus facta eſt promiſſio; deinde Græco, ſeu Gentibus. EVANGELIUM, res prædicata per Evangelium, Fides, Caritas, Virtus ſacramentorum: hæ ſunt in ſalutem. ET GRAECO, vox *Et*, id eſt deinde.

V. 17. IUSTITIA ENIM DEI. Senſus eſt, In Evangelio revelatur divina iuſtitia, qua nos Deus per Chriſtum iuſtificat dum revera iuſtos facit, non per nudam imputationem. Sic iuſtitiam Dei interpretatur Auguſtinus de Spir. & lit. cap. IX. ſicut Pſal. III. *Domini eſt ſalus*. IN EO, ſcilicet Evangelio, revelata eſt hæc iuſtitia, ubi itur ex fide in fidem; nempe felici progreſſu a fide incipiente ad fidem caritate perfectam, & qua homo vivit, ut expoſui Abacuc cap. II. 4. qui locus hic citatur. Inter varias huius loci interpretationes, hæc iam data optime conſentit textui: totus ergo hic ſenſus eſt: Evangelium eſt virtus Dei, quippe in quo revelatur iuſtitia Dei, quæ in illo progreſſu facit iuſtos ex iniuſtis; & ſimilia quæ iam ſubiicio de ira. Eſt etiam quidam in fide progreſſus, dum in materiali obiecto plura cognoſcimus, & fide explicita. Sed de hac re & Calviniſtis negantibus fidem implicitam, dixi alibi Lib. XII. quæſt. I. num. 18.

V. 18. REVELATUR ENIM IRA DEI. In hoc Evangelio, quod prædicat & non erubeſcit Paulus, ſicut revelatur iuſtitia, & ſanctitas in ſalutem; ita etiam revelatur, quæ ſit hominum impietas: unde ſimul revelabitur, & aperta manebit ira Dei ad pœnam, damnationemque impiorum. Hinc progreditur Paulus ad reprehenſionem quidem Gentilium hoc capite; Iudæorum vero capite inſequente. Atque hac quaſi inductione utitur, ut appareat neceſſitas fidei in Chriſtum, & gratiæ ad ſalutem. Hanc neceſſitatem colligit & concludit cap. III. 23. In qua re eſt ſcopus præcipuus totus huius Epiſtolæ. Ceterum hi ſunt (& maxime Gentiles,) qui VERITATEM DEI DETINENT IN INIUSTITIA, hoc eſt, qui veram Dei notitiam ſunt aſſequuti, ea non utuntur, ſed retinent velut captivam in vinculis pravæ voluntatis, ſeu in ſua iniuſtitia: male adeo operantes ut fiant obnoxii iræ Dei; quibus proinde nihil profuit cognoviſſe verum Deum, & aliquem mundi opificem huius, ac rectorem.

V. 19. QUIA QUOD NOTUM EST DEI. Senſus eſt, quod de Deo naturæ lumine cognoſci poteſt, notum erat illis: & proinde excuſari non poſſunt, ſic naturaliter illuſtrati, cum venerit ira Dei hæc, quam revelat Evangelium: quia ſuffocabant Dei cognitionem, vel ex creaturis & effectis habitam. Ergo cognoverunt Deum, ſed voluntatem ad Deum pie colendum non applicabant. De hac re ex profeſſo dixi alibi Lib. XI. quæſt. II. 36. ubi probatum eſt hominem poſſe ante gratiam exci-

citan-

Digitized by Google

citantem & adiuvantem cognoſcere multas veritates naturales & morales: lege Auguſtinum Lib. I. ad Simpl. quæſt. II.

V. 20. Invisibilia enim Dei. Nempe virtus, patientia & attributa Dei cognoſcuntur per ea quæ a Deo facta ſunt, quæ cognita a nobis, reddunt hominem inexcuſabilem.

Hic duplex quæſtio eſt, quæ ſint hæc inviſibilia, & quouſque naturaliter Deus cognoſcatur: & quidem inter hæc inviſibilia non ſunt Angeli intelligendi, ſed Dei attributa quæ dixi ex effectis per diſcurſum colligi: qualia ſunt eſſe primum & nobiliſſimum ens, præditum potentia, ſapientia, & eſſe remuneratorem iuſtum. De quo cognoſcendi modo præſtantur Theologi ad 1. p. S. Thomæ. Et an ſit per ſe notum Deum eſſe. Certum autem eſt ſine gratia & revelatione, hominem non pervenire ad plenam & perfectam cognitionem: ſatis eſt ita Deum cognoſci, ut homo reddatur, ſicut dictum eſt, inexcuſabilis, dum voluntas non ſequitur intellectum. A creatura mundi. Duplex ſenſus, & uterque verus, prior eſt, per creaturas cognoſci Deum: illæ enim loquuntur creatorem, ſecundus ab ipſo mundi conditu duraſſe hunc cognoſcendi modum.

V. 21. Qui cum cognovissent. Deum cognitum non glorificaverunt, non coluerunt, nec gratias egerunt dignas pro creatione, conſervatione, &c. ſed converſi ad vanas ratiocinationes ſunt, poſthabitis operibus pictatis, & ad idola, quæ pro Deo habuerunt; ſtulti facti ſunt, cum ſapientiam profitebantur; ignorantes fructum cognitionis Dei eſſe bonum opus. In Gentilium delictis recenſendis non hæreo.

V. 23 Et mutaverunt gloriam Dei. Explicat quod dictum eſt, plane ut Pſal. xx. *Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Et tales quidem erant Gentiles colentes idola: colebant vero aut ipſa idola fabricata, aut (ut aliqui ſapientiores inter eos) in idolo Deum falſum. In quo erravit Calvinus putans eos coluiſſe in idolo verum Deum, ſic homo Novator, promptus ad calumniam, componit Catholicorum imagines cum gentium idolis. Conſtat certe ex tota antiquitate, immo Prophetis & Patribus, ſemper irriſos fuiſſe gentiles, quod ligna & lapides pro diis colerent: non eſt hoc verum Deum colere in lapide: nec illi concipiebant verum, & ſine erroribus numen repræſentari: immo lapidem eſſe numen receptum erat.

V. 24. Propter quod tradidit illos Deus. Ita Deus ob debitam Deo gloriam tranſlatam in idola, ſubduxit illis gratiam, ut permitteret præcipites ire, & ſequi immunda concupiſcentiæ deſideria, ac fœdas voluptates. Hoc loco ut interdum alibi permiſſio verbis activis denotatur, & tradere, eſt permittere: non enim tradit Deus hominem impellendo ad peccandum ut blaſphemat Calvinus contra Dei bonitatem. Permittit vero quoties negat ob peccatum efficacem gratiam, aut cum facit aliqua a ſe, unde reprobo naſcitur occaſio obdurationis, vel gravioris lapſus, ut ſit dando alteri opes, honores, &c. Immo in tali permiſſione intervenit etiam Dei actio, quæ licet non ſit mala, tamen habet ex malo per accidens ſecuto, ſpeciem impropriam traditionis; & ſit inde quod dixi, ut permiſſio active ſignificetur. Hoc ſenſu dicunt aliqui Theologi ſequentia peccata permiſſa inducere rationem pœnæ reſpectu præcedentium.

V 25. 26. Commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Senſus eſt: Sicut veritatem & veram Dei cognitionem mutarunt in idolum, quod eſt mendacium; ita permittente Deo inciderunt in libidines veſanas, pæderaſtias & pudendas ignominiæ paſſiones, etiam immutato ordine naturæ. Nec dubium eſt, quin hæreſes noſtri ſæculi eo etiam perduxerint apoſtatas. Non moror in hac deteſtanda impietatis mentione. Lege Senecam Epiſt. xcv. *Dii*, inquit, *male perdant adeo perverſum commenta genus impudicitiæ*.

V. 27. & 28. Mercedem, quam oportuit. Nempe qui naturæ auctorem contempſerunt, permiſſi ſunt, (velut & ex condigna pœna & mercede) eſſe naturæ probroſi inverſores.

V. 28. Non probaverunt. Non curaverunt, ſeu non placuit illis, Deum habere præ oculis, adhærent idolo, quod eſt falſum, nihil, & mendacium. Tradidit eos Deus: permiſit abire, (ut ſupra verſ. 24.) in reprobum ſenſum, in mentem perverſam, ut ſentirent impie, & probarent nefandam impietatem quam recenſet Paulus verſ. 29. & 30. ad quam impiam & excæcatam mentem accedunt, qui recedunt a cogi-

cogitatione de Deo per voluntariam ignorationem.

V. 30. & 31. In hac malorum enumeratione incompoſiti hic videntur (ἀσυνθετοι) qui ſunt moribus barbari aut turbulenti. Sine affectione inhumani ſunt ἄστοργοι, neminem amant, ut ait Oecumenius.

V. 32. QUI CUM IUSTITIAM DEI COGNOVERUNT. Non intellexerunt, noluerunt practice intelligere, ſeu ex cognitione habita in operationem tendere. Taxat hic eos qui ſciunt & non faciunt: male Eraſmus noſtrum textum qui diſſidet a Græco dixit eſſe corruptum: eſt enim noſter Latinus purior, clarior, & probatus ab Ambroſio, Anſelmo, Hæſychio, Cypriano, & aliis.

CAPUT II.

Iudæos redarguit qui ex data ſibi lege Gentes condemnabant, eadem ipſi patrantes, cum Deus unicuique redditurus ſit iuxta ipſius opera; adeo ut etiam Gentes, ea quæ legis ſunt naturali lumine præſtantes, pro circumciſis habendæ ſint, eoſque iudicaturæ, qui ex ſola legis cognitione & carnis circumciſione gloriantur, contraria legi operantes.

1. PRopter quod inexcuſabilis es, o homo omnis, qui iudi-
cas. (*a*] In quo enim iudicas alterum, teipſum condem-
nas: * eadem enim agis quæ iudicas. 2. Scimus enim
quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui
talia agunt. 3. Exiſtimas autem hoc, o homo, qui iudi-
cas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iu-
dicium Dei? 4. An divitias bonitatis eius, & patientiæ,
& longanimitatis contemnis? * ignoras quoniam benigni-
tas Dei ad pœnitentiam te adducit? 5. Secundum autem duritiam tuam, &
impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iuſti iudicii
Dei, 6. (*b*) qui reddet unicuique ſecundum opera eius: 7. iis quidem, qui
ſecundum patientiam boni operis, * gloriam, & honorem, & incorruptionem
quærunt, vitam æternam: 8. iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non
acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. 9. Tribula-
tio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum,
& Græci: 10. gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iu-
dæo primum, & Græco: 11. (*c*) non enim eſt acceptio perſonarum apud
Deum. 12. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt: &
quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. 13. (*d*) Non enim
auditores legis iuſti ſunt, apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. 14.
Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt,
faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſunt lex: 15. qui oſtendunt opus
legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſo-
rum, * & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendenti-
bus, 16. in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Evange-
lium meum, per Ieſum Chriſtum. 17. Si autem tu Iudæus cognominaris, &
requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, 18. & noſti voluntatem eius, & pro-
bas utiliora, inſtructus per legem, 19. confidis teipſum eſſe ducem cæcorum,
lumen eorum qui in tenebris ſunt, 20. eruditorem inſipientium, magiſtrum
infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege. 21. Qui ergo alium
doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: 22. qui di-

cis

ćis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis:
23. qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. 24.
((e) Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum
eſt.] 25. Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævari-
cator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt. 26. Si igitur præputium
iuſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circumciſionem reputabi-
tur? 27. & iudicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans,
te, qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es? 28. Non enim
qui in manifeſto, Iudæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circum-
ciſio: 29. ſed qui in abſcondito, Iudæus eſt: & circumciſio cordis in ſpiritu,
non littera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

(a) Matth. vii. 2. (b) Matth. xvi. 27. (c) Deut. xvi. 17. II. Par. xix. 7. Iob. xxxiv. 19. Act. x. 34. Matth. vii. 21. (d) Iac. i. 22. (e) Iſa. lii. 5. Ezech. xxxvi. 20.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 1. *Eadem enim agis qua iudicas.* Non facile mutes neutrum *quæ* in maſculinum *quę*.

Verſ. 4. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Correctores prætulerunt verbum *ignoras* participio *ignorans*.

Verſ. 7. *Gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt.* Et hic Correctores prætulerunt verbum *quærunt* participio *quærentibus*.

Verſ. 15. *Et inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Correctores pro more ſermonis latini receperunt ablativos, quorum loco alii legunt genitivos, more Græco.

NOTATIONES.

Verſ. 4. PLerique Latinorum codicum legunt: *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis, contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quidam: *An divitias bonitatis eius* (&c.) *contemnis, ignorans quoniam* &c. ſex noſtri, Brug. Lob. Leod. T, O, Pl. ang. duo Pariſienſium Ge. o. l. antiqui Epanorthotæ. Prior lectio conformior eſt editioni Syriacæ, & reperitur apud antiquos patres Hieronymum in caput xxxii. inque orationem Ieremiæ, Ambroſium libri De fuga ſæculi cap. iii. Auguſtinum libri quæſtionum ſuper Exodum cap. xxiv. & tractatus De ovibus cap. iv. Poſterior lectio Græcis codicibus reſpondet (*καταφρονᾷς, ἀγνοῶν.*) inveniturque & ipſa in veterum ſcriptis; Irenæi libri IV. cap. lxxi. Origenis libri III. peri archôn, ante medium capitis primi, ſatiſque convenit propius loci commentarius; Cypriani libri III. ad Quirinum cap. xxxv. Hieronymi in Ezechielis caput xvi. & Amos primum; Chryſoſtomi, Theodoreti, Primaſii, Theophylacti, Oecumenii, Anſelmi, & Brunonis Carthuſianorum Patriarchæ in Paulum. Hanc caſtigatores Hentenius, ac Zegerus in textum recepere haud immerito.

V. 6. 7. *Qui reddet unicuique ſecundum opera eius; iis* (*his* MSS. complura) *quidem, qui ſecundum patientiam* (*Dei* o. *eius* o.) *boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Scripti omnes libri quotquot habemus, & priores excuſi, Tractatoreſque, Auctor commentariorum Hieronymo adſcriptorum, auctor Ambroſio attributorum, Primaſius, Haymo, Anſelmus, auctor Gloſſæ, Carenſis, Lombardus, Lyranus, Thomas, Gorran, Bruno, Richelius, & alii, non *quærunt*, ſed *quærentibus*, quo modo Græce eſt, legunt. Quamobrem hæc procul dubio editionis noſtræ genuina eſt lectio. Neque vero præcedens *qui* obſtat, quod Græce non eſt: aut enim redundat (in uno antiquiſſimo ſcripto, T littera notato (*bis quidem ſecundum.*) apudque D.Gregorium libri XXVIII. Moralium c. xiii. non invenimus) aut quod eſt veriſimilius, *ſunt* ſubintelligitur, id quod verſu proximo multi codices exprimunt (*iis autem qui ſunt ex contentione*) hoc verſu quidam (*his quidem qui ſunt ſecundum patientiam boni operis*) ex gloſſa inter lineas poſita, in textum relatum. *Quærunt* emendarunt quidam iuxta Caietani, & quorundam aliorum placitum: qui dum ſententiam clariorem efficere voluerunt, participio in verbum reſoluto, anguſtiorem reddiderunt, ad unum contractum ſenſum quæ plures patiebatur. Eſt

enim huius verſus per participium lecti & Græci, & Latini varius ſecundum variam diſtinctionem ſenſus. Nam ſi poſt ζητοῦσι (ἐπιζητοῦσι R.) *quærentibus*, comma ponatur, ſenſus erit, quem Syriacum Teſtamentum, Origenes & Theophylactus exprimunt: *Reddet vitam æternam iis, qui in bonis operibus perſeverantes gloriam, honorem, & incorruptionem quærunt*. Si vero comma ζητοῦσι *quærentibus* proxime præcedat, eo exponetur modo, quo exponunt Græcanicus Scholiaſtes, D. Gregorius loco ſuperius nominato, Auctor commentariorum Hieronymo adſcriptorum, & alii fere ſupra recenſiti Latini Tractatores: *Reddet gloriam, & honorem, & incorruptionem iis, qui in bonis operibus perſeverantes, vitam æternam quærunt*; qui convenit ei quod mox ſequitur: *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum*.

V. 15. *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem* (*invicem* o.) *cogitationum accuſantium*, (*excuſantium* o.) *aut etiam* (*excuſantium* 1. MS.) *defendentium*. *Cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium* gignendi caſu haud dubie Interpres vertit: ſic enim legunt ſcripti, impreſſique codices quoſcumque vidimus, qui fidei ſint bonæ, adſtipulantibus Gloſſematicis, qui vulgata verſione ſimplices uſi ſunt; *Cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*, auferendi caſu dumtaxat poſteriores aliquot Typographorum editiones legere comperimus (eæ enim hic ſignificatæ ſunt in Bibliorum margine, quia commode aliud non erat, ſigno MS.) primumque eam quæ ex Quenteliaois ædibus Coloniæ anno 1529. prodiit pro eius qui præfuit arbitrio frequenter mutata. Hentenius non tam variæ lectionis, quam explicationis indicandæ gratia in margine ſcripſit *Co"bus ac"bus*, *aut etiam de"bus*: ſequutus Pariſienſes, qui ad marginem notaverant *Genitivi* pro *ablativis*. Græce Genitivi ſunt: καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων: ſed qui ablativis Latine reddendi videantur, ut ii qui præcedunt συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως. Niſi dixerit quis non ſimiliter genitivos abſolute poſitos eſſe, ſed eiuſmodi qui a præcedente nomine συνειδήσεως regantur. Gloſſa ordinaria, & poſt eam alii duplicem huiuſmodi dant vulgatæ verſionis *Co"mum ac"um aut &* De"um explicationem; unam qua genitivi Græco more abſolute poſiti intelligantur; alteram qua a præcedenti nomine *conſcientia* regantur; quarum hæc potius eum quem Interpres voluit, ſenſum continere videtur; tum quod proximos genitivos abſolute poſitos ablativis Interpres Latine reddiderit: *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*, tum quod *conſcientia ipſorum* verterit, non ut Græce eſt, *ipſorum conſcientia*. Apud quoſdam Veterum legitur *Co"bus ac"bus* (*ſive* Hier.) *aut etiam* (*excuſantibus* Aug.) *de"bus*, Hieronymum in cap. XVI. Ezechielis, Auguſtinum libri XX. de Civitate Dei cap. XXVI. Hilarium Diacoaum qui auctor eſſe exiſtimatur commentariorum Ambroſium mentientium: quod ita ſcriptum arbitror, vel ab iis qui veterum opera ediderunt; ut huiuſmodi pro ſua ſententia mutarunt ſæpenumero; vel ab ipſis veteribus, quibus ſic melius verti viſum fuerit. Ceteroqui eſt apud eos & noſtræ editionis lectio, Co"um ac"um aut etiam De"um (*excuſantium* Aug.) Auguſtinum libri II. De ſermone Domini in monte cap. XV. Primaſium in proprio commentario Grægorium libri IV. Moralium cap. XVII. Pelagium epiſtola ad Demetriadem.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. **Q**UAE IUDICAS legere potes, vel quæ iudicas, prout eſt Græce, ἀκρίνεις, vel qui iudicas, prout eſt Græce ὁ κρίνων.

V. 4. DIVITIAS, hoc eſt exuberantem illam bonitatem, patientiam, longanimitatem.

V. 7. & 8. IIS QUIDEM QUI SECUNDUM. Græci legunt, τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καὶ τιμὴν, καὶ ἀφθαρσίαν: ζητοῦσιν ζωὴν αἰώνιον. Et certe Græca ſcholia iungunt τὸ ζητοῦσιν, τῷ ζωὴν αἰώνιον, non τῷ ἀφθαρσίαν, dicuntque hic eſſe hyperbaton: & hoc modo germanus ſenſus eſt: Qui reddet unicuique ſecundum opera ſua: & iis quidem qui in bono opere perſeveraverint, vitam æternam quærentibus, gloriam & honorem, ſub. reddet, & immortalitatem; nam id vere ſignificat ἡ ἀφθαρσία. Romanis enim ſcribebat Apoſtolus, præter ceteras nationes honoris & gloriæ cupidis, ac nominis immortalitatem immodice affectantibus: quæ omnia illis pollicetur, ſed longe alterius generis, ac multo præſtantiora; nimirum gloriam æternam, hono-

rem

rem filiorum Dei, & corporis animæque immortalitatem: modo iuxta illud evangelicum: *Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius*, deinde *omnia adiicientur vobis*, modo ante omnia vitam æternam quæſierint: quod autem non legendum ſit quærentibus gloriam & honorem, ſed gloriam & honorem reddet, explicat locus ſequens, ubi viro inique agenti, tribulatio & anguſtia; recte autem agenti, honor, pax & gloria redditur. In hoc vero loco, HIS AUTEM QUI SUNT EX CONTENTIONE, id eſt qui contentioſi ſunt, ira, indignatio. Photius Græcus ſupplendum putat *τὸ ἀνταποδοθήσεται*, id eſt reddetur: annotantque non temere dictum, quod Deus bona illa, gloriam, honorem & immortalitatem reddet: de malis autem & ultionibus non ait, reddet, ſed reddentur: quod bene hominibus facere unius ſit Dei proprium, animadverſiones autem ex noſtris malis oriuntur, noſque noſtra nobis mala ultro accerſimus: hoc quoque annotatione dignum, quod Oecumenius eo loco SECUNDUM PATIENTIAM BONI OPERIS ait, *οὐ γὰρ μόνη ἡ πίστις ἀρκεῖ ἀλλὰ καὶ ἔργων χρεία*, id eſt non enim ſufficit fides ſola, ſed opus eſt operibus.

V. 14. IUDAEI PRIMUM: primum tempore & vocatione, non merito & dignitate. *Vobis enim oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, inquit Paul. Act. XIII.

V. 11. ACCEPTIO PERSONARUM. Græce, *προσωποληψία*: dicitur autem, cum quis non merita perſonarum reſpicit, ſed externa tantum: cuiuſmodi ſunt generis nobilitas, divitiæ, robur ac ſimilia multa, ad quæ mundus attendere ſolet, non item Deus: *πρόσωπον* enim facies externa dicitur, ad quam non reſpicit Deus, ſed cor intuetur hominis. Vult ergo Paulus quod ſine electione recte viventem honor ſequatur & gloria, ſive is ſit gentilis, ſive Iudæus, neque attendere Deum ad generis Iudaici ex Abraham nobilitatem, quominus & recte viventes gentiles ſuis præmiis muneretur.

V. 12. QUICUMQUE SINE LEGE. Omnes his verbis ſub peccatum concludit; & Iudæos qui legem ſcriptam acceperunt, & gentiles qui legem non habuerunt: ſed mitius actum iri ſubindicat cum gentilibus, quia legem non habuerunt; ſic enim explicant Græca ſcholia de Iudæo & Græco loquentia, ac primum de gentili qui ſine lege peccarit, aiunt: *ἀνόμως ἀπολεῖται, τουτέστιν οὐ μετὰ ἀκριβείας νόμου ὃ δηλοῖ τὴν σύμμετρον ἀπώλειαν ἀνόμως, δὲ ἁμαρτόντα λέγει ἰουδαῖον, ὅς φησι διὰ τοῦ νόμου ὃ παραβέβηκε, κριθήσεται τουτέστι κατὰ κριθήσεται δηλοῖ δὲ τὸ τὴν χείρονα ἀπωλείας*: ſine lege peribit, hoc eſt, non iuxta legis ſeveritatem: ex quo perſpicuum eſt, moderatiorem eum pœnam laturum; Iudæum autem in lege conſtitutum peccaſſe aſſerit, ideoque per acceptæ legis tranſgreſſionem iudicandum, hoc eſt condemnandum: ex quo perſpicuum eſt graviores eum pœnas daturum.

V. 14. IPSI SIBI Gentibus lege ſcripta carentibus conſcientia eſt vice legis, quæ legis inſtar quid faciendum, fugiendumve indicat. Lex enim Moſaica iudicandi tantum, non item auferendi peccati vim habebat.

V. 16. COGITATIONUM, Græcus eſt Genitivus, qui verti poterat in ablativum, cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus: ſed interpres qui legit *συνειδήσεως αὐτῶν*, id eſt conſcientia ipſorum, ſequentes genitivos cum iſto iunxit, teſtimonium reddente conſcientia ipſorum & conſcientia cogitationum accuſantium. SECUNDUM EVANGELIUM: ſic ordinanda lectio; iudicabit occulta hominum, id eſt internas & abſconditas mundo hominum cogitationes per Ieſum Chriſtum (cui omne iudicium dedit pater.) *Secundum evangelium meum*, prout prædicare & evangelizare ſoleo.

V. 17. SI AUTEM: quidam Græci codices habent *ἴδε*, id eſt *ecce*, noſter legit, *εἰ δὲ*, id eſt, *ſi autem*, & tunc ſenſus eſt, ſi, id eſt quia tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, &c. idcirco confidis te ducem eſſe cæcorum, *& habentem*, &c. id eſt iactas te doctorem legis eſſe, qui ſolus alios veritatem legiſque cognitionem docere poſſis, atque illis iuxta legem vivendi normam præſcribere.

V 21. QUI ERGO: quidam indefinite legunt, quidam interrogative.

V. 24. NOMEN ENIM: non eſt hic citatio loci a Paulo, ſed alluſio ad illud Eſaiæ LII. *Iugiter tota die nomen meum blaſphematur*.

V. 25. CIRCUMCISIO QUIDEM. Sunt qui propter id quod ſcriptum eſt ad Gal. *Si circumcidimini, Chriſtus nihil vobis proderit*, hunc locum referunt ad tempus legis ſcri-

ptæ, quaſi Paulus hoc loco refellat Iudæorum faſtum qui de accepta circumciſione gloriabantur: quam non ſtatim elidere volens: prodeſt, inquit, ſuo tempore, ſed ſi legem cuſtodias, alioqui non plus valebat quam præputium. Quidam interpretantur circumciſionem, id eſt genus & proſapiam circumciſi Abrahæ, de qua Iudæi tantopere gloriabantur: quam enervat Paulus dicens, *Circumciſio quidem prodeſt*, id eſt prodeſt quod filius Abrahæ ſis, ſi legem ſervaveris: ſin autem prævaricator legis es, facta eſt præputium, id eſt nihil tibi prodeſt, ſed perinde tibi erit circumciſio, ac ſi gentilis eſſes, quinimmo gentilis ſi legem ſervat præputium eius imputabitur ad circumciſionem, & ad Abrahæ proſapiam. Cenſebitur enim inter veros Abrahæ filios. Mihi videtur hic poſſe eſſe ſenſus: *Circumciſio quidem prodeſt*, non carnaliter, ſed ſpiritualiter ad legis intellectum obſervata: per quam nimirum legem intelligimus ingreſſa per Chriſti fidem vera cordis circumciſione, ceſſare carnalem; quam qui mordicus ſpirituali neglecta retinet, prævaricator eſt legis, nec illi plus quam præputium valet.

V. 26. & 27. Igitur praeputium; id eſt, ſi gentilis natura incircumciſus legem cuſtodiat, præputium illius imputabitur ad circumciſionem, & tam illi valebit, quam tibi legem cuſtodienti olim circumciſio. Quinimmo (ipſe naturaliter præputiarius, Legem consummans, id eſt eam ſpiritualiter obſervans in Chriſti fide, & cordis circumciſione, iudicabit te, qui per litteram et circumcisionem, id eſt carnalis legis obſtinationem prævaricator legis es.

V. 28. & 29. Non enim, &c. id eſt, non qui palam ac manifeſto ſe carne Iudæum eſſe iactat, sed qui in abscondito, id eſt corde ac ſpiritu per fidem Chriſtum confitetur, is vere Iudæus eſt, neque quae in manifesto, in carne, est Circumcisio, id eſt non externa carnis, ſed ſpiritualis vitiorum circumciſio, vera circumciſio eſt, quæ non littera conſtat, id eſt carnali intelligentia ſecundum rationem ſectæ pelliculæ; sed in spiritu, id eſt ſpirituali intelligentia, ut eſt circumcidendi animi ſignum, quæ quidem ſpiritualis circumciſio, etſi laudem non habet apud homines mentium ignaros, non tamen apud Deum cordium ſcrutatorem ſua laude caret.

S A.

Verſ. 1. Propter quod, ſcilicet quia Dei iuſtitiam cognoviſti. Iudicas, id eſt condemnas proximum.

V. 2. Scimus enim; quaſi dicat, Eſt enim manifeſtum.

V. 4. Divitias, id eſt copiam maximam, ſeu abundantiam. Bonitatis. Syr. *dulcedinis*. Patientiae, &c. id eſt patientiæ diutiſſime ferentis, & expectantis. Adducit, id eſt invitat.

V. 5. Thesaurizas, id eſt accumulas. Iram, id eſt ſupplicium. Die; pro, diem. Irae, id eſt punitionis. Revelationis, id eſt manifeſtationis.

V. 7. Patientiam, id eſt perſeverantiam. Gloriam, ſcilicet cæleſtem. Incorruptionem, id eſt immortalem vitam.

V. 8. Ex contentione, id eſt contentioſi. Acquiescunt, id eſt obtemperant. Credunt, id eſt obediunt. Ira, id eſt ſupplicium. Indignatio; pro, ex indignatione, ſcilicet Dei, ſcilicet obveniet.

V. 9. Primum, ſcilicet primum is agnovit veritatem. Quidam *pariter* vertunt; quaſi dicat, Tam Iudæo quam Gentili.

V. 12. Lege, ſcilicet ſcripta. In lege, id eſt lege ſcripta utentes. Iudicabuntur, id eſt damnabuntur.

V. 13. Iustificabuntur, id eſt iuſti habebuntur, ſcilicet apud Deum.

V. 14. Legem, ſcilicet ſcriptam. Naturaliter, id eſt lumine & vi naturæ. Ea, ſcilicet aliqua. Eiusmodi, ſcilicet ſcriptam, ut Iudæi, ſeu pro, ipſi; nam Græc. *hi*.

V. 15. Opus, ſcilicet dictamen.

V. 16. In die. Iunge cum *iuſtificabuntur*, & ſuperioribus. Per Iesum, &c. Iunge cum *iudicabit*.

V. 17. Si autem. Græc. *ecce*. In Deo, id eſt Dei cognitione.

V. 18. Probas, id eſt approbas.

V. 20. Infantium. Græc. *νηπίων*, id eſt *parvulorum*, ſeu *imperitorum*. Formam, id eſt rationem, ſeu perfectionem.

V. 22. Facis, ſcilicet iniurius in res ſacras.

V. 24.

V. 24. Per; pro, propter. Blasphematur, id eſt male audit, ſcilicet dum putatur Deus probare peccata veſtra dum non punit.

V. 25. Circumcisio, id eſt Iudaiſmus. Praevaricator, id eſt tranſgreſſor. Praeputium, &c. quaſi dicat, Gentilitas reputabitur.

V. 26. Praeputium, id eſt Gentilis. Circumcisionem, &c. quaſi dicat, Habebitur apud Deum tamquam verus Iudæus.

V. 27. Consummans, id eſt obſervans, Per; pro, habens.

V. 28. Est, ſcilicet apud Deum.

V. 29. In spiritu, &c. id eſt ſecundum ſpiritualem, &] non litteralem intelligentiam. Ex Deo est; pro, expectatur, ſeu quæritur.

MARIANAE.

Verſ. 1. Eadem enim agis quae iudicas; Græce, ὁ κρίνων, *qui iudicas*. Noſter pro ὁ, id eſt *qui*, legit ἃ, id eſt *quæ*. Porro *iudicare* pro *condemnare* ſumitur.

V. 2. Secundum veritatem eſt Dei iudicium. Ne quis hypocriſi ſe putet latere omnia videntem etiam occulta.

V. 3. Ignoras. Sic Syr. ſic Hieronymus legit in Ierem. cap. xxxii. Ambroſius de Fuga ſæculi, cap. iii. Auguſtinus in Exod. cap. xxiv. Græce, ἀγνοῶν, *ignorans*, ſic Irenæus legit Lib. IV. cap. lxxi. Cyprianus Lib. III. ad Quirinum, cap. xxxv. ſed perinde eſt.

V. 6. Qui reddet unicuique secundum opera eius. Non illi verba ſpecioſa ſatisfaciunt, ſed vitæ integritatem requirit. Iis qui

V. 7. Gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt. Plerique codices Latini, inter eos Gotth. *quærentibus* habent: ſic Græce τοῖς ἐπιζητοῦσι. Ex antiquis Patribus ſic plerique legunt. Obſtat tamen huic lectioni relativum *iis qui*, quod præceſſit. Sed ſine eo legit Gregorius XXVIII. Moral. cap. xiii. Rurſus vox *quærentibus* iungi poteſt cum ſuperioribus *gloriam*, & *honorem*, & *incorruptionem quærentibus*, & redditur ſenſus, quem noſtra lectio exprimit, quemque Syr. Origenes & Theophylactus ſequuntur: ſi vero iungatur cum *vitam æternam*, erit ſenſus; Secundum patientiam boni operis, quibuſdam reddet, ſcilicet gloriam, & honorem, & incorruptionem; iis, inquam, qui quærunt vitam æternam. Quod Gregorius ſequitur loco citato, Ambroſius & Hieronymus hic. Verum hæc implicita ſunt: noſtram lectionem, eiuſque ſenſum ſequi præſtat.

V. 8. Ira et indignatio: ſupple, redditur iniquis.

V. 10. Iudaeo primum. Tempore primum & vocatione redditur Iudæo, non merito & dignitate. Et per *Græcos* omnes Gentes intelligit.

V. 12. Sine lege peribunt. Græc. Syr. & Goth. *ſine lege*, & *peribunt qui ſine ea peccaverunt*.

V. 15. Cogitationibus accusantibus. Recte, ſic Hieronymus in cap. xvi. Ezech. Auguſtinus Lib. XX. de Civit. cap. xxvi. Ambroſius hic. Plerique tamen legunt, *cogitationum accuſantium*, ut Auguſtinus Lib. II. de Serm. Domini in monte, cap. xv. Gregorius IV. Moral. cap. xvii. Eſt conſtructio Græca, in qua genitivus pro noſtro ablativo ponitur. Porro *cogitationes* pro *conſcientia*, quæ præceſſit, ſumuntur.

V. 16. In die, cum iudicabit Deus occulta hominum ... per Iesum Christum: ſic conſtruatur. Illud, *ſecundum Evangelium meum*, per parentheſim.

V. 17. Si autem tu Iudaeus cognominaris; quaſi dicat: Si in his externis rebus confidis, de reliquo ſecurus; male facis.

V. 23. Per praevaricationem legis Deum inhonoras. Contumelia Legiſlatoris eſt Legum contemptus: Baſilius Homil. xvi.

V. 24. Sicut scriptum est. Non affert verba; locus ad quem alludit, eſt Iſa. lii. 5.

V. 25. Praeputium facta est. Perinde eſt, ac ſi circumciſus non eſſes, ſi legem non ſervas.

V. 26. In circumcisionem reputabitur, id eſt ſalvus erit, ac ſi eſſet circumciſus, qui iuſtus eſt.

V. 26. Et iudicabit, id eſt condemnabit. Eius exemplum te damnabit. Te, qui per litteram, id eſt exterius tantum acceptam circumciſionem habes, & legem non ſervas.

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. 1. INEXCUSABILIS ES, &c. quaſi dicat: Quamvis tot & tanta ſint peccata Gentilium, tu tamen etiam, o Iudæe, qui legem Moſis habuiſti, qua clarius cognoſceres quid ſequi, quid fugere deberes, quique Gentiles contemnere, & tuo iudicio condemnare ſoles, inexcuſabilis es, nec ullam prætexere potes peccatis tuis ignorantiam. IN QUO ENIM IUDICAS ALTERUM, &c. nam eo ipſo quo alium iudicas peccatorem, & morte dignum, conſequenter etiam te condemnas; eadem enim quæ iudicas in aliis, ipſe agis; vel voluntate ſaltem, & deſiderio.

V. 2. SCIMUS ENIM: nos Iudæi ex lege a Deo nobis tradita certius quam Gentiles, qui legem non acceperunt. QUONIAM IUDICIUM DEI, ſcilicet exercendum eſt. SECUNDUM VERITATEM, id eſt iuſte, & ſecundum merita operum, abſque reſpectu perſonarum.

V. 3. EXISTIMAS AUTEM HOC; quaſi dicat, Verſaris autem in hoc errore.

V. 4. DIVITIAS BONITATIS: ita appellat exuberantem Dei bonitatem & benignitatem. LONGANIMITATIS. Longanimitas Dei in eo eſt quod pœnam in longum tempus differat; ſenſus eſt, An, o Iudæe, ex magna & ſuperabundante benignitate, & longanimi patientia Dei ſecuritatem, & impunitatem tibi promittens permanes in peccatis? IGNORAS QUONIAM BENIGNITAS DEI, &c. Cum potius ſcire debeas, & animadvertere benignitate Dei bene utendum ad pœnitentiam. AD POENITENTIAM TE ADDUCIT: εἰς μετάνοιαν σε ἄγει, ducit, invitat, provocat ad pœnitentiam.

V. 5. THESAURIZAS TIBI IRAM, id eſt colligis, & accumulas inſtar theſauri. IN DIE IRAE: in die iudicii, quæ dicitur dies iræ, quia tunc Deus omnem ſuam iram, & iuſtam vindictam in impios effundet. REVELATIONIS IUSTI IUDICII: ea enim die Chriſtus iudex hominum conſilia, & opera in lucem, aſpectuque omnium proferet, & prolata iuſte iudicabit, omnibus manifeſtans, & oſtendens gravitatem peccati, & pœnæ, quæ illi debetur.

V. 7. IIS QUIDEM QUI SECUNDUM PATIENTIAM BONI OPERIS, id eſt qui in bona converſatione perſeverant, nec eam propter ulla adverſa deſerunt. GLORIAM ET HONOREM QUAERUNT: non apud homines, ſed apud Deum. INCORRUPTIONEM, id eſt immortalitatem.

V. 8. QUI SUNT EX CONTENTIONE, id eſt contentioſis. Notat Iudæos contra Gentes contendentes & rixantes. NON ACQUIESCUNT VERITATI, CREDUNT AUTEM INIQUITATI, id eſt acquieſcunt, & adhærent iniuſtitiæ, & doctrinis, quibus iniuſtitia, & corrupta vita foveatur. IRA, ET INDIGNATIO: retribuetur, id eſt grave ſupplicium, quale ab animo irato expectari ſolet.

V. 9. TRIBULATIO, ET ANGUSTIA: a Deo retribuetur, & immittetur. IN OMNEM ANIMAM: in omnem hominem. IUDAEI PRIMUM, ET GRAECI, id eſt tam Iudæi, quam Gentiles: primum tamen, ac præcipue Iudæi, ut hoc pacto qui potior fuit in beneficiis, ſit etiam principalior in pœnis.

V. 10. ET PAX. Pacis nomine Hebræi felicitatem, & proſperitatem intelligunt; ſignificatur ergo bene operantibus futuram omnium bonorum quietem perpetuam, certam, & ſecuram poſſeſſionem. IUDAEO PRIMUM, ET GRAECO. Hoc addit ut gentem ſuam honoret, quam in priori parte videbatur depreſſiſſe: vide dicta ſuperiori capite verſ. 16.

V. 11. NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARUM APUD DEUM; quaſi dicat: Non reſpicit Deus an Iudæus quis ſit, an Gentilis; ſed utrumlibet peccantem æque punit, & utrumlibet bene agentem præmio afficit, reſpiciens ſolum ad merita cauſæ.

V. 12. SINE LEGE PECCAVERUNT, id eſt non accepta lege ſcripta a Deo. SINE LEGE PERIBUNT: peribunt, non tamen condemnante eos lege ſcripta, quam non acceperunt, ſed ſola lege naturæ, contra quam peccaverunt. ET QUICUMQUE IN LEGE PECCAVERUNT: qui lege a Deo ſibi tradita contra eam peccaverunt. PER LEGEM IUDICABUNTUR: per eam ipſam legem condemnabuntur.

V. 13. FACTORES LEGIS IUSTIFICABUNTUR, id eſt iuſti cenſebuntur, & pronuntiabuntur.

V. 14. CUM ENIM GENTES, &c. Obiectioni tacitæ reſpondet, quomodo Gentiles ſi non ſunt auditores legis, eius factores eſſe poſſint, aut tranſgreſſores? Reſpon-

det,

Digitized by Google

det, quia, inquit, quando Gentes, quæ legem non habent quæ ſunt legis, naturaliter, id eſt natura duce & ſine doctrina exteriori faciunt, tunc ipſimet ſunt ſibi lex, id eſt habent in ſe ipſis, & in corde ſuo dictamen rationis naturale, indicans bona, & mala opera, proſequenda, & fugienda, quod dictamen habet inſtar legis. LEGEM NON HABENT: ſcriptam.

V. 15. OSTENDUNT OPUS LEGIS: faciendo ea quæ legis ſunt, cum legem non acceperint. TESTIMONIUM REDDENTE ILLIS CONSCIENTIA IPSORUM. Habent enim Gentes, licet legis expertes, conſcientiam factorum ſuorum intus in animo, quæ ipſis teſtimonium ingerit, de iis quæ bene, vel male fecerint. ET INTER SE INVICEM COGITATIONIBUS, &c. *τὸ cogitationibus* in Græco eſt, λογισμῶν, quæ vox ſignificat non qualeſcumque cogitationes, ſed quæ fiunt ratiocinando, & diſceptando, dum adhibito iudicio rationis animus examinat aliquid, & de eo pronunciat ſitne verum, an falſum; bonum, an malum. Senſus ergo eſt in tribunali conſcientiæ examinari bona, & mala; hæc damnari, illa probari.

V. 16. IN DIE CUM IUDICABIT DEUS OCCULTA HOMINUM; quaſi dicat: Qui teſtis conſcientiæ maxime apparebit in die iudicii, ubi propria conſcientia vel excuſabit, vel accuſabit unumquemque apud Deum, qui iudicabit per hominem Ieſum Chriſtum. SECUNDUM EVANGELIUM MEUM, id eſt, ſecundum quod de die iudicii, eiuſque pœnis, & præmiis evangelizare, & docere ſoleo.

V. 17. SI AUTEM TU IUDAEUS COGNOMINARIS: ſupple, & tamen ipſam legem non obſervas, gravius hac de cauſa damnaberis. REQUIESCIS IN LEGE: & tibi places, & gloriaris propter legem. ET GLORIARIS IN DEO: in cognitione, & cultu veri Dei.

V. 18. ET NOSTI VOLUNTATEM EIUS: ex lege. ET PROBAS UTILIORA INSTRUCTUS PER LEGEM; id eſt, ex lege ſic inſtitutus es, ut noris bona a malis diſcernere.

V. 19. CONFIDIS TEIPSUM DUCEM ESSE COECORUM; id eſt, arrogas tibi tantam legis ſcientiam, ut etiam cæcis, id eſt errantibus ducem te præbere, & iis qui in tenebris ſunt, id eſt ignorantibus, lumen doctrinæ afferre te poſſe confidas.

V. 20. ERUDITOREM INSIPIENTIUM, ſcilicet profiteris te. HABENTEM FORMAM SCIENTIAE. In Græco eſt, μόρφωσιν, id eſt formationem, formulam, regulam agendorum, & credendorum, & agnoſcendæ veritatis iuxta legem.

V. 21. TEIPSUM NON DOCES, id eſt non vivis ut doces.

V. 22. SACRILEGIUM FACIS: dum avaritia, vel gula, vel idololatrarum amicitia invitante, menſas adis idolothytis inſtructas, id eſt cibis ex carnibus idolis prius ſacrificatis. Vel dum vota violas, aut alias actiones ſacrilegas facere non reformidas.

V. 23. IN LEGE GLORIARIS, tamquam a Deo accepta. DEUM INHONORAS: illum ipſum a quo legem accepiſti.

V. 24. PER VOS: veſtra culpa, qui legem a Deo traditam palam violatis. BLASPHEMATUR INTER GENTES: male enim de Deo Gentes loquuntur, videntes eum habere tam malos cultores, quaſi eos vel negligat, vel non poſſit punire, vel etiam ſceleribus eorum delectetur. Reſpicit Apoſtolus verba Iſaiæ cap. LII. iuxta verſionem LXX. quæ ſic habet: *Propter vos ſemper nomen meum blaſphematur in Gentibus*.

V. 25. CIRCUMCISIO QUIDEM PRODEST. Loquitur D. Paulus de circumciſione, prout erat in ſtatu legis, nam lege Evangelica adveniente antiquata eſt, ita ut etiam iam noxia ſit & perncioſa, ut idem Paulus probat in Epiſtola ad Galat. Docet ergo circumciſionem profuiſſe, coniunctam tamen cum legis obſervatione. CIRCUMCISIO TUA PRAEPUTIUM FACTA EST; quaſi dicat: Si legem violes, licet circumciſus ſis, perinde tamen eſt ac ſi incircumciſus Gentilis eſſes. Reprimit hic Paulus arrogantiam Iudæorum gloriantium de ſua circumciſione.

V. 16. SI IGITUR PRAEPUTIUM, id eſt præputiatus Gentilis. PRAEPUTIUM ILLIUS IN CIRCUMCISIONEM REPUTABITUR; quaſi dicat: Si Gentilis legem cuſtodiat, tunc incircumciſio illi non oberit, ſed reputabitur potius ac ſi eſſet circumciſus, quia cuſtodia legis tantum, immo amplius illi valebit, quam Iudæo valeat circumciſio, quia ut Theophyl. ait, vera circumciſio eſt præciſio non carnis, ſed peccatorum, ſive eſt ipſa actio vera & bona

præ-

præciſa a vitiis; præputium vero eſt mala, & turpis actio.

V. 27. IUDICABIT, id eſt damnabit. ID QUOD EX NATURA EST PRAEPUTIUM, id eſt ex genere, & nativitate præputiatus, ſive Gentilis. LEGEM CONSUMMANS: legem obſervans. TE QUI PER LITTERAM, ET CIRCUMCISIONEM; id eſt, te qui habes litteram legis, & circumciſionem, & tamen prævaricator es legis.

V. 28. NEQUE ENIM QUI IN MANIFESTO IUDAEUS EST: per externam, & publicam Iudaiſmi obſervationem, & profeſſionem. NEQUE QUAE IN MANIFESTO EST, &c. ſubaudi, hic verus, Deoque placens Iudæus, hæc vera, Deoque placens circumciſio eſt.

V. 29. SED QUI IN ABSCONDITO IUDAEUS EST: qui ſcilicet in corde, & ſpiritu per legis obſervantiam, fidem, & gratiam, Chriſtum (qui ſcopus eſt legis, quemque lex tota clamat, & confitetur) ſubaudi, hic vere apud Deum Iudæus eſt & filius Abrahæ ſpiritualis. ET CIRCUMCISIO CORDIS: quæ ſcilicet cor, id eſt mentem circumcidit a vitiis, & paſſionibus, hæc vera, & Deo grata eſt circumciſio. IN SPIRITU NON LITTERA; id eſt, hæc circumciſio cordis fit *ſpiritu*, id eſt gratia adiuvante, & ſanante, *non littera* docente, & minante, id eſt fit per gratiam, non per legem. CUIUS; ſcilicet Iudæi, non autem circumciſionis. Græcum ὗ, cum ſit maſculinum Iudæum reſpicit, non circumciſionem. LAUS NON EX HOMINIBUS, &c. qui Iudæus eo modo circumciſus, laudem, & commendationem habet, non apud homines, qui non vident niſi ea quæ oculis corporis ſunt conſpicua, ſed apud Deum, qui cor intuetur.

T I R I N I.

Verſ. 1. PROPTER QUOD INESCUSABILIS ES, O HOMO Iudæe. Si enim Gentiles qui malitiam ſupradictorum criminum non tam plene, quam tu intellexerunt, qui tamen ea vel ipſimet patrarunt, vel, ut alii patrarent, permiſerunt & conſenſerunt *a*, *digni ſunt morte* æterna; quanto magis tu, Iudæe, qui clariſſime ex lege Moſaica intellexiſti, omnia illa eſſe mala, & tamen *eadem* illa patras, dignus eris morte?

V. 4. AN DIVITIAS BONITATIS, id eſt maximam copiam & abundantiam divinæ benignitatis ET LONGANIMITATIS, qua pœnas in longum differt, CONTEMNIS? ſecuritatem & impunitatem exinde tibi, etſi in ſceleribus perſiſtenti, promittens. IGNORAS quod Deus hac ſua longanimitate AD POENITENTIAM TE ADDUCIT? ſcilicet quantum in ſe eſt, vel adducere cupit & conatur *b*. Græce, ἄγει, id eſt ducit, invitat, provocat. Falleris: nam

V. 5. IN DIE IRAE; puta in iudicio, quando omnem ſuam iram & vindictam in impios effundet.

V. 6. REDDET UNICUIQUE SECUNDUM OPERA EIUS. Calvinus vertit, *poſt opera*. Sed certum eſt ex communi Patrum interpretatione, non ad tempus, ſed ad qualitatem operum reſpicere: ut & Eccleſiaſtici XXXV. 24. *Donec reddat hominibus ſecundum actus ſuos*. Qualia enim erunt opera, talis erit & merces.

V. 7. IIS QUIDEM QUI SECUNDUM PATIENTIAM BONI OPERIS, id eſt qui patienter & perſeveranter (utrumque enim ſignificat ὑπομονή,) contra omnem tentationem & moleſtiam, in bonis operibus & ſancta vita perſiſtentes, QUAERUNT AETERNAM apud Deum GLORIAM, HONOREM ET VITAM: certo eam reddet.

V. 8. IIS AUTEM QUI SUNT EX CONTENTIONE, id eſt contentionalis, ſeu qui contentioſe repugnant VERITATI, nec volunt illi *acquieſcere*; retribuetur IRA ET INDIGNATIO, id eſt grave ſupplicium, quale ab irato animo proficiſci ſolet. Porro ex verbulo, *quærunt*, verſ. 7. ut & ex illo Pſalmi *c*, *inclinavi cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem*; colligit & definit Tridentinum *d* contra hæreticos, licitum & ſanctum eſſe bene operari intuitu mercedis æternæ.

V. 10. PAX, id eſt pacifica & ſecura bonorum omnium poſſeſſio ac fruitio, OMNI OPERANTI BONUM, (ſed ex fide & gratia Chriſti, ut S. Chryſoſtomus exponit,) IUDAEO PRIMUM ET GRAECO *e*, id eſt tam Iudæo, quam Gentili, & vice verſa. Sed quis Gentilium ex fide & gratia Chriſti bene operatus eſt ante Chriſti in terras adventum? Reſpondeo, Quotquot crediderunt in venturum Meſſiam, v. g. Melchiſedech, Iob, Sibyllæ, Ninivitæ, tot alii, qui vel ex Iudæis, vel ex maiorum

Digitized by Google

iorum ſuorum traditione intellexerant Meſſiam orbi promiſſum eſſe redemptorem.

V. 11. NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARUM APUD DEUM; id eſt, non reſpicit Deus, an Iudæus quis ſit, an Gentilis, ſed utrumlibet peccantem æque] punit: utrumlibet bene operantem æque præmio donat, nullo habito reſpectu niſi ad merita cauſæ.

V. 22. QUICUMQUE ENIM SINE LEGE Moſaica, (ſeu nulla peculiari ſcripta lege accepta a Deo) PECCAVERUNT (quales ſunt Gentiles) etiam SINE LEGE tali PERIBUNT, id eſt damnabuntur, non tamquam tranſgreſſores legis Moſaicæ vel ſcriptæ (nam talem ignorarunt:) ſed tamquam prævaricatores legis naturalis, in quam peccaverunt, & quam ignorare non potuerunt.

V. 13. FACTORES LEGIS IUSTIFICABUNTUR, iuſtitia politica, ſeu civili, inquit Calvinus, qua quis coram hominibus cenſetur & declaratur iuſtus. Sed contra, expreſſe hic præmittitur: IUSTI SUNT APUD DEUM, id eſt ea iuſtitia qua homo vere & infallibili iudicio divino iuſtus eſt. Talis iuſtitia, inquit Apoſtolus, non ex ſolo auditu legis, (& conſequenter neque ex ſola fide, quæ adhibetur auditæ legi;) ſed ex operibus legis (dummodo hæc fiant ex fide & gratia Chriſti, ut explicat in fine cap. III.) hauritur, fovetur & creſcit. Ex quo loco S. Pauli, & ex Iacobi II. clariſſime patet, non ſufficere ſolam fidem ad iuſtificationem, ut ſomniant hæretici.

V. 14. 15. & 16. Occurrit tacitæ obiectioni: Quomodo GENTES, QUAE LEGEM Moſaicam NON HABENT, poſſint factores vel tranſgreſſores eſſe legis? Reſpondet, Etſi careant lege Moſaica ſcripta in tabulis lapideis, cum tamen NATURALITER (id eſt ſolius naturæ lumine & viribus) *faciant* multa opera LEGIS naturalis (v. g. honorant parentes, dant eleemoſynas, cavent a furto, a cædibus, &c.) OSTENDUNT de facto ſe habere naturalem *legem* inſculptam intus IN CORDIBUS SUIS, ſcilicet dictamen *conſcientiæ*, quæ in omni particulari facto vel *accuſat* te, ſuggerens tibi illicitum eſſe ſic agere, & ſi egeris, te male agere: vel *defendit* te, excuſans & dictans tibi licere. Quod iudicium conſcientiæ patebit maxime in die iudicii per Chriſtum inſtituendi in fine mundi, & etiam in fine vitæ cuiuſque, SECUNDUM EVANGELIUM MEUM, id eſt prout docui evangelizando: ita Cyprianus], Hieron. Chryſoſt. cum ſuis; Primaſius, Sedulius & Haymo. Obiicit alium hic ſcrupulum S. Auguſt. *Si factores legis iuſtificantur*, ut hic aſſerit S. Paulus: & Gentiles ſolo lumine, & vi naturæ faciunt legem, ut idem aſfirmat; ergo Gentiles ſolo lumine & vi naturæ iuſtificantur, quod eſt Pelagianum. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: factores enim non partium aliquarum, ſed totius legis iuſtificantur: iam vero Gentiles ſolis naturæ viribus non totam legem naturalem, ſed ſolum aliquas eius partes faciunt, aut facere poſſunt.

V. 17. & 18. TU vero, o *Iudæe*, quomodo iuſtificaberis, qui legem, quam a Deo per Moyſen accepiſti, non obſervas? etſi *requieſcis* IN LEGE, id eſt complaces tibi & GLORIARIS, illa cælitus accepta, & per illam cognitione & cultu veri *Dei*, & diſcrimine *utiliorum*, ſeu bonorum a malis: uſque adeo ut

V. 19. *confidas te* DUCEM ESSE CAECORUM, id eſt errantium, & verſ. 20. ERUDITOREM, id eſt magiſtrum, INSIPIENTIUM, & FORMAM; Græce, *μόρφωσιν*, id eſt formulam, ideam exemplare, regulam, IN LEGE *habere* omnium ſciendorum & agendorum.

V. 24. PER VOS, & veſtra culpa, dum legem a Deo traditam paſſim & palam violaris, BLASPHEMATUR NOMEN DEI INTER GENTES, SICUT SCRIPTUM EST, Ezech. XXVI. 20. *ſ*, & ibidem expoſui.

V. 25. SI PRAEVARICATOR LEGIS SIS, CIRCUMCISIO TUA (qua tantopere gloriaris) PRAEPUTIUM FACTA EST; id eſt, perinde coram Deo eſt, nec plus tibi ad iuſtitiam vel ſalutem proderit, quam ſi præputiatus, id eſt circumciſus & Gentilis eſſes & e contrario, ſi præputiatus verſ. 26. IUSTITIAS LEGIS, ſcilicet præcepta naturalia & moralia, *cuſtodiat* (ut ſupra *g* dictum,) PRAEPUTIUM ILLIUS IN CIRCUMCISIONEM REPUTABITUR, id eſt circumciſio non oberit illi, ſed perinde coram Deo reputabitur, ac ſi circumciſus eſſet.

V. 28. & 29. NEQUE ENIM cenſetur coram Deo verus IUDAEUS, id eſt confitens Deum, & ſpiritualis Abrahæ filius, QUI tantum IN MANIFESTO, ſeu exterius

& ſecundum *litteram*, id eſt litteralem & grammaticalem intelligentiam legis, circumciditur: SED *is* demum QUI IN ABSCONDITO, id eſt interius in animo ſuo, & ſecundum *ſpiritum*, id eſt ſpiritualem, ſeu myſticam intelligentiam *circumciditur*, ſcilicet a vitiis & pravis concupiſcentiis ac paſſionibus ſuis: ita S. Cyprianus *h*, Auguſtinus, & alii.

(a) Rom. I. 31. & ult.
(b) Proleg. de Idiotiſmis. Hebr. num. 58.
(c) Pſal. CXVIII. 122.
(d) Trid. ſeſſ. VI. cap. XI.
(e) Hic cap. I. 16.
(f) Iſaiæ LII. 5. apud LXX.
(g) Hic verſ. 13. & 14.
(h) Cypr. tract. de Circumciſione.

G O R D O N I.

Verſ. I. PROPTER QUOD. Ex toto contextu conſtat Paulum hoc capite loqui de Iudæis: idem docet Auguſtinus de ſpiritu & lit. cap. XXVI. Senſus primi verſiculi hic eſt: Propter quam cauſam dixit, inexcuſabiles eſſe Gentiles, nimirum quia cognoſcentes Deum, non eum coluerunt, ut debebant: & ideo obnoxii ſunt iræ Dei; ſic tu, inquit, homo Iudæe, ob eandem cauſam inexcuſabilis es, qui iudicas & condemnas Gentiles, illa delicta committentes; nam tu ipſe eadem committis; ac proinde dum illos morte dignos eſſe iudicas, teipſum condemnas.

V. 2. & 3. SCIMUS ENIM QUONIAM. Confirmat ex Dei iuſtitia fore, ut non evadant impune: nam Deus, inquit, recte & incorrupte iudicat omnes qui talia agunt, nulla habita ratione perſonarum.

V. 4. AN DIVITIAS BONITATIS. Per interrogationem oſtendit Paulus falli Iudæos, ſi quia Deus ſumme bonus eſt, benigniter expectans peccatoris converſionem, ideo promittant ſibi impunitatem; nam potius hæc Dei benignitas deberet eos ad pœnitentiam provocare, quæ non eſt in ſola vitæ novitate, ſed habet in ſe deteſtationem & dolorem de peccato, cum propoſito melioris vitæ: & præcedit iuſtificationem ſua etiam diſpoſitio.

V. 5. SECUNDUM AUTEM DURITIEM; ac ſi dicat: Tu quidem ex hac cordis duritia, quæ non eſt ſine Dei contemptu aliquo, cumulas tibi iram Dei, & pœnas quas non evades graviſſimas in die iudicii. *Durum cor* vocant Patres, quod non compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur. Hoc loco *dies iræ* eſt ille extremi iudicii, quo Deus in peccatores horrenda ſua tela vibrabit. Ceterum locus clare oſtendit libere operando hos damnari; cum enim Dei bonitas gratiam offerat, urgeat, expectet; oſtendit culpam eſſe, qua vult ſie impius; & tunc maxime, quando actu deliberato vult non pœnitere.

V. 6. REDDET UNICUIQUE. Explicat ſeveram iuſtitiam in extremo iudicio. Hic ſuam prodit inſcitiam Calvinus, qui in hac præmii redditione concedens dari mercedem, negat præceſſiſſe meritum: eſt enim merces meriti merces, & correlatum. Fatetur quoque damnatos mereri pœnam. Cur ergo bonis operibus non meremur præmium, & ut mali merentur mortem æternam, ita boni vitam æternam maxime cum ſtet utrobique proportio æternitatis aut finiti ad infinitum. Et quamvis opus bonum, ut opus eſt hominis, non habeat proportionem ad gloriam, tamen ut eſt opus quod redditur dignum per gratiam (quo eſt velut ſemen gloriæ) ſtabit inde proportio per Chriſtum. Lege Auguſtinum Lib. de gratia & Lib. arb. cap. VIII. & IX. Sed de hoc alibi ſæpe, præſertim Matt. c. XX. 8. & cap. XV. 12. Item II. Tim. IV. 7. Sic etiam Scriptura vocat coronam iuſtitiæ. Et impenſe favet merito quod hic addit Paulus, SECUNDUM OPERA, quod plane ſignificat dari mercedem intuitu operis, & pro mercede.

V. 7. & 8. IIS QUIDEM. Hic Paulus explicans clarius quod dixit componit mercedes cum meritis: & quidem perſeverantibus patienter in bono opere ſtat vita æterna: contentioſis autem & improbis damnatio. *Patientia* BONI OPERIS, Chryſoſtomo eſt in tentationibus conſtanter bene operari. Sic alius dicebat, pati & facere fortia Romanum eſſe. IRA ET INDIGNATIO, gravis ira, ſeu indignatione plena.

V. 9. & 10. TRIBULATIO. Hæc ſcilicet hominibus immittuntur a Deo; & tum Iudæo, tum Græco & gentili: præcipue tamen Iudæo, qui ſpecialem accepit a Deo legem, & primum nuncium Evangelii. Prior ergo ut in favore, & potior, ita etiam in pœna.

V. 11. NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARUM: προσωποληψία, Hebr. פנים, *panim*, *facierum*. Eſt quidem perſonarum acceptio

ceptio [vitium contra iuſtitiam diſtributivam, ubi ſane membra habent ius quoddam ad recipiendum quod æquum eſt, & diſtributor obligationem ad dandum quod debetur. Verum aliter ſe res habet in Deo: nam primo ex obligatione non dat vel parritur ſua, ſed] gratis vocat & iuſtificat. Atque etiam in pœnis pro iure abſoluti dominii, quod habet, nec peccaret ſi Iudæis parceret, & non gentibus. Quæres, quo ergo ſenſu non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Certe (quod ſecundum eſt) quatenus indifferenter & ſine delectu decrevit tribulationem & anguſtiam operanti malum, hoc eſt, ſive Græcus ſit, ſive Gentilis; ita ut non potius reſpiciat Iudæum habentem legem ſcriptam, quam Gentilem qui non habet talem legem: ſicut in hoc non magis reſpicit divites quam pauperes. Et hoc eſt diſcrimen inter diſtributionem divinam & humanam.

V. 12. Quicumque sine lege. Pergit & explicat non eſſe diſtinctionem perſonarum apud Deum ſive in pœnis iniungendis, ſive in danda gloria. Ac demum ut ceſſent Iudæi gloriari de lege, addit non ſatis eſſe habere legem, niſi ſervetur, ac proinde colligit hinc omnes eſſe iudicandos ſecundum opera, ſive legem ſcriptam habuerint, ſive non. Et vero, ut mox dicet, habere legem ſcriptam vel aliam, nihil facit ad hoc ut aliquis ſit iuſtus apud Deum: non enim auditores legis iuſtificabuntur, ſed factores. Operibus opus eſt: reſpondebit obiectioni verſ. 14. quomodo Gentes non habentes legem eſſe potuerint factores legis & tranſgreſſores.

V. 13. Factores legis iustificabuntur. Sunt qui velint hos verſ. 13. 14. & 15. eſſe parentheſin: quicquid ſit, optime facit hic locus pro iuſtitia operum contra Sectarios, ut ex verborum explicatione patebit. Ergo oſtendit ut dicebam, non eſſe cur propterea Iudæi glorientur, aut putent ſe habere iuſtitiam, quod habeant legem: nam vera iuſtitia involvit opera & obſervationem legis: nec ſufficit eam vel habere in manibus, vel audire. Ille ergo coram Deo, ut ait Paulus, iuſtus pronuntiabitur, qui ita factor eſt legis, ut non ſit reus tranſgreſſionis ullius. Ex hac itaque Antitheſi ſtat ſenſus huius loci, & notanda: nempe inter hæc duo extrema, tantum *audire* legem, & *facere* iuſte coram Deo: illud primum non ſufficiet ad iuſtitiam coram Deo, ſed ſtat requiri legis obſervationem per bonam actionem & opera. Intelligit vero Paulus hæc opera eſſe ex fide & gratia per Chriſtum: immo & Gentes oportet eſſe factores legis.

Sectarii qui impugnant iuſtitiam operum in hac vita, exiſtimantes nulla eſſe in homine opera bona, aut ſi quæ habent ſpeciem boni, ea ſequi poſt iuſtificationem; hi, inquam, varie torquent hunc Scripturæ locum. Calvinus vult hic Paulum loqui de politica iuſtitia & apparente tantum coram hominibus. Sed apertum mendacium eſt contra textum Pauli, cuius verba exprimunt iuſtitiam & coram Deo, & ſecundum Deum. Mere porro impudens & ignavum eſt illud Calvini commentum, qui ait apponi hic a Paulo ut conditionem, quod ait de ſervanda lege bene operando; & quia inquit hæc conditio eſt impoſſibilis, redderetque iuſtificationem impoſſibilem; ideo ipſe format tamquam alter Deus aliam rationem iuſtificationis per imputationem: tota hæc reſponſio eſt blaſphema. Porro vel inde etiam eſt falſa, quod dicat, illud eſſe conditionem, quod eſt ex mente Pauli res ipſa, & aperta aſſertio. Vide quæ dicta ſunt Ioan. III. 15. & 17.

Cæterum quæ ſit mens Pauli infra cap. III. (ubi non ex operibus legis, ſed fide per Chriſtum docet hominem iuſtificari) plene dicendum eſt. Solum hic adverto τὸ *iuſtificabuntur* v. 13. varie accipi in Scripturis, nempe vel de prima iuſtificatione, vel de ſecunda illa & incremento poſt primam; vel de eo quod eſt haberi & pronunciari iuſtum *coram Deo*. Solet a pluribus probari hic tertia hæc interpretatio: & videtur aptior ceteris, ut iam apparuit ad exprimendam mentem Pauli. Et vero in nulla etiam iuſtificatione deſunt bona opera: quamvis enim in prima iuſtificatione gratis iuſtificemur, & ſine actione meritoria illius iuſtificationis; tamen interveniunt ibi per modum diſpoſitionis opera ſancta, ſpei, contritionis & dilectionis, quæ ſunt ſuo tempore in præcepto; & unde iudicatur a Deo iuſte agere factor legis. Secunda vero iuſtificatio fit per opera ſancta & meritoria. Denique ac tertio, quando ut hic dicit Paulus, Deus iuſtum aliquem eſſe divino ſuo iudicio denunciat, certe ope-

ra bona ibi adſunt multis titulis, ut per ſe notum eſt: & tot modis per opera bona iuſtificamur. Videre quivis hic poteſt, quam abſint a vero Calviniſtæ tam rigidi quam molles, qui ablegatis a iuſtificatione bonis operibus, & conſcientia operum, ſunt contenti ſola fide, aut potius inani fiducia. Sic certe ſola fides ſufficeret, ſatis eſſet audire & credere. At antitheſis Pauli vult eſſe iuſtum ſine tranſgreſſione legis. Immo ita alibi Iacobus: immo & Chriſtus. Maxime vero Calviniana fides non iuſtificabit, cum fides Calvino ſolum accedat ut conditio, & inſtar apprehenſionis: ubi proinde tam eſt inanis fiducia hæc, ac eſt confiсta imputatio.

V. 14. & 15. CUM ENIM GENTES. Obiici poterat Paulo Gentes ſaltem non eſſe tranſgreſſores legis, qui non habent legem, nec ſunt auditores legis. Occurrit Paulus eos habere legem naturalem cordi inſcriptam, quam & audiunt & tranſgrediantur. Atque hoc dictamen eſt illis pro lege; & proinde etiam hi ut factores vel tranſgreſſores legis iudicabuntur. Et hanc conſcientiam factorum magis explicat verſ. 15. ubi *τὸ cogitationibus*, non quaſvis deſignat cogitationes, ſed practicas, ac diſceptatrices cum examine & iudicio. At de quibus gentibus eſt hic ſermo? Sane univerſe multæ gentes legem non habebant, ſcilicet Moſaicam; & tamen legem habebant, ſcilicet naturalem, & illius legis præſcripto aliqua faciebant. Ceterum quantum ex verbis, & intentione Pauli colligi poteſt, probabilius eſt Paulum hoc ſaltem capite loqui de Gentilibus non renatis, ex Hieronymo ad Algaſ. quæſt. VIII. Chryſoſtomo, Cypriano Lib. III. ad Quirinum, & aliis. Hi vero præſertim ante Chriſti adventum quid efficere potuerint, ut ſalvarentur? Item an ullus etiam totam legem naturæ per gratiam Chriſti ſervaverit ut Iob, & quam explicita fides illis tunc fuerit neceſſaria; hæc, inquam, eſt alterius loci quæſtio, de qua dixi, alibi Lib. VI. quæſt. XII. cap. IX. num. 3. item Lib. XI. quæſt. XII. cap. VI. ſub finem. Certe ſine fide nemo ſalvatur. Itaque licet natura aliquid boni faciant, ut reddere depoſitum, non tamen natura iuſtificantur.

V. 16. IN DIE CUM IUDICABIT DEUS. Habent Gentiles teſtimonium conſcientiæ, quod oſtendit tamquam ex lege illos alloquente, an bene vel male egerint, & extremo iudicii die vehementius oſtendet. SECUNDUM EVANGELIUM MEUM, hoc eſt ſecundum id quod docere & evangelizare ſoleo, de extremi diei pœnis & præmiis. PER IESUM CHRISTUM, quia Pater omne iudicium dedit filio. Non eſt ergo putandum hic loqui Paulum de Evangelio Lucæ.

V. 17. 18. 19. & 20. SI AUTEM TU. Oratio ſuſpenſa eſt & ἐλλειπτικά, ubi ſupplere oportet, *& legem tamen violantes*, aut aliquid ſimile, ut inde inferatur, ideo Iudæos eſſe gravius damnandos. PROBAS UTILIORA, verſ. 18. noſti per legem diſcernere bona a malis. CONFIDIS, verſ. 19. aſſumis tibi & arrogas; hæ ſunt his verſibus recenſitæ prærogativæ, quibus gloriabantur Iudæi ex lege. Dicet de circumciſione Paulus verſ. 25.

V. 21. 22. 23. 24. Gloriaris, inquit, ex prærogativis legis, tamen hæc gravia peccata committis, & ſic legem tuam violas. Non male dicet aliquis per hos quatuor verſus ſuppleri quod deerat; & verſ. 17. dixi eſſe ſupplendum. Certum eſt fuiſſe hæc peccata apud Iudæos.

V. 25. 26. & 27. CIRCUMCISIO QUIDEM PRODEST. Loquitur de ſtatu legis Moſaicæ: tunc profuit: nunc in lege nova tota eſt antiquata. Dicit autem profuiſſe coniunctam cum legis obſervatione; alioqui ſine legis obſervatione dicet eſſe præputium, hoc eſt, non magis prodeſſe, quam ſi Iudæus de hoc ſignaculo glorians non eſſet circumciſus. Et hoc explicans Apoſtolus verſ. 26. ſi præputium, inquit, id eſt Gentilis legem ſuam ſervat, tunc tale præputium reputabitur pro circumciſione. Et (verſ. 27.) quod eſt ex natura præputium, ſeu Gentilis, *iudicabit*, damnabit te Iudæum gloriantem in circumciſione, ac littera legis; & tamen legis præcepta tranſgredientem. Utilitas circumciſionis in veteri lege erat varia: nam ſignum erat ſacrum deleti peccati originalis, ſignaculum gentis electæ a Deo, & habens rationem cultus Deo non ingrati. Præputium verſ. 25. deſignat pelliculam, quæ præſcinditur; at verſ. 26. & 27. ſignificat ipſum præputiatum.

V. 28. & 29. NON ENIM QUI IN MANIFESTO. Senſus eſt, nec verum Iudæum

eſſe,

eſſe, qui ſolum externa ſpecie talis eſt, nec ſufficere ſolam externam circumciſionem ad iuſtitiam: oportet eſſe circumciſum & Iudæum in corde & ſpiritu; nec tantum iuxta corticem litteræ. Sane mentem circumcidere a vitiis & concupiſcentiis ea demum vera circumciſio eſt. Quod eſt; verſ. 29. τὸ cuius, refert Iudæum, non autem circumciſionem, ut docet articulus Græcus. Et talis quidem ac laudatus a Deo Iudæus eſt, qui ſpiritualis eſt, non littera. Lex ſeparata a Chriſto, ac ſine gratiæ auxilio occidit, eſt velut cadaver ſine anima. Iubet, pœnam ponit, non dat operandi auxilium. Sic Moſes ſine Chriſto, mortis miniſter eſt dictus, & II. Cor. III. lex dicitur miniſtratio mortis in litteris.

CAPUT III.

Quodam modo præcellunt Iudæi propter factas illis a Deo promiſſiones, quæ complebuntur, quamquam nonnulli eorum fuerint increduli: omnes autem & Iudæi & Gentiles peccato ſunt obnoxii: a quo non liberat lex, ſed fides in Chriſtum propitiatorem, ut non ſit cuiquam de legis operibus gloriandum.

1. QUid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis? 2. Multum per omnem modum. Primum quidem
quia credita ſunt illis eloquia Dei: 3. quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? (*a*) * Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Abſit. 4. (*b*) Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: (*c*) Ut iuſtificeris in ſermonibus tuis: & vincas cum iudicaris. 5. Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam
Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?
6. (ſecundum hominem dico.) Abſit: alioquin quomodo iudicabit Deus hunc
mundum? 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tamquam peccator iudicor? 8. & non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona:
quorum damnatio iuſta eſt. 9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. (*d*)
Cauſati enim ſumus, Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, 10. ſicut
ſcriptum eſt: (*e*) Quia non eſt iuſtus quiſquam: 11. non eſt intelligens, non
eſt requirens Deum. 12. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non
eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. 13. (*f*) Sepulcrum patens
eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant: (*g*) Venenum aſpidum ſub labiis eorum: 14. (*h*) Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt:
15. (*i*) Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: 16. Contritio, &
infelicitas in viis eorum: 17. & viam pacis non cognoverunt: 18. [k] Non
eſt timor Dei ante oculos eorum. 19. (*l*) Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege ſunt, loquitur: ut omne os obſtruatur,
& ſubditus fiat omnis mundus Deo: 20. quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. 21. Nunc
autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt; teſtificata a lege & Prophetis.
22. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui
credunt in eum: non enim eſt diſtinctio: 23. Omnes enim peccaverunt, &
egent gloria Dei. 24. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem,
quæ eſt in Chriſto Ieſu, 25. * quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præceden-

cedentium deliſtorum 26. in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore: ut ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. 27. Ubi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei. 28. Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. 29. An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Immo & Gentium: 30. quoniam quidem unus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. 31. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.

(a) II. Tim. II. 13. (b) Ioan. v. 33. Pſal. cxv. 11. (c) Pſal. l. 6. (d) Gal. vi. 22. (e) Pſal. xiii. 4. (f) Pſal. v. 11. (g) Pſal. cxxxix. 4. (h) Pſal. xx. 7. (i) Iſa. lix. 7. Prov. 1. 16. (k) Pſal. xxxv. 2. (l) Gal. ii. 16.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Non mutes futurum *evacuabit* in præteritum *evacuavit*.

Verſ. 25. Quem propoſuit Deus propitiationem. Nec hic mutes femininum *propitiationem* in maſculinum *propitiatorem*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. Quid ergo amplius. Græc. *τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ ἰουδαίου;* id eſt, ſi verbum verbo reddas, quid ergo eſt illud plus Iudæi? Nos vertere poſſumus, *Quid præterea habet Iudæus ſupra gentilem?* neque hoc loco *περισσὸν* excellentiam ſignificat, ob id quod poſtea Paulus ait: *Quid ergo præcellimus eos? nequaquam*. Senſus ergo eſt: Si præputium credenti gentili imputandum eſt ad circumciſionem; qua in re commodatum eſt gentili pluſquam Iudæo, aut quæ utilitas circumciſionis?

V. 2. Multum per omnem modum Græc. varie legunt; quidam *πολὺ*, id eſt *multum*, & tunc referendum eſt ad *τὸ περισσὸν*: ac tum ſenſus eſt, Quid eſt quod amplius habeat Iudæus quam gentilis? ad quod reſpondet, multum, per omnem modum: alii Græci, ut Veronenſis codex, legunt *πολλὰ*, id eſt, *multa* & tunc refertur ad *τὸ* utilitas. Quæ utilitas circumciſionis? multa per omnem modum. Credita sunt: *ἐπιστεύθησαν*, id eſt Dei oracula & reſponſa illis credita ſunt & commiſſa: Photius autem *τὰ λόγια* exponit magnifica Dei dona & beneficentias: nos divinas promiſſiones Abrahæ & ſemini eius factas: & domeſtica Dei reſponſa populo ſuo reddita intelligere poſſumus. Et hæc eſt utilitas circumciſionis, quod electum ſuum populum hacque circumciſionis notæ deſignatum, & reſponſis ſuis, & promiſſionibus, infinitiſque beneficiis dignatus eſt Deus.

V. 3. Fidem Dei evacuavit; id eſt, Dei promiſſiones irritas fecit, aut eum mendacem conſtituit. Græci legunt *καταργήσει*, id eſt evacuabit, ſive irritas faciet & abolebit: noſter legit *κατήργησε*, id eſt abolevit & antiquavit.

V. 4. Est autem Deus verax. Gr. legunt conſtanter *γινέσθω*, id eſt ſit, unde puto interpretem vertiſſe eſto, ſed errore librarii o ſublatum. Photius explicat *γινέσθω* per *λογιζέσθω* & *νοείσθω*, id eſt cenſeatur & intelligatur a vobis Deus eſſe verax; id eſt, intelligite & exiſtimate Deum eſſe veracem, omnem vero hominem mendacem. Idem quoque Photius *τὸ* fidem Dei, & Græce *τὴν πίστιν* interpretatur *τὸ πιστὸν τὸ ἀληθὲς τὸ ἀμετάθετον τῶν ὑποσχέσεων τοῦ θεοῦ*, id eſt certam & immutabilem divinarum promiſſionum veritatem. Ut iustificeris. *Tibi ſoli peccavi*, inquit David, *& malum coram te feci, ut iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Ubi *τὸ* ut, eventum rei dicit, non cauſam; id eſt, ac propterea factum eſt, ut dum vel mihi peccanti promiſſa ſervas, veracior appareres ac iuſtior, vincereſque eorum impietatem, qui te ob mea peccata promiſſis non ſtaturum mentiebantur.

Probat autem Paulus Davidis exemplo, nequa-

nequaquam ob peccatum & incredulitatem populi Dei fidem & promiſſionem irritam fieri, ſed veracem illum ſemper ſe manere, ſicut de ſe teſtatur David dicens Deo: *Tibi ſoli peccavi ut iuſtificeris*.

V. 5. & 6. SI AUTEM. Dupliciter id intelligi poteſt; primum, ſi iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, id eſt ſtabilem reddit atque illuſtrat, id enim ſignificat Græcum verbum *συνίςησι*, an ideo iniquus eſt Deus qui ob peccata infert iram? abſit; id eſt, non propterea iniquus eſt. Non enim noſtræ malitiæ, ſed ſuæ clementiæ eſt, quod noſtra iniquitate in gloriam ſuam abutitur, alioqui ſi iniquus eſſet, quomodo iuſtificaret mundum, cum iudicis ſit æquum ſe præbere? Quia autem impium aliquid concluſiſſe videbatur, correctione utitur dicens, SECUNDUM HOMINEM DICO, id eſt more carnalium & imprudentium loquor. Secundo modo ſenſus eſt: Si iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, iniquus eſt Deus, qui in eam iuſtitiæ ſuæ commendatricem vindicat; ſed non eſt iniquus, non ergo eius iuſtitiam noſtra commendat iniquitas.

V. 7. 8. & 9. SI ENIM VERITAS. Et hoc dupliciter; id eſt, ſi veritas Dei promiſſa ſervantis in meo mendacio & peccato abundavit, non debeo tamquam peccator damnari, qui eam promoveo & illuſtro: immo potius quid non, id eſt quidni faciamus mala, ut inde bona eveniant? quam blaſphemiam quidam prædicare nos dicunt. Sed ego vere, ut peccator iudicari debeo, nec facienda ſunt mala, ut inde bona eveniant: non ergo Dei veritas in meo mendacio abundavit. Secundo modo ſenſus eſt, ſed ita ut in perſona carnalium hominum loquatur Paulus: Si verum eſt, ut Davidis verba ſonant, quod veritas Dei per noſtrum mendacium crevit, & illuſtrior facta eſt, non debemus nos qui Dei gloriam noſtro mendacio illuſtramus tamquam peccatores damnari, quin potius facienda ſunt nobis mala, ut maiora inde bona eveniant, utpote divinæ gloriæ illuſtratio. Huiuſmodi argumentationem faciebant iniqui, & huiuſmodi doctrinam prædicare Paulum mentiebantur, fortaſſe quia eum dicentem audierant: Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia: & illud eſt quod ait Paulus, cur non faciamus mala, ut bona inde eveniant? SICUT BLASPHEMAMUR; id eſt, a nonnullis male audivimus, qui in contumeliam noſtram ſic nos prædicare aſſeverant. Horum opinionem nequaquam ultra refellit Paulus tanquam nimis abſurdam, contentus in eodem argumento paulo ante dixiſſe, *abſit*: quod etiam hoc loco ſupplendum eſt: vel eiuſmodi opinio eluitur ex iis verbis, quorum damnatio iuſta eſt, ſcilicet & eorum qui dicunt ob eam cauſam facienda eſſe mala, ut bona eveniant, & eorum qui nos ita prædicare aſſeverant; id eſt, QUID ERGO? PRAECELLIMUS EOS? NEQUAQUAM. Videtur prima fronte is locus pugnare cum initio capitis, *Quid ergo amplius eſt Iudæo, aut quæ utilitas eſt circumciſionis? multum per omnem modum*: ſed ſi ſenſus conſiderabitur, nulla prorſus eſt pugnantia. Initio capitis agebat Paulus non de excellentia Iudæorum ſupra gentiles, ſed de beneficiis illis a Deo collatis, quod ſcilicet credita ſunt illis eloquia. Hic autem de utriuſque populi meritis agitur: qua in re pares ſunt Iudæus, & gentilis: neque nos, inquit, Iudæi ullis illos meritis præcellimus: CAUSATI ENIM SUMUS IUDAEOS ET GRAECOS OMNES SUB PECCATO ESSE. Cauſati, Græce, *προῃτιασάμεθα*, ad verbum, *præcauſati ſumus*, ſive cauſam antea reddidimus, nulla nos in re illis eſſe meliores aut præſtantiores, nimirum quod omnes peccato ſint conſtricti.

V. 19. SCIMUS AUTEM. Locus præcedens ex Pſal. XIII. in hoc tantum adductus eſt a Paulo, ut oſtenderet omnes tum Iudæos, tum Græcos eſſe ſub peccato: & ne de ſe dici Iudæi negarent, ad illos magis ſpectare oſtendit, quoniam lex iis qui in lege & ſub lege ſunt loquitur: quo loco docemur legis nomine non Pentateuchum modo, ſed & alios veteris inſtrumenti libros intelligi, iis ergo qui in lege ſunt lex loquitur, UT OMNE OS OBSTRUATUR; id eſt, ut repugnantibus & ſine peccato ſe eſſe aſſerentibus os claudatur: nam ſi de Iudæis qui Dei cultores erant, propheta dicit non eſſe qui bonum faciat, non uſque ad unum: maiori argumento de idololatris verum erit. SUBDITUS FIAT, id eſt agnoſcat ſe obnoxium Deo.

V. 20. OMNIS CARO, id eſt omnis homo. Nam tum carnis, tum animæ nomine totum hominem Scriptura ſæpe intelligit: quale eſt illud: *Videbit omnis caro ſa-*

lutare

Digitized by Google

lutare Dei, & Geneſ. xiv. *Da mihi animas*, id eſt, redde mihi homines meos. Per legem. Bene per legem cognitio peccati, non item remiſſio, quippe quæ dum peccatum ulciſcitur, indicandi illius vim habet, non remittendi.

V. 21. Nunc autem, &c. Iuſtitia, inquit, Dei, id eſt iuſtificatio; nam hic Græci, *τὴν δικαιοσύνην ἀντὶ τῆς δικαιώσεως*, id eſt iuſtitiam pro iuſtificatione ſumunt. Iuſtitiam ergo Dei, id eſt iuſtificatio qua nos iuſtificat, & gratis per Chriſtum peccata remittit, olim teſtificata a lege & prophetis, id eſt quam nobis Moyſes & Prophetæ per illum futuram promiſerunt, cum ſub involucris lateret, nunc ſine lege, id eſt nullo legis auxilio per Chriſti adventum in evangelio manifeſtata eſt: quæ quidem Dei iuſtitia & iuſtificatio per fidem Ieſu Chriſti omnibus in eum credentibus adſuit. Similem ſententiam dicit Paulus ad Romanos I. Iuſtitia enim Dei in eo ſcilicet evangelio revelatur ex fide in fidem.

V. 25. Quem proposuit; id eſt, in quo Deus offenſum ſibi mundum reconciliare ſtatuit, ſiquidem poſt hæc fiduciam haberet in paſſione & ſanguine ipſius, cuius quidem opus erat effuſione, *ad oſtenſionem & manifeſtationem iuſtitiæ ſuæ*, ut ſe iuſtum oſtenderet, dum ad eluendam veteris Adæ noxam, etiam proprio filio ſuo non pepercit, & ad remiſſionem veterum delictorum quæ diu longanimis ſuſtinuerat, ultionem diſſimulans, ut in hoc tempore omnibus videlicet infirmitate conſtitutis iuſtitiam ſuam oſtenderet, ſeque iuſtum eſſe in ulciſcendo, & iuſtificantem in condonando ei qui in Chriſtum credidit.

V. 30. Circumcisionem: circumciſionem Iudæos, præputium gentiles appellat.

V. 31. Legem statuimus, id eſt confirmamus, ſtabilimus, ac perficimus, dum per fidem Chriſtum veniſſe docemus, finem legis ac perfectionem: quia, ut Græci aiunt, dum lex ſalvos nos volens facere non poteſt, fide autem ſuperveniente ſalvamur, nutantem hac in parte legem ſtatuit ac confirmat.

S A.

Verſ. 1. Amplius; quaſi dicat, In quo excellit?

V. 2. Per omnem modum, id eſt valde, ſeu variis de cauſis. Eloquia, id eſt oracula, ſeu præcepta, vel Scriptura.

V. 3. Fidem, ſcilicet in promiſſis. Evacuabit, id eſt irritam faciet: eſt autem futurum præterito.

V. 4. Mendax, ſcilicet ex ſe. Sicut scriptum: poteſt iungi cum præcedentibus, & ſequentibus.

V. 5. Commendat. Græc. & Syr. *confirmat*, ſcilicet dum verax eſt & fidelis in promiſſis, etiam ſi nos inique agamus; vel, dum noſtras iniquitates punit. Iram, id eſt punitionem.

V. 6. Secundum hominem, id eſt humano more; quaſi dicat, Quod humanus ſenſus poſſit quærere. Quomodo, ſcilicet ſi iniquus ſit.

V. 7. Veritas, ſcilicet in promiſſis, vel *veritas*, pro iuſtitia. Mendacio, id eſt peccato, quo fallitur fides data Deo. Abundavit, id eſt facta illuſtrior. Gloriam, ſcilicet Dei, gloria eſt etiam immeritis benefacere, & præſtare promiſſa. Quid adhuc; id eſt amplius, ſeu poſt hæc: pergit in obiectione humani ſenſus. Iudicor, id eſt condemnor.

V. 8. Non, ſcilicet potius. Quorum, &c. Per hæc reſpondet obiectioni; quaſi dicat, Damnandus eſt talis ſenſus, ſeu ſententia; peccare enim numquam licet.

V. 9. Praecellimus, ſcilicet nos Iudæi: quod pertinet ad animi iuſtificationem. Eos, ſcilicet Gentiles. Causati, id eſt cauſa reddita ante oſtendimus. Sub peccato. Illi enim ſcriptam legem, hi naturalem non ſervant.

V. 12. Inutiles facti. Syr. *improbati*. Usque ad unum, id eſt ne unus quidem.

V. 13. Sepulcrum, &c. Hi verſus uſque ad *oculos eorum*, non citantur ex Pſalm. xiii. nec enim in eo ſunt Hebr. aut Græc. ſed ex variis Scripturæ locis. Vide Pſalm. v, ix, xxxv, cxl. Iſa. lix. Hieron. Præfat. Lib. XVI. in Iſa. Sub, pro, in.

V. 16. Infelicitas, *ταλαιπωρία*, id eſt *calamitas*.

V. 19. In; pro, ſub. Obstruatur, id eſt non poſſit ſe excuſare, ſeu defendere, contra Dei iudicium. Subditus. Syr. *obnoxius*. Deo. Syr. *Dei condemnationi*.

V. 20.

V. 20. OPERIBUS], id eſt viribus, ſeu operum merito. LEGIS, ſcilicet ſine gratia. OMNIS CARO: *ullus homo*, Hebr. COGNITIO, ſcilicet ſola, & non auxilium ad vitandum.

V. 21. LEGE, id eſt Legis obſervatione. DEI, id eſt qua Deus hominem iuſtificat.

V. 23. GLORIA, id eſt miſericordia, ſeu gratia per quam Deus glorificatur.

V. 24. IUSTIFICATI; pro, iuſtificantur autem. IN CHRISTO, id eſt per Chriſtum, ſcilicet facta.

V. 25. IN SANGUINE. Iunge cum *propitiationem*. IUSTITIAE, ſcilicet qua iuſtificat. PROPTER; pro, in ſe, ſeu ad. PRAECEDENTIUM, id eſt præteritorum.

V. 26. SUSTENTATIONE, &c. quaſi dicat, Quæ toleravit Deus. AD; pro, uſque ad. SIT, id eſt appareat.

V. 27. FACTORUM, ſcilicet Moſaycam, quæ multa opera præcipiebat. NON. Nec enim lex vires dabat ut impleretur, & qui eam aliquo modo] obſervant, gloriantur. Itaque Lex illa non tollit gloriationem, ſed Evangelica, per quam cognoſcit homo nihil ſe poſſe ſine gratia Dei. FIDEI, ſcilicet Chriſti, id eſt Evangelicam.

V. 28. ARBITRAMUR, id eſt cenſemus. OPERIBUS, id eſt merito operum, ſeu viribus; vel quaſi dicat, Abſque eo quod opus ſit, facere opera Legis Moſaicæ.

V. 31. DESTRUIMUS, id eſt abolemus, ſeu irritam facimus. STATUIMUS, id eſt ſtabilimus, dum ſcilicet gratiam prædicamus, per quam illa impletur.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. QUID ERGO AMPLIUS IUDAEO EST? Qua in re Iudæi Gentes ſuperant? Videbatur ſuperiori cap. circumciſionem in ordinem redegiſſe; ideo tacitæ obiectioni reſpondet.

V. 2. ELOQUIA DEI. Prophetiæ, reſponſa, promiſſiones illis ſunt traditæ. In hoc Gentes ſuperant. An eorum incredulitas

V. 3. FIDEM DEI EVACUABIT? Sic Græce. Plerique cod. *evacuavit*: ſic Syr. in præterito, fidem Dei de promiſſis ſcilicet irritam reddidit?

V. 4. EST AUTEM DEUS VERAX. Græce, γινέσθω, *ſit*, *eſto*, noſter γίνετε, haud dubium legit; quæ melior lectio eſt. UT IUSTIFICERIS. Præcedit, *Tibi ſoli peccavi*. *Ut* non cauſam, ſed eventum dicit. Senſus: Ex meo peccato fiet, ut tu iuſtus & verax iudiceris, cum promiſeris ſore eius remiſſionem. CUM IUDICARIS, id eſt condemnaris, quaſi non ſtans promiſſis.

V. 6. SECUNDUM HOMINEM DICO, id eſt ut loquuntur iniqui, aut humano more loquor.

V. 7. SI ENIM VERITAS DEI IN MEO MENDACIO apparet, id eſt peccato meo facta eſt illuſtrior, non debeo ob peccatum condemnari; ſed potius faciamus mala, ut bona inde veniant. Sic impii dicebant, qui ob id iuſte damnantur.

V. 9. QUID ERGO? PRAECELLIMUS EOS? Iunge cum illo verſ. 2. *quia credita ſunt illis eloquia Dei*. Eſt enim hyperbaton. CAUSATI ENIM SUMUS, id eſt diximus omnes eſſe peccatores, & egere Dei gratia.

V. 10. QUIA NON EST IUSTUS. Teſtimoniis ex variis locis deſumptis probat omnes peccatores eſſe. De quibus citationibus Pſal. XIII. diximus verſ. 3.

V. 15. VELOCES PEDES, ὀξεῖς, id eſt *acuti*. Sic Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana quoſdam legiſſe ait propter dictionis ἀκὺς ὁμωνυμίαν. Sed Feſtus *acupedios* ait dici ſolitos, quibus in curſu præcipuum erat pedum acumen.

V. 19. QUAECUMQUE LEX, id eſt hæc omnia non Gentes, ſed Iudæos etiam comprehendunt, qui ſub lege ſunt. ET SUBDITUS FIAT: ὑπόδικος, *obnoxius*, reus ſit omnis mundus Deo.

V. 20. QUIA EX OPERIBUS LEGIS. Dicent Iudæi: Servamus legem. Reſpondet: Opera legis non iuſtificant, non remittunt peccata. PER LEGEM ENIM COGNITIO PECCATI, non remiſſio.

V. 21. SINE LEGE IUSTITIA DEI, id eſt iuſtificatio: δικαιοσύνη, pro δικαίωσις. Ea iuſtificatio non fuit per legem, ſed per fidem in Chriſtum, quem Deus poſuit.

V. 25. PROPITIATIONEM. Alii, *propitiatorem*. Ἱλαστήριον, maſculini & neutrius generis eſſe poteſt, & utroque modo verti ‡PROPTER REMISSIONEM, διὰ τὴν πάρεσιν: quæ vox *tabem* & *condonationem* ſignificat, ut & *remiſſio*. Si *tabem*, erit ſenſus, Ad oſtenſionem iuſtitiæ ob corruptionem peccati fuit neceſſe, ut mitteret Filium ſuum. Si *condonationem*: Miſit Filium, ut con-

donaret peccata; & in eo ſe iuſtum oſtenderet, in eum transferens pœnas debitas peccatis.

V. 26. IN SUSTENTATIONE DEI, id eſt per longanimitatem ſuam. UT SIT IPSE IUSTUS; quaſi dicat: Ut ſine detrimento iuſtitiæ fideles iuſtificet; ideo Filium ſuum miſit.

V. 27. UBI EST ERGO GLORIATIO TUA, o Iudæe? parem Græcis fecimus, quando ex lege non eſt iuſtitia, ſed ex fide. Unus Deus eſt qui

V. 30. IUSTIFICAT CIRCUMCISIONEM. Per *circumciſionem* Iudæos, per *præputium* Gentes intelligit. IUSTIFICAT. Græce, *iuſtificabit*. Gotth. *iuſtificavit*, ſcilicet Iudæos & Gentes per fidem.

V. 31. LEGEM STATUIMUS, ſupplemus, quod illi deeſt, nempe iuſtificationem, non deſtruimus illam.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUID ERGO AMPLIUS IUDAEO EST? Senſus eſt: Si ita ſe res habet, ut dictum eſt, quid igitur amplius præ Gentili, quidve eximium collatum eſt Iudæo? quid habet Iudæus in quo præcellat? AUT QUAE UTILITAS CIRCUMCISIONIS? aut quid prodeſt eſſe circumciſum?

V. 2. MULTUM PER OMNEM MODUM: omnino multum amplius habet Iudæus, quam Gentilis. PRIMUM QUIDEM: τὸ πρῶτον, id eſt hoc in primis, & præcipue. ELOQUIA DEI: τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, *oracula divina*, id eſt lex divina, & ſacræ ſcripturæ.

V. 3. QUID ENIM SI QUIDAM ILLORUM NON CREDIDERUNT? quaſi dicat, Nam quid tum ſi nonnulli in perfidia perſtiterunt? NUMQUID INCREDULITAS ILLORUM FIDEM DEI EVACUABIT; Numquid illorum incredulitas efficere poterit, ut Deus promiſſa ſua non præſtet, fidemque datam non ſervet? *Fides*, hic accipitur, ut etiam alibi in Scripturis, pro veritate, & fidelitate in præſtandis promiſſis. ABSIT: μὴ γένοιτο, *ne ſit*, *ne fiat*, ſcilicet ut hominum malitia Dei fidem evacuet: ſiquidem impoſſibile eſt Deum mentiri, aut fidem fallere. EST AUTEM DEUS. Græca pro *eſt*, ſignificantius habet γινέσθω, id eſt *ſit*; quaſi dicat, Abſit, quin potius ſit, & ſtatuatur Deus verax, uti omnis homo mendax eſt.

V. 4. EST AUTEM DEUS VERAX: in omnibus dictis & promiſſis. OMNIS AUTEM HOMO MENDAX; ſcilicet ex ſemetipſo, & ex inclinatione depravatæ ſuæ naturæ. SICUT SCRIPTUM EST: Pſal. 1. 6. UT IUSTIFICERIS. Particula *Ut* ſignificat hic non intentionem, ſed eventum; quaſi dicat David, Peccavi Domine, ſed parce, & miſerere mei, atque ita fiet, ut per peccata mea, quæ condonas, iuſtus, & verax oſtendaris, o Deus, in tuis promiſſis. ET VINCAS CUM IUDICARIS; quaſi dicat, Et ſi iudicium inter te, & homines inſtituatur, illique negare velint te miſericordem eſſe, nec peccata pœnitentibus remittere, vincas cauſam, & miſericors, verax, & fidelis in promiſſis tuis pronuncieris.

V. 5. SI AUTEM INIQUITAS NOSTRA, &c. Occurrit hic Apoſtolus obiectioni hominum inſipientium; unde ait, *ſecundum hominem dico*, id eſt ea hic oppono, & obiicio, quæ homo non ſapiens, ſed carnalis obiiciat; ſcilicet ſi Davidis, & noſtra iniquitas in cauſa eſt, ut Dei iuſtitia & fidelitas erga nos magis illuſtretur, ergo iniquus videtur Deus ſi nos iniquos puniat, & non potius præmio afficiat, quaſi auctores, ut eius iuſtitia magis eluceat. QUI INFERT IRAM: qui malos puniat, pe quos glorificatur.

V. 6. ABSIT: ut ideo credatur Deus iniuſtus; ut quis de Deo tam abſurde, & indigne ſentiat. Hæc autem illuſtratio gloriæ, & iuſtitiæ Dei per accidens ex peccato ſequitur.

V. 7. SI ENIM VERITAS DEI, &c. Sententia eſt: Si fides & veracitas Dei clarior, & illuſtrior facta eſt per meum mendacium, ſive iniuſtitiam; cur ergo poſtea iudicor, condemnor, & punior tamquam mendax, & peccator? ABUNDAVIT: redundavit.

V. 8. ET NON SICUT BLASPHEMAMUR, &c. id eſt, & cur, ſi res ita ſe habet, non faciamus mala, ut ſequatur bonum hoc glorificationis Dei? SICUT BLASPHEMAMUR, id eſt ſicut quidam calumniantur nos dicere. QUORUM; ſcilicet tam ita ſentientium, quam nos calumniantium, damnatio iuſta eſt.

V. 9. QUID ERGO? PRAECELLIMUS EOS, &c.

&c. Redit Paulus ad propoſitum ſuum, quod tetigit verſ. 2. & reſpondet, nequaquam præcellimus nos Iudæi ipſos Gentiles. CAUSATI ENIM SUMUS; id eſt, cauſam antea attulimus; iam ante probavimus allatis cauſis, & rationibus. IUDAEOS ET GRAECOS OMNES SUB PECCATO ESSE, id eſt omnes eſſe peccatores, & propter peccata damnatione dignos.

V. 10. SICUT SCRIPTUM EST: Pſalm. XIII. 3. ubi totum hunc locum explicavimus.

V. 19. SCIMUS AUTEM, &c. quaſi dicat: Ne dicas, o Judæe, hos verſus ad te non pertinere, nam ſunt verſus legis, & ſacræ Scripturæ, qui non tam Gentilibus, quam iis, qui in lege ſunt, id eſt Iudæis loquuntur. UT OMNE OS OBSTRUATUR; id eſt, ut nemo audeat ſe a peccato excuſare. ET SUBDITUS FIAT OMNIS MUNDUS DEO: & appareat omnes omnino homines, etiam Iudæos, eſſe Deo iudici ad æternam mortem obnoxios.

V. 20. QUIA EX OPERIBUS LEGIS, &c. Eſt occupatio altera; quaſi dicat, Excipies iterum o Judæe, & dices, Eſto peccator, at luſtrationibus, & ſacrificiis legalibus purgor. Reſpondet Apoſtolus, opera hæc legis poſſe quidem purgare ab immunditiis legalibus, non autem a peccato, ſecluſa fide, & gratia Chriſti. OMNIS CARO: nullus homo. PER LEGEM ENIM COGNITIO PECCATI. Per legem habetur cognitio peccati, quia docet quid faciendum ſit, quid cavendum, quid virtus ſit, quid vitium; ſed per Chriſtum datur gratia, qua peccatum tollatur.

V. 21. NUNC AUTEM, &c. id eſt, lege veteri ceſſante. IUSTITIA DEI; id eſt, iuſtificatio, qua nos Deus a peccatis abſolvit. MANIFESTA EST: per Chriſti Evangelium. TESTIFICATA A LEGE, ET A PROPHETIS: cui iuſtificationi teſtimonium tanto ante dedit lex vetus, & prophetæ, qui hanc iuſtitiam per Chriſtum dandam pronunciarunt.

V. 22. IUSTITIA AUTEM: *τὸ autem*, ponitur pro *inquam*. PER FIDEM: quæ datur per fidem. IN OMNES, ET SUPER OMNES: quæ datur, & deſuper infunditur. NON ENIM EST DISTINCTIO; ſcilicet inter Iudæos & Gentiles; ac ſi dicat: Nullus eſt omnium qui poſſit, aut umquam potuerit aliter iuſtificari quam per fidem Ieſu Chriſti. Hæc unà, & ſola eſt via omnibus propoſita, qua perveniatur ad iuſtitiam.

V. 23. ET EGENT GLORIA DEI. In Græco *ὑστεροῦνται*, *deſtituuntur*, ut habet Syrus proprie *ὑστερεῖσθαι* eſt, *in curſu a tergo relinqui*. Senſus videtur eſſe: Omnes peccaverunt, & quia peccato ſunt contaminati, quamvis plurimum nitantur, & ad cæleſtis patriæ gloriam, tamquam ad ſuorum ſtudiorum, laborumque metam contendant, in medio tamen curſu viribus deſtituti penitus deficiunt, & ab ea, quam maxime cupiunt, Dei gloria cadunt. Alii per gloriam Dei, intelligunt Dei gratiam, quæ eſt gloria quædam inchoata. Alii Chriſtum, qui eſt gloria Patris.

V. 24. IUSTIFICATI GRATIS, &c. Senſus eſt: Gratis autem iuſtificantur percepta divina gratia, eius redemptionis beneficio, quæ a Chriſto Domino peracta eſt.

V. 25. QUEM: Chriſtum. PROPOSUIT DEUS IN PROPITIATIONEM, id eſt propitiatorem, ſcilicet victimam propitiantem, & placantem Deum hominibus. PER FIDEM IN SANGUINE IPSIUS, id eſt per fidem ſui ſanguinis, & paſſionis. AD OSTENSIONEM IUSTITIAE SUAE. Necte eum verbis illis, *Propoſuit Deus propitiationem*, ad hoc ſcilicet ut per eum oſtenderet iuſtitiam ſuam, id eſt communicaret nobis ſuam iuſtitiam, & nos iuſtos faceret. Vel etiam loquitur de iuſtitia vindicativa Dei, nam per hoc Deus iuſtus oſtenditur, quod Filio ſuo propter noſtra peccata non pepercerit. PROPTER, id eſt *ad*. PRAECEDENTIUM DELICTORUM; ſcilicet, Adæ, & aliorum ante Chriſtum.

V. 26. IN SUSTENTATIONE DEI; quaſi dicat, Quæ delicta Deus ſuſtentavit, id eſt toleravit diu expectans, donec Chriſtus veniret, & ea expiaret, atque ita oſtenderet iuſtitiam veram in tempore gratiæ, eamque credentibus daret. AD OSTENSIONEM IUSTITIAE EIUS IN HOC TEMPORE, id eſt uſque ad hoc tempus, quo ſuam iuſtitiam mundo voluit pateſacere, & exhibere. UT SIT IPSE IUSTUS, id eſt fidelis in promiſſis, vel ſanctus, & rectus. ET IUSTIFICANS EUM QUI EST EX FIDE, &c. eum qui fidem Chriſti ſuſcepit obiecta omni ſpe, & inani legis confidentia.

V. 27. UBI EST ERGO GLORIATIO TUA:

qua, o Iudæe, gloriaris & arrogas tibi ex circumciſione, ſacrificiis, aliiſque operibus legis Moſaicæ iuſtitiam. LEX FACTORUM, &c. Ex S. Auguſtino Lib. de Spirit. & lit. cap. XIII. & aliis, lex factorum eſt ea, quæ iubet quid ſit faciendum. Lex fidei eſt ipſa fides, quæ impetrat gratiam faciendi quod lex iubet. Lex ergo factorum eſt lex vetus, quæ continet præceptum; lex fidei, eſt lex nova, quæ dat auxilium, ut legem impleas.

V. 28. ARBITRAMUR, &c. λογιζόμεθα, id eſt colligimus, & concludimus ex ſuperiori diſputatione hanc noſtram propoſitionem, hominem ſive Iudæum, ſive Gentilem, iuſtificari per fidem, licet non ſolum, ſed tamquam per radicem, fundamentum, & initium iuſtificationis, non excluſa gratia, ſpe, caritate, cæteriſque Chriſtianis virtutibus. SINE OPERIBUS LEGIS: non ſolum ceremonialibus, & iudicialibus, ſed etiam moralibus, ſolo legis dictamine, & ſolis naturæ viribus factis. Vide D. Auguſtin. de Spiritu & lit. cap. IV.

V. 29. AN IUDAEORUM DEUS TANTUM, &c. novum argumentum, quo probat Paulus ex abſurdo, nos iuſtificari, non ex operibus legis, ſed ex fide Chriſti: quia ſcilicet ſi ex operibus legis iuſtificaremur, ergo iuſtitia eſſet alligata legi Moſis, & Iudæis, ac conſequenter Deus videretur tantum Iudæorum habere curam, & eſſe tantum Deus illorum, non Gentium, quod eſt abſurdum.

V. 30. QUONIAM QUIDEM UNUS EST DEUS: Iudæorum, & Gentium. CIRCUMCISIONEM, id eſt Iudæos circumciſos. PRAEPUTIUM, id eſt præputiatos Gentiles.

V. 31. LEGEM ERGO DESTRUIMUS, &c. Num igitur legem tamquam inutilem, & inanem Chriſti fide abolemus? SED LEGEM STATUIMUS: ſed potius ſtatuimus, & confirmamus legem ex eo quod illa quæ lex ſignificabat, & promittebat per Evangelium, (quod *fidem* hic appellat Paulus) completa ſunt.

TIRINI.

Verſ. 1. ERGO, ſi res ita habet, ut dictum in fine cap. præced. QUID AMPLIUS privilegii EST IUDAEO præ Gentili pupulo? aut quid prodeſt eſſe circumciſum? Reſpondet:

V. 2. CREDITA SUNT Iudæis ELOQUIA, id eſt oracula & promiſſa DEI, v. g. de terra ſancta, de Meſſia ex Iudæis naſcituro, &c. adeoque totum vetus teſtamentum *ipſis* quaſi depoſitariis concreditum fuit.

V. 3. AT QUIDAM ILLORUM NON CREDIDERUNT eloquiis & promiſſis illis divinis. Quid tum? an ILLORUM INCREDULITAS EVACUABIT, ſeu irritam faciet, FIDEM ſemel datam a Deo? an ideo deſinet Deus ſtare promiſſis quæ patribus dedit?

V. 4. DEUS ſemper & omni caſu EST & manet VERAX in dictis & promiſſis ſuis: licet OMNIS HOMO SIT MENDAX. Ergo, infert Lutherus, omnis homo quantumvis iuſtus, in omni opere ſuo peccat. Si enim non poteſt verum dicere (quod facilius eſt,) quomodo poterit bonum facere, quod longe eſt difficilius? Reſpondeo, Non dicit Apoſtolus hominem non poſſe verum dicere, vel hominem ſemper mentiri; ſed ſolum dicit, eſſe mendacem ex ſemetipſo, & ex pronitate depravatæ naturæ ſuæ. Nullo autem modo negat, ſubinde (per gratiam divinam, qua corrupta aliquatenus inſtauratur) tum actum, tum habitum mentiendi tolli in quibuſdam durante hac vita: etſi numquam tollatur mendacitas, ſeu potentia mentiendi: ita S. Hieron. Auguſt. & alii. Sic David aiebat *a*: Etſi ego, o Deus, fuerim mendax, tibique infidelis, tu tamen permane verax, id eſt fidelis, in promiſſis (mihi ante peccatum factis de regno in familia mea perpetuando, & Meſſia ex me procreando) UT IUSTIFICERIS IN SERMONIBUS TUIS, id eſt ut coram toto orbe verax & iuſtus eſſe declareris per impletionem promiſſorum mihi factorum: ET VINCAS CUM IUDICARIS, id eſt reipſa evertas temeraria hominum iudicia, quibus mentiuntur, te ob mea peccata numquam mihi reconciliandum, nec promiſſa completurum: ita S. Thomas, Pererius & Toletus. Mox occurrit Apoſtolus vulgari imperitorum obiectioni:

V. 5. SI INIQUITAS Davidis & NOSTRA peccata in cauſa ſunt, quod divina iuſtitia & fidelitas erga nos peccatores magis illuſtretur: ergo immerito INFERT IRAM DEUS, & inique punit nos propter noſtra peccata, cum potius præmio deberet impios afficere per quos glorificetur.

V. 6. SECUNDUM HOMINEM DICO; id

eſt,

eſt, hanc obiectionem moveo non ex propria perſona, ſed in perſona inſipientium & carnalium hominum. Quibus reſpondeo: ABSIT, hoc paradoxum ſequatur ex iſto antecedenti. Nam illuſtratio divinæ iuſtitiæ & fidelitatis non dependet a noſtra iniquitate, nec niſi per accidens ex illa conſequitur, nempe, quia Deus per infinitam ſuam potentiam, ſapientiam & miſericordiam vult etiam omnia mala (præter eorum naturam & meritum) ordinare ad finem bonum, nempe ad colluſtrationem iuſtitiæ & gloriæ ſuæ divinæ, ut S. Auguſt. *b* Theophyl. & alii exponunt.

V. 9. QUID ERGO? Redit Paulus ad id quod dicere cœperat verſ. 2. PRAECELLIMUS ne nos Iudæi idcirco Ethnicos, quaſi propter acceptam a Deo legem, & tam ampla promiſſa, promeriti ſimus præ Ethnicis vocari ad fidem & iuſtitiam Chriſti? NEQUAQUAM. Iam *enim* ante *præcauſati* SUMUS, (ſic habent Græca) id eſt, cauſam attulimus cap. II. ubi prolatis rationibus oſtendimus, IUDAEOS non minus quam GRAECOS, ſeu Ethnicos, OMNES SUB PECCATO ESSE, & propter peccata damnatione dignos.

V. 10. SICUT SCRIPTUM EST variis Scripturæ locis *c*, qui ut hic ſimul iuncti ſunt, ita hinc tranſlati ſimul videntur in Pſal. XIII. Latinæ, Syræ & AEgyptiæ verſionis, ut ibidem dixi & explicui. Hic tantum contra hæreticos nota, non agi omnibus his locis de natura per gratiam Chriſti ſanata, ſed ſolum de natura corrupta, quæ ſuis ſolius viribus, etſi Moſaicæ legis adiutorio fultis, non poteſt aliquid facere quod ſit perfecte & abſolute bonum & iuſtum coram Deo, ſeu meritorium gratiæ, iuſtitiæ aut vitæ æternæ, etſi poſſit facere aliqua opera moraliter bona, ut ſupra *d* docuit. Unde falſum eſt, quod hic inferre vult Lutherus, omnia opera eſſe peccata: nam id ne quidem de operibus infidelium affirmat hic Apoſtolus, ſeu ſolum docet illa eſſe inſufficientia ad gratiam Dei, veramque iuſtitiam conſequendam vel promerendam, ſeu de congruo, ſeu de condigno. Vide S. Auguſt. *e* & Doctores Scholaſticos in 1. 2. D. Thom.

V. 19. SCIMUS AUTEM, &c. Præoccupat Iudæorum obiectionem; qui dicere potuiſſent, hæc omnia Scripturæ loca, quibus homines de tam multis & tam gravibus peccatis arguuntur, de ſolis Gentilibus accipienda eſſe. Reſp. enim, hæc loca omnia eſſe ex *lege* deſumpta, puta ex Pſalmis & Prophetis, qui non tam Gentilibus, quam QUI IN LEGE SUNT, id eſt Iudæis, *loquuntur*, eorumque vitia caſtigant: ita S. Chryſoſt. & alii. UT OMNIS MUNDUS DEO SUBDITUS FIAT, id eſt ut cogatur ſe ſubiicere, ſumme indignus, Deo & Chriſto, eiuſque gratiæ auxilium implorare, (inquit Theophyl.) ſi iuſtificari & ſalvari voluerit. Sed dicet Iudæus: Eſto peccator ſim; poſſum ſacrificiis & luſtrationibus legalibus expiari & iuſtificari abſque fide & gratia Chriſti. Reſpondet:

V. 20. OPERIBUS hiſce LEGIS Moſaicæ expiari poſſe ſordes carnis, & acquiri iuſtitiam externam, politicam, civilem; ſed nulla ratione internam, ſpiritualem, & CORAM *Deo* ſufficientem iuſtitiam vel expiationem a peccato. PER LEGEM ENIM acquiritur ſola COGNITIO PECCATI *f*, (docet enim quid faciendum, quid cavendum, quid virtus ſit, quid vitium:) ſed non acquiritur remedium peccati, quod per ſolam Chriſti gratiam tolli poteſt.

V. 21. NUNC AUTEM SINE LEGE, id eſt ſine legis adminiculo, utpote ceſſante iam lege Moſaica (ut S. Ambroſ. & Theodoretus exponunt) per Chriſti Evangelium, MANIFESTATA nobis EST IUSTITIA DEI, id eſt vera iuſtificatio, qua per Deum & Chriſtum a peccatis abſolvimur & iuſti reddimur: olim TESTIFICATA AB ipſa LEGE ET PROPHETIS, qui quaſi teſtes omni exceptione maiores, & nuntii divini, nomine Dei nobis promiſerunt, talem iuſtitiam & iuſtificationem per Chriſtum concedendam: ita S. Aug.

V. 22. *Iuſtitiam*, inquam, PER FIDEM IN CHRISTUM donandam & infundendam IN OMNES ET SUPER OMNES IN Chriſtum *credere* volentes, ſive hi Ethnici fuerint, ſive Iudæi. Hæc enim *fides*, ut unica eſt & ſola via, ita omnibus promiſcue exponitur ad iuſtificationem & ſalutem. Unde concludo:

V. 23. OMNES PECCAVERUNT, ut probavi cap. I. & II. *omnes* igitur EGENT (Græce, ὑστεροῦνται, id eſt poſteriores ſunt, GLORIA DEI, id eſt Chriſto, inquit Cyrillus *h*; vel ut legit S. Hier. & Aug. *i*) *gratia* glorioſa Chriſti: hac enim perve-

nien-

Digitized by Google

niente omnes egent, nec quiſquam viribus ſolius naturæ, vel ſolius legis adiutorio eam aſſequi poteſt: unde, cum hæc *gratia* ſit prorſus nobis indebita, fateri cogimur, nos *gratis*, id eſt ſine ullis noſtris meritis præviis, iuſtificari *per Chriſtum*.

V. 25. QUEM PROPOSUIT nobis DEUS in PROPITIATIONEM, id eſt propitiatorem k, vel victimam propitiantem, & placantem hominibus Deum, PER FIDEM IN SANGUINE, id eſt per fidem ſanguinis, ſeu paſſionis, IPSIUS, id eſt iis qui credunt Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum: ita Theodoretus, Oecumen. Anſelm. Toletus, & Tridentinum *l*. Propoſuit, inquam, AD OSTENSIONEM IUSTITIAE SUAE, id eſt ut nobis manifeſtaret excellentiam & divitias divinæ iuſtitiæ, tam qua ipſe in ſe *iuſtus eſt*, (ut explicat v. ſequ.) quam qua nos iuſtificat: noluit enim hanc Deus in antiqua lege mundo patefacere, ſed

V. 26. Hoc demum TEMPORE legis gratiæ: IN SUSTENTATIONE DEI, id eſt Deo diu ſuſtentante, ſeu tolerante impiorum ingratitudinem & peccata.

V. 27. UBI EST ERGO GLORIATIO TUA, o Iudæe, qua ſoles gloriari de circumciſione, ſacrificiis, aliiſque ceremoniis legis Moſaicæ, quaſi per illas veram iuſtitiam ſanctitatemque nanciſcereris.

Nota. LEGEM FACTORUM vocat Apoſtolus legem veterem, quæ multa facienda præſcribebat, ſed gratiam (qua ſola poteſt homo illa omnia præcepta implere, & ad veram iuſtitiam devenire) non concedebat. LEGEM FIDEI vocat novam legem Chriſti & Evangelicam, quæ ſimul affert gratiam, ita S. Auguſtinus *m* & alii Patres. Unde per *legem fidei* numquam excludit opera ex fide & gratia Chriſti facta, quaſi hæc non ſint utilia vel neceſſaria ad iuſtitiam acquirendam, augendam, fovendam, ut fingunt noſtri hæretici: (nam talia opera paſſim conſulit, præcipit *n*, & neceſſaria eſſe dicit iam ipſe quam S. Iacobus *o* & alii Apoſtoli:) ſed ſola opera legis antiquæ facta ſine fide & gratia Chriſti, ut patet ex toto contextu Apoſtoli.

Nota Secundo. Etſi Iudæi ante Chriſti adventum crediderint in Chriſtum venturum, & hac fide ideo placuerint; poſtquam tamen Chriſtus advenit, & ab illis perfide reiectus eſt, amiſerunt hanc fidem, & ex ſolis ceremoniis Moſaicis contendebant deberi ſibi iuſtitiam & ſalutem, ſed utraque fruſtrati ſunt.

Nota Tertio. *Fidem* qua iuſtificamur, non excludere ſpem, timorem, pœnitentiam, caritatem, & bona opera: quia hæc omnia ſunt legis fidei, & fides illa præcipit, & aliæ Scripturæ *p* tribuunt illis noſtram iuſtificationem. Hic tamen meminit expreſſe Apoſtolus ſolius fidei. Primo, quia hæc tunc maxime inculcanda erat tam Iudæis, quam Gentilibus. Secundo, quia fides eſt prima radix, fundamentum & initium iuſtificationis, & manuducit ad ſpem, pœnitentiam, &c. Tertio, quia fides viva (de qua paſſim *q* loqui videtur Apoſtolus,) hæc omnia includit & præſupponit.

Nota Quarto, S. Paulum pene omnes iuſtificationis cauſas hic attingere. *Efficiens* enim cauſa eſt Deus: *meritoria*, Chriſtus: *inſtrumentalis*, Chriſti ſanguis: *formalis* (ſaltem ex parte,) remiſſio peccatorum: *diſponens*, partialis & applicans fides: *finalis*, oſtenſio iuſtitiæ & gloriæ Dei.

V. 29. AN IUDAEORUM DEUS TANTUM? Eſt novum argumentum; quaſi dicat: Si ex operibus legis Moſaicæ iuſtitiam haurire deberemus, cum ſit hæc ſolis Iudæis data a Deo, ſequeretur, Deum non niſi Iudæorum curam & rationem habuiſſe, & non niſi illorum Deum eſſe: quod eſt abſurdiſſimum, cum certum ſit quod

V. 30. UNUS communis omnium hominum ſit *Deus*, cui tam *præputii*, id eſt Gentium præputiatarum, quam *circumciſionis r*, id eſt Iudæorum circumciſorum, ſalus curæ eſt & cordi: unde pari modo utroque IUSTIFICAT, nempe EX FIDE, ſeu per fidem, ut iam dixi.

V. 31. LEGEM ERGO DESTRUIMUS, dicentes, non per legem, ſed PER FIDEM nos iuſtificari? ABSIT: SED hoc ipſo LEGEM STATUIMUS, ſtabilimus, confirmamus. Cum enim lex paſſim doceat, debere nos (ſi ſalvari volumus aut iuſtificari) credere in Meſſiam; nos illud idem docendo & inculcando, legem ſubſiſtere facimus: e contrario, legem evertunt quicumque fidem in Chriſtum, quam

quam lex ubique inculcat, reiiciunt aut vilipendunt.

(a) Pſal. I. 6.
(b) Auguſt. in Enchiridio cap. xcvi.
(c) Pſal. v. 11. Pſal. ix. 7. Pſal. xiii. 1. Pſal. lii. 3. Pſal. cxxxix. 4. Prov. 1. 16. Iſa. lix. 7.
(d) Hic cap. 1. 18. & ſeq.
(e) Aug. Lib. XXII. civit. cap. xxxi. & alibi paſſim.
(f) Prov. vi. 23.
(g) Auguſt. Lib. de Spiritu & littera cap. ix. & xi.
(h) Cyrillus de recta Fide.
(i) Hieron. Lib. VI. in Iſaiam ſub fin. Auguſt. Lib. I. de Peccat. merit. cap. xxvii.
(k) Proleg. de Idiotiſmis. Hebr. num. 47.
(l) Trident. ſeſs. vi. cap. viii.
(m) Auguſt. Lib. de Spiritu & littera cap. xiii.
(n) Rom. xii. 12. & ſeq.
(o) Iacobi cap. ii. toto, &c. Ioan. tota 1. epiſt.
(p) Iam citata littera a.
(q) Hic, & Galat. v. 6. & I. Cor. xiii. 3. &c.
(r) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 74.

GORDONI.

Verſ. 1. 2. QUID ERGO AMPLIUS IUDAEO. Prima pars capitis eſt de utilitate Iudaiſmi, & quid habeant Iudæi ſupra Gentiles. Huic occupationi occurrit Paulus explicans hanc primam eſſe Iudæorum prærogativam, quod ſint creditæ illis Scripturæ. Cetera quæ potuit Paulus enumeraſſe de ſpeciali protectione, miraculis, & Prophetis, omiſit, utpote contenta in hac prærogativa.

V. 3. & 4. QUID ENIM EST, SI QUIDAM ILLORUM. Nova occupatio eſt: dicet enim aliquis, cur tantus favor? an non Iudæi æque ac Gentes peccaverunt? Occurrit Paulus hoc nec impedire Dei miſericordiam ad condonandum, nec iuſtitiam ad puniendum, nec fidelitatem ut ſtet promiſſis: nam erga quos vult, utitur ſua miſericordia: fides Dei hoc loco ſignificat fidelitatem in promiſſis. Et verſ. 4. docet ex Pſal. lxv. & ex antitheſi eum homine, Deum eſſe veracem in promiſſis. Locus Pſalmi ſuo loco explicatus eſt, & ibidem quomodo homo ex vitio naturæ deficientis ſit mendax. Græce eſt γινέσθω, *ſit*; ac ſi dicat, Demus hoc ut certum, Deum eſſe veracem. Alter locus, UT IUSTIFICERIS, extat Pſal. L.

Hic more ſuo delirant hodie Sectarii. Vult Paulus propter aliquorum peccata non impediri promiſſionem Dei factam toti illi genti de prærogativa & utilitate circumciſionis; quidni? promiſſio quippe facta eſt non uni qui peccat, ſed toti genti, & illi Eccleſiæ. An non ita quoque eſt in Eccleſia Chriſtiana? Numquam tamen dixit, nec ſequitur peccata ſingulorum non obſtare ſingulorum iuſtitiæ. Nihil proinde recte colligitur hinc Calviniſta pro ſua præſumptione de iuſtitia & prædeſtinatione. Sane etiam promiſſio facta Eccleſiæ eſt abſoluta: ſi qua vero intelligitur conſequenter ſingulis, certum eſt ex Scripturis eam eſſe cum adiunctis conditionibus fidei, ſpei & caritatis.

V. 5. SI AUTEM INIQUITAS NOSTRA. Novæ occurrit obiectioni impiorum hominum. Verum quidem eſt, dum Deus punit peccata, ipſum & vincere, & iuſtificari, ſeu iuſtum declarari hominibus; immo eius iuſtitiam ſic commendari & illuſtrari. Iam dicet impius, ergo ſi noſtra peccata ſunt cauſæ, cur illuſtretur & commendetur Dei iuſtitia; ergo debet nos afficere præmio, tantum abeſt, ut debeat nos punire, vel iram inferre.

V. 6. 7. & 8. ABSIT. Reſpondet non ita eſſe. Non ſane ita eſt, nec inique agit Deus peccata puniens, alioqui ſequeretur Deum non debere iudicare peccata, aut damnare ſi ita eſſet. Cur ergo ego iudicor ut peccator. Immo cur non faciemus mala, ut proveniant bona, & ſequatur glorificatio Dei? ſic Paulus ab incommodo refutat impios: quorum, inquit, quod ita ſentiant & veritatem calumnientur, damnatio iuſta eſt. Ex hoc Pauli loco colligunt Theologi graves, nuſquam facienda eſſe mala, ut inde proveniant bona: quod prolixe probavi alibi verum eſſe, Lib. I. quæſt. viii. 48. quod etiam verum eſt in conſilio dando; non, inquam, licere ſuadere minus malum ad vitandum maius malum: directe, inquam, ut etiam alibi diſſerui.

V. 9. QUID ERGO PRAECELLIMUS EOS. Hæc eſt pars Capitis, quam præfatus ſum eſſe ſecundam, ubi oſtendit Gentes & Iudæos adhuc parem cauſam habere, quod utrique ſint in peccato. Hoc, inquit Paulus, cauſati ſumus, ſeu data cauſa probavimus. Et hic probat iterum ac oſtendit locis Scripturæ ex Pſal. xiii. quem vide ſupra, & ſuo loco explicatum. Hic obiter obſervo, Sectarios hodie dies verbis

Pauli,

Digitized by Google

Pauli, & aliis Scripturæ locis abuti, ut hominibus perſuadeant, omnes nemine excepto, eſſe peccatores, & neminem eſſe niſi imputatione iuſtum: ſed ſæpiſſime in hoc opere figmentum hoc refutatum eſt, & quæcumque hic a Paulo citantur, ſunt ibidem explicata ad verum & Catholicum ſenſum. Nec ullo modo favet illis locus hic Pauli, quem paſſim etiam Theologi ad verum explicant ſenſum. Sane ad depellendam corruptelam, quam hic ſibi fingunt Sectarii vel illud ſolum ſufficeret, quod paſſim Scriptura doceat manifeſte, eſſe in Eccleſia vere iuſtos, & non per imputationem, ut probavi in opuſculo de Catholica veritate ſect. II. cap. XX. & ſæpe hoc infra ex ipſo Paulo oſtendetur. Quod vero ſpectat ad modum loquendi Scripturæ, cum omnes dicuntur eſſe in peccato, ipſa Scriptura aſſerens eſſe aliquos vere iuſtos, ſatis hoc limitat, ut intelligas multos, vel fere omnes. Vide Auguſt. de corrept. & grat. cap. XIII. Quod vero eſt ad mentem Pauli, omnes vult eſſe in peccato, nemine excepto, ſi contineantur in narratione & deſcriptione Pauli; ſi, inquam, ſunt quales ipſe cap. II. & III. ſibi proponit, ſive Gentiles, ſive Iudæi: nempe vitiis obruti, & deſtituti gratia Chriſti. Nam hoc maxime vult evincere Paulus, ſi ſpectetur homo ex viribus naturæ non eſſe eum ſine peccato, ut hinc mox concludat gratiam Chriſti eſſe omnibus neceſſariam. Et ad hoc roborandum citat Pſalmum XIII. Nec male ſentiet, qui etiam pleraque alia Scripturæ loca interpretabitur iuxta hanc Pauli mentem. Nam ſemota gratia Chriſti omnes tum ratione originis, tum ſæpe ratione factorum (originale & actuale peccatum vocant) ſunt peccatores.

V. 19. SCIMUS AUTEM; ac ſi diceret: Tam ſunt hæc manifeſta, & certa ex citatis Scripturis, contineri hoc vinculo peccati tam Iudæos quam Gentiles, ut os omnibus obſtruatur, dum nemo audet ſe excuſare a peccato; adeo mundus vel ex hoc etiam capite eſt ſubditus Deo iudici, iuſte punienti & damnanti impios.

V. 20. & 21. QUIA EX OPERIBUS LEGIS. *Αντιπίπτον*, eſt & nova occupatio. Dicet Iudæus ſe a peccatis his liberari tot ſacrificiis & ritibus ſuæ legis. Occurrit Paulus, valere quidem hæc opera legis ad tollendas quaſdam legales immunditias, non tamen ad delenda peccata, quippe quæ non purgantur ſine fide & gratia Chriſti. NUNC AUTEM; hoc eſt abolita lege Moſaica, IUSTITIA DEI, (qua delet ille in nobis peccata, & vere iuſtos facit) manifeſtata eſt per Evangelium, & habet teſtimonium a veteri lege ac Prophetis; ut non ſit, quod expectent amplius Iudæi ab operibus ſuæ legis iuſtificationem.

Controverſia cum Sectariis de iuſtificatione hanc habet præcipuam quæſtionem, quomodo valeant ſub Chriſto ad iuſtificationem opera. De qua tamen re dixi cap. II. 12. & 13. Iam quæſtio eſt, quæ opera intelligat Paulus per opera legis. Sane cum ait neminem iuſtificari per opera legis, clarum eſt intelligi opera veteris legis ſepoſita fide & gratia Chriſti. Et hanc eſſe mentem Pauli conſtat, tum ex verſ. 22. tum ex conſueta apud Paulum Antitheſi, qui paſſim fidei Chriſti opponit hæc nuda opera legalia, ut hinc ſtet lex vetus cum ſuis operibus, & illinc fides Chriſti operans ad iuſtificationem. Lege Auguſtinum de grat. & Lib. ar. cap. VII. Et ſicut lex dat agnitionem peccati; (nam obſcurata lege naturæ vitiis hominum, lex Moſaica illam explicabat, oſtendens clarius rationem boni & mali,) ita ſuccedens per Chriſtum lex nova delet illud cognitum peccatum: eſt enim ſola via ad iuſtitiam. Et hæc de operibus legis veteris. Quomodo autem conſerant ad iuſtificationem ex fide Chriſti dictum eſt cap. II. 13 Sectarii hæc loca Pauli miſere implicant nova diſtinctione iuſtitiæ, in illam quæ eſt legis & fidei: hanc imputationem eſſe fingunt illam per opera ſancta & inhærentem gratiam: ſed hanc (quam dant Angelis & beatis) nolunt eſſe in hac vita, ac proinde loco citato ſunt refutati.

V. 22. IUSTITIA AUTEM DEI. Tertia pars capitis de iuſtitia fidei per Chriſtum, ubi ſola via eſt ad iuſtificationem, quæ datur & infunditur omnibus tam Iudæis, quam Gentibus ſine acceptatione perſonarum, qui ad hanc gratiam ſunt bene præparati, & hac per Chriſtum gratia egent omnes, ut plenius ſubiicit.

V. 23. OMNES ENIM PECCAVERUNT. Et quia ſunt iniuſti egent gratia per Chriſtum, ut iuſtificentur. Ita Auguſt. Lib. I. de pec-

Digitized by Google

peccat. mer. & remiſſ. cap. 11. Alii aliter quidem, ſed in idem recidunt. Quidam enim per gloriam intelligunt illam beatorum, favetque verbum *deſtituuntur*, ὑστεροῦνται, quaſi poſtponuntur cum de gloria agitur. Sed ſive hoc intelligas, ſive gratiam, ſive Chriſtum ipſum gloriæ auctorem ut eſt gloria Patris; ſemper verum eſt peccatores his bonis deſtitui, niſi per fidem Chriſti iuſtificentur. Et hæc demum eſt in controverſia inter Gentes & Iudæos ſententia, quam profert Dei nomine Paulus.

V. 24. IUSTIFICATI GRATIS. Sane gratis iuſtificantur peccatores, nullo eorum merito, ut docent ex profeſſo Theologi, & hoc eſſe totum ex beneficio Chriſti: quem Deus, inquit Paulus, dedit hoſtiam placabilem Deo pro peccatis hominum per fidem paſſionis & effuſi ſanguinis. Alludit Paulus ad propitiatorium ἱλαστήριον, quod erat tabula aurea, qua tegebatur arca. Porro *τὸ gratis*, non excludit diſpoſitiones: nam ſunt priores & ante iuſtificationem; ſed tam natura diſpoſitionis, quam de modo & ratione gratuitæ iuſtificationis diſputatum alibi eſt. At quorſum illud verſ. 26. AD OSTENSIONEM IUSTITIAE SUAE? Nempe quia ſuſtinuit Deus, & toleravit peccata hominum uſque in hoc tempus, quo miſit illis redemptorem, ut ſic oſtenderet mundo iuſtitiam ſuam: quod explicant ſequentia verba, UT SIT IPSE DECLARATUS IUSTUS ET IUSTIFICANS *etiam alios*, ſic ſane declaratur iuſtus, & fidelis in promiſſionibus.

V. 29. UBI EST ERGO. Tandem concludit Paulus nullum, ſive Gentilem, ſive Iudæum iuſtificari per facta legis, ſed per legem & opera fidei; vel etiam ex hac nova ratione, quia cum omnium Deus ſit, non oportet iuſtificationem per ipſum eſſe alligatam legi Moſaicæ. Nec ſic lex Moſis deſtruitur, ſed impletur potius; & perficitur, ut pote deſtinata ad Chriſtum venturum, quem a tot ſæculis parturiebat. Interim hoc iam notum eſt, Paulum per legem factorum intelligere legem veterem, & ex tota diſputatione Pauli conſtare plenum diſcrimen inter hanc legem factorum, & legem fidei; quæ enim eſt fidei per Chriſtum, vere affert iuſtitiam, non vero altera. Lex porro factorum præcipit & oſtendit peccatum. Lex fidei dat auxilium implendi præceptum & virtutem vitandi cognita peccata.

V. 28. ARBITRAMUR: λογιζόμεθα. Hoc & verum eſt & iam probatum, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: non videt Novator (qui his verbis abutitur) expreſſe hic poni opera legis Moſaicæ, & illis opponi per antitheſin fidem Chriſti, ſeu ſpiritum fidei operatorium per Chriſtum, cuius nempe probat neceſſitatem Paulus tota hac Epiſtola. Itaque *τὸ arbitramur*, non eſt opinantis, ſed certa affirmantis ſententia, & probata concluſio. Inepte ergo hic obtruditur fides Calvinianorum ſive rigidorum, ſive mollium. Neque enim fiducia, neque purum credere, niſi habeat aliud, ſufficiunt ad iuſtificationem, ut etiam alibi eſt abunde probatum.

Quæret hic aliquis, an per opera legis, ſine quibus iuſtificatur homo, intelligantur opera decalogi? occurrendum eſt, nec horum moralium præceptorum opera valere ad iuſtificationem, prout ſunt ex vi legis Moſaicæ, aut prout adimplentur viribus naturæ; quod ſatis notum eſt ex doctrina Theologorum de neceſſitate gratiæ. De qua re dixi, Lib. XI. quæſt. 11. Itaque ne quidem opera decalogi valent ad iuſtificationem, niſi fiant ex ſpiritu fidei per Chriſtum. De verſ. 29. iam dixi.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Non ex legis operibus contingit iuſtificatio, ſed ex fide in Deum, quæ Abrahæ reputata fuit ad iuſtitiam ante datam ipſi circumciſionem, quam poſtea accepit; futurus, non lege ſed iuſtitia fidei, pater omnium qui ipſius fidem imitarentur: credidit autem Deo ſe patrem fore multarum gentium per promiſſum ſibi ſemen, cum tam ipſe quam uxor eius Sara annos exceſſiſſent aptos ad generandum.

1. QUid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſe-
cundum carnem? 2. * Si enim Abraham ex operibus iu-
ſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. 3.
Quid enim dicit Scriptura? (*a*) Credidit Abraham Deo:
& reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 4. Ei autem qui ope-
ratur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſe-
cundum debitum. 5. Ei vero qui non operatur, credenti
autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides e-
ius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. 6. Sicut & David dicit bea-
titudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus: 7. (*b*) Bea-
ti, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. 8. Bea-
tus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. 9. * Beatitudo ergo hæc in
circumciſione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia repu-
tata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam. 10. Quomodo ergo reputata eſt? in circum-
ciſione, an in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio. 11. (*c*) Et
ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio:
ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iu-
ſtitiam: 12. & ſit pater circumciſionis, non iis tantum qui ſunt ex circumci-
ſione, ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri A-
brahæ. 13. Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius, ut heres
eſſet mundi: ſed per iuſtitiam fidei. 14. Si enim qui ex lege, heredes ſunt:
exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio. 15. Lex enim iram operatur. Ubi
enim non eſt lex; nec prævaricatio. 16. Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam
firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei qui
ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum (17. ſicut ſcriptum eſt:
(*d*) Quia patrem multarum gentium poſui te) * ante Deum, cui credidit,
qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt: 18.
qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecun-
dum quod dictum eſt ei: [*e*] * Sic erit ſemen tuum. 19. Et non infirmatus
eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum * cum iam fere centum eſ-
ſet annorum, & emortuam vulvam Saræ. 20. In repromiſſione etiam Dei non
hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: 21. pleniſſi-
me ſciens quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere. 22. Ideo & reputa-
tum eſt illi ad iuſtitiam. 23. Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum,
quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam: 24. ſed & propter nos, quibus reputabi-
tur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum a
mortuis; 25. qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iu-
ſtificationem noſtram.

(a) Gen. xv. 6. Gal. iii. 6. Iac. ii. 23. (b) Pſal. xxxi. 1. (c) Gen. xvii. 10. 11.
(d) Gen. xvii. 4. (e) Gen. xv. 5.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. Si enim Abraham ex operibus eſt. Nomini *operibus* non addas *legis*.

Verſ. 9. Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantum manet. Non auferas vel adverbium *tantum*, vel verbum *manet*.

Verſ. 17. Ante Deum cui credidit. Non mutes perſonam tertiam in ſecundam *credidiſti*.

Verſ. 18. Sic erit ſemen tuum. Quod ſequitur in multis libris, *ſicut ſtellæ cæli, & arena maris*, ſuperfluit.

Verſ. 19. Cum iam vero centum eſſet annorum. Non omittas adverbium *iam*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. Secundum carnem; id eſt, quid dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnalem circumciſionem, vel patrem ſecundum carnem? Erant enim carnales non ſpiritales filii Abrahæ. Non autem qui fidem Abrahæ imitamur, fide ac promiſſione filii ſumus ipſius.

V. 2. & 3. Si enim Abraham. Ex præcedenti capite ubi dixit; *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, & ex contextu præſentis capitis, ubi oſtendit Abrahæ imputatam eſſe fidem ad iuſtificationem, non in circumciſione, ſed in præputio, id eſt antequam circumciſus eſſet, perſpicuum eſt intelligi hoc loco Abraham non eſſe iuſtificatum ex operibus legis. Is enim eſt Paulo hoc capite ſcopus, gloriationem Iudæorum de Abrahamo & circumciſione tollere, quando eum oſtendit non ex legis obſervatione iuſtificatum, ſed fide: alioqui Iacobus ex operibus iuſtificatum dicit, ſed ſequentibus, ac iam credentem. Ex operibus. Nimirum operibus legis, de quibus paulo ante, & ita exponunt Origenes, Auguſtinus, Primaſius & Ambroſius, qui in contextu & explicatione addit legis, & de operibus legis intelligi docet littera ſequens, dicens, reputatam illi eſſe fidem, factamque promiſſionem non in circumciſione, ſed in præputio: & vetera cuiuſdam Græci ſcholia ſic habent: Conſilium Apoſtoli eſt demonſtrare, quod Abraham etiam non ex operibus legis, ſed per fidem iuſtificatus eſt. Habet gloriam. Opera enim omnia pene externa erant, eaque ſolum ad litteram obſervabant Iudæi: & propterea apud homines mentis ignaros gloriam habebant, ſe non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura, id eſt iuſtificationis mentionem faciens, non meminit operum legis, aut circumciſionis, quæ nondum erat, ſed fidei tantum, alioqui & Chriſtus operum Abrahæ meminit dicens: Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.

V. 4. Ei autem; id eſt, ſi noſtra tantum exigerentur ad iuſtificationem opera, ut virtutes morales & ſimilia quæ vel ethnici operantur, non fides a Deo gratuita, deberetur ex merito merces. Deus autem nulli debitor eſt. Non ergo ex puris noſtris operibus, ſe fide Chriſti iuſtificamur.

V. 5. Et vero, &c. id eſt, etſi impius nihil antea boni egerit; ex quo in Chriſtum credit, imputatur illi fides ad iuſtitiam: hoc eſt, quod toties aſſerit Auguſtinus, fidem ſine operibus præcedentibus iuſtificare.

V. 6. Dicit beatitudinem hominis; id eſt, aſſerit beatum eſſe hominem cui accepto fert Deus iuſtitiam.

V. 11. Et signum accepit. Cum non dicat Paulus circumciſionem accepit; ſed ſignum circumciſionis, mihi videtur innuere, ac velle dicere quod carnalis illa Abrahæ circumciſio, non vera circumciſio fuerit, ſed ſignum veræ circumciſionis, quæ non in ſectione pelliculæ, ſed vitiorum amputatione conſiſtit: quæ eſt vera circumciſio cordis in ſpiritu, non littera. Hanc ergo circumciſionem carnalem accepit Abraham, non tamquam veram, ſed ſignum veræ illius: nec tamquam iuſtificantem; erat enim ante iuſtificans: quam igitur ob cauſam accepit? Hic Græ-

Digitized by Google

ca ſcholia aiunt, primum, ut eſſet ſignum veræ illius circumciſionis ac fidei Abrahæ: deinde ut Abrahamitas Deique populum ab aliis nationibus diſcerneret: demum, ut Iudæis ſignum & figura eſſet puræ & caſtæ converſationis, non quod iuſtitiæ efficiens eſſet, ſed quod eius quæ per fidem eſt iuſtitiæ ſignum & ſignaculum eſſet ſive ſigillum. Græce enim eſt σφραγὶς, quod ſignificat ſigillum alicui rei ad tempus occultandæ & in tempore manifeſtandæ appoſitum: ita circumciſio ſigillum erat iuſtitiæ fidei quam habuerat Abraham in præputio, quæ in lege quidem occultabatur, ſed in evangelio revelatur. UT SIT PATER. Senſus eſt; Abrahæ fides imputata eſt non in circumciſione, ſed in præputio, id eſt cum nondum eſſet circumciſus: poſtea circumciſionem accepit veræ circumciſionis ſignum,& ſignaculum iuſtitiæ fidei: ut per hoc quod ante circumciſionem in præputio iuſtificatus eſt, *Sit*, id eſt declaretur eſſe pater omnium gentium credentium per præputium, id eſt per fidem in præputio habitam, & per hoc quod poſtea circumciſus eſt, *ut ſit pater circumciſionis*, id eſt declararetur eſſe pater non Iudæis modo circumciſis, ſed quotquot veſtigia fidei quam in præputio Abraham habuit, imitarentur.

V. 10. NON ENIM, id eſt nequaquam legis merito nondum acceptæ, ſed per iuſtitiam fidei promiſſum eſt ei ſemen eius, id eſt Chriſtum hæredem fore mundi, iuxta illud: *Poſtula a me; & dabo tibi gentes hereditatem tuam:* Pſal. II.

V. 14. SI ENIM; id eſt, ſi tantum per legem adiretur hæreditas, nihil eſſet fides Abrahæ, & promiſſio nulla, quia dictum eſt, in ſemine ipſius benedicendas gentes: tum quia nihil commune gentibus cum lege, tum quia nec Iudæis ipſis lex hereditatem præſtare poterat quæ iram tantum ac vindictam afferre novit.

V. 15. LEX ENIM IRAM OPERATUR: quando ſine ulla miſeratione in peccantem animadvertebat, quod ſi lex non eſſet, neque prævaricatores eſſent in quos animadverteret.

V. 16. IDEO EX FIDE, ſubaudi, eſt hæreditas.

V. 17. ANTE DEUM CUI. Græc: κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ, id eſt ad inſtar Dei cui credidit, & refertur ad illud, qui eſt pater omnium noſtrum, ad inſtar Dei cui credidit; id eſt, ſicut Deus omnium pater eſt creatione, ita Abraham ſpiritalis omnium pater eſt fide; ſicut ſcriptum eſt, QUIA PATREM MULTARUM GENTIUM POSUI TE; & debent per parentheſim hæc noviſſima legi, vel qui eſt, pater &c. ante Deum cui tu, o gentilis, credidiſti: atque ita interpres legiſſe videtur ἐπίστευσας, id eſt credidiſti.

V. 18. QUI CONTRA SPEM, id eſt contra ſpem naturæ in ſpem promiſſionis divinæ credidit.

UT FIERET PATER MULTARUM GENTIUM; id eſt, & per hoc meruit effici pater multarum gentium: vel credidit ſe fore patrem multarum gentium; neque enim Græce eſt τὸ ἵνα, id eſt ut, ſed εἰς τὸ γένεσθαι αὐτόν.

V. 19. ET NON EST INFIRMATUS FIDE, id eſt non fuit infirma & imbecillis in eo fides.

NEC CONSIDERAVIT; id eſt, nec rationem habuit, aut ullo pacto attendit ad emortuum corpus ſuum, vulvamque Saræ emortuam: *emortuam* autem dicit, defectis viribus generandi & concipiendi corpus impos.

V. 20. NON HAESITAVIT DIFFIDENTIA. Hæſitavit, inquam, ſed non diffidens, at de modo quo id fieret ambigens. SED CONFORTATUS EST FIDE, id eſt robuſtus effectus eſt in fide.

S A.

Verſ. 1. INVENISSE, id eſt obtinuiſſe. SECUNDUM CARNEM, ſcilicet patrem.

V. 2. OPERIBUS, id eſt operum merito. HABET, &c. quaſi dicat, Illa quidem iuſtificatio non erit apud Deum GLORIAM. Syr. *glorìationem*.

V. 3. REPUTATUM, &c. quaſi dicat, Per illam fidem eſt iuſtificatus.

V. 4. OPERATUR, id eſt operibus meretur; quaſi dicat: Si operibus iuſtificationem meruiſſet, non diceretur gratis fuiſſe iuſtificatus, hoc enim eſt *reputari fidem ad iuſtitiam*, ſcilicet per fidem gratis iuſtificari.

V. 5. OPERATUR, id eſt operibus meretur. REPUTATUR, ſcilicet habetur pro ſufficienti diſpoſitione ad iuſtificationem.

PRO-

Propoſitum, &c. quaſi dicat, Secundum quod Deus propoſuit dare gratiam iuſtificationis credenti.

V. 6. Beatitudinem, &c. id eſt beatum hominem. Syr. *de beatitudine hominis*. Accepto fert, id eſt imputat, quaſi dicat, Quem pro iuſto habet, ſcilicet iuſtificans prius, nec enim pro iuſto Deus habet eum qui iuſtus non eſt.

V. 8. Non imputavit, ſcilicet quia remiſit iuſtificando eum.

V. 9. Manet: non eſt Græc. ſed ſubauditur aliquid ſimile. Syr. *fit*, id eſt accidit. Dicimus; pro, diximus.

V. 10. Non in, &c. ſcilicet nondum erat circumciſus.

V. 11. Circumciſionis, id eſt ipſam circumciſionem. Signaculum, id eſt ſignum. Est; pro, fuerat, ſeu, acciderat ei. In praeputio, id eſt cum nondum eſſet circumciſus. Per praeputium, id eſt incircumciſorum. Reputetur, ſcilicet fides.

V. 12. Tantum qui; pro, qui tantum. Ex circumcisione, id eſt circumciſi. Et iis qui; pro, iis qui &. Est; pro, fuit.

V. 13. Per legem, ſcilicet obtinenda. Semini, id eſt *poſteritati*, Hebr. Mundi, id eſt cæli, quod in mundo præcipuum: vel Chriſtus intelligitur, cuius hereditas orbis, iuxta illud, *Poſtula a me, & dabo tibi gentes*, &c.

V. 14. Ex lege; quaſi dicat, Per legis obſervantiam. Fides, ſcilicet promiſſionis; quaſi dicat, Fruſtra promiſſum, nec enim quiſquam legem per ſe poteſt ſervare, ſed opus Dei gratia, quæ datur per fidem. Abolita, id eſt irrita. Explicatio præcedentis.

V. 15. Iram, id eſt punitionem; quaſi dicat, Facit ut puniantur, qui eam tranſgrediuntur. Praevaricatio, id eſt legis tranſgreſſio.

V. 16. Ex fide, ſcilicet pendet res tota. Gratiam, ſcilicet Dei, qua poteſt eius lex ſervari, quod ad hereditatem adeundam requiritur. Et ei qui; pro, ei qui &; quaſi dicat, Non legem ſequenti, ſed fidem Abrahæ

V. 17. Ante Deum: iungi poteſt cum *pater eſt*, &c. quaſi dicat, Deo approbante. Tamquam ea quae sunt; pro, tamquam ſint.

V. 18. Contra spem, id eſt contra id quod naturaliter ſperari poterat. In spem, id eſt ſperando. Ut fieret, id eſt ſe fore.

V. 19. Infirmatus, id eſt debilitatus. Emortuum; quaſi dicat, Ad generandum ineptum. Vulvam, id eſt matricem.

V. 20. Repromissione, id eſt promiſſione. Diffidentia. Græc. ἀπιστίᾳ, *incredulitate*. Confortatus, id eſt fortificatus. Dans gloriam, ſcilicet credendo ei, & confidendo.

V. 21. Plenissime sciens. Græc. πληροφορηθεὶς, id eſt *certiſſime perſuaſus*.

V. 22. Reputatum, ſcilicet ipſum credere.

V. 23. Quia reputatum est; pro, reputatum eſſe.

V. 25. Traditus est, &c. Lege ſic, *qui traditus eſt*, ſcilicet ad mortem, *& reſurrexit propter delicta noſtra*, ſcilicet delenda, *& propter iuſtificationem noſtram*, ſcilicet dandam nobis, ſcilicet utrumque factum propter utrumque.

MARIANAE.

Verſ. 1. Secundum carnem? id eſt per carnis circumciſionem, quid Abraham utilitatis invenit, ſeu conſecutus eſt.

V. 2. Si .... ex operibus, ſcilicet legis iuſtificatus eſt. Habet gloriam, laudari poterit. Sed non apud Deum, id eſt Dei voce & teſtimonio; nam contrarium dicit Scriptura.

V. 3. Et refutatum est; ſcilicet gratis eſt illi data iuſtitia ob fidem, non propter opera.

V. 4. Ei autem qui operatur; id eſt, qui laborat pro mercede, debetur illi quod meretur præmium & merces. Credenti autem datur iuſtitia

V. 5. Secundum propositum gratiae Dei, id eſt gratis illi datur iuſtitia. Probat id eſt teſtimoniis.

V. 6. Beatitudinem hominis, id eſt, beatus homo, quem Deus gratis iuſtificat.

V. 8 Cui non imputavit. Græc. *non imputabit* Deus peccatum, id eſt remiſerit. Quid ergo Abraham cum circumciſione accepit?

V. 11. Signaculum. Σφραγὶς, *ſigillum*. Ergo circumciſione non eſt iuſtificatus Abra-

ham,

Digitized by Google

ham, iam erat iuſtus ex fide, qua credidit promiſſis Dei. Circumciſio fuit ſigillum, quo Deus confirmavit rata fore quæ promiſerat. Simul fuit ſignum, quo is populus ab aliis diſtingueretur. Vides circumciſionem non habuiſſe maiorem vim quam alia legis opera. Errant qui illi vim iuſtificandi tribuunt, NEGANT Patres, Iuſtinus contra Tryphonem eo argumento, quia feminæ non circumcidebantur; quæ enim iuſta ſunt, viris & feminis ſunt communia. Irenæus Lib. IV. cap. xxx. Ambroſius & Chryſoſtomus hic, Origenes cap. II. UT SIT PATER OMNIUM CREDENTIUM PER PRAEPUTIUM, id eſt in præputio. Ita Abraham eſt pater credentium ex Gentilibus & ex Iudæis.

V. 14. SI ENIM QUI EX LEGE, HEREDES SUNT, id eſt ſi per legem hereditas promiſſa veniret, fides nihil valeret, & promiſſio per illam facta.

V. 15. LEX ENIM IRAM, nam ſevere in tranſgreſſores animadvertit; id operatur, non peccati remiſſionem.

V. 16. IDEO EX FIDE, ſcilicet eſt hereditas, ut Dei promiſſio ad omnes credentes extendatur, Iudæos & Gentes.

V. 17. ANTE DEUM. Poſui te, o Abraham, patrem Gentium, ante Deum, id eſt vere, ut illud: *Nemrod robuſtus venator coram Domino*. CUI CREDIDIT. Sic Græc. & Goth. Alii *credidiſti*: ſic Syr. QUI VIVIFICAT; quaſi dicat, Poteſt implere quod promiſit, quando omnia poteſt.

V. 18. QUI CONTRA SPEM, ſcilicet naturæ credidit in ſpem promiſſionis Abraham. Sic factus eſt omnium pater.

V. 19. ET NON INFIRMATUS EST FIDE; pro, in fide Abraham. NEC CONSIDERAVIT. Goth. *conſideravit* ſine *nec*, pro, licet conſideraret. Syr. *conſiderans corpus ſuum emortuum*. Olim ſine dubio Græci codices variarunt. Alii negationem habuere, alii ſine ea.

V. 20. NON HAESITAVIT. Dubitavit quidem de modo quo id fieret, ſed non diffidentia, fide confirmatus.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUID ERGO DICEMUS, &c. quaſi dicat, Quam iuſtitiam, an fidei, an operum legis dicemus Abraham inveniſſe, id eſt accepiſſe? & ut Syrus habet, *adeptum eſſe*.

V. 2. SI ENIM ABRAHAM, &c. quaſi dicat: Si Abraham tantum habet eam iuſtitiam, quæ ex operibus eſt legis, aut naturæ, ſecluſa fide; ſane ea parva eſt, & politica, tantum habens gloriam, & laudem iuſtitiæ apud homines: qui opera externa vident, & mirantur, non autem apud Deum, qui internam mentem, & fidem videt, & æſtimat, & in ea collocat veram iuſtitiam.

V. 3. QUID ENIM DICIT SCRIPTURA? Gen. xv. 6. Probat Paulus Abrahamum iuſtitiam, & gloriam apud Deum adeptum eſſe, non ex operibus legis, ſed ex fide. CREDIDIT ABRAHAM DEO: promittenti ſibi, & Saræ coniugibus ſenibus, ſterilibus, infirmis, & impotentibus ad generandum ſemen, id eſt poſteritatem tum carnalem ex Iſaac, tum ſpiritualem ex Chriſto credentium, & Chriſtianorum. ET REPUTATUM EST ILLI AD IUSTITIAM. Senſus eſt: Fides tam Abrahæ quam noſtra, quæ ex natura ſua, ut actus eſt hominis, non eſt iuſtitia nec iuſtitiam parere, aut producere poteſt; a Deo tamen acceptatur ad iuſtitiam tam Abrahæ, quam nobis tribuendam, ut ſcilicet propter hanc fidem Deus Abrahæ, & nobis iuſtitiam largiatur, & infundat, reputetque nos iuſtos, amicos, & filios ſuos, & hoc eſt quod ſubdit Apoſtolus verſ. 5. *ſecundum propoſitum gratiæ Dei*, id eſt ſecundum gratioſam, benevolam, & liberalem Dei voluntatem, qua ſtatuit ut per actum fidei formatæ, id eſt per contritionem, gratia & iuſtitia detur ſine operibus, id eſt ſine merito operum: reputari enim dicitur pro tali, quod in tale non eſt, uti voluntas pro facto reputari dicitur. Dices: Abraham iam erat iuſtus, cum credidit prolem ſibi ex Sara naſcituram, ergo non ex hoc actu fidei iuſtificatus eſt. Reſp. hæc verba, *Credidit Abraham*, &c. referenda eſſe non tantum ad immediate præcedentia, ſed ad omnia antecedentia Gen. XII. & XIII. Vult ergo ſignificare Scriptura Abrahamum tam primo iuſtificatum eſſe per fidem cum primo Deo credidit, quam in accepta iuſtitia creviſſe per fidem, qua ſecundo, & deinceps credidit. Dices: ex Scriptura non habetur Abrahamum in Chriſtum credidiſſe. Reſp. dum credidit ſibi hoc ſemen dandum ſal-

tem

Digitized by Google

tem implicite in Chriſtum credidiſſe. Præterea id aliunde habemus; paſſim enim D. Paulus & Evangeliſtæ docent neminem poſt lapſum potuiſſe iuſtificari ſine fide in Chriſtum.

V. 4. EI AUTEM QUI OPERATUR, &c. Argumentatio D. Pauli hoc, & ſequenti verſiculo comprehenſa eſt huiuſmodi: Abraham iuſtificatus eſt gratis per fidem, quia ſcilicet credidit Deo, qui ſua gratia iuſtificat impium, non autem quia ſuo marte bene operatus eſt, aut quia ſuis bonis operibus meritus eſt hanc iuſtitiam: ergo & nunc hæc iuſtificatio impiis, & peccatoribus obtingit, non ex eorum operibus, aut meritis, ſed gratis ex fide Chriſti, quem Deus propoſuit nobis redemptorem, & propitiatorem. Nam quod datur per fidem, & gratiam, non merces eſt, ſed gratia: quod vero datur pro operibus, ſive pro merito operum, merces eſt, non gratia: cum ergo iuſtificatio tam Abrahæ, quam nobis obtingat gratis per fidem, ſequitur eam non obtingere ex operibus, ut operum, & meritorum noſtrorum ſit merces. NON IMPUTATUR SECUNDUM GRATIAM: non datur ex gratia.

V. 5. EI VERO QUI NON OPERATUR; id eſt, qui non affert ſua opera, naturæ ſuæ viribus facta, nec ex iis quærit, aut ſperat iuſtitiam, quaſi mercedem iis debitam. IN EUM QUI IUSTIFICAT IMPIUM: in Deum, & in Chriſtum, ex cuius fide a peccatis iuſtificamur. REPUTATUR FIDES EIUS AD IUSTITIAM; id eſt, hic per fidem hanc iuſtificatur. SECUNDUM PROPOSITUM, id eſt liberale decretum gratiæ Dei, quia nimirum placuit divinæ bonitati ſic conſtituere, ut fides Chriſti mutua apprehendat, hoc eſt eorum fructum percipiat, & hac ratione veram, atque inhærentem iuſtitiam conſequamur.

V. 6. SICUT ET DAVID DICIT: Pſalm. xxxi. 1. BEATITUDINEM HOMINIS: μακαρισμὸν, id eſt *beatificationem*; ſcilicet iuſtificationem illius hominis eſſe, id eſt beatum, & iuſtum eſſe hominem illum. CUI DEUS ACCEPTO FERT. Græce λογίζεται, id eſt, cenſet, reputat, adſcribit, iuſtitiam; hoc eſt, quem Deus cenſet, & reputat eſſe iuſtum: Deus autem, qui rectiſſimus eſt iudex, eum tantum iuſtum eſſe cenſet, qui talis eſt per iuſtitiam ſibi inhærentem. SINE OPERIBUS, id eſt non ex merito, & virtute operum, ſed ex propria ſua gratia.

V. 7. BEATI, QUORUM REMISSAE SUNT INIQUITATES: gratuita nimirum condonatione, non meritis operum: hoc enim vult probare Paulus, & hoc proprie eſt remittere offenſas, & peccata, ſcilicet ea gratis condonare. TECTA SUNT PECCATA: non quaſi in iuſto peccata maneant, & lateant, & a Deo diſſimulentur, ſed *tecta*, id eſt obliterata, & obruta, ita ut amplius non ſint.

V. 8. CUI NON IMPUTAVIT DOMINUS PECCATUM: cui Deus peccatum condonavit, & conſequenter non amplius illud ei imputat.

V. 9. BEATITUDO ERGO HAEC, id eſt hæc beatificatio, ſeu iuſtificatio, de qua loquitur David. IN CIRCUMCISIONE TANTUM MANET: tantumne contingit Iudæis circumciſis? AN ETIAM IN PRAEPUTIO? an etiam pervenit ad Gentiles non circumciſos? quaſi dicat, Ex citatis Davidis verbis clare concludere poteſtis, o Iudæi, quod hæc eius beatitudo, & iuſtitia non ad ſolos circumciſos, ſed etiam ad Gentiles pertineat; tum quia verba eius indefinita ſunt, & generalia, tamquam viro Gentili, quam Iudæo conveniunt: tum quia dicit beatitudinem, & iuſtitiam noſtram ſitam eſſe non in operibus legis, ſed in liberali clementia, & condonatione Dei, qui gratis nobis remittit peccata. Iuſtificatio ergo opus eſt non legis, quam vobis arrogatis, o Iudæi, ſed gratiæ, quæ communis eſt omnibus, tam Gentilibus, quam Iudæis. DICIMUS ENIM, &c. Eſt alia ratio qua Paulus probat iuſtitiam non ad ſolos Iudæos, ſed etiam ad Gentiles pertinere; eſt autem argumentum tale: Abraham ante legem, immo ante circumciſionem iuſtificatus eſt, non ex circumciſione, aliiſque operibus legis, quæ nondum erant, ſed ex fide, unde & circumciſionem poſtea accepit, ut eſſet ſignum iuſtitiæ acceptæ per fidem: ergo iuſtitia hæc non eſt ex lege, & circumciſione, nec pro Iudæis circumciſis tantum, ſed pro omnibus, qui fidem Abrahæ ſectantur.

V. 10. QUOMODO ERGO REPUTATA EST? &c. ſenſus eſt, qualis, & quo in ſtatu erat Abraham, quando ei fides ad iuſtitiam reputata eſt? Num circumciſus iam erat, an adhuc præputiatus? ſane erat incircumciſus.

Digitized by Google

fus. Ergo iuſtitia Abrahæ non tantum pertinct ad vos, o Iudæi, ſed etiam ad præputiatos Gentiles. Item, ergo Abraham eſt iuſtificatus non ex circumciſione, nec ex operibus legis, ſed ex fide & gratia, quæ communis eſt tam circumciſis, quam incircumciſis.

V. 11. ET SIGNUM ACCEPIT, &c. quaſi dicat: Adeo Abraham non eſt iuſtificatus in, vel ex circumciſione, ut circumciſionem poſt iuſtitiam acceperit, ad hoc ut eſſet ſignum iuſtitiæ, quam adeptus ipſe eſt per fidem ante circumciſionem. UT SIT: Abraham. PATER OMNIUM CREDENTIUM PER PRAEPUTIUM, id eſt omnium in præputio manentium, id eſt omnium Gentilium, qui præputii circumciſionem abnuerent. UT REPUTETUR ET ILLIS AD IUSTITIAM: ut eorum fides reputetur eis ad iuſtitiam, & ex fide ſua illi quoque iuſtificentur, ſicut Abraham ex fide ſua iuſtificatus eſt.

V. 12. ET SIT PATER CIRCUMCISIONIS, id eſt auctor & inſtitutor circumciſionis, quæ ſignum eſt fœderis, benedictionis & iuſtitiæ, non Iudæorum ſolum, ſed etiam Gentilium, qui ſequuntur Abrahæ fidem, quam adeprus eſt in præputio, id eſt cum adhuc eſſet incircumciſus. IIS, QUI SUNT EX CIRCUMCISIONE: Iudæis. SED ET IIS: Gentilibus. FIDEI, QUAE EST: quæ fuit, quæ apparuit. IN PRAEPUTIO PATRIS NOSTRI ABRAHAE: cum Abraham adhuc eſſet præputiatus, & Gentilis.

V. 13. NON ENIM, &c. Probat Apoſtolus Abraham patrem eſſe omnium credentium etiam præputiatorum, & conſequenter iuſtitiam vobis obtingere, non per circumciſionem, & legem, legiſque opera, ſed per fidem. Probat autem hoc ex promiſſione facta Abrahæ, hoc argumento: Abrahæ promiſſa fuit benedictio, id eſt iuſtitia, & ſalus omnium Gentium, non per legem, ſed ante eam, ex eo quia credidit Deo, ergo poſteri Abrahæ huius promiſſionis, benedictionis, & iuſtitiæ participes quoque fient, non per opera legis, ſed per fidem. In fide enim non in lege hanc iuſtitiam conſtituere voluit Deus; & in fide, non in lege, immo ante legem iuſtitiam hanc accepit Abraham, ut eſſet exemplar poſterorum, ſignificans eos non ex lege, ſed ex fide pariter iuſtificandos eſſe. UT HERES ESSET MUNDI, ut ſcilicet in ſemine eius benedicerentur omnes Gentes, hæc enim eſt promiſſio facta Abrahæ Gen. XXII. 18. ut nimirum Abrahæ fides, benedictio, & filius, ſcilicet Chriſtus, omnes Gentes ſibi ſubigeret, ſicque regnum Chriſti per omnes Gentes dilataretur, ut dicitur Pſal. II. 8 *Poſtula a me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* SED PER IUSTITIAM FIDEI: non per circumciſionem, aut legem.

V. 14. SI ENIM QUI EX LEGE, &c. quaſi dicat: Quod ſi iis qui legis præcepta ſectantur, hoc ipſo nomine quod legi obtemperant, ad Abrahæ poſteritatem ſpectant, atque in illius hereditatis partem, ac ſocietatem vocantur, nullus profecto erit fidei, nullus tam eximiæ pollicitationis fructus, aut utilitas, ſed plane fruſtra credetur, & fruſtra ampla illa promiſſio facta, immo abolita, & abrogata fuerit. Quorſum enim mihi fidem prædices, ſi promiſſionis divinæ fructus legi debetur?

V. 15. LEX ENIM IRAM OPERATUR; quaſi dicat: Enimvero lex ipſa per ſe ſumpta iram divinam quodammodo excitat, & quodammodo damnationem cumulat, quia occaſio eſt prævaricationis, & conſequenter divinæ vindictæ. UBI ENIM NON EST LEX, &c. id eſt, ubi non eſt lex, aut præceptum, ibi tranſgreſſioni, & violationi legis, aut mandati locus non eſt.

V. 16. IDEO EX FIDE; ſenſus eſt, Ex lege non poteſt obvenire nobis hereditas, & iuſtitia Abrahæ, ut dictum eſt verſ. 14. ergo ea nobis obvenit ex fide. UT SECUNDUM GRATIAM, &c. In Græco eſt, *Ut ſecundum gratiam, ut firma ſit promiſſio;* quaſi dicat, Ideo ex fide nobis obtingit iuſtitia, ut ſit nobis gratuita, ſitque ex gratia, non ex debito, & iuſtitia. Si ex lege eſſet, ex iuſtitia hominis eſſet non ex dono, & promiſſione Dei gratuita. UT FIRMA SIT PROMISSIO: qua Deus, ut per gratiam liberaliter promiſit, ita per gratuitam gratuito, & liberaliter præſtat, & donat nobis hanc iuſtitiam. OMNI SEMINI, id eſt poſteritati Abrahæ. NON EI QUI EX LEGE EST SOLUM: non ſoli Iudæo. SED ET EI, QUI EX FIDE, &c. ſed & Gentili, qui Abrahæ patris fidem, quaſi genuinus eius filius, ſectatur. QUI EST PATER: propagatione non carnis, ſed fidei, & ſpiritus. OMNIUM NOSTRUM: tam Gentilium, quam Iudæorum.

V. 17.

V. 17 SICUT SCRIPTUM EST: Geneſ. XVII 5 POSUI TE; id, eſt ponam te, & conſtituam te, more enim prophetico ob certitudinem rei futuræ ponitur præteritum pro futuro. Vel, poſui, & conſtitui te propoſito, ac præordinatione certiſſima. ANTE DEUM, id eſt in præſcientia, & decreto divino, immobili, certo, & irrevocabili; necdum enim Abraham actu erat pater multarum gentium, ſed tantum in præſcientia, & prædeſtinatione Dei. QUI VIVIFICAT MORTUOS; cum eos a morte reſuſcitat. Hiſce verbis commendat Dei omnipotentiam; quaſi dicat: Sicuti Deus poteſt ſuſcitare mortuos, ita poteſt facere ut Gentes natæ in Paganiſmo ſpiritualiter renaſcantur per fidem, & fiant Abrahæ filii, idque credidit Abraham, cum credidit Deo dicenti: *Patrem multarum gentium poſui te*. QUI VOCAT EA QUAE NON SUNT, &c. quia nimirum Deus æquale imperium habet in ea quæ ſunt, atque in ea quæ non ſunt, & ea quæ non ſunt, facit ut ſint.

V. 18. QUI, ſcilicet Abraham. CONTRA SPEM, naturæ, & naturalis potentiæ generativæ. IN SPEM CREDIDIT: magnam concepit ſpem eventura quæ illi promittebantur. UT FIERET PATER MULTARUM GENTIUM, id eſt futurum ſe patrem multarum Gentium. SECUNDUM QUOD DICTUM EST EI, &c. Geneſ. XV. 5. ubi eſt illi dictum: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuum.*

V. 19. ET NON INFIRMATUS EST FIDE, id eſt non vacillavit, nec dubitavit circa divinam promiſſionem. CORPUS SUUM EMORTUUM, id eſt effœtum præ ſenio: in Græco eſt, νενεκρωμένον, *mortificatum*. FERE CENTUM ANNORUM: agebat annum nonageſimum nonum. ET EMORTUAM VULVAM SARAE: iam anus, & ad concipiendum, & uterum ferendum ineptæ.

V. 20. IN REPROMISSIONE NON HAESITAVIT DIFFIDENTIA. Quamvis enim Abraham audita promiſſione quæſierit: *Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet:* non tamen id fecit ex incredulitate, ſed ex admiratione. SED CONFORTATUS EST FIDE, id eſt firma, ac robuſta fide ſuſcepit Dei promiſſionem. DANS GLORIAM DEO: credens, ac profitens eum omnipotentem, & in promiſſis veracem.

V. 21 PLENISSIME SCIENS, id eſt certiſſima fide perſuadens ſibi.

V. 22. IDEO ET REPUTATUM EST ILLI AD IUSTITIAM; quaſi dicat: Ob tam heroicam fidem iuſtitia eius, & ſanctitas incrementum accepit. Vide dicta ſupra verſ. 3.

V. 13. QUIA: quod.

V. 24. SED PROPTER NOS, id eſt noſtræ doctrinæ cauſa. QUIBUS REPUTABITUR: noſtra fides ad iuſtitiam. CREDENTIBUS: ſi credamus.

V. 25. QUI TRADITUS EST: ad mortem. ET RESURREXIT PROPTER IUSTIFICATIONEM NOSTRAM; id eſt, ut ſua reſurrectione typum quemdam nobis præſerret reſurgendi ad iuſtitiam, ſeu vitæ novitatem. Vel, ut nobis reconciliatis ipſe iam redivivus, & immortalis iuſtificationem noſtram, qua ſcilicet mens noſtra renovetur de die in diem, & quæ inde ſequitur ſalutem apud Deum promoveret.

TIRINI.

Verſ. 1. QUID ERGO, ſeu qualem iuſtitiam, (an operum legis? an fidei? DICEMUS INVENISSE, id eſt accepiſſe, ABRAHAM, PATREM Iudæorum SECUNDUM CARNEM, ſeu carnalem, ſed etiam Gentilium credentium *patrem ſecundum ſpiritum*, ſeu ſpiritualium? nam ex ultronea omnium, & maxime Iudæorum, conceſſione, illam conſtabit eſſe veram demum ſolidamque iuſtitiam, ob quam maximus ille Patriarcha tantopere a Deo in Scripturis commendatur, totoque orbe laudatur.

V. 2. SI IUSTIFICATUS EST EX OPERIBUS legis vel naturæ, ſecluſa Chriſti fide, iuſtitia ipſius valde exilis erit & parvi momenti, utpote ſolum externa, politica & humana, *habens* laudem & GLORIAM apud homines, qui ſola externa opera vident, ſuſpiciunt & laudant: SED NON APUD DEUM, qui interna reſpicit & requirit, puta fidem, ſpem, caritatem, &c. Sed ſcio, vos tanta iniuria nolle afficere tantum Patriarcham. Sed neque

V. 3. SCRIPTURA id permittit: nam Geneſis XV. 6. *dicit*: ABRAHAM CREDIDIT DEO, innumerabile ipſi licet ſterili ſemen, id eſt poſteros, atque inter alios Meſſiam *a*, ſaltem implicite, ex ipſo naſci-

ſciturum promittenti *: & hæc fides reputata* EST ILLI a Deo AD IUSTITIAM, qua revera iuſtificatus fuit*:* Deus enim nemini imputat iuſtitiam, nec ullum reputat iuſtum, niſi vere talis ſit, vel talis fiat. Utitur tamen Scriptura potius verbo *reputari*, quam *eſſe*, ut inſinuet, fidem tam Abrahæ, quam noſtram, ex natura ſua, ut eſt actus hominis, non parere vel producere iuſtitiam, ſed hoc ei ſolum conceſſum (ut dicitur verſ. 5.) *ſecundum propoſitum gratiæ Dei*, id eſt ex gratioſo, benevolo, liberali nutu, voluntate & decreto Dei, quo ſtatuit ut ad actum fidei iam formatæ, ſeu ad actum contritionis, detur & infundatur animæ gratia iuſtificans, non obſtante quod nec ipſe ille actus fidei ex ſe, nec ulla præcedentia opera tantum tamque pretioſum donum ex condigno mereantur. Reputari enim proprie dicitur pro tali, quod ex ſe tale non eſt, ſed ex repugnantis ſolo nutu ac voluntate: Sic voluntas reputatur pro facto, & conatus pro opere*:* ita Trident. ſupra.

Dices, Abraham cum crederet Deo tam nobilem, tam numeroſam ipſi adhuc ſterili prolem promittenti, iam tum iuſtus erat*:* ergo hic actus fidei non potuit ei reputari ad iuſtitiam. Reſpondeo, Nego conſequentiam*:* nam hic utraque iuſtitia agitur, tam prima, qua quis ex iniuſto fit iuſtus; quam ſecunda, qua ex iuſto fit iuſtior. Credidit enim & obedivit Abraham Deo primum e patrio ſolo magnis propoſitis præmiis & promiſſione (ſaltem implicita) Meſſiæ ex ipſo naſcituri, ipſum evocanti *b*: & hac fide primam iuſtitiam adeptus eſt, ex iniuſto, & (ut multi opinantur *c*,) idololatria, factus iuſtus. Credidit poſtea iterum Deo multa alia promittenti ac iubenti *d*, & hac fide adeptus eſt ſecundam iuſtitiam, id eſt augmentum iuſtitiæ, & ex iuſto iuſtior Deoque gratior evaſit*:* ita Toletus. Ex quibus patet, locum hunc nulla ex parte patrocinari hæreticis, nudam hinc fidem, & imputatitiam ſuam iuſtitiam aſtruere nitentibus. Neque enim hic agitur de *iuſtitia Chriſti*, ſed de *fide Abrahæ* imputata ad iuſtitiam*:* neque de nuda fide, ſed de fide *veſtita operibus* ſpei, (ut hic *e* dicitur,) & caritatis & obedientiæ, qua vocantem Deum ſecutus eſt relicta patria, & moleſtiſſimam peregrinationem prompte ſubivit in exteras terras, & poſtea filium quoque ſuum immolare paravit, &c. ut alibi *f* dicitur.

V. 4 ET QUI OPERATUR, id eſt qui ex propriis operibus vi ſolius naturæ peractis conſequeretur iuſtitiam, non donaretur iuſtitia tamquam gratuitum donum, ſed tamquam merces debita talibus operibus: (nam omni operanti ex propriis, debetur merces.) Ei vero qui non ex propriis operibus, ſed ex fide iuſtificatur, donatur iuſtitia tamquam gratuitum donum: quia ſcilicet fides ex ſe non meretur tam eximium donum (ut vidimus verſ. 3.) & ipſa quoque fides eſt gratuitum donum Dei. Iam ſubſume*:* Atqui ex Scripturis *g* conſtat, datam Abrahæ iuſtitiam intuitu fidei illius (hoc enim eſt fidem reputari ad iuſtitiam:) ergo non eſt iuſtificatus ex propriis naturalibus operibus*:* ergo nec nos *h* ex illis iuſtificamur, ſed gratis ex fide & gratia Chriſti: ita S. Auguſt. & alii apud Vaſquez *i*. Mox etiam ex Davidis verbis idem probat S. Paulus:

V. 6. DAVID enim Pſal. XXXI. 1. DICIT, in eo ſitam eſſe BEATITUDINEM HOMINIS, (non illam perfectam, in cælis; ſed inchoatam, in terris, id eſt iuſtitiam hominis,) quod DEUS illi ACCEPTO FERT IUSTITIAM, id eſt reputat eum vere eſſe iuſtum SINE OPERIBUS, id eſt non ex virtute aut merito propriorum operum, ſed ex mera ſua gratia. Verba Davidis ſunt,

V. 7. BEATI ſunt homines, QUORUM INIQUITATES REMISSAE SUNT, nempe gratuita condonatione, non meritis operum. Proprie enim, *remittere offenſas*, eſt gratis ea condonare. ET TECTA SUNT PECCATA, id eſt oblitterata, & obruta, per infuſionem gratiæ iuſtificantis, ita ut non amplius ſint neque exiſtant: ſicut hiatus tegitur terra iniecta, & nuditas inductis veſtibus. Peccata enim remiſſa non ſolis hominum vel angelorum, ſed etiam Dei ipſius oculis ita teguntur, ut non amplius videantur homini ineſſe: ergo etiam revera non amplius illi inſunt. Neque enim res aliter a Deo videntur, quam revera in ſeipſis ſunt: ita Origenes, Nazianz. Auguſt. Gregor. Theodor. k & alii. Unde facile refellas abſurdum Calvini ſomnium, qui vult, peccata in anima iuſti revera manere, ſed latere. Item Lutheri, qui vult, ſolum non imputari ad pœnam. Hæc enim

iniu-

iniuria ſunt & iuſtitiæ, & ſcientiæ, ſeu perſpicacitati divinæ.

V. 8 BEATUS VIR, CUI NON IMPUTAVIT DOMINUS PECCATUM: iam plene condonatum, & conſequenter, cui nullum amplius ineſt peccatum; nam ſi quod ineſſet, deberet ei imputari a Deo, qui non poteſt aliter de re ſentire vel ſtatuere, quam ipſa in ſe ſit. Ita præter iam dictos Patres, etiam S. Iuſtinus.

V. 9. BEATITUDO HAEC inchoata, de qua David, nempe iuſtitia qua beamur, *an* ex mente Davidis vel Spiritus ſancti, MANET TANTUM IN CIRCUMCISIONE, ſeu propria eſt ſolis Iudæis? AN vero ETIAM communicatur PRAEPUTIO, ſeu Gentilibus? quaſi dicat, Omnino communicatur. Nam & verba Davidis indefinita ſunt, & utriſque communia: & ratio quam affert, (nempe, remiſſionem peccatorum & iuſtificationem fieri ex liberali clementia, & gratuita condonatione Dei,) cum non minus excludat opera & merita legis Moſaicæ, quam legis naturæ, non magis favet aut patrocinatur Iudæis, quam Gentilibus. Idem mox colligit ex iuſtificatione Abrahami.

V. 10. QUOMODO, id eſt in quo ſtatu, erat ABRAHAM quando REPUTATA EST ei *fides ad iuſtitiam? Circumciſuſne* erat, an adhuc *præputiatus*, ſeu Gentilis? Reſpondet, certum eſt, fuiſſe adhuc *præputiatum*: ergo iuſtitia ſpectat non ad ſolos circumciſos, ſed etiam ad præputiatos: neque obtinetur per circumciſionem aut alias legis Moſaicæ ceremonias (ut vos Iudæi contenditis,) ſed per fidem & gratiam Chriſti, quæ communis eſt etiam præputiatis, ſeu Gentilibus. Quod autem Abraham multis annis poſt adeptam iuſtitiam, Deo iubente

V. 11. & 12. SIGNUM ACCEPIT CIRCUMCISIONIS, ideo factum fuit, ut haberet impreſſum carni ſuæ SIGNACULUM; græce, σφραγῖδα, id eſt ſigillum, IUSTITIAE, quo Deus toti mundo teſtatum eſſe volebat, certam legitimamque eſſe iuſtitiam Abrahæ, quam pridem ante adeptus fuerat per *fidem*, cum adhuc *præputiatus* eſſet: ita S. Cyrillus, *l* Chryſoſtomus, Auguſtinus, *m* Theodoretus, Theophyl. Oecumen. Alias cauſas circumciſionis attuli Geneſis XVII. Cur autem abſque prævio hoc circumciſionis ſignaculo voluerit Deus Abrahamum iuſtificari, (ſecus quam quibuſdam poſteris eius, Iudæi accidit *n*, qui abſque hoc ſignaculo fidem ſaltem parentum concomitante, iuſtificari non poterant) cauſa fuit, UT Abraham hoc facto SIT PATER *o*, magiſter, auctor & exemplar OMNIUM omnino CREDENTIUM, tam *præputiatorum* Gentilium, quam circumciſorum Iudæorum, dummodo *ſectentur* VESTIGIA FIDEI, quam pater eorum Abraham exercuit adhuc exiſtens IN PRAEPUTIO, id eſt adhuc incircumciſus. Nempe, voluit orbi iudicatum Deus, quod, ſicut Abraham ante circumciſionem iuſtificatus fuit per fidem; etiam omnes Gentiles qui Abrahæ fidem imitarentur, etſi circumciſi non eſſent, iuſtificandi forent ſimili modo, ſi vellent, per fidem in Chriſtum. Quod mox novo argumento probat ex promiſſione cælitus facta Abrahæ.

V. 13. PROMISSIO tum ABRAHAE, *tum* SEMINI, ſeu poſteris, EIUS, (nempe quod HERES & dominus futurus ESSET totius MUNDI *p*, puta per filium eius Meſſiam,) facta eſt NON PER LEGEM, id eſt non ſub conditione, ſi legem aut ceremonias legis Moſaicæ obſervaret: SED PER & propter IUSTITIAM FIDEI, quam nactus eſt credendo & obediendo Deo, inquit Theophylactus.

V. 14 SI ENIM QUI EX LEGE SUNT, ſeu qui ceremonias legales obſervant, ii ſoli HEREDES SUNT bonorum Abrahæ promiſſorum; iam EXINANTIA EST FIDES, id eſt iam nullus erit fructus tam laudatæ fidei Abrahæ: immo ABOLITA erit, & irrita, & fruſtra tota illa PROMISSIO divina.

V. 15. LEX ENIM ſi a fide & gratia Chriſti ſeiungatur (ut Paulus ſupponit) eſt impoſſibilis obſervatu. Unde non cauſat benedictionem, iuſtitiam, ſalutem, hereditatem totius mundi, quæ Deus promiſit Abrahæ, ſed IRAM, indignationem & vindictam divinam OPERATUR, & accerſit, licet per accidens, puta ratione infirmitatis & fragilitatis humanæ: quia ſic lex occaſio eſt prævaricationis, ſeu tranſgreſſionis mandatorum, & conſequenter divinæ indignationis, iræ & vindictæ. SI ENIM NON *eſſet* LEX, *nulla* eſſet PRAEVARICATIO, ſeu violatio mandatorum legis.

V. 16. IDEO fatendum, non ex lege, ſed EX FIDE obvenire promiſſam hereditatem, aliamque omnem benedictionem,

ut non ſecundum obligationem iuſtitiæ , quaſi merces , detur operantibus opera legis (ut ſupra *q* dictum) ſed SECUNDUM GRATIAM , quaſi gratuitum donum , FIRMA SIT , ſtabiliatur & compleatur divina PROMISSIO facta OMNI SEMINI Abrahæ , nempe NON SOLUM EI QUI EX LEGE EST , id eſt non ſolis Iudæis legi Moſaicæ adſtrictis ; SED *etiam* omni EI QUI EX FIDE SIT ABRAHAE , id eſt omni genti , qui Abrahæ patris ſui ſpiritualis fidem ſectatur , quaſi genuinus filius eius , QUI OMNIUM NOSTRUM , tam Gentilium , quam Iudæorum , communis PATER EST , propagatione ſi non carnali , certe ſpirituali, per ſimilitudinem fidei & religionis : ſi non coram hominibus aut iudicio hominum , certe

V. 17 ANTE DEUM & infallibili iudicio Dei , CUI , utpote omnipotenti , CREDIDIT Abraham facile eſſe præſtare quod promittebat , nempe per unicum filium ſuum Meſſiam Gentes omnes futuras ſpirituales ſibi filios , etſi tum adhuc ſine liberis eſſet & ſterilis . QUI enim VIVIFICAT MORTUOS , id eſt reſuſcitat a morte quoſcumque vult , immo EA QUAE NON SUNT , ſeu nondum exiſtunt in rerum natura , perinde VOCAT e ſuo nihilo & facit realiter exiſtere , atque EA QUAE iam pridem SUNT in rerum natura : *vocat* , inquam , ſicut ſolet herus vocare famulos ſuos , nam æquale tam in illa , quam in iſta imperium habet , inquit S. Chryſoſt. & Auguſt. Quanto facilius poteſt ex ſterili facere fœcundum & MULTARUM , immo omnium , GENTIUM *parentem* ? Unde merito Abraham

V. 18 CONTRA omnem SPEM naturæ , ſeu naturalis potentiæ generativæ , CREDIDIT IN SPEM gratiæ , providentiæ & promiſſionis divinæ , concepta certiſſima fiducia , quod quæ ſibi promittebantur a Deo , infallibiliter obventura eſſent , SECUNDUM QUOD Geneſis xv. 5. DICTUM EST EI : *Suſpice cælum , & numera ſtellas , ſi poteſ : ſic erit ſemen tuum.*

V. 20. NON HAESITAVIT DIFFIDENTIA ; Græce , ἀπιςίᾳ , id eſt incredulitate . Quod enim ibidem quæſierit , *Putaſne centenario naſcetur filius , & ſara nonagenaria pariet?* non erat ex incredulitate , ſed ex admiratione .

V. 22 IDEO , id eſt ob tam heroicam fidem nactus eſt ampliorem IUSTITIAM , ut ſupra *r* dixi . Quod ET

V. 24. PROPTER NOS SCRIPTUM EST : Abraham enim iuſtificatio proponitur nobis tamquam exemplar *ſ* veræ ſolidæque iuſtificationis : unde ſicut ipſe ita & nos , non ex circumciſione : vel aliis ceremoniis Moſaicis , ſed ex fide in Chriſtum , debemus iuſtitiam quærere & ſperare . In CHRISTUM , inquam ,

V. 25. QUI in mortem crucis a Iuda & Iudæis , quin & a Patre cæleſti , TRADITUS EST ad expianda & abolenda DELICTA NOSTRA , ET a mortuis RESURREXIT ad procurandam conferendamque nobis IUSTIFICATIONEM NOSTRAM . Etſi enim hanc non meruerit Chriſti reſurrectio præciſe , ſeu per ſe ſumpta , quia ſie non erat opus viatoris : meruit illam tamen quatenus reſurrectio fuit ultimus terminus mortis & omnium paſſionun Chriſti , & cum illis quaſi unum idemque opus morale redemptionem generis humani conſtituit . Unde quod morti proprium eſt , ſubinde reſurrectioni aſcribitur .

(a) Hen. xi. 3.
(b) Gen. xii. 4.
(c) Ibid. in Comme.
(d) Gen. xv. 4. &c.
(e) Hic verſ. 18.
(f) Gen. xxii. 9 & Iac. ii. 21. & Heb. xi. 17.
(g) Gen xv. 6. &c.
(h) Hic verſ. 1.
(i) Vaſq. in 1. 2. tom. 2. diſp. 210. cap. 8.
(k) Nazianz. orat. in S. Lavacrum . Auguſt. Lib. I. contra duas epiſt. Pelag. cap. xiii. Greg. in Pſal. ii. pænitentialem. Theod. in Pſal. xxxi.
(l) Cyrll. Lib. IV. in Ioan. cap. ii.
(m) Auguſt. Lib. II. de Nuptiis . & concupiſc. cap. ii.
(n) Gen. xvii. 24.
(o) Proleg. ſup. n. 34.
(p) Gen. xxii. 18. & Pſal. 12. 8.
(q) Aug. in Pſalm. cv.
(r) Hic verſ. 3.
(ſ) Hic verſ. 2.

GORDONI.

Verſ. 1. QUID ERGO DICEMUS ? Orditur diſputationem ab hac interrogatione. Quam iuſtitiam accepit Abraham , an fidei , an operum legis ? Certe , inquit , ſi tantum adeptus eſt iuſtitiam ex operibus legis & naturæ , parum eſt hoc , tantumque politica iuſtitia. Nam hæc externa iuſtitia valet tantum apud homines, non apud Deum , qui ſecundum interiora iuſtitiam homi-

hominum æſtimat: ſic Auguſtinus & Chryſoſtomus. Gloria hic eſt laus & approbatio, quam tribuit Deus converſo peccatori. Non hic diſputo, qualis & quam varia ſit inter Novatores de iuſtificatione ſententia; nec mirum; aberrant a vero. Doctrinam Catholicam de iuſtificatione lege in Concilio Trid. ſeſſ. VI. per capita XVI.

V. 3. Quid enim dicit Scriptura. Locus hic Scripturæ extat Gen. XV. 6. promiſit Deus ſemen; credidit, & iuſtus habitus eſt a Deo, quatenus hæc ipſa Abrahæ fides (non ſane iuſtitia Chriſti, ut putat Novator) eſt reputata illi ad iuſtitiam: quem ſenſum totumque hunc locum declaravi citato cap. XV. Geneſeos: nec dicit Paulus imputari iuſtitiam, ſed fidem imputari.

At quænam eſt hæc fides Abrahæ, vel noſtra, quæ ad iuſtitiam imputatur? Reſpondeo poſſe intelligi actum fidei caritate formatum (erat enim antea iuſtus) & ſic actus iam meritorius fuit Abrahamo ad maiorem iuſtitiam: vel poteſt intelligi actus fidei, quem Theologi accipiunt ut diſpoſitionem, ſed ſimul cum contritione; & intuitu huius fidei Deus nobis largitur & infundit iuſtitiam, reputatque iuſtos, ſecundum propoſitum gratiæ & benevolentiæ, qua ſtatuit ſic conferre efficaciter quibus voluit iuſtificationem. Et hoc quidem ſecundo modo gratis eſt ſine merito, ut ſemper fit in iuſtificatione impii, ex Trident. ſeſſ. VI. Nec dubium eſſe debet quin utroque modo potuerit Abraham haberi iuſtus: an autem uterque modus conferat ad concluſionem Pauli, dicam verſ. 4. Sed contra priorem illum modum obiiciunt aliqui ex Auguſt. præfat. ad Pſal. XXXI. Abraham prius non fuiſſe iuſtum: verius tamen eſt antea iuſtum fuiſſe ex Gen. XV. 1. & Hebr. XI. 8. & explicabitur verſu inſequente. At quomodo fides in Chriſtum fuit Abrahamo ad iuſtitiam; cum Chriſtus illi non fuerit revelatus? dico fuiſſe ſaltem implicite revelatum in promiſſo ſemine: nemo certe poſt lapſum iuſtificatus eſt ſine fide in Chriſtum.

Supereſt tantum locus Iac. II. ubi profertur exemplum Abrahæ pro iuſtificatione ex operibus, ut hic etiam Paulus? certum eſt utrumque Apoſtolum poſſe intelligi de utraque iuſtificatione loqui: quod ex his quæ iam dixi, facile quilibet explicabit.

V. 4. & 5. Ei autem qui operatur. Notandum hic opponi hæc duo operari & credere; ſicut operans hoc loco opponitur credenti: nam operans eſt, qui de operibus liberi arbitrii præſumens, putat horum meritis datam eſſe gratiam fidei; quaſi eſſent utilia ad vitam æternam. Et hæc ſunt quæ hic excluduntur a iuſtificatione; non autem opera fidei & gratiæ: quod obiter addo, ne quid hic habeat Novator contra iuſtitiam operum. Iam argumentum Pauli eſt tale: cuivis operanti ex arbitrii liberi viribus inter homines, debetur merces ſecundum debitum, quia de ſuo & ex propriis laborem impendit: at Abrahamo ex gratia donatur prima iuſtitia, non autem ex debito: non ergo ex operibus evaſit iuſtus, vel ſic licet ex Paulo argumentari: Abraham iuſtificatus eſt, ut docet Scriptura Geneſis, & non ex operibus propriæ naturæ; ergo ex fide. Stat conſequentia ex data antitheſi: minor certa eſt, quia alioqui haberet, unde glorietur ex ſe, & non apud Deum: nec de illo dici poſſet, qui gloriatur, in Domino glorietur: gloriari autem ex ſe de iuſtificatione, Apoſtolus ponit ut abſurdum: & recte quia fides (per quam dicitur iuſtificatus Abraham) & prima gratia ſunt dona Dei, & gratis data. Manet ergo ex hoc Abrahami exemplo, omnes omnino homines iuſtificari non ex operibus (ad ſenſum Pauli) ſed ex fide, nec proinde ex debito, ſed gratis.

Dices non videri poſſe hæc intelligi ſaltem de ſecunda iuſtificatione illa verſ. 2. deſignata; ubi nempe eſt meritum & merces. Reſpondeo, utramque iuſtificationem eſſe ex fide Chriſti, & non ex operibus liberi arbitrii: quia vero in ſecunda intervenit ex promiſſione meritum & merces, reſpondeo hanc ſecundam iuſtificationem non eſſe negandam Abrahamo ſuo tempore: tamen, ut bene reſpondet Toletus, hæc verba, *credidit Abraham Deo*, Geneſ. XV. referenda eſſe non tantum ad id quod immediate præcedit, ſed ad illa quæ anteceſſerunt, Geneſ. XII. & XIII. Ex quibus & ex cap. XV. videmus Abrahamum utroque modo iuſtificatum. Voluit itaque Scriptura proponere Abrahamum ut exemplum totius iuſtificationis noſtræ & ſive primo, ſive

ſive ſecundo ſemper iuſtificationem tam accipi, quam conſtate per fidem. Immo in prima iuſtificatione ſimpliciter, hoc eſt, ſine merito & mercede ſtare per fidem: atque ita ſemper ſtat argumentum & concluſio Pauli.

V. 6. 7. & 8. Vide hæc loca, quæ explicata dedi Pſalm. XXXI. Beatus ergo eſt, quem Deus cenſet & iudicat eſſe iuſtum: non enim fallitur in ſuo iudicio. Ubi Deus per gratiam inhærentem ita delet peccatum, ut nullo modo poſſit homini imputari. Hoc autem non fit ex operibus liberi arbitrii: ergo ex fide Chriſti manet ſolida iuſtificatio. Ineptas horum locorum interpretationes, quas fingunt Sectarii, ibidem, & alibi refutavi.

V. 9. BEATITUDO ERGO. Concludit beatitudinem & iuſtificationem non eſſe in circumciſione, aut operibus legis & liberi arbitrii, ſed perveniſſe ad præputium & Gentiles per fidem Chriſti, & non tantum ad ſolos Iudæos. Quod citata Scripturæ verba ſatis oſtendunt, utpote generalia, ac tam Gentibus, quam Iudæis communia.

V. 10. QUOMODO ERGO. Occupatio eſt: dicent enim Iudæi iuſtitiam hanc pertinere ad circumciſionem, quia Abraham erat circumciſus. Reſpondet Paulus, & expendit in quo ſtatu fuerit Abraham, quando fides ad iuſtitiam fuit ei reputata. Sane in præputio tunc erat. Ergo æque ad præputiatos pertinet ac ad circumciſos Iudæos iuſtitiæ Abrahæ. Eaque in præputio & Gentibus repetta eſt, & poſt hanc acceſſit in Abrahamo circumciſio & ſignaculum illius iuſtitiæ; eſtque tunc factus Abraham Pater gentium, in ſignum; ut illi ad modum fidei Abtahæ iuſtificarentur, & ſic haberentur filii Abrahæ. Ceterum circumciſio ſignum & ſignaculum erat non tantum ſanctitatis illius acceptæ ab Abrahamo & accipiendæ a poſteris per circumciſionem ſpiritualem, ſed etiam pacti Dei cum Abrahamo, atque diſtinguens inter Abrahæ poſteros & Gentiles.

V. 12. ET SIT PATER CIRCUMCISORUM. Conſtitutus eſt pater credentium: nempe in Abrahamo notantur præputium, iuſtificatio & circumciſio. Et quidem in præputio eſt iuſtificatus, ut ſit pater omnium qui in præputio per fidem ſalvantur. Signaculum vero circumciſionis accepit, ut ſit etiam circumciſorum: non quidem omnium, ſed eorum qui ſectabuntur fidem & iuſtitiam Abrahæ, ſeu eius veſtigia. Quæ vero ſint hæc veſtigia conſtat ex declarata iuſtitia Abrahæ; Longe a veſtigiis Abrahæ abeſt iuſtificatio per ſolam fiduciam Calvinianam, quam etiam damnant tum Lutherani, tum Novatores recentiores hodie in Holandia.

V. 16. NON ENIM PER LEGEM. Si (quod probatum eſt) Abraham eſt pater omnium credentium, etiam præputiatorum, conſequens eſt iuſtitiam nobis advenire non titulo circumciſionis, aut legis, aut etiam liberi arbitrii ope; ſed titulo fidei per Chriſtum. Et certe promiſſio benedictionis facta eſt Abrahæ Geneſ. XII. ante circumciſionem, quæ data eſt cap. XVII. & proinde ante legem: licet cap. XXII. iterum ſit repetita promiſſio, ut illis locis declaro. En interim amplam Abrahæ poſſeſſionem mundi totius per eius fidem in Chriſto propagandam, (& interveniente promiſſione de ſemine) inventam in præputio & in circumciſione. Hæc hæreditas eſt ſpiritualis & per Chriſtum æterna: quamvis hic nomine ſeminis volunt aliqui non intelligi Chriſtum ipſum, utpote cui non competit modus iuſtificationis iam declaratus, & qui dicitur propagandus ad poſteros.

V. 14. SI ENIM QUI. Senſus eſt: Stat firma Dei promiſſio, & conſequenter inde expectata hæreditas. Deus quippe eſt qui promiſit, & vero ſi hæreditas eſt ex lege, & legis operibus, quorſum illa ſolemnis, & tam laudata promiſſio, an non ſola lex ſufficeret. Ergo tota hæc ſpiritualis hæreditas, & iuſtitia promiſſa eſt ex fide Chriſti, & non ex operibus legis & naturæ. Simile eſt in rebus humanis: nam ſi aliquid naturali titulo, aut ex iuſtitia debetur, nihili facio tuam promiſſionem gratuitam, qua polliceris te illud daturum: inutilis eſt hæc promiſſio gratiæ. Sic ergo ſemper probat iuſtitiam non eſſe per legem aut circumciſionem, ſed per fidem. Promiſſio de qua hic agitur, eſt fore ut in ſemine Abrahæ benedicantur omnes gentes: Gen. XXII. 18.

V. 15. LEX ENIM IRAM OPERATUR; quaſi diceret: Tantum abeſt ex lege eſſe iuſtitiam (eſt velut nova confirmatio poſitæ veritatis) ut lex potius ſit occaſio damnationis, dum ſecum affert præceptum & non dat auxilium ad implendum illud.

V. 16.

V. 16. IDEO EX FIDE. Eſt concluſio illata ex verſ. 14. ſcilicet non poſſe nobis obvenire hereditatem & iuſtitiam Abrahæ aliunde quam per fidem Chriſti, niſi velimus abrogatam eſſe promiſſionem divinam, ut dictum eſt: ſtat ergo iuſtitiam veram & ſalutem expectari ex fide Chriſti, & non ex Moſe. Eſt vero manifeſtum hic agi de promiſſione illa, & benedictione generali, quam citavi verſ. 14. ut videas genium Novatorum pronum ad corruptelas, dum ſibi perſuadent quemlibet poſſe ex hac promiſſione generali certo ſibi polliceri & cognoſcere, ſe eſſe iuſtum & prædeſtinatum: & vero communis illa promiſſio non eſt ad ſalutem profutura volentibus ſemper peccare, in quo ſtatu ſunt Novatores, qui fatentur ſe ſemper peccare. Unde ergo tanta illis præſumptio? Immo promiſſiones iuſtitiæ includunt conditionem, quam paſſim explicat Scriptura, ſi velit homo non reſiſtere vocationi: Deus enim non iuſtificat invitos: nec iuſtitia eſt promiſſa credenti, ſed credenti ut oportet: ſtat ſane firma Dei promiſſio. Sed ſimul cum fide ſperanti & amanti, & niſi hæc adſint, non magis facta eſt promiſſio hæc Calvino quam Iudæ.

V. 17. SICUT SCRIPTUM EST. Habetur hoc Gen. cap. XVII. 5. Stat, inquit, firma Dei promiſſio omnibus (ex ſenſu iam declarato) iis qui ſunt ex fide Abrahæ, qui æterno Dei decreto poſitus & conſtitutus eſt pater multarum gentium, ut nomen deſignat, & dixi ad citatum locum Geneſis. Paulus illuſtrat hanc paternitatem ex adiunctis iſtis, ANTE DEUM, cui fidem adhibuit ut ſupremo numini, ut iuſtificanti, & potenti revocare a morte, atque efficere ut ſint, ea quæ non ſunt, ſi ex ipſis eſſe non repugnat; ac ſi diceret Apoſtolus: Tantus eſt ille qui eſt auctor promiſſionis de ſemine Abrahæ, & filius ſecundum ſpiritum, ut poſſit ex Gentibus & Iudæis non filiis Abrahæ, efficere veros Abrahæ filios in ſpirſtu & fide Chriſti. *Vocare*, id eſt producere.

V. 18. & 19. QUI CONTRA SPEM IN SPEM CREDIDIT: *παρ' ἐλπίδα*, *præter ſpem*; ſane contra ſpem rationis naturalis, ætate inepta ad procreationem liberorum, in ſpem divinæ omnipotentiæ, & factæ promiſſionis: Gen. cap. XV. Deſirant Sectarii qui ſunt a Calvino, dum ſomniant hic, ſpem hanc eſſe certam fidem remiſſionis peccatorum, cum ne verbum quidem ſit de remittendis peccatis, ſed de multiplicatione ſeminis: tale enim erat obiectum fidei Abrahæ, ut clare etiam docet verſ. 19. Ex quo verſu ſatis apparet fidem pertinere ad intellectum. Lege de hoc Bellarm. Lib. I. de iuſtific. cap. IV. Dicet aliquis ætatem 100. annorum illis temporibus firmam ſatis fuiſſe ad prolem. Reſpondeo præter ætatem addi a Paulo magna corporis emortui incommoda. Erat vero naſcente Iſaaco pater 100. annorum, Gen. XXI. 5. Vixit deinde cum filio annis. 57.

V. 20. & 21. IN REPROMISSIONE. Ad hanc promiſſionem non hæſitavit Abraham, ſed potius conſortatus eſt; hoc eſt, plena & firma fide accepit promiſſionem: & ſic agnoſcens Dei potentiam & fidelitatem dedit gloriam Deo. In Græco non diſceptavit de incredulitate. Itaque illud Gen. XVII. 17. *in faciem cecidit*, eſt gratias egiſſe procumbendo in genua: ſic iuſtus habitus eſt. Quod eſt verſ. 21. PLENISSIME SCIENS, deſignat certam fidem & certiſſima iudicia, *πληροφορηθεὶς*, hinc *πληροφορία*.

V. 22. IDEO ET REPUTATUM. Egregia hæc fides reputata eſt illi ad incrementum in iuſtitia, & nobis ad exemplum & inſignem doctrinam, quibus reputabitur etiam odes ad iuſtitiam, ſi credamus ad exemplum tanti patris, ut oportet, & hic ſubiungit. Qualis autem fuerit fides Abrahæ ſupra explicatum eſt, & quam non habent Novat. ut ibidem oſtendi.

V. 25. QUI TRADITUS EST. Docet hic locus finalem cauſam incarnationis: ad hoc enim mortuus eſt (immo & reſurrexit) ut nos iuſtos efficeret. Ergo non ex nuda imputatione, ſed ut veram in nobis haberemus iuſtitiam & realem. Chriſti vere reſurrectio ut multa confert, ita typum præfert nobis ut reſurgamus ad iuſtitiam. Confert etiam eius reſurrectio, quia roboravit fidem noſtram; ac demum quia inde ſubſecuta eſt miſſio Spiritus Sancti, & Apoſtolorum per orbem, qui noſtram iuſtificationem procurarent. Et iuxta hæc debet intelligi *τὸ* PROPTER.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Ex fide, inquit, iuſtificati, non ſolum ſpe gloriamur, verum etiam in adverſitatibus: nam ſi Chriſtus pro nobis adhuc impiis mortuus eſt, multo magis ſalvabit iam iuſtificatos per ſanguinem ipſius: & ſicut per unam Adæ inobedientiam omnes peccavimus, ac mortui ſumus, ita per unius Chriſti obedientiam, ex multis delictis iuſtificamur ad vitam.

1. IUſtificati * ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per
Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: 2. (*a*) per quem &
habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua
ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. 3. Non
ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus: (*b*)
ſcientes quod tribulatio patientiam operatur: 4. patientia
autem probationem, probatio vero ſpem, 5. ſpes autem
non confundit: [*c*] quia charitas Dei diffuſa eſt in cor-
dibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. 6. Ut quid enim
Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impiis mortuus
eſt? 7. Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat
mori. 8. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: * quoniam cum
adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus 9. Chriſtus pro nobis mortuus
eſt: multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab
ira per ipſum. 10. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per
mortem filii eius: multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius. 11.
Non ſolum autem: ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. 12. Propterea ſicut
per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum
mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.
13. Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non
imputabatur, cum lex non eſſet. 14. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad
Moyſem etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis
Adæ, qui eſt forma futuri. 15. Sed non ſicut delictum, ita & donum, ſi e-
nim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum in
gratia unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit. 16. † Et non ſicut per
unum peccatum, ita & donum: nam iudicium quidem ex uno in condemna-
tionem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. 17. Si enim unius
delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & do-
nationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Ieſum Chriſtum.
18. Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic
& per unius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. 19. Sicut
enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita
& per unius obeditionem iuſti conſtituentur multi. 20. Lex autem ſubintra-
vit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit
gratia: 21. ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per
iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

(a) Ephes. II. 18. (b) Iac. I. 3. (c) Hebr. II. 14. 1 Petr. III. 18.

BRU-

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 8. *Quoniam cum adhuc peccatores eſſemus*. Non interponas coniunctionem *ſi* inter *quoniam*, & *cum*.

Sequitur: *Secundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. Correctores iudicarunt non eſſe prætermittendum illud *ſecundum tempus*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 6. ET *non ſicut per unum peccatum*. Plura manuſcripta Latina nominatim Brugenſe, & Andomarenſe, legunt pro nomine *peccatum* participium *peccantem*, Græco conformiter.

Notationes.

Verſ. 1. I*Uſtificati ergo* (*igitur* MS.) *ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*. Latini codices *habeamus* legunt, non habemus: Græci e diverſo ἔχομεν fere habent, non ἔχωμεν. Pro Græcis facere videtur commentarius Ambroſio attributus. Latinis vetus Dionyſiani cœnobii Græcus codex qui Gagneio teſte, ἔχωμεν habet, ſuffragatur. Item Latini enarratores adſtipulantur, Auctor commentariorum Hieronymo adſcriptorum Petrus Chryſologus Sermone CX., Primaſius, Haymo, Anſelmus, Auctor Gloſſæ, Carenſis, Lombardus, Lyranus, Thomas, Gorran, Bruno, Richelius, aliique. Quin & tractatores Græci, Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius volunt. Syriacum ad verbum: *Erit nobis pax*, utroque intelligi poteſt modo, & ita ut futurum ſit pro præſenti, & ita ut ſit pro ſubiunctivo, Hebraico more.

V. 8. *Commendat autem ſuam caritatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus* (*ſecundum tempus* o.) (*Chriſtus pro nobis mortuus eſt*) Multi libri addunt *ſi*: *Quoniam ſi cum adhuc peccatores eſſemus*: ſed antiquiores, emendatioreſque Epanorthotæ, Pariſienſium, noſtri cum vulgaribus non paucis, Græcis exemplaribus, conformiter omittunt. Hentenius textu expulit. Videri poſſit adiectum fuiſſe, quia hinc Apoſtolus continuo inferat: *Multo igitur magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum*. Et cum adiectum id fuiſſet, tum ſublatam eſſe, quæ neceſſaria non erat, collectivam coniunctionem *igitur*, quam vulgares aliquot codices contra Græca Syraque nulli; præſtantes omittunt. Ceterum apud quoſdam patrum ita legitur: *Si cum adhuc &c. multo magis*; Cyprianus Libri IV. epiſtola II. Hilarium in Pſalmos ſecundum & Iv. Origenem, quamquam hic addat *igitur*, Auctorem commentariorum Ambroſii titulum præferentium: ſed non ideo editionis noſtræ eſt lectio. Petrus Chryſologus Sermone CX. ei lectioni concinit, quam nos exiſtimamus genuinam noſtræ editionis eſſe, eaque & apud D. Primaſium eſt.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. PACEM HABEAMUS. Quidam Græci codices habent ἔχομεν, id eſt *habemus*; vetus Dionyſiani cœnobii habet ἔχωμεν, id eſt *habeamus*.

V. 3. & 4. NON SOLUM AUTEM, ſubaudi, gloriamur in hac ſpe gloriæ filiorum Dei, ſed etiam gloriamur in tribulationibus. TRIBULATIO PATIENTIAM OPERATUR: quia ad patientiam nos afflictiones exercent; PATIENTIA AUTEM PROBATIONEM: quia probatiores nos efficit, ut fornax aurum; PROBATIO VERO SPEM; quia ex probatione in afflictionibus conſtantior ſpes noſtra redditur & ſecurior.

V. 5. SPES AUTEM NON CONFUNDIT: οὐ καταισχύνει, id eſt non pudefacit, pudore enim afficitur, qui quod diu patienterque expectavit, tandem non adſequitur: quod iis accidere ſolet, qui vanam in hominibus ſpem collocant: at non item qui in Deo, quia arrhabonem habent huius ſpei firmiſſimam, Spiritum ſanctum, Deique caritatem per illum in ſuis cordibus diffuſam.

V. 6. UT QUID ENIM. Græci codices habent ἔτι γὰρ, id eſt *iam enim*, & tunc

Digitized by Google

ſenſus eſt, Spes non pudefacit, iam enim etiam CUM ADHUC INFIRMI ESSEMUS, id eſt peccatores, pro impiis mortuus eſt, SECUNDUM TEMPUS, id eſt præfinito a patre tempore, vel ad tempus, ſcilicet triduum, vel in tempore & opportune (id enim ſignificat τὸ κατὰ καιρὸν) cum ſcilicet omnia eſſent in infidelitate concluſa, pro impiis mortuus eſt. Noſter interpres videtur legiſſe εἰς τί; id eſt, ad quid cum adhuc infirmi eſſemus, Chriſtus ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt, niſi ut in ſpem nos erigeret firmiſſimam?

V. 7. VIX ENIM PRO IUSTO QUIS MORITUR. Græci legunt ἀποθανεῖται, id eſt morietur, quamquam non refert ad ſenſum utro modo legas. *Pro iuſto*, Gr. ὑπὲρ δικαίου, quod interpretari poſſumus & neutro genere, pro iuſto ſive iuſtitia, & maſculino, pro viro iuſto: mihi videtur ſenſus aptior, ſi intelligamus pro viro iuſto, ut opponatur ei quod dixit Chriſtum pro impiis mortuum, cum interim vix invenias qui pro iuſti & innocentis vita tuenda mori velit: NAM PRO BONO FORSAN QUIS AUDEAT MORI? *Pro bono*, Græ. ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ, id eſt pro magno aliquo bono & magnæ utilitatis gratia. Nam articulus τὸ indicat magnum aliquod bonum: ſic legimus quoſdam etiam ethnicos reipublicæ gratia ultro mortem oppetiiſſe, quales Quintus Curtius, & Decii, & Codrus.

V. 8. COMMENDAT AUTEM, Græc. συνίστησι, id eſt nobilem atque illuſtrem reddit, & confirmat caritatem ſuam, ex eo quod pro impiis mortuus eſt.

V. 11. NON SOLUM AUTEM, ſubaudi, gloriamur in tribulationibus, ſed etiam in Deo.

V. 12. PROPTEREA SICUT. Origenes hic putat eſſe eclypſim, ut ſit ſenſus: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit; ita per unum hominem iuſtificatio: alio modo ſenſus eſt: Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, ita & per peccatum mors intravit, atque ita in omnes homines mors pertranſiit, eoque modo primum τὸ *&*, idem valet quod & ita, ut in oratione dominica legimus, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, pro, ita & in terra. IN QUO OMNES PECCAVERUNT. Quidam Græci codices habent ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, vel ut codex Dionyſianus habet, ἡμάρτωσαν, id eſt in quo vel quatenus omnes peccaverunt: quamquam longius petita mihi videtur collectio, ſi in quo legamus, & referamus ad Adam, etſi non diſplicet hæc lectio Latinis, & aliquot Græcis: certe Photius Græcorum interpretum doctiſſimus interpretatur ἐφ᾽ ᾧ, per quatenus, ut ſit ſenſus, Et ita in omnes mors pertranſiit, quatenus omnes peccaverunt: eius Græca verba ſcribam: Ἐπὶ τούτῳ (φησὶ) συναποθνήσκομεν τῷ Ἀδὰμ, ἐφ᾽ ᾧ καὶ συναμαρτάνομεν, καὶ τὴν μὲν ἀρχὴν ἐκεῖνος παρέσχεν, ἡμεῖς δὲ ἐκεῖθεν τὴν ἀφορμὴν λαβόντες οὐκ ἐκωλύσαμεν τὸ κακὸν, ἀλλὰ καὶ συνηργήσαμεν. *In hoc*, inquit, *ipſi Adam commorimur, quod ipſi compeccamus, & ille quidem initium dedit, nos ultro inde ſumpta occaſione, non modo malum non ſumus averſati, ſed adiutores etiam illi fuimus.*

V. 13. USQUE AD LEGEM. Græci exponunt uſque ad legem excluſive, id eſt ante legem ac lege nondum lata, peccatum erat in mundo, ſed non imputabatur ad tantam videlicet pœnam. Mihi videtur τὸ uſque, ſumendum incluſive; ſicut & loco paulo poſt ſequente, uſque ad Moyſem, uſque ad legem, ergo incluſive, id eſt uſque ad Chriſtum finem legis peccatum erat in mundo, ſed non erat tam grave, nec adeo imputabatur ante legem. Et in hac ſententia ſunt Origenes & Auguſtinus. Adverte autem, quod pro IMPUTABATUR græci legunt τὸ ἐλλογεῖται, id eſt *imputatur*, forte interpres legit ἐνελογεῖτο, id eſt *imputabatur*, neque multum refert ad ſenſum. Hic autem locus, *peccatum non imputabatur*, de peccato interno intelligitur; quod cum nemini externe noceret, a multis non imputabatur neſcientibus illud eſſe peccatum. Photius exponit quod non imputabatur, id eſt non paſſim ab omnibus intelligebatur eſſe peccatum; vel quod ultio & pœna peccati non paſſim ab omnibus intelligeretur, donec lex ſupervenit, quæ & peccatum indicavit, & peccantibus pœnam indixit.

V. 14. SED REGNAVIT MORS. Quotquot ſunt qui hunc locum interpretantur exponunt, *Regnavit*, id eſt vim tyrannidemque ſuam exercuit. Sed τὸ USQUE AD MOYSEM, Photius exponit excluſive, quod *ab Adam uſque ad Moyſem*, id eſt uſque ad initium legis mors regnavit etiam in eos qui

qui non peccaverant. IN SIMILITUDINEM PRAEVARICATIONIS ADAE, quia certum definitumque Dei mandatum tranſgreſſus eſt Adam. Ante Moyſem autem naturalem tantum rationem prætergreſſi ſunt. A Moyſe vero uſque ad Chriſtum, quia certa legis mandata tranſgreſſi, in ſimilitudinem prævaricationis Adæ peccaverunt. Mihi germanior ſenſus videtur, ſi τὸ uſque, ſumamus incluſive: ut uſque ad Moyſem, id eſt uſque ad finem legis, & initium Evangelii mortem regnaſſe intelligamus. Ceterum per Chriſtum extinctam vim eius, repreſſamque tyrannidem, & in hac ſententia ſunt in Græca ſcholia, quæ ſic habet, τὸν οὖν ἄχρι τῆς ἐπιδημίας τοῦ Χριστοῦ χρόνον Μωσέα λέγει, φησὶν οὖν ὅτι ἄχρι τῆς παλαιᾶς διαθήκης ἐπικρατεῖ ὁ θάνατος, νῦν γὰρ ἐν τῇ νέᾳ χάριτι Χριστοῦ λέλυται τῷ αἵματι τοῦ θεοῦ ἡμῶν; id eſt Moiſem itaque vocat, tempus uſque ad Chriſti adventum, quo circa aſſerit mortem uſque ad vetus teſtamentum regnaſſe. Nunc autem in novo per Chriſti gratiam Dei noſtri ſanguine ſolutam. Regnavit ergo mors ab Adam uſque ad Moiſem etiam in eos qui non peccaverant in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, id eſt parvulos, qui nullo actionis peccato tenentur obnoxii, ſed Adæ tantum parentis delicto: quod in illis peccatum originis vocamus. Peccatum vero actionis in Adam, QUI EST FORMA FUTURI, ſcilicet futuri Adæ, hoc eſt Chriſti, qui tempore Adæ futurus erat Adam noviſſimus. Eſt autem Adam forma Chriſti per diſſimilitudinem, quia ſicut per proprium Adæ peccatum vel ſine ullo proprio demerito obnoxii morti reddimur, ita per Chriſti gratiam ſine ullo noſtro merito iuſtificamur. Per ſimilitudinem quoque, quia ſicut Adam eſt caput & vir Evæ, ita Chriſtus caput & ſponſus eccleſiæ. Sicut in Adam omnes generati, ſic in Chriſto omnes regenerati. Sicut Adam de terra virgine & non maledicta, ſic Chriſtus natus eſt de virgine benedicta.

V. 15. SED NON SICUT DELICTUM. Cum dixiſſet Adam fuiſſe formam Chriſti, ne putares omnia ſimilia addidit, *ſed non ſicut delictum ita & donum*, quia, ut inquit Oecumenius, mors quidem ſumpto ab Adam initio, ut adverſus omnes prævaleret, noſtro etiam adiuta eſt peccato. Chriſti autem gratia ſine ullo noſtro merito in omnes pervenit. Quod autem ait, quod MULTO MAGIS GRATIA DEI, ET DONUM IN GRATIA, id eſt per gratiam UNIUS HOMINIS IESU CHRISTI IN PLURES ABUNDAVIT; noli intelligere, quod plures iuſtificentur quam non condemnentur. Neque enim Græce eſt πλείονας, id eſt *plures*, ſed πολλούς, id eſt *multos*. Intellige ergo, quod gratia Dei multo magis abundavit in plures ſive multos, id eſt quod Chriſti gratia plus valuit in iuſtificando, quam peccatum Adæ in occidendo: quia peccatum Adæ vitam tantum abſtulit; Chriſti gratia præter vitam redditam, pluribus bonis tum corporis tum animæ nos cumulavit.

V. 16. ET NON SICUT, &c. Græci legunt: καὶ οὐχ ὡς δι᾽ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα, id eſt *& non ſicut per unum peccatorem donum*, qui locus eſt unus ex eclipticis Pauli, quem ſic græca ſcholia explicant καὶ οὐχ οὕτως, φησὶ τὸ δώρημα, ὡς ἡ διὰ τοῦ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος παράβασις, καὶ ἁμαρτία. id eſt, *non tale donum eſt*, inquit, *quale per unum peccatorem prævaricatio & peccatum.* Noſter interpres legit pro ἁμαρτήσαντος; id eſt *peccatorem* ἁμάρτημα, id eſt *peccatum*, & tunc ſenſus eſt, non quale peccatum ab uno peccatore, tale eſt donum ab uno iuſtificatore.

NAM IUDICIUM EX UNO: τὸ ex uno referri poteſt ad delictum quod paulo ante præceſſit, vel ad τὸ δι᾽ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, id eſt *per unum peccatorem*, ut Græci legunt, ſecundum quam lectionem ſenſus eſt: Sicut ex uno Adam iudicium fluxit in condemnationem, ita ex multis delictis gratia in iuſtificationem. Primo autem modo ſenſus eſt, Nam iudicium ex uno, ſub. delicto fluxit in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem, id eſt uno tantum delicto Adæ iudicium ad condemnationem incurrimus, quippe quos damnationis reos unum originis peccatum faciat, ex multis autem delictis, actionis ſcilicet atque originis, gratiam ad iuſtificationem percepimus: nec illud modo Adæ delictum quod infantes contraximus, ſed & cetera quæ ultro ipſius perpetravimus, Chriſti gratia condonavit. Maioris ergo eſt virtutis Chriſti donum in ſervando, quam Adæ dictum in perdendo, IN CONDEMNA-

TIONEM, ſub. mors pervenit, ſic loco paulo poſt ſequente, *in iuſtificationem*, ſub. graria & vita pervenit.

V. 20. UT ABUNDARET DELICTUM, id eſt propterea factum eſt, ut delictum abundaret, neque enim hoc loco, ut Græca ſcholia dicunt, τὸ ἵνα cauſam ſignificat, ſed rei eventum, & Gennadius, σημαίνει γὰρ ἵνα, τὸ ἀκόλουθον, id eſt ſignificat enim ἵνα, id eſt conſequentiam.

S A.

Verſ. 1. HABEAMUS. Græc. & Syr. *habemus*.

V. 2. HABEMUS. Græe. *habuimus*. GRATIAM, id eſt ſtatum gratiæ. IN SPE GLORIAE, id eſt ſperantes gloriam.

V. 3. NON; pro, nec id. GLORIAMUR, id eſt nobis gloriæ ducimus. OPERATUR, ſcilicet tribulatione acquiritur patientia.

V. 4 PROBATIONEM, ſcilicet per patientiam probamur. SPEM, ſcilicet probati bene ſperant.

V. 5. CONFUNDIT, id eſt pudore afficit, ſcilicet ſpe fruſtratum. DEI, id eſt qua Deum diligimus. DIFFUSA, ſcilicet mentis eſt qualitas quædam, ut aeris lux. PER. Cauſam ſignificat.

V. 6. UT QUID, id eſt cur, ſcilicet niſi ob hanc caritatem diffundendam. INFIRMI, id eſt peccatis ægroti. SECUNDUM TEMPUS, id eſt præſcripto tempore.

V. 7. PRO IUSTO, id eſt cum debet ex iuſtitia, ut qui dant pœnas ſcelerum. MORITUR, ſcilicet libenter. BONO, id eſt re honeſta, ſeu viro bono. Syr. *bonis*.

V. 8. IN NOBIS, id eſt erga nos.

V. 9. IRA, id eſt punitione, ſeu ſupplicio.

V. 10. INIMICI, ſcilicet Dei. IPSIUS; ſcilicet Chriſti; quaſi dicat, Ipſo vivente, & vobis favente.

V. 11. NON SOLUM, ſcilicet gloriamur in tribulationibus. IN DEO, id eſt Dei amore erga nos. CHRISTUM, ſcilicet qui nobis id impetravit.

V. 12. PROPTEREA, id eſt ob eam reconciliationem. MUNDUM, id eſt univerſum genus humanum: Auguſt. IN QUO, ſcilicet homine, vel peccato; vel quaſi dicat, Quatenus omnes peccaverunt, ſcilicet ſic vita per Chriſtum.

V. 13. PECCATUM, ſcilicet originale, & actuale. IMPUTABATUR, id eſt reputabatur, ſeu agnoſcebatur, ſcilicet ab hominibus.

V. 14. MORS, ſcilicet ob peccatum invecta. IN SIMILITUDINEM, ſcilicet propria voluntate, ut ille, nempe in parvulos. FORMA: τύπος, id eſt *figura*, ſive *exemplar*. FUTURI, id eſt Chriſti, qui venturus erat.

V. 15. DELICTUM, ſcilicet nocuit. GRATIA, ſcilicet profuit, ſcilicet ſed multo magis. MULTI, ſcilicet omnes. IN GRATIA, id eſt per gratiam. HOMINIS, ſcilicet Chriſti. PLURES, id eſt multos.

V. 16. ET NON. Explicat magis quod dixit. PECCATUM. Græc. *peccantem*. IUDICIUM, ſcilicet Dei. UNO, ſcilicet peccato, id eſt ob unum peccatum. DELICTIS, ſcilicet educens.

V. 17. MULTO MAGIS, ſcilicet mors erat temporalis, at vita per Chriſtum æterna.

V. 18. CONDEMNATIONEM, ſcilicet itum eſt. OMNES, ſcilicet ſi velint. VITAE, id eſt per quam vivitur.

V. 19. MULTI, id eſt omnes, ut proxime dictum. MULTI, id eſt omnes, ſcilicet ſi velint.

V. 20. SUBINTRAVIT, id eſt obiter ſubiit. UT, pro, ſic ut. ABUNDARET, ſcilicet per occaſionem.

V. 21. IN MORTEM, id eſt occidendo. PER IUSTITIAM, id eſt iuſtificando. PER IESUM, id eſt meritis Ieſu.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. PACEM HABEAMUS, id eſt non offendamus Deum Græce ἔχομεν, *habemus*. Verum alii codices Græc. ἔχωμεν habent, id eſt *habeamus*, atque ita legunt Origenes, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius.

V. 3. NON SOLUM AUTEM, ſcilicet gloriamur in ſpe filiorum Dei, id eſt quam habent filii Dei; ſed in tribulatione gloriamur & gaudemus; quoniam per ipſam pervenitur ad eam ſpem, ſcientes, quod afflictio patientiam operatur.

V. 4. PATIENTIA AUTEM PROBATIONEM. Malis, ut in fornace probamur.

V. 5. SPES AUTEM NON CONFUNDIT, ſcilicet

licet nos : Græce , *non pudefacit*, non eſt inanis ; caritas & ſpiritus ſuggerit menti ſecuritatem. Præterea

V. 6. UT QUID . Noſter legit εἰς τί, ubi nunc ἔτι, id eſt *adhuc*, cum peccatores eſſemus & infirmi. SECUNDUM TEMPUS, id eſt præfinito tempore. Hoc Græc. non eſt, nec Syr. Sed ſi tunc pro nobis eſt mortuus, ſupple , multo magis nunc . Hoc argumentum ſervit ad confirmandam ſpem, de qua agit.

V. 7. MORITUR. Græce *morietur*. NAM PRO BONO ; pro magno aliquo bono & utilitate forte quis moriatur , ut Codrus , duo Decii, Cortius.

V. 8. COMMENDAT , id eſt oſtendit , notam facit ſuam caritatem Deus . QUONIAM CUM ADHUC. Goth. & alii cod. *ſi cum adhuc :* ſic Cyprianus Lib. IV. epiſt. II. Hilarius Pſal. II. CV. Ambroſius hic . Cum nihil eſſemus, pro nobis Chriſtus eſt mortuus.

V. 9. MULTO IGITUR MAGIS. Concluſio argumenti ad confirmandam ſpem.

V. 10. SALVI ERIMUS IN VITA IPSIUS. Syr. *per vitam ipſius*, id eſt eo a morte ſuſcitato.

V 11. NON SOLUM AUTEM gloriamur, ſcilicet in tribulatione ſed etiam in Deo. *Gloriari in Deo* eſt cum laudare , ei gratias agere.

V. 12. PROPTEREA redundat , & Syr. omittitur , aut ſumatur pro , præterea . Non eſt cuius reddat rationem ; ſolum Adami peccatum gratiæ Chriſti comparat . SICUT PER UNUM HOMINEM PECCATUM IN HUNC MUNDUM INTRAVIT. Non corruptio & fomes ſolum , ſed reatus peccati, a quo vocamur peccatores . IN QUO OMNES PECCAVERUNT . *In quo* , ſcilicet uno homine . Græc. ἐφ' ᾧ: eo quod omnes peccaverunt , ſcilicet Adamo peccante . Syr. *in eo quod omnes peccaverunt* . Quod Pelagianis favere videtur , nos eſſe reos mortis dicentibus non propter peccatum Adæ , in quo nos peccaſſe negabant, nec credebant ex eo actuali peccato ſingulos peccati reatu eſſe infectos , ſed propter propria peccata eſſe nos mortis reos.

13. USQUE AD LEGEM, id eſt ante legem erant peccata , ſed non imputabantur , non cognoſcebantur , aut puniebantur , quia lex non erat. Ergo ſicut peccatum & mors regnarunt in mundo , etiam in eos qui Adami tranſgreſſionem non ſunt imitati ; quia lex non erat ; ſic gratia Chriſti immerentibus eſt data.

V. 14. SED REGNAVIT MORS AB ADAM. Auguſtinus epiſt. LXXXIX. afferr duplicem lectionem, ſcilicet *etiam in eos qui peccaverunt* , & *etiam in eos qui non peccaverunt* . Sed hanc ſecundam magis probat . QUI EST FORMA FUTURI , ſcilicet Adamus Chriſti imago a contrario . Adamus origo peccati, Chriſtus gratiæ.

NON SICUT DELICTUM . Ad Adami peccatum alia nos addimus, Chriſti gratia immeritis prorſus datur. Auguſtinus in ea epiſtola , quia ſcilicet Adam fuit nobis cauſa unius peccati, Chriſtus omnium meritorum. MULTI MORTUI SUNT. *Multi*, pro, omnes . Sic Auguſtinus contra Iulianum Lib. VI. cap. XII. Theophylactus Matth. XX. Multa exempla paſſim occurrunt, ubi *multi* ſumuntur pro *omnes* . IN PLURES. Græc. εἰς τοὺς πολλοὺς , *in multos* abundavit gratia Chriſti.

V. 16. ET NON SICUT PER UNUM , ſcilicet hominem. PECCATUM, ſcilicet intravit. ITA ET DONUM. Senſus eſt : Uno peccato omnes facti ſumus rei , Chriſtus non unum peccatum ſuſtulit, ſed omnia . Græce , *non ſicut unum peccatorem* , ſed locus implicatur. Noſter pro ἁμαρτήσαντος, ut nunc eſt legit ἁμαρτήματος, id eſt *peccatum*. Ita etiam Veleſius invenit in aliquo codice.

V. 18. IN CONDEMNATIONEM , ſcilicet ſicut mors pervenit per unum. IN IUSTIFICATIONEM VITAE, ſcilicet ſic venit gratia per unum Chriſtum.

V. 20. UT ABUNDARET DELICTUM . Lex venit , *Ut* eventum dicit , non cauſam. Lex ex accidenti fuit occaſio peccati.

M E N O C H I I.

Verſ. 1. PACEM HABEAMUS, id eſt conſervemus cum Deo . PER DOMINUM NOSTRUM IESUM CHRISTUM : pacem conciliatam , & confirmatam per Chriſtum.

V. 2. PER QUEM ET HABEMUS ACCESSUM , &c. id eſt, cuius opera, & merito admiſſi , & adducti ſumus per fidem ad hanc gratiam , id eſt beneficium iuſtifica-

Digitized by Google

tionis. IN QUA STAMUS: in qua gratia conſtanter perſeveramus. ET GLORIAMUR IN SPE FILIORUM DEI: quia ſcilicet ſperamus nos conſecuturos gloriam præparatam filiis Dei.

V. 3. NON SOLUM AUTEM: nec id ſolum. Non ſolum, inquit, gloriamur de eo quod dixi, id eſt de gratia iſta. TRIBULATIO PATIENTIAM OPERATUR: qui enim bene utuntur tribulatione, robuſtiores fiunt in virtute, & perfectiores.

V. 4. PATIENTIA AUTEM PROBATIONEM: quia reddit eum qui affligitur probatum, & exploratum, eumque a vitioſis affectibus purgat. PROBATIO VERO SPEM. Probatio ſpem gignit, qui enim iam expertus eſt ſe nullis adverſis a iuſtitia, & veritate fidei dimotum eſſe, licet varie tentatus ſit; mirum in modum erigitur animo in ſpem gloriæ cæleſtis.

V. 5. SPES AUTEM NON CONFUNDIT, id eſt ſperantem non fallit, nec fruſtratur, ſed eum certo perducit ad aſſecutionem rei a Deo ſperatæ. QUIA CARITAS DEI DIFFUSA EST IN CORDIBUS NOSTRIS; quaſi dicat: Spes æternorum non confundit nos, quia caritatem habemus, qua Deum diligimus, & ſumus amici Dei: Deus autem amicos ſuos in ſe ſperantes non confundit, immo vero iiſdem diligentibus ſe hæc ſperata æterna bona præparavit. DIFFUSA EST: tum in baptiſmo, tum in operibus pœnitentiæ, caritatis, aliarumque virtutum, quibus vel primo, vel magis iuſtificamur, & peculiariter in impoſitione manuum, id eſt in Sacramento Confirmationis, in eo enim datur, & diffunditur in nobis robur, & plenitudo Spiritus S. PER SPIRITUM SANCTUM QUI DATUS EST NOBIS: in iuſtificatione enim non tantum gratia, & dona Spiritus ſancti, ſed ipſe etiam Spiritus ſanctus datur nobis, qui in anima eſt, quaſi in templo ſuo, eamque per caritatem ſanctificat, & ſui amoris participem facit.

V. 6. UT QUID ENIM CHRISTUS, &c. Oſtendit ſpem non confundere, quia amoris Dei & Chriſti erga nos eximium habemus pignus; ſenſus ergo eſt: Cur Chriſtus tanta catitate pro nobis mortuus eſt, ſi erat nos deſerturus, & ſpem noſtram fruſtraturus? INFIRMI: variis peccatorum languoribus implicati. SECUNDUM TEMPUS: κατὰ καιρὸν, *opportuno tempore*, tempore a Patre conſtituto.

V. 7. VIX ENIM PRO IUSTO, &c. ſenſus huius, & ſequentis verſiculi eſt: Magna caritas apud homines exiſtimatur, ſi quod rariſſimum eſt, pro iuſto, aut bono quis oppetat mortem. At Deus ſuam erga nos caritatem commendat, & teſtatam facit, atque humana caritate longe maiorem oſtendit in eo, quod pro nobis iniuſtis, & peccatoribus Chriſtum Filium ſuum mori voluit.

V. 8. IN NOBIS: in nos: SECUNDUM TEMPUS. Vide dicta num. *6*

V. 6. MULTO IGITUR MAGIS, &c. ſi mortuus eſt Chriſtus ut nos peccatores iuſtificaret, ergo multo magis poſtquam per eius ſanguinem, id eſt paſſionem, qua ſuum ſanguinem ſudit, iuſtificati ſumus, per ipſius eiuſdem merita ſervabimur in extremo iudicio. ab ira divina, id eſt vindicta, & punitione in impios exercenda.

V. 10. RECONCILIATI: poſtquam illi reconciliati ſumus. IN VITA IPSIUS: qua ſcilicet ipſe Chriſtus poſtquam a morte reſurrexit, iam vivit vita beata, & glorioſa, & ſedet ad dexteram Patris interpellans pro nobis. Totus hic Apoſtoli diſcurſus eo tendit ut probet ſpem electorum, & probatorum non confundere, ad hoc enim probandum inducit: & exaggerat caritatem Dei erga nos.

V. 11. NON SOLUM AUTEM: ſcilicet, ſumus Deo reconciliati. SED ET GLORIAMUR IN DEO: gloriamur nos habere Deum Patrem, amicum, familiarem, tutorem, &c.

V. 12. SICUT ENIM DEUS: eſt altera ſimilitudinis, ſive collationis pars, quæ hoc modo ſupplenda videtur: ita per unum hominem, id eſt Chriſtum iuſtitia in mundum ingreſſa eſt, & per iuſtitiam vita. PER UNUM HOMINEM; ſcilicet, Adamum. PECCATUM: originale. ET PER PECCATUM MORS: corporis. IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT; propter peccatum enim Adam, tam ipſe Adamus, quam reliqui omnes eius poſteri morti obnoxii facti ſunt. IN QUO OMNES PECCAVERUNT. Dicuntur omnes peccaſſe in Adam tamquam in principio, & radice totius generis humani qui tamquam Pater, & Princeps omnes ſuos poſteros repræſentabat, ſicut rex regnum repræſentat, & magiſtratus civitatem.

V. 13.

Digitized by Google

V. 13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo*:* ſenſus eſt, toto tempore quod inter Adamum, & legem interfuit, peccatum tam originale, quam actuale fuiſſe in mundo. Peccatum autem non imputabatur: tamquam legis tranſgreſſio, quia nondum lex erat ſcripta; licet imputaretur tamquam tranſgreſſio legis naturalis.

V. 14. Sed mors ab Adam usque ad Moysen*:* quamvis enim ante legem peccatum, ut explicavimus, non imputaretur, erat tamen in mundo, & propter hoc mors in genus humanum graſſata eſt, & quaſi tyrannidem exercuit in mundo. In similitudinem praevaricationis Adae; peccando actualiter, ut Adam peccavit. Qui est forma futuri*:* qui Adamus Chriſti venturi typus eſt.

V. 15. Sed non sicut delictum, ita et donum; quaſi dicat, Non tantum nocuit peccatum, quantum profuit Chriſtus. Multi, id eſt omnes, dicit tamen potius *multi*, quam *omnes*, ut multitudinem poſterorum Adæ oſtendat. Mortui sunt: tam morte corporali, quam morte peccati originalis. Donum: gratuitum beneficium Chriſti. In gratia*:* per gratiam: In plures: *εἰς πολλοὺς in multos*. Abundavit: nam longe maiora bona, & dona nobis contulit gratia Chriſti, quam Adam abſtulerit.

V. 16. Et non sicut per unum peccatum*:* ſupple, Adam infecit omnes. Ita et donum*:* ſupple, Chriſti, ab uno tantum peccato liberat, ſed a multis, quæ poſteri peccato Adæ addiderunt, & addent. Nam iudicium quidem, &c. *Iudicium*, Græce *χρῖμα*, id eſt *reatus*, ſcilicet, fluxit ex uno peccato Adæ. In condemnationem, &c. ut ſcilicet omnes etiam parvuli eſſent obnoxii condemnationi nimirum pœnæ damni. Gratia autem, &c. e contrario beneficio, & gratia Chriſti ex ex multis delictis proceſſit ad iuſtificationem, ut ſcilicet non ab uno peccato, ſed a multis, immo ab omnibus nos iuſtificaret.

V. 17 Si enim unius delicto, &c. quaſi dicat: Adam invexit regnum mortis, Chriſtus vero eminentius, & gratia, & iuſtitia, boniſque omnibus abundantius regnum vitæ invexit, in quo nos reges fecit, ut vitam hic gratiæ, & poſtea gloriæ adipiſcamur in cœlis. In vita regnabunt. Non dicit Paulus *Vita regnavit*, ſicut dixit, *mors regnavit*, quia ſuavius, & glorioſus ſonat, *Iuſtificati regnabunt in vita per Chriſtum*, quam ſi dixiſſet, *Vita regnabit in iuſtificatis per Chriſtum*.

V. 18. In omnes homines; ſcilicet reatus pertranſiit. Per unius iustitiam. per meritum Chriſti, quod eſt cauſa noſtræ iuſtificationis, & iuſtitiæ. In omnes homines: ſupple, donum, & beneficium Chriſti pertranſiit. In omnes, inquam, qui a Chriſto ſpiritualiter deſcendunt, & baptiſmo in illo renati ſunt. In iustificationem vitae: qua a morte peccati, ad vitam gratiæ & gloriæ revocamur.

V. 19. Unius hominis*:* Adæ. Multi*:* omnes Adæ poſteri. Unius: Chriſti. Multi: omnes qui ex Chriſto per fidem, & gratiam renaſcuntur.

V. 20. Lex autem subintravit, &c. quaſi dicat: Lex quidem directe ad hunc finem data eſt, ut diſſolutos hominum mores reſtringeret, eoſque duceret ad Chriſtum, a quo ſanarentur*:* ſed indirecte hic effectus ſecutus eſt, ut ſcilicet abundaret delictum, nam data lege, tranſgreſſio illius peccata multiplicavit. Subintravit: *παρεισῆλθε*, latenter ſe inſinuavit, irrepſit, obiter, & quaſi furtim ad breve tempus, ſcilicet, uſque ad Evangelii adventum. Ubi abundavit delictum: ubi peccata occaſione legis inundarunt. Superabundavit et gratia*:* advenientis Chriſti. Vide dicta ſupra verſ. 15.

V. 21. In mortem, id eſt homines ad mortem trahens. Gratia regnet*:* gratia, & miſericordia divina late dominetur. Per iustitiam, &c. adducens iuſtitiam, & per eam homines perducens ad vitam æternam. Per Iesum Christum, &c. per merita Ieſu Chriſti Domini, ac redemptoris noſtri.

TIRINI.

Verſ. 1. Iustificati ergo ex fide per Christum, ut vidimus cap. præced. pacem habeamus (in Græco & Syriaco eſt, *habemus*) ad Deum; id eſt, pacato & tranquillo deinceps animo ſimus, nullam poſthac ob præterita ſcelera anxie metuentes Dei vindictam vel condemna-

tio-

tionem, utpote iam Deo reconciliati, eiuſque amici & filii. Porro pax hæc & tranquillitas iuſtæ conſcientiæ non oritur ex plena & abſoluta certitudine fidei divinæ, qua quis certiſſimo & infallibiliter credat, tamquam articulum fidei, peccata ſibi eſſe remiſſa, ut volunt hæretici. Talis enim abſoluta certitudo non obtingit niſi ex peculiari revelatione, ut Tridentinum *a* definit; ſed oritur ex probabilibus coniecturis & ſignis, quæ moralem ere ant certitudinem; nos eſſe iuſtos. Eiuſmodi ſigna ſunt, recta conſcientia nullius conſcia gravioris peccati, (prompta mori potius quam Deum ſtudio offendere,) Deum ſupra omnia amare, & propter Deum etiam inimicos diligere, amore Dei ferre patienter iniurias, mundum & mundana ſpernere, &c. Hæc pax & ſerenitas animi primus eſt fructus iuſtitiæ, ſecundus eſt

V. 2. *Spes* GLORIAE æternæ *filiis* DEI præparatæ. Tertius

V. 3. Magnitudo animi, gaudium, immo *gloriatio* IN TRIBULATIONIBUS: quæ occaſionaliter, & inſtar excitamenti *operantur*, ſeu producunt, in nobis PATIENTIAM robuſtam, heroicam, invictam. Et hic eſt quartus fructus.

V. 4. PATIENTIA AUTEM PROBATIONEM *b*, quæ quintus eſt fructus, producit, quia patientem reddit probatum, ſeu expertum, vel, ſi mavis, approbatum coram Deo. Sextus eſt *ſpes*, non qualis qualis (quæ erat ſecundus fructus) ſed vivax, excellens & ampla,, non ſolum de gloria cæleſti olim obtinenda; ſed etiam de periculis, moleſtiis & aliis rebus, quantumcumque arduis, divino auxilio ſuperandis & exantlandis, quæ ſæpe ad miracula uſque ſeſe extendit.

V. 5. SPES enim divina NON CONFUNDIT, non pudefacit ſperantem, quia non fallit, nec fruſtratur illum re ſperata. Secus eſt in ſpe humana, quæ plerumque fallit, inquit Chryſoſt. Theophyl. Anſelmus. Quid vero mirum, ſpem divinam nos non confundere? cum CARITAS DEI, ſocia talis & tam eximiæ ſpei, DIFFUSA *ſit* IN CORDIBUS NOSTRIS, per quam ſumus amici, immo filii Dei? Amicis autem & filiis ſuis quid poſſit denegare Deus?, Et hic eſt ſeptimus fructus iuſtitiæ. *Caritas* autem *Dei* hic intelligitur tam illa quæ eſt in Deo, qua nos ipſe diligit, (& de hac exponunt S. Chryſoſtomus. Ambroſ. Caietanus & Toletus:) quam quæ in nobis eſt, qua nos Deum diligimus; ut S. Auguſtinus, Tridentinum *c*, & SS. Patres ac Doctores paſſim interpretantur. Utraque enim in iuſtificatione *diffunditur* (in Græco eſt, *effunditur*,) *in cordibus noſtris*; ſed poſterior formaliter per ſeipſum: prior non niſi effective, per nova & nobiliſſima dona ſua. De utraque caritate iunctim hæc exponunt Origenes, Theodoretus, Oecumenius & S. Thomas. Diffunditur autem hæc caritas in nobis PER ipſummet SPIRITUM SANCTUM, QUI NON per ſola dona ſua, ſed & per propriam perſonam iuſtificatis *datur* & appropriatur tamquam optatiſſimis ſponſis, vel (ut Apoſtolus alibi *d* loquitur) templis & palatiis, in quibus novo & ſpeciali modo habitet, operetur, delicietur. Sed cave ſis cum Magiſtro Sententiarum *e* hinc inferas, caritatem qua Deum diligimus, eſſe ipſummet Deum: niſi cum S. Auguſtino *f* (qui ſimili phraſi utitur, & magiſtro occaſionem errandi dedit,) intelligas, non formaliter, ſed ſolum cauſaliter & concomitanter eſſe ipſum Deum: quia nempe emanat ex Deo, & coniuncta eſt infallibiliter caritati qua nos amat Deus, & quæ eſt ipſe Deus. Porro ex verbo *diffunditur* vel *effunditur*, colligimus contra hæreticos, caritatem & gratiam qua formaliter iuſtificamur, non eſſe aliquid nobis extrinſecum, v. g. iuſtitiam Chriſti nobis ſolum extrinſece imputatam, ſed revera intrinſece nobis inhærere, ut Tridentinum definit, & S. Auguſtinus *g*, & alii Patres diſerte docent.

V. 6. UT QUID ENIM (niſi ut amicitiam & caritatem ſuam in nos diffunderet, & ſic ſpes noſtra nos non confunderet,) CHRISTUS MORTUUS EST PRO NObis ADHUC IMPIIS *&* *infirmis*, id eſt variis peccatorum languoribus miſere implicatis, ideoque impotentibus ad opera ſalutis præſtanda? *Mortuus eſt*, inquam, SECUNDUM TEMPUS, id eſt tempore opportuno & a Patre præſcripto: ita Theodoretus, Theophyl. Sedulius & alii: nempe, cum omnia plena eſſent infidelitate & peccato, & maxime egerent medico ac redemptione, inquit S. Hieronymus *h*.

V. 7. VIX ENIM PRO alio quopiam, etſi IUSTO, ſancto, laudato homine, QUIS *mori* ſuſtineat. Dico vix: nam PRO BO-

NO,

no, ſeu benefico, & erga ſe liberali, FORSITAN AUDEAT; Græc. τολμᾶ; id eſt ſuſtineat, QUIS MORI: ſicut Codrus, Decii, Samſon, Leonides, & quidam alii pro patria ſua erga ſe benefica, morti ſe expoſuerunt. Sic *bonum* pro *benefico* ſæpiſſime i uſurpat Scriptura: *Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis* k: *Quam bonus Iſrael Deus* l, &c.

V. 8. & 9. DEUS AUTEM præter omnium hominum morem, COMMENDAT & exhibet SUAM IN NOBIS, ſeu erga nos, inauditam ſæculis omnibus CARITATEM, cum voluit unigenitum ſuum, *Chriſtum*, PRO NOBIS *mori*, *cum* nec *beneficis*, nec *iuſti*, ſed PECCATORES & eius hoſtes ESSEMUS: ita Catharinus, Vatablus & a Lapide.

V. 10. SI, CUM INIMICI ESSEMUS, dignatus eſt Chriſtus tantos labores & dolores, adeoque & mortem ſubire, ut nos Deo reconciliaret, MULTO MAGIS iam RECONCILIATI Deo, SALVI ERIMUS, id eſt ſalvabimur ope & providentia eiuſdem Chriſti IN VITA immortali degentis, nec ullos amplius labores ſubire coacti: ita Oecumen. Intendit his omnibus probare Apoſtolus, *ſpem non confundere*, quod verſ. 5. propoſuerat.

V. 11. NON SOLUM AUTEM, ſupple, GLORIAMUR *in ſpe gloriæ*, nec etiam *in* ſolis *tribulationibus*, ut dixi verſ. 3. (eo enim redit poſt longam parentheſin,) SED ET iam GLORIAMUR IN DEO, nobis PER CHRISTUM reconciliato, nempe quod utrumque illum habeamus patrem, tutorem, protectorem ardentiſſimo amore nobis adſtrictum, inquit Chryſoſt. & Theodor. *Patrem*, inquam, longe nobiliorem, & infinitis partibus in nos beneficentiorem, quam fuerit *Adam*: cum hic filiis ſuis omnibus auctor fuerit mortis, Deus vero, & Chriſtus vitæ ſempiternæ.

V. 12. PER UNUM HOMINEM Adamum, INTRAVIT PECCATUM IN HUNC MUNDUM, ET PER PECCATUM MORS, & aliæ pœnæ peccati. Nec hæſit, ſeu peccatum, ſeu mors, in uno capite peccantis Adami, ſed per ipſum IN reliquos OMNES HOMINES, eius filios, PERTRANSIIT: non ſola imitatione (ut volebant Pelagiani, & noſtro ſæculo Zuinglius, Faber & Anabaptiſtæ), ſed vera propagatione: nam peccante Adamo, qui omnium parens & princeps erat, IN EO OMNES ſimul PECCAVERUNT, quia omnium voluntates & conſenſus erant collocata in voluntate unius Adami, ut fuſe docent Scholaſtici, & SS. Patres tam Græci, quam Latini. Et hoc eſt peccatum quod vocamus *originale*, cuius contrahendi neceſſitas (ut docet Concilium Milevitanum approbatum ab Innocentio I. & Concilium Tridentinum) transfunditur in omnes omnino homines qui naturali generatione ex Adamo procreantur: quin & actualiter omnes illud contrahunt, niſi ſpeciali miſericordia Dei quis eximatur: ut exemptam Beatam Virginem Deiparam conſtat. Licet enim hæc in Adamo peccarit, ideoque neceſſitatem contrahendi peccatum originale incurrerit ex vi ſuæ conceptionis; quia tamen primo inſtanti quo anima corpori infuſa eſt, gratia ſanctificante donata fuit, quæ peccatum omne excluſit, ideo numquam de facto peccatum contraxit. De quo vide fuſe Suarez & alios Doctores. Et quidem

V. 13. PECCATUM hoc originale, etſi USQUE AD LEGEM Moſaicam NON *imputaretur*, ſeu non reputaretur eſſe: id eſt, quamvis homines ſolo lumine naturæ inſtructi, & fide ac doctrina legis deſtituti, non exiſtimarent ſe obnoxios eſſe peccato originali; tamen viguiſſe illud etiam tum IN MUNDO, & omnes ei obnoxios fuiſſe, certo conſtat & colligitur ex affectu & pœna eiuſdem peccati, puta ex morte: nam

V. 14. MORS REGNAVIT & ſæviit in omnes quotquot AB ADAMO USQUE AD MOYSEM vixerunt: ergo & cauſa mortis, nempe peccatum originale. Et ne dicas, cauſam mortis illorum fuiſſe non peccatum originale, ſed peccata actualia ſingulorum; ideo ſubdit, mortem tum regnaſſe ETIAM IN EOS QUI NON PECCAVERUNT IN SIMILITUDINEM PRAEVARICATIONIS ADAE, id eſt qui non peccaverunt actuali aliquo peccato, ſeu propria voluntate, ſicut peccarat Adam, id eſt ſæviiſſe etiam in infantes: atqui in infantibus nulla potuit eſſe cauſa iuſta tantæ pœnæ, niſi peccatum originale; ergo: ita S. Auguſt. m Chryſoſt. Theodoretus, Theophyl. Anſelmus, Pererius & alii.

Nota, Adam hic vocari *formam*, id eſt typum, FUTURI Chriſti: quia primo, uterque fuit communis omnium hominum parens, dominus, princeps. Secundo, uter-

Digitized by Google

terque ſine virili ſemine procreatus. Tertio, uterque omnium hominum voluntates in ſua habuit voluntate. Sed hæc ſimilitudo erat in genere tanium, nam in ſpecie fuit maxima diſſimilitudo; unde ſubdit Apoſtolus:

V. 15. SED NON SICUT DELICTUM; Græce, *παράπτωμα*, id eſt caſus, ruina, offenſa Adami; ITA fuit ET DONUM; Græc. *χάρις*, id eſt gratia, ſeu gratuitum beneficium, puta redemptio, ſatisfactio, meritum Chriſti. SI ENIM DELICTO UNIUS Adami, MULTI, id eſt omnes homines (ſic enim ſe explicat verſ. 18.] MORTUI SUNT, id eſt incurrerunt reatum & pœnam mortis tum corporalis, tum ſpiritualis, tum præſentis, tum æternæ: MULTO tamen maius fuit beneficium quod *unus* Chriſtus toti orbi exhibuit. Nam longe plura & maiora bona nobis confert gratia Chriſti, quam Adam abſtulerit. Id patet ex gratiis & donis nobiliſſimis Spiritus ſancti, quæ Chriſtus contulit Apoſtolis, Martyribus, Doctoribus, Virginibus, Religioſis, Prælatis, aliiſque Eccleſiæ filiis, ut ſileam de futura vita & gloria cæleſti. Quem gratiarum Chriſti theſaurum pulchre hic exponit S. Chryſoſtomus. IN PLURES, Græce eſt, *in multos* id eſt in omnes. Sed quare Apoſtolus non utitur vocabulo, *omnium?* Reſpondet S. Auguſt. quia per, *omnes*, poſſent forte intelligi valde pauci, cum tamen inſinuatum velit Apoſtolus, eſſe valde multos. Sed eſt & alia diſſimilitudo.

V. 16. NON SICUT Adam PER UNUM PECCATUM infecit & perdidit omnes, ITA ET DONUM, ſeu gratia Chriſti omnes ab uno ſolo peccato liberat, ſed a multis & variis peccatorum generibus quæ poſteri addiderunt & addent peccato Adami, inquit Theophyl. NAM IUDICIUM QUIDEM; Græce, *κρῖμα*, id eſt reatus, EX UNO Adami peccato fluxit IN CONDEMNATIONEM omnium, etiam parvulorum, ſaltem quoad pœnam damni: ſed GRATIA Chriſti EX MULTIS, id eſt omnibus delictis pœnitenti remiſſis & abolitis, tendit IN IUSTIFICATIONEM, non ab uno, ſed ab innumeris peccatis nos iuſtificans: ita S. Auguſt. *n* Tertia diſſimilitudo:

V. 17. UNIUS Adami DELICTO MORS REGNAVIT; id eſt, Adam *regnum mortis* invexit in orbem: Chriſtus vero *regnum vitæ*, in quo ſumma *abundantia* GRATIAE, IUSTITIAE & omnium bonorum, vult filios ſuos omnes, tamquam reges, æternum regnare, inquit Theophyl. Quarta ſimilis diſſimilitudo:

V. 18. SICUT PER UNIUS Adami DELICTUM reatus peccati derivatus eſt IN OMNES HOMINES IN CONDEMNATIONEM, ut iam vidimus v. 16. SIC PER UNIUS Chriſti IUSTITIAM; Græc. *δικαίωμα*, id eſt iuſtificationem, ſeu actionem iuſtificativam, puta OBEDITIONEM, ut explicat verſ. ſequenti, gratia Chriſti derivatur *in omnes homines*, ſed IN IUSTIFICATIONEM VITAE, qua a morte peccati revocentur ad vitam gratiæ, iuſtitiæ & gloriæ, inquit S. Auguſt. *o*

Ubi Nota. Sicut ad contrahendum peccatum originale, neceſſum eſt naſci naturali generatione ex Adamo: ita ad iuſtitiam Chriſti participandam, neceſſum eſt ex vel in Chriſto naſci ſpirituali generatione per baptiſmum.

Nota Secundo, contra hæreticos. Sicut peccatum Adami non imputatur nobis ſolum extrinſece, ſed revera & intrinſece ineſt unicuique noſtrum; ita quoque gratia & donum Chriſti non tantum imputatur nobis, ſed intrinſece inhæret: alioquin efficacius eſſet peccatum Adami, quam gratia Chriſti, utpote quæ peccatum non tolleret, ſed ſolum abſconderet, cum tamen peccatum iuſtitiam vere tollat & eliminet.

V. 20. LEX AUTEM Moſaica (cuius adventu forte ſuſpicari quis poſſet, ſublatum eſſe originale peccatum, occaſione dictorum verſ. 13.) SUBINTRAVIT, id eſt obiter & ad tempus aliquod intravit in orbem, vice fungens pædagogi ad Chriſtum, ut doceret homines malitiam & damna peccati. Sed quia gratiam ad illud abolendum extinguendumque non conferebat, hinc eius adventu factum, per accidens, UT magis quam ante ABUNDARET DELICTUM in orbe, magiſque multiplicaretur genus, propago & regnum peccati. *Semper* enim magis *nitimur in vetitum*. *Ut*, ergo non ſignificat hic cauſam, ſed ſequelam & eventum; quaſi dicat: Tantum abeſt, peccatum originale, quod in ſe, ſuaque ſobole peccatorum actualium regnarat in mundo ante legem Moſaicam, ſublatum ſit ſuperventu eiuſdem legis, ut potius longe magis invaluerit. UBI AUTEM ABUNDAVIT DELICTUM; id eſt, poſtquam occaſione legis Moſaicæ, ut iam vidimus, invaluiſſet ubi-

que

Digitized by Google

que peccatum, & iam mundus ad ſummum malorum deveniſſet; tum demum miſſus eſt in orbem Chriſtus, cuius adventu SUPERABUNDAVIT GRATIA, qua everſum & abolitum eſt regnum peccati: quod *ſicut* ad id uſque tempus

V. 21. REGNAVIT toto orbe pertrahens peccatores IN MORTEM tum temporalem, tum æternam: ITA nunc proviſum UT deſtructo regno peccati, GRATIA Chriſti viciſſim toto orbe REGNET, in quo *per* veram ſolidamque IUSTITIAM pertingamus IN VITAM AETERNAM.

En duo hic *regna*: unum *mortis*, in quo regnavit *Adam* & *Adæ peccatum*: alterum *vitæ*, in quo regnat *Chriſtus* & *Chriſti gratia*, quæ prius illud regnum *mortis* evertit. Inter hæc duo ſubintravit, quaſi interregnum, *lex* Moſaica, ſed fruſtra: nam *lex* regnum peccati potius auxit, quam exſtinxit. Unde neceſſum fuit venire legitimum regem Chriſtum, qui faceſſeret iuſſa lege, regnum peccati & mortis exſcinderet, regnumque gratiæ ſtabiliret.

(a) Trident. ſeſs. VI. de iuſtific.
(b) Iacobi 1. 3.
(c) Auguſt. de Spiritu & littera cap. XXXII. Trident. ſupr. cap. VII.
(d) I. Cor. III. 16.
(e) *Magiſter.* in 1. diſt. 16. & 17.
(f) Auguſt. Lib. I. de Trinit. cap. VII. VIII. & alibi.
(g) Trid. ſupr. Auguſt. Lib. III. Doct. Chriſti. cap. X. & alibi.
(h) Hieron. ad Algaſiam. Epiſt. CL. quæſt. II. & 7.
(i) I. Reg. XXIX. 6. & Prov. XXII. 9. in Hebr.
(k) I. Reg. XXV. 15.
(l) Pſal. LXXII. 1.
(m) Auguſt. Lib. de Peccat. meritis cap. XI.
(n) Auguſt. Lib. I. de Nuptiis & concupiſc. cap. XXVII.
(o) Auguſt. Lib. de Peccat. meritis cap. XV.

GORDONI.

Verſ. 1. IUSTIFICATI ERGO EX FIDE. Hactenus docuit Apoſtolos originem iuſtificationis atque etiam progreſſum eius per fidem in Chriſtum. Hic dicturus de fructu huius iuſtificationis hortatur initio ut iuſtificati pacem cum Deo conciliatam retineant per Chriſtum, cuius merito redempti ſumus. Chryſoſtomus & Theodoretus interpretantur pacem eſſe amicitiam cum Deo. Noſtra editio hic habet, HABEAMUS, & Græci codices correctiores, ἔχομεν; licet in aliquibus reperiatur ἔχωμεν: non moror: nam quicquid ſibi inepte Novatores hic imaginantur, frivolum eſt; & quocumque modo legas, verus ſenſus elicitur apud recte ſentientes de rebus divinis. Belle interim exhortatio iſta oſtendit liberum eſſe homini non conſervare hanc amicitiam, poſſe ab illa excidere, & inanem eſſe præſumptionem Calvinianam.

V. 2. PER QUEM HABEMUS. En fructum non modicum iuſtificationis, dum per meritum Chriſti perducimur ad fidem & iuſtificationem; & perſeverantes in bono opere concipimus & retinemus beatam ſpem gloriæ promiſſæ perſeverantibus. Locus clarus eſt; & quid ſit vera gratia, veraque iuſtificatio: at colligit Novator certitudinem noſtræ iuſtificationis & gratiæ, quia alioqui non liceret gloriari de futura beatitudine. Sed erat ignorans veram ſpei rationem; hæc enim gloriatio non eſt argumentum infallibilis certitudinis, dum non tollit libertatem ad peccandum. Promiſſio quidem certa eſt, qua nititur ſpes noſtra; ſed promiſſio hæc includit conditionem, ſi homo perſeveret in bono. Et quia ex hoc capite ſtat contingentia & libertas, ideo certi non ſumus plena certitudine: ſed mixtus timor eſt ſalutaris, quem ſuadet Scriptura, & repreſſa manet fiducia ac præſumptio Calviniana: ſic ergo promiſſa eſt gloria, ſed legitime certantibus.

Supereſt illud; *Per quem habemus acceſſum*; ſane per Chriſtum. Ergo, inquit Novator, non per invocationem Sanctorum. Solidum argumentum eſt, & millies alibi refutatum, vel ex caritate ſola, qua flagrant Sancti in illa cæleſti gloria: ſicut in hac vita fecerunt, & facere potuerunt, ſine ulla iniuria Chriſti.

V. 3. NON SOLUM AUTEM. Occupatio eſt: nam quæri potuit, quomodo nobis illa gloriatio hic inter tot mala. Reſpondet Paulus, iuſtum in tribulatione excitari ad patientiam: hæc probatos reddit; probatione conſtantior fit ſpes; hæc non afferet confuſionem, quia non fruſtrabitur. Deus autem amicos nec confundit, nec deſerit, niſi, inquam, deſeratur, &c. Ita uſque ad verſum 6. Et talis tandem eſt exitus atque fructus proveniens ex fide Chriſti. Ceterum tribulatio operatur patientiam, prout eſt homini iuſto & cordato materia, in qua ſe ſtrenue exercens creſcit in patientia. Patientia porro operatur probationem, id eſt reddit hominem probatum (ut aurum in

fornace) unde apparet quantus ſit. At Iac. III. probatio e contrario dicitur operari patientiam: ſane talia ſunt hæc duo, ut ſtent mutuis auxiliis, & ſe mutuo iuvent. Denique patientia ſpem operatur, quatenus bona confeſſio ſpem firmat.

V. 5. Caritas diffusa in cordibus. Caritatem intelligo non ſolam qua Deus nos diligit (ut aliqui ſentiunt) ſed qua nos Deum diligimus; ex Auguſtino, & Tridentino Concilio, ubi definitur caritatem ita diffundi in cordibus, ut inhæreat, nec eſſe purum Dei favorem; niſi velis cum S. Thoma utramque intelligere caritatem, creatam ſimul & increatam: quo modo dicunt plerique Theologi Spiritum Sanctum vere etiam nobis dari; ac ſi dicas, caritatem increatam ſe diffundere in cordibus per creatam caritatem, ita ut in iuſtificatione donari nobis dicatur Spiritus S. antea quidem ibi & ubique præſens per eſſentiam; ſed tunc novo & ſpeciali modo per inhærentem gratiam & iuſtitiam. Et quidem hic modus hanc rem explicandi commodiſſimus videtur: & male ſentent. Magiſter poſuit præſentem in iuſtificatione Spiritum S. ſine reali qualitate inhærente, &c. Nec ſatis apparet quomodo Deus dicatur *diffundi*, niſi addas hæc dona. Lege de hac inhærente iuſtitia, Auguſt. de Spir. & lit. cap. XXXI. quem male pro ſe citavit Lombardus. Hæc ergo diffuſio eſt, quæ non confundit, ſed conſolatur nos. Fiducia vero eſt Novatorum, quæ vere Sectarios confundit, cum inani perſuaſione & probroſa præſumptione, qua in continuis peccatis volunt ſe eſſe iuſtos & prædeſtinatos.

V. 6. Ut quid enim Christus. Probat præterea ſpem non confundere: nam ſi in ſpe noſtra ulla eſſet futura confuſio, incredibile eſſet ad eam firmandam in nobis voluiſſe Chriſtum tam dira pati pro miſeris peccatoribus. Secundum tempus, tempore deſtinato a Deo: aut ſi pro impiis tanta paſſus eſt, quanto magis faciet pro iuſtificatis in fide eius, aut ſpes eorum non ſit vana.

V. 7. & 8. Magnopere ſpem noſtram firmavit Chriſtus, & longe fecit a confuſione, quando pro nobis impiis mortuus eſt, cum vix ſit qui pro iuſto moriatur. Varia hic interpretatio circumfertur: optima eſt illa quam dat S. Thomas, quæ eſt, ut bonus & iuſtus pro eodem accipiantur, & pars poſterior verſ. 7. explicet priorem, ſero ac ſi diceret, vix ac ne vix quidem.

V. 9. 10. & 11. Christus pro nobis. Promovebitur ſpes noſtra ad gloriam promiſſam (ut cœpit probare) quia ſi mortem paſſus eſt, ut nos iuſtificaret, quanto magis faciet per meritum paſſionis, ut iam iuſtificati perveniamus ad gloriam ſperatam. Et verſ. 11. Non solum autem, inquit, ſumus reconciliati Deo, sed et gloriamur nos habere Deum patrem & tutorem. Non eſt hæc gloriatio cum certitudine præſumpta Novatorum: ſpes enim Chriſtiana eſt cum metu; certa ex promittente, cum timore, ſi nos intueamur: firmiſſima vero erit, ſi viciſſim Deum diligamus. Ægre ferunt Novatores, cum aliquid profertur de merito, quia nomen hoc non eſt in Scriptura. Quid ergo dicent de Trinitate? an non certum eſt vere Chriſtum meruiſſe? Dicent dari mercedem tantum ex quadam conſecutione. Falſum eſt, cum ſtet ordinatio Dei, præceptum, & pactum ex conditione operis: hæc clara ſunt non pertinacibus.

V. 12. Propterea sicut. Altera pars capitis eſt: διὰ τοῦτο. Comparationem hic eſſe deſignat: dixit in fine præcedentis verſiculi nos eſſe reconciliatos Deo: nunc addit propterea hoc factum eſſe, ut ſicut per unum hominem (Adamum) mors intravit ad omnes; ita per unum hominem (Chriſtum) omnes haberent vitam. Et quidem prior pars comparationis de morte habetur expreſſe hoc verſ. 12. at ubi eſt altera de vita per Chriſtum? Aliqui dicunt debere hic ſuppleri & intelligi: quod facile eſt ſuſpicari, cum certum ſit eam eſſe mentem Pauli. Poſſumus tamen dicere, hanc alteram partem & redditionem haberi expreſſe verſ. 18. & 19. quod vero inter protaſin & apodoſin tam multa interiecerit Paulus, eſt hyperbaton, aut modus dicendi non inſuetus Paulo, & qui præſertim facile digreditur ex affectu, cum incidit mentio de caritate Chriſti. Non eſt hic locus diſputandi de peccato originali. Rem hanc tractant ex profeſſo Theologi, & quam ſatis attigi alibi ſuo loco, ubi de natura & cauſis huius peccati, & nec eſſe imitationem Pelagianam probatum eſt, nec concupiſcentiam Calvinianam. In quo omnes peccaverunt: ἐφ᾽ ᾧ refert hominem, non

non peccatum : ἁμαρτίαν, femininum eſt. *In Adamo*, ſuppoſita divina lege peccaverunt in illo ut in capite, & ex illo capite haberunt neceſſitatem contrahendi originale peccatum. Ac ſic demum pertranſiit in omnes peccatum, & cum peccato mors corporis in omnes homines: vere, inquam, pertranſiit peccatum proprie & per ſe: ſicut (ait Paulus) iuſtitia per Chriſtum. Per Chriſtum autem intravit vera iuſtitia. Non ergo intravit peccatum ſola imitatione, aut per effectum. Pertranſit autem & transfunditur per generationem, ut ait Milevitanum Can. II. Et omnes quidem ſub debito ſunt. Omnes etiam contrahunt, niſi hoc ſecundum ſpeciali privilegio impediatur. In his ratio originalis peccati eſt, conſtitutas eſſe omnium voluntates in voluntate Adami. Et vero ſicut in Chriſto, ut in capite poſita eſt omnium ſalus, ita de nobis in Adamo. Hanc providentiæ, inquam, rationem recte potuit ſervare Deus omnium ſupremus dominus & creator. Ecce iterum rationem typi.

V. 13. USQUE AD LEGEM. Locus ſane obſcurus eſt. Nomine peccati recte hic intelligitur peccatum quodlibet, præcipue quidem originale, tum etiam actuale. Res hæc ita ſe habet. Concluſum eſt verſ. 12. per hominem intraſſe peccatum, & per ſolum Chriſtum veniſſe remedium. Nunc utrumque magis declarat: adeo ſcilicet ab Adamo viguiſſe continuo peccatum, ut nec per legem, quæ infirma erat, nec a natura, nec aliunde quam per fidem Chriſti repertum ſit remedium ne quidem pro infantibus. Ponit itaque verſ. 13. viguiſſe continuo peccatum ab Adamo: & quamvis non vocaretur tranſgreſſio legis ab Adamo ad Moſen, quia lex nondum erat; tamen erat tranſgreſſio legis naturalis & divini alicuius præcepti, & ſic imputabatur etiam infantibus propter originale, qui non poterant actu peccare ad ſimilitudinem Adami, qui actu peccavit. Deinde verſ. 14. habet novam probationem ab effectu, & morte quæ eſt pœna peccati hoc modo: fuit toto illo tempore mors, pœna peccati, ergo fuit peccatum tunc.

V. 14. IN SIMILITUDINEM. Adam actu peccavit: mors autem regnavit in eos etiam qui non peccarunt actuali peccato, ac proinde in infantibus, in quibus tantum erat originale peccatum. Ex quo argumento habetur clarior probatio originalis peccati. Dicitur autem Adam forma futuri, quod ille ſit typus Chriſti venturi: ſed in contrarium ſenſum; nempe ut ſicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto venturo omnes a morte redimerentur.

V. 15. SED NON SICUT DELICTUM. Hic docet Apoſtolus non tantum nocuiſſe delictum Adami, quantum profuit gratia Chriſti, quæ abundavit in plures, in multos, εἰς πολλούς: ſane bonum quod Chriſtus attulit, maius eſt, quam damnum, quod attulit Adam. Non eſt ergo quæſtio de multitudine, an plures perierint per peccatum Adami, quam qui Chriſti merito liberati ſunt. Nam pauci ſalvantur, licet redemptio omnibus ſuffecerit: ſed vult Apoſtolus amiſſa bona per peccatum Adami non eſſe tanti ac ſunt gratiæ dona conceſſa Eccleſiæ & aditus ad gloriam, quem attulit Chriſtus. Illud MULTI eſt omnes.

V. 16. ET NON SICUT PER UNUM. In hoc etiam eſt diſcrimen doni & peccati: nam ab uno peccato reatus proceſſit & damnatio in multos: donum e contra a multis peccatis liberavit; immo ab omnibus ſufficienter, & ſic non ad condemnationem proceſſit donum, ſed ad iuſtificationem. Obſervet hic Sectarius gratiam non eſſe nudum favorem, ſed eſſe vere donum, & aliquid donatum. Ceſſet ergo imputatio Calviniana.

V. 17. SI ENIM UNIUS DELICTO. Adhuc docet donum ſuperare. Nam ſi per unius delictum regnavit mors, multo abundantius per donum Chriſti regnabunt, qui iuſtitiam acceptam retinent. Et ſic regnum mortis mutatur in bonorum omnium abundantiam.

V. 19. SICUT ENIM PER INOBEDIENTIAM. Apoſtolus hic manet in explicatione præcedentis comparationis, ſub nominibus obedientiæ & inobedientiæ. Eſt autem vox *multi*, ut diſtinctio appareret ab uno: alioqui ſupra vere dixit diffundi peccatum in omnes verſ. 18. ac proinde nihil hinc habet Pelagius, qui originale peccatum ponebat in imitatione, & hanc tantum eſſe multorum. Conſtat etiam ex hoc loco originale non eſſe per ſolam imputationem, ut falſo putavit Catharinus. Lege Tridentinum de hac re.

V. 20. & 21. LEX AUTEM SUBINTRAVIT. Poſtrema pars capitis. Probatum eſt iuſtificationem non aliunde eſſe quam per Chriſtum. Et ne quis obiiciat, ad nihil ergo valuiſſe legem; occurrendum eſt, legem quamvis ex Dei intentione data ſit ad morum correctionem, tamen non valuiſſe ad iuſtificationem; quin potius occaſionem præbuiſſe, indeque effectum eſſe, ut plura eſſent peccata, ſi ſolam litteram reſpicias: nam poſita lege ſecutæ ſunt multæ transgreſſiones. En iam Antitheſin, quod per Chriſtum ſuperabundet gratia: παρεισῆλθε, ſubintravit lex, quaſi latenter & ad tempus breve, nempe uſque ad Chriſtum finem legis.

CAPUT VI.

In Chriſto baptizati ſumus, ut mortui peccato deinceps in novitate vitæ ambulemus: ſicut Chriſtus ſemel mortuus ac ſepultus, ad novam vitam, non amplius moriturus, reſurrexit: non ergo iam obediamus peccato aut concupiſcentiis; ſed ſoluti a lege, liberatique per Chriſti gratiam a peccato, & ſervi facti iuſtitiæ tradamus membra noſtra in obſequium iuſtitiæ ad vitam, quæ prius tradideramus immunditiæ ad mortem.

1. QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia
abundet? 2. Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato,
quomodo adhuc vivemus in illo? 3. * An ignoratis quia
quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte
ipſius baptizati ſumus? 4. [a] Conſepulti enim ſumus
cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodo Chri-
ſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, (b) ita &
nos in novitate vitæ ambulemus. 5. Si enim complan-
tati facti ſumus ſimilitudini mortis eius: ſimul & reſurrectionis erimus.
6. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur
corpus peccati, * & ultra non ſerviamus peccato. 7. Qui enim mortuus eſt,
iuſtificatus eſt a peccato. 8. Si autem mortui ſumus cum CHRISTO: credi-
mus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto: 9. ſcientes quod Chriſtus reſur-
gens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. 10. Quod
enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo.
11. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem
Deo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. 12. Non ergo regnet peccatum in
veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis eius. 13. Sed neque ex-
hibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tam-
quam ex mortuis viventes: & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. 14. Pecca-
tum enim vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.
15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia?
Abſit. 16. (c) Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum,
ſervi eſtis eius, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad iu-
ſtitiam? 17. Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem
ex corde in eam formam doctrinæ, * in quam traditi eſtis. 18. Liberati au-
tem a peccato, ſervi facti eſtis iuſtitiæ. 19. Humanum dico, propter infir-
mitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immun-
ditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire
iuſtitiæ in ſanctificationem. 20. Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis
iuſti-

ιuſtitiæ. 21. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. 22. Nunc vero liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. 23. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

(a) Gal. III. 27. Col. II. 12. (b) Epheſ. IV. 23. Hebr. XII. 1. I. Pet. II. 1. (c) Ioan. VIII. 34. II. Petr. II. 19.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 2. *An ignoratis.* Non eſt addendum *fratres*.

Verſ. 6. *Et ultra non ſerviamus peccato*. Non eſt mutandum & copulativum cum *ut* accuſativo.

Verſ. 17. *In quam traditi eſtis*. Nec hic mutandus eſt accuſativus *quam* in ablativum *qua*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 2. MORTUI SUMUS PECCATO. Græce τῇ ἁμαρτίᾳ, quem dativum græcum per ablativum reddere poſſumus, ut ſit ſenſus, *Qui peccato mortui ſumus*, id eſt qui per peccatum mortem incurrimus: ſi per dativum, ſenſus eſt, qui ipſi peccato mortui ſumus, id eſt qui per baptiſmum peccato tamquam illi mortui renunciavimus, quomodo adhuc in illo vivemus?

V. 3. AN IGNORATIS, FRATRES, QUIA QUICUMQUE BAPTIZATI SUMUS IN CHRISTO IESU. Græci legunt εἰς χριστὸν & paulo poſt εἰς θάνατον, id eſt in Chriſtum & in mortem, hoc eſt, in vim mortis eius, vel in Chriſti nomine: quemadmodum in primitiva eccleſia baptizabantur: aut melius, inſtar Chriſti, & ad ſimilitudinem mortis illius, & ſic exponunt Græca ſcholia, καλῶς οὖν φησὶ εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν, ὅ ἐστιν εἰς τὸ ἀποθανεῖν αὐτῷ θάνατον ἁμαρτίας τῷ βαπτίσματι ἐνθάπτοντας id eſt, *bene igitur*, inquit, *in mortem ipſius baptizati ſumus*: videlicet ut ſimili cum illo morte moriamur, in baptiſmo peccata ſepelientes, ut ſcilicet quomodo Chriſtus moriens, peccatum occidit in corpore ſuo affigens illud cruci, ita baptizati peccata noſtra crucifigamus in corpore ipſius, & in illo conſepeliamus: nam baptiſmus etſi non eſt mors corporalis, peccati tamen ſpiritualis mors eſt.

V. 4. CONSEPULTI ENIM SUMUS. Non modo, inquit, in mortem Chriſti baptizati, ſed & per baptiſmum conſepulti in mortem ſumus ipſius, ad hoc videlicet, ut mortem & ſepulturam ipſius in nobis exprimamus, veterem noſtrum hominem perimentes, & cum ipſo in baptiſmo ſepelientes, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Additurus erat Paulus, ſic & nos reſurgamus, ſed ut Græci aiunt, aliam reſurrectionem per melioris vitæ converſationem afferens ſubdidit, ITA ET NOS IN NOVITATE VITAE AMBULEMUS, ut ſcilicet qui fornicabatur, iam non fornicetur; qui furabatur, iam non furetur, & ſimilia.

V. 5. SI ENIM COMPLANTATI. Græ. eſt, εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα; id eſt, ſi coinſiti & complantati illi fuerimus ad ſimilitudinem mortis eius, ad ſimilitudinem quoque reſurrectionis erimus; hoc eſt: Si ſpiritualiter ad imitationem mortis eius peccato morimur, ſpiritualiter quoque ad imitationem reſurrectionis eius, & nunc in novitatem mentis atque animi, & olim in novitatem & gloriam corporis reſurgemus. Conveniente autem metaphora uſus eſt, ſumpta a cognatis arboribus quæ invicem inter ſe inſeruntur ſimilitudine: nam ut ramus in arborem inſitus moriente quodammodo per hyemem arbore illi commoritur, & illa, tempore veris reſurgente, una reſurgit: ſic qui in Chriſto coinſitus peccato commoritur, ipſi quo-

Digitized by Google

ſi quoque vere illo univerſali, cum novum cælum & nova terra repullulaſcent, conreſurget ad gloriam. Cyrillus ait *τὸ in ſimilitudinem mortis Chriſti*, non amplius ſignificare, quam in mortem Chriſti, quod ob ipſius mortis brevitatem, umbra quaſi tantum & ſimilitudo mortis fuerit; eius verba Græca ſunt *ὁ μοίωμα θανάτυ, ὁ χρισῦ θάνατος, διὰ τὸ μὴ ἀπομεμηκέναι αὐτὸ τῶ θανάτω, ἢ ἀναβιῶναι τριήμερον*; id eſt, ſimilitudo mortis, Chriſti mors eſt, quod diutius teneri morte non potuit, ſed tertia die reſurrexit.

V. 6. VETUS HOMO, id eſt fomes peccati & veteris Adæ reliquiæ, CORPUS *autem* PECCATI], vel congeries peccatorum dicitur, vel corpus peccato obnoxium, quod deſtrui oportere dicit, non ſubſtantia ſed qualitate.

V. 7. QUI ENIM MORTUUS EST, id eſt qui mortuus & concrucifixus eſt Chriſto per baptiſmum, iuſtificatus eſt a peccato, & ab illo liberatus. MORTUUS EST PECCATO, id eſt propter peccatum noſtrum, vel ad illud deſtruendum MORTUUS EST SEMEL non ultra pro illo moriturus; itaque ſicut non relinquitur denuo pro expiando peccato Chriſti crux & hoſtia; ita neque denuo baptiſmus ſupereſt, qui Chriſti mortem in nobis imitetur: mortuus quoque eſt ſemel, id eſt ſicut ſemel mortuus, numquam ad mortalitatem rediit, ſic ſemel peccato mortui nunquam ad illud redire debemus. Chriſtus quoque dici poteſt mortuus *τῇ ἁμαρτίᾳ*, id eſt peccato, dativo, quia peccatum in illum mortuum eſt, non quidem ſuum, ſed noſtrum, & ita mortuus peccato ſemel tantum mortuus eſt, quia nequaquam denuo in iterata morte ipſius, peccatum noſtrum morietur. QUOD AUTEM VIVIT, VIVIT DEO: verſ. 10. id eſt, Deus in eo vivit, ſicut peccatum in eo moriebatur, ita & nos debemus exiſtimare nos mortuos quidem eſſe peccato, id eſt peccatum in nobis mortuum eſſe. DEO AUTEM VIVENTES, verſ. 11. id eſt Deum in vobis vivere.

V. 15. NON ENIM ESTIS SUB LEGE; quaſi dicat: In lege dominabatur veſtri peccatum, (ſicut paulo ante dixit, regnaſſe mortem ab Adam uſque ad Moyſem, id eſt usque ad legem incluſive) non autem iam ſub gratia dominabitur, extincta & refrenata per Chriſtum eius tyrannide.

V. 16. AN NESCITIS. Græca ſubobſcura ſunt, *ὐκ οἴδατε ὅτι ᾧ παριςάνετε ἑαυτὺς δύλυς εἰς ὑπακοὴν, δῦλοί ἐςε, ᾧ ὑπακούετε, ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θάνατον: ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην*; id eſt, num ſcitis quod cui vos obedientes ſervos exhibetis, eius eſtis ſervi cui & obeditis? ſive peccati ſervi eſtis ad mortem, ſive obeditionis ad iuſtitiam.

V. 17. IN QUAM, id eſt in qua eſtis inſtituti.

V. 19. HUMANUM; id eſt, rem exigo facilem qui maiora poſſem, ut ſcilicet tantum iuſtitiæ præſtetis, quantum immunditiæ præſtitiſtis: vel quod voco vos ſervos iuſtitiæ, humano more dico, quo eius ille ſervus dicitur, cui obedit, etſi ſervire Deo, regnare eſt: craſſius ergo hominum more & rudius loquor.

S A.

Verſ. 1. ADHUC, id eſt poſthac.

V. 2. IN CHRISTO, id eſt in Chriſti nomine. IN MORTE, id eſt ad ſimilitudinem mortis, ut ſtatim explicatur.

V. 3. IN MORTEM, id eſt ut peccato moriamur. GLORIAM, id eſt glorioſam potentiam.

V. 4. COMPLANTATI FACTI, id eſt inſiti. SIMILITUDINI, id eſt ad ſimilitudinem. RESURRECTIONIS, id eſt ſimilitudine. ERIMUS, ſcilicet complantati, ſeu participes.

V. 5. CORPUS, id eſt ſubſtantia, ſeu congeries, aut vis.

V. 6. MORTUUS, ſcilicet peccato in Baptiſmo.

V. 7. CUM CHRISTO, id eſt ſimilitudine mortis Chriſti.

V. 8. IAM, id eſt amplius.

V. 9. PECCATO, id eſt ad delendum peccatum. DEO, id eſt apud Deum, ſeu divina vita.

V. 11. UT OBEDIATIS. Explicat quid ſit regnare peccatum, id eſt fomitem.

V. 12. ARMA, id eſt inſtrumenta.

V. 13. SUB LEGE, id eſt in ſtatu legis, ſeu ſub ſolo legis ductu.

V. 14. MORTEM, ſcilicet animæ.

V. 16 DEO, ſcilicet ago, ſeu agite. IN QUA. Syr. *cui*.

V. 17. HUMANUM, id eſt quod ferre poſſitis. AD INIQUITATEM, id eſt inique ag-

agendo. Vide cap. I. 17. IN SANCTIFICATIONEM, id eſt ſancte vivendo.

V. 20. IUSTITIAE, id eſt a iuſtitia; quaſi dicat, A iuſtitia alieni.

V. 22. IN SANCTIFICATIONEM; pro, ſanctificationem.

V. 23. STIPENDIA, id eſt merces, ſeu debitum. VITA AETERNA; pro, vitam æternam, ſcilicet confert. IN CHRISTO, id eſt per Chriſtum.

MARIANAE.

Verſ. I. QUID ERGO DICEMUS? Reſpondet obiectionibus, quæ ex dictis oriri poſſunt.

V. 2. QUI ENIM MORTUI SUMUS PECCATO, id eſt peccatum in nobis mortuum eſt; quia peccato liberati ſumus, quo modo ad illud redibimus?

V. 3. QUICUMQUE BAPTIZATI SUMUS IN CHRISTO IESU. Græc. *in Chriſtum Ieſum;* ſed perinde eſt. Id vult, ut quoniam Baptiſmus eſt mortis Chriſti figura, ut ille ſemel mortuus eſt, & reſurrexit non amplius moriturus, ſic nos ſemel a peccato liberi, ne ad illud revertamur.

V. 5. COMPLANTATI, id eſt inſiti Chriſti morti per Baptiſmum qui eſt eius ſimilitudo. SIMUL ET RESURRECTIONIS, ſcilicet participes erimus.

V. 6. QUIA VETUS HOMO NOSTER, fomes crucifixus eſt peccati. CORPUS PECCATI, ſubſtantia, eſſentia, vis eius, ut deſtruatur.

V. 7. QUI ENIM MORTUUS EST, id eſt cum Chriſto crucifixus liber a peccato eſt.

V. 10. QUOD ENIM MORTUUS EST PECCATO. Innocentius Lib. IV. de Miſſæ ſacrificio, cap. VII. legit, *pro peccato*. Sed noſtra lectio melior. *Peccato mortuus eſt*, id eſt liber a peccati pœnis, quas in ſe ſumpſerat Chriſtus.

V. 13. MEMBRA VESTRA: ſupple, ut ſint arma iniquitatis, non exhibeatis.

V. 14. PECCATUM ENIM VOBIS; pro *in vobis non dominabitur*, ut Goth. aut *veſtri*, ſeu *vobis*, ut eſt Græc. ὑμῖν. NON ENIM SUB LEGE ESTIS; quaſi dicat, Sub lege peccatum dominabatur, gratia a peccato liberat.

V. 16. CUI EXHIBETIS VOS SERVOS; quaſi dicat: Servus debet obedire domino; ergo ſicut ante obediſtis peccato, ita nunc iuſtitiæ obedite. SIVE OBEDITIONIS AD IUSTITIAM? Converte, *ſive iuſtitiæ, ad obediendum*. Eo deveniſtis, ut illi quaſi ſervi obediatis, ſcilicet iuſtitiæ.

V. 17. IN QUAM TRADITI ESTIS. Hypallage, pro, quæ vobis eſt tradita. Similis Græciſmus eſt ad Gal. II. illis verbis, πεπίστευμαι τὸ Εὐαγγέλιον, id eſt *creditus ſum Evangelium*, pro, creditum eſt mihi Evangelium.

V. 19. HUMANUM DICO, id eſt tolerabile. Alioqui exigendum, ut decies tantum converteremini ad Deum: Baruch. IV. 28.

V. 20. LIBERI FUISTIS IUSTITIAE, id eſt iuſtitia vos liberavit a ſervitute peccati, cum ante ſervi peccati eſſetis.

V. 23 STIPENDIA ENIM PECCATI MORS, ſcilicet ſunt. GRATIA AUTEM DEI. Videtur dicendum fuiſſe econtrario. Stipendia iuſtitiæ vita æterna, ut antitheſis membra ſibi reſponderent. Noluit tamen, ne nobis tantum bonum tribueremus. De quo Auguſtinus epiſt. CV. IN CHRISTO, per Chriſtum, per eius merita.

MENOCHII.

Verſ. I. QUID ERGO DICEMUS? &c. Ita loquitur, quia dixerat gratiam abundare ubi abundavit peccatum; ne quis propterea exiſtimaret immorandum eſſe peccatis, & peccata peccatis cumulanda, quo ſcilicet amplius abundaret, & commendaretur Dei gratia.

V. 2. MORTUI SUMUS PECCATO: qui a peccati ſervitute liberi ſumus; quibus cum peccato non plus eſt negotii, aut commercii, quam mortuis eſſe ſoleat cum Chriſto viventibus: mortui ſumus etiam peccato, quia vetus homo noſter ſimul cum crucifixus eſt, ut dicitur infra verſ. 6. QUOMODO ITERUM VIVEMUS IN ILLO? quomodo nos iterum peccatis implicabimus, a quibus nos abduximus, & quibus mortui ſumus?

V. 3. BAPTIZATI SUMUS IN CHRISTO: chriſtianam fidem ſuſcipiendo. IN MORTE IPSIUS BAPTIZATI SUMUS, id eſt in ſimilitudinem, & repræſentationem mortis Chriſti.

V. 4. CONSEPULTI ENIM SUMUS CUM ILLO, &c. quaſi dicat: Nos mortui peccato ſepulti ſumus in baptiſmo, ſicut Chriſtus mortuus corporaliter traditus eſt ſepulturæ; nemo enim ſepelitur niſi mortuus: cum ait, *conſepulti ſumus per baptiſ-*

ptiſmum, alludit ad ritum baptizandi per immerſionem, corpus enim eius qui hoc modo baptizatur, aquis quodammodo ſepelitur. IN MORTEM: ad hoc ut moriamur peccato. PER GLORIAM PATRIS: per vitam glorioſam, & immortalem, quam Chriſtus reſurgens accepit a Patre. IN NOVITATE VITAE AMBULEMUS: novum vitæ genus inſtituamus, quale Chriſtianum decet.

V. 5. SI ENIM COMPLANTATI, &c. Excitat hic Apoſtolus Romanos ad novitatem vitæ per ſpem reſurrectionis; ſenſus eſt: Nam ſi ſepulti ſumus in baptiſmo cum Chriſto, & quaſi ſurculi illi adhærentes cum ipſo defoſſi; erimus & nos participes eius reſurrectionis, germinantes & nos ad immortalitatem.

V. 6. HOC SCIENTES, &c. quaſi dicat: Debemus mortui eſſe peccato, & in novitate vitæ ambulare hoc ſcientes, & cogitantes, &c. QUIA: quod. VETUS HOMO NOSTER. Veterem hominem vocat vetuſtatem, & corruptionem peccati in homine, quam ex veteri Adamo contraxit. Vel potius ipſum hominem in quantum huiuſmodi vetuſtate affectus eſt. SIMUL CRUCIFIXUS EST: una cum Chriſto in typo, & repræſentatione cruci affixus, & mortuus eſt; baptiſmo enim repræſentamus crucem Chriſti, & vitiorum, ſcilicet nos cum Chriſto eſſe crucifixos, & vitia noſtra crucifixiſſe. Secundo, etiam per efficientiam, quia ſcilicet virtute Chriſti in cruce mortui, quæ baptiſmo nobis applicatur, peccata noſtra deleta ſunt: crux enim peccatorum noſtrorum mors eſt, & deſtructio. UT DESTRUATUR CORPUS PECCATI. Corpus peccati eſt tota peccatorum maſſa, quæ quaſi unum eſt corpus hominis veteris, cuius membra ſunt libido, avaritia, ſuperbia, &c. cuilibet Chriſtiano mortificanda. Deſtruitur ergo corpus peccati, quando membra eius mortificamus, id eſt quando deſideriis peccati non conſentimus, ſed reſiſtimus, eaque in nobis expugnamus, & abolemus. ET ULTRA NON SERVIAMUS, &c. ſervit peccato, qui peccati deſideriis, &, ut ita dicam, imperiis obſequitur.

V. 7. QUI ENIM MORTUUS EST: qui veterem hominem in ſe deſtruxit. IUSTIFICATUS EST A PECCATO: abſolutus, & liberatus eſt a iure, & dominio peccati, cui fuerat ſubiectus, ſicut ſervus per mortem quaſi ſe ſubducit a dominio heri ſui.

V. 8. SI ENIM MORTUI SUMUS: ſi ita mortui fuerimus peccato, quemadmodum Chriſtus mortuus eſt carne; confidimus, ſicut ille reſuſcitatus a morte vivit novam vitam, ita nos quoque novam, id eſt a vetuſtate peccati repurgatam vitam deinceps acturos.

V. 9. SCIENTES QUOD CHRISTUS RESURGENS EX MORTUIS, &c. Pendent hæc a præcedentibus, quaſi dicat: Si mortui ſumus peccato, credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto in vita ſcilicet beata, & immortali. Scimus enim Chriſtum poſtquam reſurrexit a mortuis talem vitam iam vivere, nec amplius moriturum, immo mori non poſſe. Cum ergo vita noſtra beata ſimilis futura ſit vitæ Chriſti, ſequitur nos quoque tunc amplius non morituros.

V. 10. QUOD ENIM MORTUUS EST PECCATO; id eſt, quod enim mortuus eſt ad deſtruendum peccatum, id iam factum eſt, nec opus eſt ut fiat iterum. QUOD AUTEM VIVIT, &c. quod autem vivit iam excitatus a morte, vivit vitam glorioſam, & immortalem, Deoque dignam, qui immortalis eſt.

V. 11. ITA ET VOS, &c. quaſi dicat: Ita & vos cogitate de vobiſmetipſis, nimirum vos ſemel mortuos eſſe peccato in baptiſmo; de cetero autem viventes eſſe, ac vivere oportere Deo, id eſt vitam vivere Deo congruam, quam nulla mors peccati ulterius ſequatur. IN CHRISTO IESU, &c. id eſt per Chriſtum, vel, ad ſimilitudinem Chriſti, qui ita vivit, ut amplius non moriatur; quaſi dicat: Pari modo nec vos amplius mori debetis per peccatum.

V. 12. NON REGNET PECCATUM IN VESTRO MORTALI CORPORE: ne permittatis peccatum, & concupiſcentias quæ ad peccatum incitant regnare in vobis.

V. 13. ARMA, id eſt inſtrumenta. TAMQUAM EX MORTUIS VIVENTES: ſicut facere convenit eos, qui peccato mortui iam vivunt cum Chriſto, ſimilitudini reſurrectionis eius conformati. ET MEMBRA VESTRA ARMA IUSTITIAE DEO; ſcilicet, exhibete Deo membra veſtra quaſi inſtrumenta, & arma, quibus ei militetis ad exercenda iuſtitiæ opera.

V. 14.

Digitized by Google

V. 14. NON ENIM SUB LEGE ESTIS, SED SUB GRATIA; quaſi dicat: Peccatum iis qui ſub gratia, ſunt dominari nequit, niſi ipſi libere ſe peccato ſubiiciant: iis vero qui ſub lege ſunt non ſub gratia, quaſi iure hereditario ab Adamo hucuſque præſcripto dominatur peccatum.

V. 15. PECCABIMUS: legem tranſgredientes, quaſi illi non ſubiecti, & concupiſcentiis noſtris liceat indulgere? ABSIT: nam legem aſpernari non licet, ſed potius per gratiam illam adimplere debemus.

V. 16. NESCITIS, &c. Probat Apoſtolus fideles nec ſervos eſſe peccati, nec illi ſervire debere, quod ſe iam divinæ ſervituti per baptiſmum addixerint. SIVE PECCATI AD MORTEM; ſive peccati, quod ducit ad mortem. SIVE OBEDITIONIS: legi Chriſti, quæ ducit ad vitam.

V. 17. GRATIAS AUTEM DEO QUOD FUISTIS, id eſt quod eſſe deſiſtis. OBEDISTIS: legi, & doctrinæ Evangelicæ. IN EAM FORMAM DOCTRINAE, &c. eam recipientes doctrinæ formam, quam vobis Apoſtoli ſua prædicatione quodammodo impreſſerunt.

V. 18. IUSTITIAE: ſanctitatis, & virtutis.

V. 19. HUMANUM DICO, &c. quaſi dicat, Ego a vobis, o Romani fideles, rem exigo humanam, id eſt æquam, moderatam, & facilem, ut ſcilicet tantum, tantoque conatu ſtudeatis iuſtitiæ *in ſanctificationem*, id eſt ut in dies magis magiſque ſanctificemini, quanto olim ſtuduiſtis iniquitati ad iniquitatem, ita ſcilicet ut ex una iniquitate rueretis in aliam, & ſemper fieretis deteriores.

V. 20. LIBERI FUISTIS IUSTITIAE, id eſt iuſtitiæ expertes.

V. 21. QUEM FRUCTUM HABUISTIS: quam utilitatem ex peccato reportaſtis. IN QUIBUS: de quibus. NAM FINIS ILLORUM MORS EST: adeo nullus ex peccatis fructus percipitur, ut etiam mors inde tandem conſequatur.

V. 22. HABETIS FRUCTUM VESTRUM IN SANCTIFICATIONEM, hoc eſt, ipſam ſanctificationem, ſive ſanctimoniam, vitæque munditiam, verum fructum ex illa ſervitute capitis. FINEM VERO VITAM AETERNAM: ad quam tandem perducit iuſtitiæ ſervitus, & ad quam, ut ad cauſam finalem ordinatur.

V. 23. STIPENDIA ENIM PECCATI MORS: merces, quam peccatum ſervis rependit, mors eſt. GRATIA AUTEM DEI, &c. id eſt, gratuitum autem Dei donum, quod Deus ſervis ſuis largitur, eſt vita æterna, accipienda per Ieſu Chriſti Domini noſtri merita.

TIRINI.

Verſ. 1. QUID ERGO DICEMUS? An, quia docui *a*, *abundante delicto, ſuperabundaſſe gratiam*, ſcrupulus movetur aliquibus, expediatne *permanere* IN PECCATO, & accumulare peccata peccatis, UT GRATIA Chriſti exinde magis ABUNDET?

V. 2. ABSIT. *Neque* enim *facienda* ſunt *mala, ut eveniant bona b*. Deinde, peccatum ex ſe non facit abundare gratiam, ſed impedit, & expellit illam: ſola autem miſericordia Dei ſuccedit gratia in locum peccati: unde ſubmovenda neceſſario peccata, ſi gratiæ locum eſſe velimus. Cum ergo iam pridem illa ſubmoverimus, immo MORTUI SIMUS PECCATO, nec plus nobis cum illo commercii ſit, quam mortuis eſſe ſoleat cum viventibus; QUOMODO tam ſtulti erimus, ut ADHUC, ſeu iterum, *vivere* IN ILLO, eiuſque fœdiſſimæ ſervituti rurſum mancipari velimus? Peccatum enim & peccati fomes, ſeu concupiſcentia, inducitur hic ab Apoſtolo quaſi rex quidam vel tyrannus, qui in homine tunc regnare dicitur, quando is pravis eius deſideriis & motibus obſequitur. Et tunc etiam homo *vivere* illi vel in illo cenſetur: *mori* vero vel mortuus eſſe, quando deſideriis & motibus eius non obſecundat. Pari modo dicimur vivere vel mortui eſſe iuſtitiæ, mundo, vanitati, &c.

V. 3. QUICUMQUE BAPTIZATI SUMUS IN CHRISTO, Chriſtianam fidem ſuſcipiendo, IN MORTE; Græce, *in mortem*, id eſt in ſimilitudinem & repræſentationem mortis Chriſti, BAPTIZATI SUMUS. Quia inſtar Chriſti morientis ac ſepulti corporaliter, nos per baptiſmum ſpiritualiter morimur & ſepelimur. Cum enim baptizamur & ter aquis immergimur, allegorica ſimilitudine repræſentamus Chriſtum mortuum & triduo immerſum in ſepulcrum. Ulterius etiam tropologica ſimilitudine deſignamus, quod, ſicut Chriſtus morte corpora-

Digitized by Google

li mortuus eſt huic mundo, ita nos morte ſpirituali moriamur eidem mundo, eiuſque domino & regi peccato, inquit S. Chryſoſt idque ſeu vi baptiſmi, ut S. Auguſt. *e* ſeu propoſito ſanctæ vitæ deinceps inſtituendæ, ut Tertull. *d.* exponit.

V. 4. UT QUOMODO CHRISTUS A MORTUIS RESURREXIT PER GLORIAM PATRIS, id eſt vitam exinceps acturus glorioſam qualis decet filium tanti Patris; ITA ET NOS baptiſmo reſurgentes, *novam* exinceps *vitam* dignam filiis Dei agamus, continuo & conſtanter *in* ea *ambulando*, id eſt pergendo & proficiendo: ita Caiet. & a Lapide.

V. 5. SI ENIM quaſi ſurculi, ſeu ramuſculi, COMPLANTATI; Græce, σύμφυτοι, id eſt inſititii, FACTI SUMUS Chriſto SIMILITUDINI, id eſt in ſimilitudinem MORTIS EIUS; nempe ſicut ipſe vere & corporaliter mortuus eſt, ita nos metaphorice & ſpiritualiter in baptiſmo illi commortui ſumus: etiam ERIMUS inſititii Chriſto in *ſimilitudinem reſurrectionis* eiuſdem nempe ut ſicut ipſe reſurrexit nova & glorioſa vita, ita & nos reſurgamus, hic metaphorice & ſpiritualiter per ſanctam & dignam filiis Dei converſationem, (ut Saſbout & Toletus exponunt:) in futuro autem (de quo alii accipiunt) phyſice ac proprie per redivivi corporis immortalitatem, & animæ glorioſæ triumphum ſempiternum. Metaphora deſumpta eſt a ſurculis inſitis alteri plantæ; quaſi dicat: Sicuti ramuſculus in arborem inſitus, arbore per hiemem quaſi moriente, illi commoritur, ſed in vere, rurſus arbore quaſi reſurgente, una cum ipſa reſurgit; ita qui Chriſto per fidem inſerti ſunt, ſicut per baptiſmum cum illo mortui ſunt mundo & peccato, ſic per novitatem vitæ debent eum eodem reſurgere, in vere quidem huius vitæ per ſanctam converſationem; in futuræ autem vitæ plena æſtate (quando *novum cælum & nova terra e* repullulaſcent) per gloriam immortalem: ita fere Origenes, Tertull. *f* & alii. Debemus autem in novitate vitæ ambulare,

V. 6. SCIENTES, ſeu cum ſciamus; QUIA VETUS NOSTER HOMO, quem ex veteri Adamo traximus, (nempe vetus vivendi ratio in concupiſcentiis & ſordibus, exemplo veteris Adami; vel corrupta natura noſtra, quæ veteribus peccatis & concupiſcentiis ex Adamo prognatis, & noſtra nequitia auctis, obnoxia hæret,) SIMUL cum Chriſto, ſeu merito crucifixi Chriſti, CRUCIFIXUS & mortificatus EST in nobis: merito enim & virtute paſſionis Chriſti, quæ per baptiſmum, aliaque Sacramenta, & virtutum exercitia nobis applicantur, concupiſcentiæ noſtræ ita conſtrictæ & coercitæ ſunt, ut in nobis non amplius dominentur aut ſæviant: quæ ipſis eſt metaphorica crucifixio & morali æſtimatione etiam mors, ut ante dixi *g*. *Ut* hac crucifixione DESTRUATUR CORPUS PECCATI, id eſt tota peccatorum maſſa, quæ quaſi unum eſt corpus hominis veteris, cuius membra ſunt ſuperbia, avaritia, libido, &c. cuilibet Chriſtiano mortificanda, (quod monet Apoſtolus *h:*) ut mortificatis ſingulis membris, concidat tandem totum corpus, omneque imperium, tyrannis & potentia *peccati*, ET ULTRA NON SERVIAMUS tam vili, tam ſordido, tam iniquo hero. Ubi obiter nota contra hæreticos, peccata in homine iuſto non tegi per iuſtitiam imputativam, ſed omnino *deſtrui* per gratiam ſanctificantem, & deleri & mori, ut etiam Calvinus ſui oblitus hic agnoſcit.

V. 7. QUI ENIM peccato MORTUUS EST, is IUSTIFICATUS, id eſt iure merito abſolutus & liberatus, EST A PECCATO, ſeu ſervitute peccati, cui ſubiectus fuerat; quaſi dicat: Sicut mancipium per mortem liberatur a ſervitute heri ſui; ita & nos per mortem ſpiritualem in baptiſmo vel pœnitententia liberamur a ſervitute peccati: ut proinde non amplius debeamus ei parere vel ſervire: ita Chryſoſt. & Theodoretus.

V. 8. SI AUTEM MORTUI SUMUS peccato, & nova vita ſpirituali iam vivimus CUM CHRISTO, ut ſupra *i* dixi; CREDIMUS & certi ſumus QUOD CUM eodem CHRISTO SIMUL ETIAM VIVEMUS aliquando vitam beatam & immortalem, etiam ſecundum corpus: ita Origenes, Chryſoſt. Theodoretus, & Anſelmus.

V. 10. QUOD ENIM Chriſtus MORTUUS EST PECCATO; id eſt, ad peccatum abolendum & in nobis exſtinguendum non niſi SEMEL, idque breviſſimo tempore factum: QUOD AUTEM a reſurrectione VIVIT DEO, id eſt ad Dei gloriam colluſtrandam, durat durabitque æternum.

V. 13.

V. 13. NE MEMBRA VESTRA EXHIBEATIS ARMA, id eſt inſtrumenta, PECCATO, ut fœdo illi tyranno deſerviant: SED legitimo Domino & regi veſtro DEO, ut facere decet eos qui EX MORTUIS *redivivi*, iam novam vivunt vitam ſpiritualem. Quod quidam hæc explicant de vera reductione in vitam; quaſi dicat: Sic ferventer ſervite Deo, ac ſi ſemel mortui, ad vitam revocati eſſetis, (ut revocatus eſt aliquando Lazarus, Iairi filia, filius viduæ Naim, & poſtea Diethelmus, Furſeus (teſte Beda k) Chriſtina Mirabilis, de qua Iacobus a Viatriaco *l*, & plures alii;) accommodatitium potius quam litterale videtur. Sed, (obiiciat quis,) peccatum hactenus toto orbe dominatum fuit, & omnes, adeoque & nos ipſi ſervivimus illi. Reſpondet:

V. 14. VOBIS iam Chriſto renatis NON DOMINABITUR amplius PECCATUM, ſuppie, per ſe & iure ſuo, ſicut accidit ante Chriſti adventum *m*, [niſi videlicet vos ipſi gratiam & libertatem a Chriſto acceptam abiiciatis, & ſponte vos dedatis iterum ſervituti peccati.] NON ENIM ESTIS SUB LEGE Moſaica, quando adhue dominabatur peccatum quaſi iure hereditario ab Adamo hucuſque præſcripto: SED eſtis SUB GRATIA & dominio ſolius Chriſti, quales exempti ſunt ab imperio peccati, nec niſi volentes poſſunt ab eo ſubigi vel devinci, ut S. Leo *n* pulchre demonſtrat. Verum, poſſumuſne ergo libere *peccare* & legem tranſgredi,

V. 15. QUONIAM (ut dicis) NON SUMUS SUB LEGE? ABSIT. Etſi enim a iugo legis Moſaicæ, eiuſque imperio exempti ſimus, non ſumus tamen exempti ab imperio & lege Chriſti, multa eadem præcipientis quæ præcipit lex Moſaica; nempe quæcumque ſunt in decalogo, & ſunt iuris divini naturalis. Unde non eſtis per gratiam Chriſti abſolute liberi facti ab omni obſervatione cuiuſcumque legis; ſed ſolum ab obſervatione legis Moſaicæ, ut talis eſt: nec exempti eſtis ab omni ſervitute, ſed ſolum a ſervitute legis Moſaicæ, & *peccati*, quod ducebat

V. 16. AD MORTEM: ſemper vero manetis obnoxii ſervituti Chriſti, & obligationi OBEDITIONIS quæ ducit AD IUSTITIAM, nempe legis Chriſti, quæ merito vocatur *lex obedientiæ*, quia docet homines non proprio ſenſu vel nutu agi, ſed in omnibus obedire Deo & fidei, & Superioribus tam politicis, quam Eccleſiaſticis. Neque eſt, quod putetis aliquid libertati veſtræ decedere per obligationem obediendi legi Chriſti, quia hæc eſt lex *iuſtitiæ*, quam toto corde, totoque animi conatu proſequimini. Unde

V. 17. & 18. GRATIAS immenſas agite DEO, QUOD qui FUISTIS SERVI PECCATI, iam A PECCATO LIBERATI, SERVI FACTI ESTIS IUSTITIAE, ET OBEDISTIS IN EAM FORMAM; Græce, *typum*, *doctrinæ* Evangelicæ, IN QUAM a nobis, immo a Deo, TRADITI ESTIS. Metaphora eſt a typis vel aurifabrorum vel typographorum; quaſi dicat: Veſtra prompta & exacta obeditione conformes facti eſtis cæleſti typo ſeu formæ doctrinæ Evangelicæ, in quem typum manu Dei & Apoſtolorum immiſſi fuiſtis, ut illum vita veſtra & moribus exprimatis & ad vivum repræſentetis. Unde

V. 19. HUMANUM DICO; id eſt, rem humanam & humano iudicio decentem, & per omnia æquam poſtulo. Cum enim poſſem merito a vobis exigere, quod olim Propheta Baruch: *Sicut ſenſus veſter fuit, ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum*: ego ex humanitate, non decuplum, ſed ſolum par ſtudium depoſco, nempe ut tanto conatu ſtudeatis SERVIRE IUSTITIAE IN SANCTIFICATIONEM, id eſt ut in dies magis magiſque ſanctificemini, ſeu iuſtificemini, quanto olim *ſerviſtis* INIQUITATI AD INIQUITATEM, id eſt ut ex uno in aliud peccatum rueretis, & in dies ſceleratiores evaderetis. Quod pulchre deducit Origenes, Gregorius, Bernardus *p*, & ex Auguſtino Anſelmus. Quid vero mirum,

V. 20. CUM SERVI ESSETIS PECCATI, vos ruiſſe in continua peccata? LIBERI ENIM FUISTIS IUSTITIAE, id eſt ſoluti eratis dominio & fræno neceſſarii rectoris, puta *iuſtitiæ*, quæ ſola vos poteſt continere & coercere, quo minus per pudenda ſcelera ruatis in exitium & *mortem* æternam: ſola poteſt per rectas virtutum ſemitas vos deducere ad ſalutem & *vitam æternam*. Neque enim poſſunt alio ducere peccata quam ad mortem, cum certiſſima

V. 23.

V. 23. Stipendia; Syrus, *merces*, peccati ſit mors, neque *iuſtitia* alio devehere poteſt quam in vitam æternam, cum vita aeterna ſit merces iuſtitiæ, non ex ſe, ſeu ex natura rei, ſed ex gratuito decreto & promiſſione Dei: unde malo vocare *gratiam*, ſeu gratuitum Dei beneficium, quam ſtipendium vel mercedem ut antitheſis exigere videbatur. Etſi enim, præſuppoſito decreto iam dicto & promiſſione divina, ſit revera ſtipendium, merces, & (ut alibi ait *q*,) *corona iuſtitiæ*, de condigno debita piis iuſtorum operibus: quia tamen & decretum iſtud, & promiſſio, & auxilium gratiæ (ex qua tamquam ſemine ac radice promanant opera iuſta,) plane gratuita ſunt; labor autem, quem nos adiuti gratia, ex noſtra parte adhibemus, parvi momenti cenſetur, nec tamen niſi auxiliante gratia adhiberi a nobis poteſt; hinc optimo iure *vita æterna* omni ex parte vocatur & eſt *gratia* & gratuitum donum: ita fere Chryſoſt. Theophyl. & Auguſtin. *r* qui idcirco vocat *gratiam pro gratia*, *& cum coronat noſtra merita, quid aliud coronat quam ſua dona?* inquit ex eodem Auguſtino Cæleſtinus & Concilium Tridentinum *ſ*. Finio, ſi prius contra Calvinum, Bezam, aliosque hæreticos obiter notaro, *ſervitutem*, ſeu peccati, ſeu iuſtitiæ, cuius toties hoc capite meminit Paulus, non eſſe neceſſitatis aut coactionis, quæ ſolæ tollunt liberum arbitrium; ſed eſſe plane voluntariam & liberam, ut eſt in omni eo qui ſponte ſua alteri famulatur: etſi enim talis, ſi mancipium ſit, careat libertate civili, non tamen caret libertate naturali, quæ requiritur & ſufficit ut liberum maneat illorum arbitrium, inquit S. Bernardus *t* & omnes Philoſophi.

(a) Rom. v. 20.
(b) Rom. III. 8.
(c) Auguſt. Enchiridii cap. II.
(d) Tertull. Libr. de Pœnitentia.
(e) Apoc. XXI. I.
(f) Tertull. de Reſurr. carnis cap. XLVII. & de Corona militis. cap. XIV.
(g) Hic Verſ. 2.
(h) Coloſs. III. 5.
(i) Hic verſ. I. 5.
(k) Beda Lib. III. hiſt. Angl. cap. XIX. & Lib. V. cap. XIII.
(l) Card. a Vitriaco in Vita Chriſtinæ.
(m) Rom. I. 21.
(n) Leo Serm. VII. de ieiunio decimi menſis.
(o) II. Reg. VII. 14. & I. Cor. X. 13. Baruch III. 14.
(p) Greg. Lib. XIX. Moral. cap. XXV. Bernard. de vita ſolitaria.
(q) II. Tim. IV. 8.
(r) Auguſt. epiſt. CV.
(ſ) Celeſtinus Papa ad Epiſc. Galliæ cap. XII. Trident. ſeſs. VI. cap. XXVI.
(t) Bernard. Lib. de Gratia & libertate arbitrii.

GORDONI.

Verſ. I. Quid ergo dicemus? Abundavit, ut dictum eſt gratia: hinc deducit Paulus abſtinere oportere a peccato. Novatores elevant valde & minuunt hanc abundantiam gratiæ, quam hic multis verbis extollit Paulus. Sane eam novo iure ſuo & impie coarctant ad non imputationem, ut ſæpe eſt probatum: ſed non eſt hæc ſola eorum audacia in ſacros libros. Rationem vero hic dat Apoſtolus, cur abundantia doni obliget ad vitanda peccata; viventibus, inquit, cum mortuis nullum eſt commercium: atqui nos mortui ſumus peccato. Ergo. Dicimur vero mortui peccato ex ingenti ſeparatione, ſicut dicitur ſanctus vir mortuus mundo, aut ſanguini.

V. 3. & 4. Ignoramus. Per iuſtificationem & baptiſmum mortui ſumus peccato, & ſepelimur: hanc enim noſtram mortem & ſepulturam ad ſimilitudinem Chriſti denotat baptiſmus ſuis ceremoniis, & immerſione: quid ergo nobis cum peccato, a quo tot modis, & tot titulis divellimur? Sermo eſt de his qui vere & ut oportet, recipiunt baptiſmum. Errant hic Lutherani & Anabaptiſtæ, dum utrique negant infantes regenerari in baptiſmo per fidem habitualem, quod alibi eſt refutatum. Et quamvis Lutherus velit regenerari in baptiſmo infantes per actum proprium fidei (ſine fundamento miraculum eſſet) Anabaptiſtæ neque actum neque habitum admittunt, quo fit ut negent pueris baptiſmum, quos magna ex parte ſequitur Calvinius, qui vult baptiſmum eſſe nudum ſignaculum; quem hoc loco belle refutat Apoſtolus. Quomodo enim audet dicere eſſe nudum elementum, ſi per baptiſmum morimur peccato, & conſepelimur Chriſto? Ergo certe baptiſmus non eſt nuda teſſera & ſine effectu: Symbolum quidem eſt, ſed efficax.

V. 5. Si enim complantati. Dixit verſ.

verſ. 4. nos peccato ſemel mortuos debere ambulare in novitate vitæ ; nunc excitat ad hanc novitatem ex ſpe reſurrectionis , per quam manet deſtructa mors : hic ſenſus eſt , Si per baptiſmum commorimur , & ſepelimur cum Chriſto , erimus etiam ſocii reſurrectionis : metaphora complantationis (σύμφυτοι) explicat nos in hac novitate vitæ adhærentes Chriſto , fore inſtar ſurculi germinantis ad immortalitatem . Hinc verſ. 6. hoc , inquit , ſcientes (illatio ex antecedente] debemus ambulare in vitæ novitate . Sicut ſurculus a trunco ſeparatus arbori inſeritur , ut novo ſucco vivat , quo antea non vivebat ; ſic nos inſitione per baptiſmum. Facile eſt hinc docere Novatores hanc coniunctionem , qua reddimur una planta cum Chriſto , eſſe in ipſa iuſtificatione ; & tunc ſimul mori veterem hominem , de quo hic Paulus , hominem vitioſum intelligit , qui vetus vocatur a vetere Adamo , cuius vitam imitatur . Corpus peccati Chryſoſtomus ὁλόκληρον κακίαν vocavit , ac ſi diceres σύστημα , & complexum ex originali & actuali.

V. 7. Qui enim mortuus est . Vetus homo ſemel crucifixus , non debet amplius peccare. Certe quia ſic per baptiſmum iuſtificatus ita mortuus eſt peccato , ut nihil illi amplius debeat ; non magis quam ſervus qui poſt ſuam mortem nihil debet hero. Denique ſiſtendo in ſimilitudine , mutatio magna eſt in morte , & non per ſolam imputationem . Ergo nec iuſtificatio per imputationem iuſtitiæ alienæ.

V. 8. Si autem mortui sumus . Confidimus per imitationem Chriſti reſurgentis a morte ad vitam , fore ut nos quoque deinceps novam vitam agamus vivendo cum Chriſto . Male hinc inferunt Novatores credere ſe iuſtos , & certo perſeveraturos , ac reſurrecturos cum Chriſto . Conſecutio hæc certa eſt , qui moritur peccato , iuſtus eſt : item qui iuſtus moritur , vivet vita æterna : ſed nihil inde pro Novatore . Unde enim pro certo habet ſe mori peccato ; hanc revelationem non habet niſi in capitis figmento & præſumptione : præſertim qui nec mandata ſervat , & ſemper peccat . Probet ergo prius Novator ſe mortuum eſſe peccato ; quod numquam faciet , niſi pellem mutet . Et cæcus eſt niſi videat Apoſtolum hic non promittere ſalutem aliter quam ſub conditione , & prius morienti peccato , & complantato in Chriſto .

V. 9. & 10. Scientes quod Christus. Hi tres verſiculi hunc habent ſenſum . Chriſtus poſtquam mortuus eſt , reſurrexit ad vitam , nec amplius eſt moriturus : cum ergo vita noſtra imitetur vitam Chriſti , fiet ut nos quoque non amplius moriamur . Nam ſemel quidem eſt mortuus ad deſtruendum peccatum ; hoc autem deſtructum eſt : ſupereſt ergo plena ſpes vitæ nobis ita mortuis , & hoc in Chriſto , ſeu per Chriſtum . Dicet Sectarius Chriſtum ſæpius mori apud Catholicos , quia ſæpe offertur in ſacrificio . Sed malitioſe hoc obiicitur : nam ſacrificium hoc incruentum eſt : non ergo ſæpius moritur , ſed ſæpius mors repræſentatur ſub ſimilitudine mortis , per hoſtiæ mutationem qua fit in conſecratione.

V. 12. & 13. Non regnet . Pergit in exhortatione inchoata verſ. 11. Exiſtimantes vos mortuos peccato , efficite ne regnet peccatum in vobis. Peccatum hic proprie dictum (ut aliquoties hoc capite verſ. 1. 2. & 6.) accipitur : tamdiu vero non regnat , quamdiu nullo modo conſentit voluntas , quamvis adſint ſuggeſtiones malæ. Aliqui etiam cum Auguſtino Pſal. xxxv. metonymice per peccatum hic accipiunt fomitem peccati , & concupiſcentiam . Et hoc quidem naturaliter & ſine ſpeciali ope Dei non poteſt non eſſe in homine : tamen dum hoc occurrit , efficiendum eſt ut non regnet : quod tunc fiet , quamdiu homo concupiſcentiis his vitioſis non ſubiicitur , nec per voluntatem obtemperat.

V. 14. Peccatum enim vobis. Senſus eſt iis qui ſub lege ſunt , peccatum dominatur iure quodam ſuo : at non illis qui ſunt ſub lege gratiæ , niſi ipſi conſentiant : varie & miſere ſe hic intricant Novatores , ac ſecum pugnant. Sic quidem Paulus : Non regnet , inquit , peccatum , quia non eſtis ſub lege , quæ infirma eſt : iubet & non dat auxilium : ſed eſtis ſub gratia , quæ exemplum exhibet in Chriſto , & ſimul dat opem : videte ergo ne gratia in vanum ſit collata ; ea eſt quæ opprimit peccatum ,

catum. Quid iam Calvinus ad ſuos? non eſtis, inquit, ſub lege; quicquid feceritis, peccatum vobis non imputabitur. Et multa ſimilia, quæ omnem vitæ integritatem, & bene ordinatam Rempubl. evertunt.

V. 15. *uſque ad* 20. QUID ERGO PECCABIMUS? Hi verſiculi facilem habent, & continuatam exhortationem ad Romanos, ut quales fuerunt ad ſerviendum peccato, tam ſint diligentes ſub gratia, ut ſerviant iuſtitiæ. Habet hic verſ. 15. verba quæ obiiciunt pro ſe ſuaque libertate vivendi Sectarii. Paulus docet nos non eſſe ſub lege; ergo inquiunt, eam ſervare non tenemur. Reſpondet Apoſtolus non oportere ſpernere legem; quin potius per gratiam oportet illam adimplere ex verſ. 16. firmum eſt argumentum probans eos eſſe ſervos peccati ad mortem: nam legem non implent, ſed obediunt peccato etiam in omni actione, ut fatentur. GRATIAS DEO QUOD FUISTIS, verſ. 17. hoc eſt, quod eſſe deſiiſtis.

V. 19. HUMANUM DICO. Date, inquit, operam iuſtitiæ: humanum dico, hoc eſt, rem facilem vobis Romanis fidelibus propono; nempe ſolum, ut quanto conatu huc uſque ſerviviſtis peccato, ſimili diligentia ſerviatis iuſtitiæ.

V. 20. &c. LIBERI FUISTIS IUSTITIAE. Hinc uſque ad finem capitis, argumento a fine & operum fructu deterret a peccato; obſervo hic in nomine ſervitutis nihil eſſe quod officiat libero arbitrio: nam facienti quod in ſe eſt cum auxilio Dei, Deus non denegat gratiam, quæ ſufficiat ad libertatem: neque eſt homo ita ſervus peccati aut iuſtitiæ, ut non ſit liberum deſerere iuſtitiam, & per gratiam relinquere peccatum. Prædeterminatio Calviniana blaſphemiam habet. Ceterum qui hic vocantur liberi iuſtitiæ, ſunt qui erant iuſtitiæ expertes.

V. 23. STIPENDIUM PECCATI MORS. Negant Sectarii vitam æternam eſſe ſtipendium, vel dari ut mercedem, aut compenſationem: fatentur tamen, quod hic ait Paulus, mortem eſſe ſtipendium. Sed dum nolunt id quod eſt gratia, eſſe ſtipendium, non advertunt novi iſti homines, gratiam & vitam æternam alibi a Paulo vocari mercedem. Docet quoque Auguſtinus de grat. & Lib. arb. cap. VIII. & IX. potuiſſe vocari ſtipendium, ac proinde merces eſt, quamvis ſit merces ex gratia: datur enim vita æterna intuitu operis, & ex neceſſitate, quia id Deus promiſit: non ergo pugnantia ſunt gratia & meritum operis: quod ſi antiquorum aliquis gratiæ opponat meritum, eſt certum ibi eſſe ſermonem de operibus ſine gratia, qualia fingebat Pelagius.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

In ſimilitudinem mulieris cuius vir defunctus eſt, nos per Chriſtum ſoluti ſumus a lege, qua peccatorum effectus reddebantur vehementiores: ut ſerviamus Chriſto in novitate ſpiritus: occaſione autem legis peccatum indicantis, magis ſe exeruit & crevit peccatum, quamquam lex ſancta eſſet ac ſpiritualis: immo & nunc adverſante carnis fomite allicimur, quantumvis repugnantes, ad ea quæ ſecundum rationem deteſtamur, legique ſunt contraria.

1. AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? 2. (*a*) Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt a lege viri. 3. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt a lege viri: ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro. 4. Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti: ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo. 5. Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti: 6. nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ. 7. Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: (*b*) Non concupiſces. 8. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem vivebam ſine lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit. 10. Ego autem mortuus ſum: & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. 11. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. 12. (*c*) Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. 13. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. 14. Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato. 15. Quod enim operor, non intelligo: * non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. 16. Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt. 17. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. 18. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Nam velle, adiacet mihi, perficere autem bonum, non invenio. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo, malum, hoc ago. 20. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum. 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: 22. condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: 23. video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.

24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 25. *Gratia
Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio
legi Dei; carne autem, legi peccati.

(a) I. Cor. vii. 39. (b) Exod. xx. 17. Deut. v. 19. (c) I. Tim. 1. 8.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 15. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio*. Romani Patres cenſuerunt non eſſe auferendas voces *bonum*, & *malum* quæ in pleriſque latinis libris leguntur.

Verſ. 25. *Gratia Dei*. Non interponas coniunctionem *autem*; multoque minus vertas genitivum *Dei* in dativum Deo.

Notationes.

Verſ. 24. & 25. INſelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Ita fere Latini codices legunt, *Gratia Dei*: itaque legunt & veteres; Græci, Irenæus libri III. cap. XXII. Origenes hunc enarrans locum, Chryſoſtomus explicans verſum 7. Pſalmi CXXI. Latini, Ambroſius libri De Dominicæ incarnationis Sacramento cap. VII., oratione in obitum Theodoſii, libri II. de Abraham cap. VI. Auguſtinus cum multis aliis in locis, tum ſermonibus 5. De verbis Apoſtoli, & 49. ac 53. de diverſis, Primaſius, Auctores commentariorum quæ D. Hieronymo, & B. Ambroſio adſcribuntur, Sedulius. His accedunt Haymo, Anſelmus, Auctor Gloſſæ, Carenſis, Thomas, Gorran, Bruno, Richelius, aliique enarratores. Porro aliter Græci libri ſcribunt. Plerique εὐχαριστῶ τῷ θεῷ habent, quod eſt *Gratias ago Deo*: hocque modo & legunt & intelligunt Græci Tractatores Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius, atque inter Latinos patres, Hieronymus octavæ Algaſiæ quæſtioni reſpondens: eſtque hæc & Syriaci Teſtamenti lectio. Quidam vero Græci libri, Pariſienſium unus, ιε, χάρις δὲ τῷ θεῷ ſcribunt, hoc eſt: *Gratia autem Deo*: quam ſcripturam videri poſſint redolere, Latina exemplaria non pauca, quæ habent, *Gratia autem Dei*, fierique hinc veriſimilis eorum coniectura, qui Latine nobis *gratia Deo* legendum eſſe coniiciunt, quomodo apud Hieronymum quæſtione ad Algaſiam octava primum legitur. Decem noſtra manuſcripta *Gratia* (*Gratiam* 1. MS.) *autem Dei* habent; ſed recentiora illa minuſque emendata. Antiquitate integritateque præſtantia omnia *Gratia Dei* legunt: quibus cum vetuſtiſſimi Patres, ſcriptoreſque Græci & Latini diſerte adſtipulentur, non facile in erroris ſuſpicionem venire debent. Quinimo ſicut Græce nonnulli legunt χάρις τῷ θεῷ (ita enim abſque δὲ *autem* coniunctione, quidam producit) ſic facile potuit Interpres, χάρις τοῦ θεοῦ duabus litteris aliis legiſſe præſertim cum ω & υ figura maxime affines ſint, iotaque illi nunc non ſubſcribatur, nunc ſubſcriptum non animadvertatur.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. AN IGNORATIS, QUIA LEX IN HOMINE DOMINATUR, QUANTO TEMPORE VIVIT, ſubaudi, lex ipſa. Hic autem metaphora viri & uxoris probat illos iam non eſſe legi obnoxios: quamdiu enim vivit vir, obnoxia eſt legi illius mulier: mortuo autem viro impune alteri nubit. Ita ante Chriſtum vivente lege populus Iudæorum, quem veluti uxorem legis facit ad illius præſcriptum obnoxius erat vivere: mortua vero per Chriſti mortem lege, alteri viro, id eſt Chriſto nubere debet. Ait ergo Paulus, mortuo viro iam non illius legi mulier obnoxia, ſed lex quæ vobis erat vice mariti, mortua eſt per Chriſtum: nihil ergo iam illi eſtis obnoxii. At Paulus ne Iudæos offenderet, Non plane, inquit, lex mortua eſt, ſed aliud ſimile, *Vos mortificati & mortui eſtis legi*: quod perinde eſt ac ſi diceret, Lex in vobis mortua eſt, quippe deſtituta ſuis viribus & omni actione in

mor

mortuum privata. *Mortificati*, inquit, *eſtis per corpus Chriſti*, id eſt per mortem eius: *Ut ſitis*, ſubaudi, uxor, *alterius*, ſcilicet Chriſti. Quod vero dictum eſt, *Si fuerit cum alio viro*, Græce eſt, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ, id eſt ſi fuerit alteri viro; eſt autem Hebraiſmus, pro, ſi nupſerit alteri viro: ut Levitici XXI. *Filia ſacerdotis ſi fuerit viro alienigenæ*, id eſt ſi nupſerit. Quod autem ait, *Vivente viro alligata eſt legi*, Græce eſt, τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ; cuius duplex poteſt eſſe ſenſus, ſcilicet viventi viro alligata eſt legi, id eſt per legem: aut vivente viro alligata eſt legi ipſius: pro quo facit quod ſequitur, liberata eſt a lege viri. Ita, inquit Paulus, Vobis liberum eſt lege mortua, quæ ius mariti in vobis habebat, Chriſto nubere. *Ut fructificetis Deo*: quamquam Græca habent καρποφορήσωμεν, id eſt, fructificemus, ſed non multum refert ad ſenſum.

V. 5. ESSEMUS IN CARNE, id eſt legem carnaliter ſervaremus, non affectu Dei; vel cum carni ſerviremus, non ſpiritui. PASSIONES PECCATORUM, id eſt affectus peccandi ex illa primigenia veteris Adæ noxia relicti. QUAE, inquit, PER LEGEM ERANT, id eſt per legis inhibitionem irritabantur, & acrius inſurgebant: τὸ quæ autem refertur non ad τὸ peccatorum, ſed ad τὸ paſſiones, quia Græc. eſt, τὰ quod refertur ad παθήματα, quod verbum ſignificat hoc loco idem quod τὰ πάθη, id eſt non rectos animi motus ſive libidinem peccandi, quæ per legem inhibentem creſcit.

V. 6. A LEGE MORTIS, id eſt Moyſi lege, quæ cum vivificare non poſſet, mortem tranſgreſſoribus inſerebat. Quidam Græci codices pro mortis legunt ἀποθανόντες, id eſt mortui: nos ſcilicet legi mortui, (ſicut ante dicit, *& vos mortificati eſtis legi*) ſoluti ſumus ab illa. Certe Chryſoſtomus legit ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντος, id eſt a lege mortua, quod ſcilicet a lege mortua ſoluti ſumus.

V. 6. IN QUA DETINEBAMUR: κατειχόμεθα; κατέχεσθαι autem dicuntur qui alieno prorſus feruntur arbitrio: ut qui in dei alicuius reducti ſunt poteſtatem, qui illos non ſinit ſuo iure agere, ſed pro ſua illos poteſtate moderatur agitque quo lubet: talis lex Moiſi & mortis quæ vinctos illos infinitis ceremoniis tenebant. VETUSTATE, vetuſtas litteræ opera hypocritarum, quicquid ſine ſpiritu fit, neque ob Dei gratiam.

V. 7. & 8. SED PECCATUM NON COGNOVI, id eſt vim efficaciamque peccati non noveram, NISI PER LEGEM: ſed quando lex ſupervenit inhibens concupiſcentiam, tunc occaſione ſumpta per peccatum vitiatæ naturæ inhærens, operatum eſt in me mandatum. OMNEM, id eſt conſummatam concupiſcentiam, quando ardentius cœpi vetita concupiſcere. NAM SINE LEGE MORTUUM ERAT, id eſt modicæ efficaciæ, nec vim ſuam plane exerebat. CONCUPISCENTIAM NESCIEBAM: nam ante legem internum concupiſcentiæ peccatum, quia alteri non noceret, multi ignorabant eſſe peccatum. Hoc enim loco non tam in ſua, quam omnium perſona loquitur Paulus: ſicuti neque hoc toto capite.

V. 9. & 10. EGO AUTEM VIVEBAM SINE LEGE ALIQUANDO. In perſona hic omnium loquitur. Græci explicant hoc modo: vivebam ſine lege, utpote neque moleſtia affectus, neque ſtimulatus, neque occiſioni obnoxius, hoc eſt nullo legis timore cohibitus, omnia iure meo agebam. Hoc enim videtur ſignificare τὸ *vivebam*. Nam qui in timore degit, non tam vivus cenſetur quam ſemimortuus.

SED CUM VENISSET MANDATUM; hoc eſt, ſtatim atque mandati notionem habere cœpi, PECCATUM REVIXIT, hoc eſt, peccatum quod me latebat, vim, ac pœnam ipſius ignorantem, quodque ante pene mortuum erat ac nullius prope energiæ, revixit quodammodo, quando occaſione inhibitionis irritatum eſt magis ad invadendum hominem. EGO AUTEM MORTUUS SUM, vel ut Græci habent, ἀπέθανον, id eſt mortuus fui; id eſt, me mortuum ſenſi, intellecto peccati comite ſupplicio.

V. 12. LEX QUIDEM SANCTA ET MANDATUM SANCTUM ET IUSTUM. Græca ſcholia legem & mandatum pro eodem ſumunt, quamquam Theodorus Græcus per legem intelligit Moſaicam, per mandatum id quod Adæ a domino factum eſt. Lex ergo & mandatum, ſancta, tum quia per Spiritum ſanctum lata, tum quia ſancta præcipiunt: eadem quoque iuſta, quia ex eorum præſcripto viventes præmio ſed temporali, prævaricatores autem afficiebat ſupplicio.

Digitized by Google

V. 13. Sed peccatum. Photii Gr. ſcholia eleganter hunc locum explicant, *ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία ἵνα φανῇ ἁμαρτία, τουτέστιν ἵνα ἐκκαλυφθῇ αὐτῆς ὁ πᾶς τῆς κακίας πλοῦτος καὶ ἡ ἰσχὺς*, hoc eſt, ſed peccatum ut appareat peccatum, id eſt ut univerſæ iniquitatis illius robur ac divitiæ manifeſtentur per bonum, id eſt occaſione ſumpta per bonum mandatum, operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccatum. Græc. *ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς*, id eſt *ut fiat ſupra modum ſceleſtum ſcelus*: nam Græcum eſt *ἁμαρτωλὸς* nomen. Græc. ſic explicant: *ἵνα δειχθῇ αὐτῆς ὁ ἅπας ἰὸς, καὶ ἡ πᾶσα κακία*; id eſt, ut totum ipſius venenum, & univerſa manifeſtetur malitia: & paulo poſt *τοῦτο δὲ δηλοῖ τὸ γένηται ἵνα ἀποκαλυφθῇ*, id eſt, id enim ſignificat *τὸ* ſint, ut ſcilicet manifeſtetur.

V. 14. Venumdatus; id eſt, ſub tyrannide peccati degens factus ſum tamquam ſervus emptitius peccati. Qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati.

V. 15. Quod enim operor. Duos hic facit homines ac duas leges: hominem carnalem ac ſpiritualem, legem carnis ac membrorum, legem mentis & Dei. Lex carnis quæ & peccatum dicitur, eſt inſitus ob læſæ naturæ peccandi affectus, ſecundum quem vel invitis nobis paſſiones inſurgunt, cuius affectus eſt ſpiritui reſiſtere, carnem ſequi & placentia. Spiritualis autem hominis affectus, Deo ſe totum committere, ab uno illo pendere. Secundum carnalem hominem non intelligit homo quid agat, obducitur enim quibuſdam peccati tenebris, ut quid agat, ignoret, & quod non vult iuxta ſpiritualem hominem, id agat iuxta carnalem.

V. 21. Invenio. Invenio legem mihi bonum facere volenti id ad exhortantem, ſed alias auxiliari non valentem: *Nam* malum, id eſt peccandi affectus, mihi adiacet, quem tollere lex non poteſt, *ſed Dei gratia*: atque ita de lege Moyſi intelligitur. Vel invenio legem mihi volenti bonum facere auxiliatricem, id eſt ſentio illam quod in ſe eſt mihi in bonum auxiliantem, quoniam mihi malum adiacet: niſi enim contra pugnantem ſibi carnem ſentiret, non perciperet legis auxilium.

Videtur quoque poſſe accipi de lege membrorum; & tunc ſupplendum ad eclipſim *τὸ* repugnantem, ſcilicet: Invenio legem repugnantem mihi volenti bonum facere, ob malum mihi adiacens, id eſt ob proclivitatem in peccatum quæ mihi inhæret.

V. 24. De corpore, id eſt de hoc corpore, morti & peccandi affectibus obnoxio.

S A.

Verſ. 1. Legem, id eſt legis. In homine, &c. id eſt hominem ſibi ſubiectum habent. Vivit, ſcilicet homo, ſeu lex.

V. 2. Nam, &c. exemplo declarat. Sub viro, id eſt nupta. Viro, ſcilicet coniugata. Legi, ſcilicet viri, ſeu matrimonii.

V. 4. Mortificati, id eſt mortui, ſcilicet liberati obligatione legis veteris. Corpus, id eſt mortem corporis; quaſi dicat: Cum Chriſtus mortuus eſt, periit vis legis veteris, ſeu obligatio. Alterius, ſcilicet velut ſponſæ. Fructificemus, id eſt generemus ſpiritualem prolem, ſcilicet bonorum operum.

V. 5. Eſſemus in carne, id eſt ſecundum carnem viveremus. Passiones, id eſt affectus. Erant. Syr. *incitabantur*, ſcilicet nitimur in vetitum. Morti, id eſt digna morte opera.

V. 6. Mortis, id eſt per occaſionem mortem afferentem; vel legem fomitis intelligit, quæ in mortem peccati inducit. Vetustate litterae, id eſt veteri vita, qua vivebamus, legis litteram ſolam ſine ſpiritu ſequentes.

V. 7. Peccatum est, &c. ſcilicet quia facit peccare, irritando concupiſcentiam. Nesciebam, ſcilicet eſſe peccatum.

V. 8. Accepta, ſcilicet per illam cognitionem & prohibitionem. Peccatum, id eſt fomes. Per mandatum, ſcilicet dum prohibet, & prohibendo dat occaſionem concupiſcendi. Omnem, id eſt conſummatam, ſeu maximam. Mortuum, id eſt velut mortuum, ſcilicet non tantopere fomes ad peccatum impellebat.

V. 9. Aliquando, ſcilicet antequam daretur a Deo. Revixit, id eſt excitatum eſt.

V. 10. Mortuus, ſcilicet ei conſentiendo.

V. 11. Peccatum, ſcilicet fomes. Occidit, ſcilicet conſentientem.

V. 12.

V. 12 IUSTUM, ET BONUM, ſcilicet continet iuſtitiam & perfectionem.

V. 13. PECCATUM, ſcilicet fomes. UT APPAREAT, &c. pro, in quo apparet quanta ſit eius vis ad impellendum ad peccatum. UT; pro, ita ut. PECCANS, id eſt peccare faciens. PECCATUM, ſcilicet fomes.

V. 14. VENUMDATUS; quaſi dicat, Servus factus.

V. 15. INTELLIGO, id eſt approbo; vel quaſi dicat, Vix intelligo tantam in me affectuum varietatem. QUOD VOLO, ſcilicet ut non concupiſcam. QUOD ODI, ſcilicet concupiſcere.

V. 16. LEGI, ſcilicet concupiſcentiam prohibenti.

V. 17. EGO, id eſt voluntas deliberata. PECCATUM, ſcilicet fomes.

V. 18. ADIACET, id eſt adeſt. PERFICERE, ſcilicet nihil mali concupiſcendo. INVENIO, id eſt poſſum.

V. 21. LEGEM, ſcilicet peccati, repugnantem. Syr. *legem conſentientem*. ADIACET, id eſt adeſt ſeu adhæret, ſcilicet fomes.

V. 23. CAPTIVITATEM, id eſt velut invitum trahentem. IN LEGE, id eſt ſecundum legem, ſeu imperium. PECCATI, id eſt fomitis.

V. 24. INFELIX, id eſt miſer. MORTIS HUIUS, id eſt huic miſeriæ obnoxio.

V. 25. GRATIA DEI. Græc. & Syr. *gratias ago Deo*. LEGI DEI, ſcilicet non conſentiendo concupiſcentiæ. LEGI PECCATI, id eſt fomitis, ſcilicet concupiſcendo, licet repugnante voluntate.

MARIANAE.

Verſ. 1. QUANTO TEMPORE VIVIT, ſcilicet lex dominatur homini, quæ in hac parabola eſt ut maritus, natura noſtra uxor, Chriſtus ſecundus maritus, cui nupſimus mortua lege. Ex primo coniugio orta peccata irritato fomite, ex ſecundo dona Spiritus, de quibus ad Galat. v. 22. procedunt.

V. 2. SOLUTA EST A LEGE VIRI, id eſt fide, illi debita uxor ſoluta eſt viro mortuo.

V. 3. A LEGE VIRI: *τοῦ viri* Græce non eſt, neque Gotth. ſuppletur tamen. SI FUERIT CUM ALIO VIRO, ſcilicet iuncta, non violat fidem priori marito datam.

V. 4. MORTIFICATI ESTIS LEGI. Lex potius mortua eſt. PER CORPUS CHRISTI: per eius præſentiam, ut ſitis alterius. UT FRUCTIFICEMUS DEO. Sic Græc. Alii, *ut fructificetis*, id eſt filios Deo gignatis, & Chriſto marito ſecundo.

V. 5. CUM ENIM ESSEMUS IN CARNE, id eſt ſub lege carnali. PASSIONES PECCATORUM. Hi ſunt filii primi coniugii. QUAE PER LEGEM ERANT, id eſt occaſione legis inſurgebant ex paſſiones. At lege mortua ſoluti ſumus, ut

V. 6. IN NOVITATE SPIRITUS, quæ legi ſuccedit. ET NON IN VETUSTATE LITTERAE, id eſt legi ceremoniis.

V. 7. PECCATUM NON COGNOVI, id eſt vim peccati, neſciebam me peccare, quia non erat lex quæ prohiberet, nec concupiſcentiam ſciebam eſſe peccatum. Adveniente lege, ipſa prohibitione irritata eſt concupiſcentia.

V. 8. PECCATUM, id eſt fomes, quem toto hoc capite peccatum vocat, operatum eſt malum. PECCATUM MORTUUM ERAT. Quia fomes non irritabatur.

V. 9. EGO AUTEM VIVEBAM, mei iuris eram, liberque a lege reſpirabam, aut videbar vivere, non agnoſcens peccata. PECCATUM REVIXIT, id eſt fomes.

V. 10. EGO AUTEM MORTUUS SUM, id eſt inſtar mortui, tanto onere gravatus, & peccatis ex ea occaſione. Loquitur toto cap. in perſona omnium, non ſua.

V. 12. LEX QUIDEM SANCTA. *Lex* & *mandatum* pro eodem ſumuntur.

13. SED PECCATUM, id eſt fomes, operatum eſt mortem. UT APPAREAT PECCATUM, id eſt eius vis & venenum, occaſione ex lege accepta, quæ bona eſt, me occidit. UT FIAT SUPRA MODUM PECCANS, id eſt vehementer. Sic fomitis vis & malitia apparet.

V. 14. VENUMDATUS SUB PECCATO. Quaſi ſervus peccati factus ſum legis occaſione, quæ bona tamen eſt.

V 15. QUOD ENIM OPEROR, NON INTELLIGO. Nempe, facio, quod nollem, non intelligo quo id modo. NON ENIM QUOD VOLO. Explicat, quo pacto non intelligat quod facit.

V. 21. INVENIO IGITUR LEGEM, ſcilicet

cet

cet ad bonum exhortantem. Volenti; pro, cum volo facere bonum, ſupple, & non facio, quoniam malum, id eſt peccatum eſt in me. Aut ſic: Invenio legem membrorum repugnantem cum volo bonum facere, quoniam malum in me eſt, id eſt peccatum & fomes.

V. 22. Secundum interiorem hominem condelector legi, id eſt ratione legem amplector, ſenſus repugnat. De interiori homine Plato conſentanea Paulo agit IX. de Repub. quem τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον, vocat Paulus τὸν ἔσω ἄνθρωπον. De quo quidam copioſe Schediaſm. II.

V. 24. De corpore mortis huius? id eſt de corpore morti & peccato obnoxio quis me liberabit?

V. 25. Gratia Dei. Gr. εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, *gratias ago Deo*; ſcilicet quod me tolerat. Sic legit Syr. tum Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus atque ita videtur Hieron. ad Algaſiam quæſt. VIII. Noſter haud dubium Græce legit ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ: ſicque legunt Irenæus Lib. III. cap. XXII. Ambroſius Lib. II. de Abraham, cap. VI. Hieronymus I. contra Iovin. Auguſtinus Lib. I. contra II. epiſt. Pelagii, cap. X. aliiſque locis, eaque vera lectio eſt.

MENOCHII.

Verſ. 1. Lex in homine, &c. Per legem non ſolum intelligit legem ceremonialem, ſed etiam naturalem, ut patet ex verſ. 7. Notandum autem eſt aliud eſſe lege teneri, aliud eſſe ſub lege. Lege tenetur qui lege obligatur: ſub lege eſt, qui eſt ſub ſtatu legis, & eius dominio, quod eſt hominem obligare, nec tamen dare gratiam ad eam implendam. Iam lege naturali, & decalogi tenemur quidem, ſed non ſumus ſub lege, quia ab hoc ſtatu gratia Chriſti nos liberavit. Dominatur: iubendo, terrendo, reum faciendo, accuſando, condemnando. Quanto tempore vivit: ipſa lex, aut homo legi ſubiectus.

V. 2. Nam quae sub viro est, &c. comparat legem viro, & homines legi ſubiectos mulieri virum habenti. Alligata est legi: coniugali, quæ præcipit fidem, & obedientiam marito. Soluta est a lege viri, ſcilicet a lege matrimonii, qua marito vivente tenebatur.

V. 3. Si fuerit cum alio viro: ſi copulata fuerit alii viro. Ut non sit adultera, &c. ſi alii nupſerit, aut alteri corporis ſui copiam fecerit.

V. 4. Et vos mortificati estis legi; quaſi dicat, Lex quæ erat quaſi maritus noſter, iam mortua eſt, & eſſe deſiit per Chriſtum. Per corpus Christi: in cruce immolatum, hoc eſt, per Chriſti paſſionem, & mortem; per hanc enim mortua eſt lex vetus. Ut sitis alterius. Senſus eſt; Quo fit ut loco veteris legis iam alium virum habeatis, eique coniuncti ſitis, cuius deinceps arbitrio regamini. Qui ex mortuis resurrexit: Chriſtum intelligit, ad cuius formam oportet fideles in novitate vitæ ambulare, tanquam ex mortuis viventes. Ut fructificemus Deo; id eſt, ut Chriſto tamquam viro noſtro, cui coniuncti ſumus, ex ſemine gratiæ eius fœcundati, bonorum operum fructus proferamus.

V. 5. Cum enim essemus in carne, id eſt in ſtatu veteris, & carnalis hominis, cuiuſmodi ſunt omnes qui ſub lege ſunt. Passiones peccatorum, id eſt motus, affectiones, & deſideria peccandi. Quae per legem erat: quæ ſunt, & excitantur per legem. Operabantur in membris nostris: ἐνηργεῖτο, id eſt exercebantur & ipſo iure complebantur in membris noſtris. Ut fructificarent morti: ita ut fructus mortiferos peccatorum parerent, qui nos ducerent ad mortem æternam.

V. 6. Nunc autem, &c. Senſus eſt: Nunc autem per gratiam Chriſti liberati ſumus a iure legis. A lege mortis: a lege quæ erat occaſio peccati, & conſequenter mortis. In qua detinebamur: cuius ſervitute detinebamur. Serviamus: Deo, & Chriſto. In novitate spiritus, &c. id eſt, non in veteri vivendi genere animali, & carnali litteræ legis veteris, quæ indicabat quidem homini, & vetabat vetuſtatem morum, ſed adeo non auferebat, ut per occaſionem etiam eamdem auxerit, magis enim refricabat, irritabat, & incitabat veteres concupiſcentiæ affectus.

V. 7. Absit: non enim lex in ſe peccatum eſt, ſed a Deo eſt, ideoque per ſe bona, & quod bonum eſt præcipiens. Concupi-

CUPISCENTIAM NESCIEBAM, &c. Concupiſcentia in decalogo vetatur ſpeciali præcepto, ſcilicet 9. & 10. quod plerique exiſtimarent ſexto præcepto, *Non mœchaberis*, & ſeptimo, *Non furtum facies*, vetari tantum actum externum, internum autem non eſſe vetitum, nec cavendum. Per legem igitur tollitur eorum ignorantia, qui in hoc errore verſabantur.

V. 8. OCCASIONE AUTEM ACCEPTA: ex prohibitione legis, & mandati. PECCATUM, id eſt concupiſcentiæ vitium in me latens. PER MANDATUM: tanquam ipſo mandato legis irritatum, & laceſſitum. OPERATUM EST IN ME OMNEM CONCUPISCENTIAM: multo latius, & vehementius graſſari cœpit in me, & excitavit omne genus pravorum deſideriorum. MORTUUM ERAT, id eſt ſopitum, quod quaſi per antiperiſtaſim invaluit, & exarſit.

V. 9. VIVEBAM SINE LEGE ALIQUANDO: nimirum tunc cùm adoleſcere inciperem, & peccare, nec tamen legem Moſis doctus eſſem; tunc enim vivebam quaſi exlex, ac conſequenter per peccatum non curabam, non agnoſcebam, non æſtimabam, hinc ad illud non multum incitabar. SED CUM VENISSET MANDATUM: in notitiam meam. PECCATUM REVIXIT: excitatum eſt, & quaſi per antiperiſtaſim ſe intendit, & violentius me oppugnare cœpit.

V. 10. MORTUUS SUM: factus ſum obnoxius morti æternæ, propter manifeſtam legis tranſgreſſionem, quam incurri. QUOD ERAT AD VITAM: mihi demonſtrandam & procurandam. HOC ESSE AD MORTEM: hoc cedere, & eſſe mihi in occaſionem mortis.

V. 11. SEDUXIT ME: in ſuas partes me doloſe traxit. ET PER ILLUD OCCIDIT ME: & occaſione mandati, & legis in mortiferam legis tranſgreſſionem induxit me.

V. 13. QUOD ERGO BONUM EST, &c. Senſus eſt: Num igitur mandatum per ſe bonum mihi factum eſt mortiferum, & cauſa mortis? ABSIT: non enim culpa fuit legis, aut mandati, quod tranſgreſſionem incurrerem, ſed ego in vitio fui, qui mandato abuſus ſum. SED PECCATUM: ſed vitium concupiſcentiæ meæ, quam ego non compeſcui. UT APPAREAT PECCATUM: ut robur, & vires eius manifeſtentur. PER BONUM: per mandatum occaſionaliter. UT FIAT SUPRA MODUM PECCANS PECCATUM PER MANDATUM. Loquitur Apoſtolus de peccato veluti de perſona quapiam. Senſus eſt: Adeoque illud ipſum peccatum in me latens, occaſione mandati, factum eſt tamquam ingens peccator, dum in me operatur omnem concupiſcentiam, & in apertam prævaricationem impellit, inſuper & occidit.

V. 14. SCIMUS ENIM, &c. Probat hic Apoſtolus quod dixerat, ſcilicet legem eſſe ſanctam, & non eſſe cauſam mortis, ſed peccatum lege declaratum, & prohibitum, &c. QUIA LEX SPIRITUALIS EST. Dicitur lex ſpiritualis, quia præſcribit ea, quæ ſpiritus, & hominis ſpiritualis ſunt, ſcilicet virtutes ſequi, & vitia fugere. II. Quia dirigit hominem ad cultum Dei, qui ſpiritus eſt. III. Quia impleri non poteſt niſi per ſpiritum, & gratiam a viris ſpiritualibus. IV. Quia ſpiritum hominis dirigit, & bene diſponit erga Deum, erga proximum, & erga ſe ipſum. V. Quia lex ſpiritualiter accepta ducit, & præparat homines ad legem evangelicam, quæ eſt lex gratiæ, & ſpiritus. EGO AUTEM CARNALIS SUM: non mente, ſed carne adhuc concupiſcente adverſus ſpiritum. VENUNDATUS SUB PECCATO: carne adhuc ſervus peccati, nam ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, ut ait infra verſ. 23. VENUNDATUS; id eſt traditus quodammodo in poteſtatem concupiſcentiæ, quæ enim venundantur, ea emptori traduntur.

V. 15. NON INTELLIGO; id eſt, per rationem & voluntatem non approbo opera, & motus concupiſcentiæ meæ. NON ENIM QUOD VOLO BONUM, &c. id eſt, non enim proficio id quod mente odi, ſcilicet bonum; ſed carne operor id quod mente odi, ſcilicet malum; quaſi dicat Paulus; Vellem non concupiſcere, & tamen concupiſco. QUOD ODI MALUM, ILLUD FACIO. Facio ſignificat hic actionem hominis imperfectam, id eſt actum concupiſcentis appetitus, citra rationis aſſenſum.

V. 16. SI AUTEM QUOD NOLO, ILLUD FACIO; id eſt, ſi concupiſco, quod tamen nolo, & nolens facio, vel potius patior. CONSENTIO LEGI, id eſt ratione & voluntate approbo. QUONIAM BONA EST: quod

in

Digitized by Google

in ſe ipſa bona eſt; quaſi dicat: Si concupiſco nolens, & invitus, mens & voluntas mea integra eſt, & intacta; quia legi adhæret, & cum ea conſentit.

V. 17. IAM NON OPEROR ILLUD; ſcilicet humane, & deliberate. SED QUOD HABITAT IN ME PECCATUM, id eſt concupiſcentia.

V. 18. NON HABITAT IN CARNE MEA BONUM, id eſt in parte ſenſitiva non eſt quidquam quod bonum faciendum indueat, ſed propenſio, & incitatio ad malum.

V. 19. NON ENIM QUOD VOLO BONUM, &c. Repetit quod dixit verſ. 15. vide ibi dicta.

V. 20. SI AUTEM, &c. Vide dicta verſ. 16. 17.

V. 21. INVENIO IGITUR, &c. quaſi dicat, Cum ad optima quæque contendo, comperio me nefaria peccati lege, & malo adiacente, ac pene dixerim inſito conſtringi.

V. 22. CONDELECTOR ENIM LEGI DEI; id eſt, nam delectat me quidem lex Dei, quæ eſt ſancta, iuſta, & bona. SECUNDUM INTERIOREM HOMINEM. Delectat, inquam, me non quavis parte mei, ſed ſecundum mentem, ſeu partem intellectivam, quæ iam per Chriſti gratiam ſanata eſt.

V. 23. VIDEO AUTEM ALIAM LEGEM IN MEMBRIS MEIS: ſed experior aliam legem in corpore meo. REPUGNANTEM LEGI MENTIS MEAE: quæ lex bellum movet adverſus legem mentis, & legem Dei: intelligit rebellionem partium corporis, quas pudor nominari vetat. CAPTIVANTEM ME: motione, non conſenſione, ut ait S. Auguſtinus. IN LEGE PECCATI: concupiſcentiam intelligit, quæ eſt fomes ad peccandum ſolicitans, peccatum dictans, & & ſuggerens.

V. 24. DE CORPORE MORTIS HUIUS: de hoc mortali corpore.

V. 25. GRATIA DEI: ipſa me quando liberabit, nimirum in futura reſurrectione, dando mihi corpus immortale, & glorioſum. IGITUR EGO IPSE, &c. quaſi dicat: Interim vero dum adhuc detineor in hoc mortali corpore, dumque plena liberatio mea, ad quam ſuſpiro, differtur; ipſe ego Paulus mente ſaltem, & ratione ſervio legi Dei, licet carne adhuc ſerviam legi peccati.

T I R I N I.

Verſ. 1. LEx, qualiſcumque, DOMINATUR IN ſubiectum ſibi *hominem*, ut ſolet maritus dominari in uxorem, iubendo, minando, caſtigando, &c.

V. 4. MORTIFICATI ESTIS. Eſt hypallage *a*, pro eo quod dicere debuiſſet: Lex, quæ erat quaſi maritus veſter, mortua eſt (quia ſcilicet PER CORPUS CHRISTI in cruce immolatum, id eſt per Chriſti paſſionem & mortem, iam abolita eſt lex Moſaica, & in aliam meliorem commutata:) atque ita nupſiſtis ſecundo marito, nempe Chriſto. Sed ne Iudæos offendat dicendo, legem mortuam eſſe, mavult dicere, ipſos mortuos eſſe legi. Prior tamen ſenſus ex antecedente ſimilitudine divortii maritalis clariſſime colligitur; quaſi dicat: Sicut mortuo marito uxor liberatur a lege maritali, & dominio quod in ipſam uſurpabat, & libere tranſit ad alias nuptias: ſic mortua lege Moſaica, nos omnes liberamur ab eius dominio, & legi Chriſti copulamur: UT deinceps non FRUCTIFICEMUS *morti*, id eſt, non pariamus mala opera digna morte & ad mortem ducentia (quæ erant fructus prioris coniugii, & proles quas ſub dominio legis pariebamus:) ſed *fructificemus* DEO ſub dominio ſecundi mariti noſtri Chriſti, id eſt, bona & divina opera edamus, ita S. Chryſoſt. Ambroſius & Anſelm.

V. 5. CUM ENIM ESSEMUS IN CARNE; id eſt, cum viveremus ſecundum carnalia deſideria noſtra in ſtatu veteris & carnalis hominis, nempe ſub lege; nulli alii fructus in nobis OPERARANTUR, Græce, ἐνηργεῖτο, id eſt exercebantur vel producebantur, quam PASSIONES PECCATORUM, id eſt motus, affectus & opera peccaminoſa, QUAE PER LEGEM ERANT, ſeu occaſione legis excitabantur, oriebantur & invaleſcebant.

V. 6. NUNC AUTEM per gratiam Chriſti, SOLUTI, id eſt liberati, SUMUS A LEGE illa, quæ nobis erat occaſio peccati, & conſequenter MORTIS, ITA UT iam SERVIAMUS Chriſto & Deo IN NOVITATE SPIRITUS, id eſt ſub nova & ſpiritu plena lege, ET NON amplius IN VETUSTATE LITTERAE, id eſt ſub veteri & non niſi litterali lege, nempe Moſaica, quæ morbos

& vul-

& vulnera noſtra detegebat, ſed non curabat, utpote ſpiritu, ſeu gratiæ auxilio, deſtituta; & ſic ſæpe cauſa erat gravioris mali & peccati.

V. 7. QUID ERGO? An LEX, quia cauſa peccati, ideo & ipſa in ſe PECCATUM EST? Minime. Lex enim ex ſe, & per ſe, bona & ſancta eſt, & quod bonum eſt præcipit. Nec alia ratione eſt cauſa peccati, quam quod nobis illud manifeſtet, nec tamen gratiam præſtet qua illud ipſum caveamus vel evitemus. Quod quia extrinſecum legi, & non ex intentione, ſed mere per accidens eſt; hinc ab omni culpa illam liberat & abſolvit. CONCUPISCENTIAM, id eſt internum deſiderium alienæ uxoris, aut alienæ ſubſtantiæ, NESCIEBAM tam ſpeculative, quod eſſet peccatum (nam etiam multi Rabbini, adeoque & ipſe Ioſephus *b* in hoc errore verſabantur *c*:) quam practice, id eſt vix ſentiebam.

Sed v. 8. PECCATUM, id eſt natura mea peccatis, vitiis, concupiſcentiis ſubdita & infecta, OCCASIONE ACCEPTA PER MANDATUM legis nonum & decimum, ubi vetamur concupiſcere, OPERATUM EST & produxit IN ME OMNEM CONCUPISCENTIAM, id eſt omne genus pravorum appetituum & deſideriorum. SINE LEGE ENIM concupiſcentiam vetante, PECCATUM quaſi MORTUUM, id eſt ſopitum, ERAT, inſtar canis dormientis: ſed mandato legis excitatum exarſit in omnes pravos concupiſcentiæ motus. Id ego in meipſo, inquit Paulus, expertus ſum: nam

V. 9. & 10. EGO ALIQUANDO, nempe in prima adoleſcentia, cum adhuc SINE LEGE VIVEBAM, utpote necdum edoctus legem Moyſis, neſciebam tunc concupiſcentiam eſſe peccatum, neque admodum illa infeſtabar. SED CUM VENISSET MANDATUM iſtud nonum & decimum legis in notitiam meam, MOX PECCATUM, id eſt natura mea peccaminoſa, quæ antea inſtar dormientis canis ſopita & quaſi mortua iacebat, per legem illam excitata & laceſſita REVIXIT, cuius etiam morſu graviſſime læſus, adeoque & MORTUUS SUM, dum me ſcientem & volentem pertraxit ad conſenſum. Neque enim omnis motus concupiſcentiæ, etiam primo primus, peccatum eſt, ut Calvinus & alii hæretici fingunt: ſed ſoli motus voluntarii, ſeu quibus libere conſentimus: nam hi ſoli prohibentur præcepto, *Non concupiſces*, ut omnes ſancti Patres explicant, & concilium Tridentinum *d* definit. Et Scriptura tantum ait *e*, *concupiſcentiam parere peccatum*, nempe accedente conſenſu voluntatis: monetque ſolum *f*, *ne poſt concupiſcentias noſtras* conſentiendo *eamus*.

V. 13. ERGO QUOD BONUM in ſe EST, nempe lex, FACTUM EST MIHI MORS, id eſt mortiferum, ſeu lethale? ABSIT. Quod enim ego mandatum legis tranſgreſſus ſim, & ita mortem animæ incurrerim, non eſt culpa legis aut mandati, ſed vitio meo id factum, qui mandato abuſus ſum. Nam PECCATUM, id eſt natura mea perverſa & peccaminoſa (UT APPAREAT PECCATUM, id eſt ut vel hinc pateat, quanta ſit eius perverſitas,) PER BONUM, id eſt per legem, ſeu occaſione legis, quæ ex ſe bona eſt, pellexit *me* in MORTEM, inſtar lenonis alicuius vel lenæ: ita UT *fieret* in me SUPRA MODUM; Græce, *ſecundum hyperbolen*, id eſt exceſſive & ſupra quam dici poſſit, PECCANS PECCATUM, id eſt multa, magna & exuberantia peccata produceret & cauſaret.

V. 14. LEX SPIRITUALIS EST, quia (ut exponit Chryſoſt.) ſpiritualia præſcribit, ſcilicet virtutes ſectari, vitia fugere. EGO AUTEM vitio corruptæ naturæ ſector ea quæ non ſpiritui, ſed carni placent, utpote VENUMDATUS SUB PECCATO *g*, Græce, *ſub peccatum*; quaſi dicat: Iam pridem ab Adamo, pretio viliſſimi pomi venditus & traditus in ſervitutem peccati, ſeu naturæ peccaminoſæ, unde non lex, ſed ego ipſe mihi cauſa ſum peccati, & conſequenter mortis. Origenes, & Baſilius *h*, Chryſoſt. & alii Græci, quin & S. Hieron. *i* & Auguſt. *k* uno loco, cenſent S. Paulum hic loqui in perſona peccatoris ſub lege adhuc gementis. Sed alio loco id retractat Auguſtinus & Hieronymus *l*, & cum S. Hilario, Nazianz. Ambroſio (quos citat Auguſtinus) dicit S. Paulum de ſeipſo loqui, & in perſona hominis iuſti; quaſi dicat: Ego iam liber a lege, & ſub gratia conſtitutus, & tot privilegiis a Deo dotatus, tantos tamen concupiſcentiæ ſtimulos atque incitamenta in malum ſentio, ut inſtar ſervi emptitii, ſæpius cogar invitus illi parere, illiuſque motus & impetus velim nolim ſentire. Ita

etiam explicant S. Gregotius *m*, Anſelmus, Primaſius, S. Thomas, Sasbout, Pererius, a Lapide, Menochius & plures alii. *Concupiſcentiæ* ergo quaſi tyranno traditi ſumus, etiam iuſti: non item *peccato*; cogimur enim motus eius ſentire, ſed non conſentire, inquit S. Bernardus *n*.

V. 15. QUOD ENIM ſic, ſecundum carnem, ſeu partem animæ inferiorem, OPEROR impulſus & coactus per pravam naturam meam, v. g. primos inordinatos motus concupiſcentiæ; ego ſecundum ſpiritum, ſeu partem animæ ſuperiorem, NON INTELLIGO *o*, ſcilicet practice approbando, id eſt non conſentio, non volo, non probo: ita S. Auguſt. *p*. NON ENIM QUOD VOLO BONUM, HOC AGO. Nempe vellem bona multa & magna facere alacriter, prompte, expedite; ſed invaleſcente concupiſcentia ſæpius non ita perficio, nec poſſum perficere: cum e contrario MALUM, QUOD mente ODI, nempe motus primos concupiſcentiæ, ſæpiſſime *faciam* per naturam. Unde cum

V. 16. *Illud faciam nolens*, vel potius involuntarie patiar ſecundum naturam, mente & voluntate per omnia manente, *bona*, integra, & *conſentiente*, ſeu conformi, LEGI divinæ; ſequitur quod

V. 17. IAM NON EGO OPEROR ILLUD, (ſcilicet in quantum homo ſum, & ſecundum rationem ac voluntatem operor,) SED PECCATUM concupiſcentiæ QUOD IN ME HABITAT, id eſt natura mea corrupta: in qua

V. 18. NON HABITAT BONUM, vel aliquid quod me ad bonum faciendum invitet, ſed potius propenſio & incitatio ad malum. VELLE quidem ADIACET MIHI, *ſed* PERFICERE BONUM, NON INVENIO; id eſt, prompta voluntas, ſeu facultas appetendi bonum eſt in me iuſtificato; ſed vix & non niſi difficulter illud exequi poſſum: *Spiritus quidem* q *promptus eſt*, *caro autem infirma*, immo & rebellis ac reluctans ſpiritui: ita S. Auguſtinus, Anſelmus, S. Thomas, Primaſius & Syrus.

V. 21. IGITUR. Volens aliquid ex præſcripto divinæ legis præclari facere, INVENIO in me, ſeu experior, aliam LEGEM contrariam mihi, meque impedientem, nempe LEGEM, citamen, imperium concupiſcentiæ, quod MIHI in parte animæ inferiore perpetuo ADIACET, intime inſitum eſt & inhæret: ac non raro

V. 23. CAPTIVAT ME, non voluntatis conſenſione, ſed paſſionum commotione, ut etiam invitus ac reluctans cogat vitioſas concupiſcentiæ inclinationes, dictamina, impulſus ſentire, eiuſque motus & laqueos evadere non poſſim, inquit idem S. Auguſtinus.

V. 24. INFELIX; Græce, *ταλαίπωρος*, id eſt miſer, ærumnoſus, EGO HOMO, QUIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HUIUS? id eſt, de corpore hoc moribundo, & miſeriis mortalis huius vitæ, & nominatim tot pravis affectibus obnoxio. Inſinuat Apoſtolus, luctam hanc mentis, & carnis non accepturam finem, antequam mortali hac vita perfuncti fuerimus; tunc enim, & non ante liberabit nos.

V. 25. GRATIA, ſeu gratuita miſericordia DEI, intuitu meritorum *Chriſti* nos ab omnibus miſeriis expediens, & vita nos donans, ut beata ac immortali, ita & pacifica atque omnis perturbationis experte. Interea dum hæc adhuc differtur, ſaltem MENTE, ſeu parte animæ ſuperiore, *ſerviam* fideliter LEGI, etſi CARNE, id eſt parte inferiore, ſeu ſenſitiva, cogar ſæpius *ſervire* LEGI PECCATI, id eſt imperio concupiſcentiæ. Ludit enim Apoſtolus in verbo *peccatum*, ut alibi dixi *r*. De hac lucta concupiſcentiæ contra ſpiritum, & remediis ad victoriam obtinendam, vide S. Auguſtinum *ſ* egregie hac de re diſſerentem. Solum hic Nota, a S. Paulo unum eumdemque hominem ratione diverſarum affectionum & operationum vocari nunc interiorem, ſpiritualem, vel novum hominem, item ſpiritum, mentem, vel partem animæ ſuperiorem: nunc partem inferiorem, carnem, corpus, hominem veterem, animalem, exteriorem. *Interior*, &c. vocatur, quando conformiter dictamini interni luminis tum rectæ rationis, tum gratiæ operatur & fertur in ea quæ ſpiritualia ac divina ſunt. *Exterior*, &c. quando ex dictamine ſenſuum & appetitus ſenſitivi, operatur & fertur, ut plurimum, in ea quæ

car-

Digitized by Google

carni & ſanguini placent, ut dicetur cap. ſequenti verſ. 5.

(a) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 42.
(b) Ioſeph. Lib. XII Antiquit. cap. XIII.
(b) Matt. v. 23. & ſeq.
(d) Trid. ſeſs. v.
(e) Iac. I. 15.
(f) Eccli. XVIII. 30.
(g) Il[illegible]eg. XXI. 20.
(h) Baſil. in Reg. brevioribus in reſponſ. ad 26. interrog.
(i) Hieron. ad Algaſiam quæſt. VIII.
(k) Auguſt. hic & ad Simplician. Lib. I quæſt. I.
(l) Auguſt. Lib. I. Retract. cap. XXIII. & Lib. VI. contra Iulian. cap. XI. Hieron. Lib. II. contra Pelagianos.
(m) Greg. Lib. XIX. Moral. cap. VI.
(n) Bernar. ſup.
(o) Matth. VII. 23. & Pſal. I. 6.
(p) Auguſt. Lib. I. contra duas epiſt. Pelagianor. cap. XI.
(q) Matt. XXVI. 41.
(r) Proleg. ſupr. num. 29.
(ſ) Auguſt. Lib. de Continentia cap. II. VII. & XXXIII. & Lib. VIII. Confeſſ. cap. X & Serm. XLV. de Tempore.

GORDONI.

Verſ. I. AN IGNORATIS. Probaturus eſt Apoſtolus Chriſtianos non eſſe ſub lege Moſaica: & ideo hic initio hanc generalem ponit ſententiam: Scitis, inquit, (qui non ignoratis quid lex ſit) tamdiu durare dominium alicuius legis, quamdiu durat vel ipſa lex, vel homo qui legi ſubiectus erat: tolle enim horum alterum, ceſſabit in illum hominem dominium legis. Hoc enim declarabit exemplo matrimonii.

V. 2. NAM QUAE SUB VIRO. Quod hic affert ex lege matrimonii, docere potuiſſet exemplo cuiuſvis alterius ſubiectionis ſub aliqua lege. Ceterum in matrimonio res ita ſe habet, ut hic narratur; & mortuo viro mortua eſt mulieri lex, & dominium viri, nec amplius manet mulier ſubiecta.

V. 3. & 4. IGITUR VIVENTE VIRO. Sic ratiocinatur Apoſtolus: Mulier mortuo viro ſoluta eſt lege matrimonii, per quam erat ſubdita marito; ſed lex quæ inſtar mariti erat, eſt mortua per Chriſtum: ergo vos quoque a ſimili debetis eſſe ſoluti & liberi a lege. Et quicquid ſit de vi conſecutionis, ſaltem exemplum hoc declarat periade eſſe de liberatione fidelium a lege Moſaica. Cum hic verſ. 4. ait *nos mortificatos eſſe legi per corpus Chriſti*, eſt proinde ac ſi diceret, legem nobis eſſe mortuam, *per corpus Chriſti*, id eſt per Chriſtum immolatum, & paſſionem eius. Ceterum notent hic Sectarii, libertatem Chriſtianam non eſſe poſitam in impia licentia & impunitate, ſed in libertate a peccato, & a legis dominio, ut dictum eſt. Colligunt Theologi ex hoc Pauli exemplo matrimonium non diſſolvi niſi morte, ſicut non niſi morte Chriſti ſit libertas a lege: Addit etiam Paulus fore adulterium ex coniunctione cum alio viro. Sane hinc etiam probantur ſecundæ nuptiæ, quicquid dicat Tertullianus de Monogamia: quicquid etiam falſo Sectarii obiiciant monachis. Nullus eſt Catholicus, qui damnet ſecundas nuptias.

V. 5. CUM ENIM ESSEMUS IN CARNE. Duo hic ſubindicat matrimonia, & ſecundas nuptias nobis eſſe feliciores. Secundum quidem matrimonium eſt ſub Chriſto. Ait ergo: In priore matrimonio, quod erat ſub lege (imperante & non adiuvante) miſeram fuiſſe conditionem, ubi peccandi deſideria & motus concupiſcentiæ, eos proferebant fructus, qui ducebant ad mortem æternam. *In carne* eſſe, hic eſt eſſe in ſtatus legis, ſine regeneratione per Chriſtum. Dicuntur autem iſti vitioſi affectus incitantes ad peccata, eſſe per legem, quia per legem, ſive occaſione legis iubentis, & non ferentis opem oriebantur. Per legem, inquam, peccata non ſunt, ſed inde cognoſcuntur & apparent. Quomodo vero paſſiones per ſe non ſint peccata, ſeu quamdiu non accedit conſenſus voluntatis, alibi oſtenſum eſt.

V. 6. 7. NUNC AUTEM. Antitheſis eſt ex novo ſtatu ſub lege Chriſti, ubi per gratiam liberati, inquit, ſumus a lege mortis (quatenus ſcilicet erat occaſio peccati) ut ſerviamus Deo, non ut prius: non quod lex eſſet peccatum; nam a Deo eſt, & per ſe bonum eſt legis præceptum: ſed hoc ſolummodo habet, quod det notitiam & peccati, & boni operis; hoc, inquit, ſepoſita legis notitia ignoraretur, ſeu niſi lex diceret, *Non concupiſces*, homo ignoraret concupiſcere eſſe peccatum; certe vel quia non eſſet prohibitum, vel quia non eſſet peccatum cognitum. Videmus in hac Pauli ratiocinatione mutari perſonam, non tamen ſententiam: legem porro hoc capite accipit moralem omnem, qua prohibetur peccatum, eamque vocat veterem lit-

teram propter eius imbecillitatem: & gratiam appellat novum ſpiritum propter eius vigorem, adeo ut ſemper permaneat. Sic quoque verſ. 6. legem appellavit, legem mortis, quia vivificare non poterat, & quia, ut iam dixi, occaſio erat mortis. Ceterum dixi iam verſ. 5. in concupiſcentia motum circa obiectum, ſi voluntarius eſt, eſſe peccatum. Falſum porro eſt non prohiberi actum internum: ſicut etiam falſum eſt, quod docent Sectarii, ipſam vim, fomitem & originem horum motuum eſſe peccatum, ut alibi late probavi. Certe non magis eſt peccatum radix iſta, quam ipſa hominis eſſentia. Et lex actum vetat, non potentiam.

V. 8. Occasione autem. Obſcurum eſt quomodo peccatum operetur omnem concupiſcentiam: varii varie explicant, quid hic ſit peccatum: quidam intelligunt originale; alii vero intelligunt actuale commiſſum & latens in macula: verum ut eſt in habitu non operatur. Alii & magis ad rem intelligunt fomitem peccati; vel conflatum ex fomite & originali ibi latente, ut in quodam ſuo effectu: hoc enim eſt inſtar fontis, ut manant concupiſcentiæ operationes vitioſæ: hoc, inquam, ſenſu peccatum operatur concupiſcentiam. Addit vero eſſe per mandatum, ſed intellige ut ſupra, tamquam per occaſionem, ἀφορμὴν: fomes vero illo modo concipitur ut cauſa & αἴτιον: atque hoc quod eſt de peccato illo excitante concupiſcentiam, optime habet locum in eo, cui nondum eſt remiſſum originale peccatum; quales ſunt qui adhuc vivunt ſub ſtatu naturæ aut Moſaico; ubi vero remiſſum eſt originale, ſaltem adhuc originale operari videtur quodammodo per ſuum effectum & fomitem.

V. 9. 10. & 11. Ego autem vivebam. Sicut monui verſ. 6. late accipi legem hoc capite; ita advertendum eſt Paulum quidem loqui in ſua perſona, ut ſic alios homines intelligat, & hac phraſi doceat quid hominibus eveniat. Scopus autem hic eſt, ut ſic declarata miſeria & imbecillitate hominis ex ſua natura, fomite & notitia legis; tandem concludat verſ. 24. & 25. neceſſariam eſſe gratiam per Chriſtum. Iam ergo hic verſ. 9. hanc proſopopœiam aggreditur: *vivebam*, inquit, sine lege. Hoc aliqui exponunt de homine ante uſum rationis: melius tamen poſtea & in adoleſcentia, quando ſolet poſtpoſita conſideratione legis licenter vivere: creſcente vero ætate, & habita notitia legis revixit peccatum, ſeu ex habita notitia prohibitionis crevit: atque ita lex quæ bona, & ad recte vivendum data, cœpit eſſe ad mortem. Itaque vult homines initio quidem mala ſua non videre, at in iuvenibus; poſtea vero concupiſcentiæ ſtimulis agitatos omnino mori: ſic creſcit damnationis cauſa ſine Chriſto. Atque hinc conſtat quomodo verſ. 11. peccatum per legem occidat multos mortales.

V. 12. & 13. Lex, inquit, bona eſt, dataque ad remedium peccati & fomitis, ſed hoc peccatum inhabitans exaſperatur ſuo remedio, & ita per mandatum ſanctum fit ſupra modum(καθ' ὑπερβολὴν) peccans peccatum; ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία, ſeu peccator peccatum, quaſi ex fomite & notitia legis reſultet peccatum, quod ſit inſtar perſonæ peccantis, & quaſi dicat peccans noxa, peccatum peccator, ingens peccatum.

V. 14. Scimus enim. Pergit Apoſtolus in illa, ut dicebam, fictione perſonæ oſtendere, quamvis lex ſancta ſit, multis titulis; tamen poſita eius cognitione, hominem ex vi fomitis & imbecillitate naturæ (præſertim ſi abeſt gratia Chriſti) eſſe carnalem, carne concupiſcente adverſus ſpiritum, & eſſe velut venumdatum ad peccatum, lege membrorum repugnante legi mentis. Sic quod de ſe dicit, de alio quovis intelligit. Impie hunc locum interpretantur Sectarii, qui volunt Paulum non ſolum de ſe loqui, ſed de ſe conſentiente in peccatum: verum impii & impuri homines volunt omnes eſſe ſui ſimiles. Alii & minus male locum intelligunt de hominibus nondum regeneratis, aut etiam regeneratis, ſed qui in peccato ſunt per operationem commiſſo. Recte vero Auguſtinus Lib. VI. cap. XI. contra Iulianum vult poſſe intelligi de homine etiam ſpirituali regenito & iuſto, qualis erat ipſe Paulus, & ſic declarari gemitum ſanctorum contra concupiſcentiam dimicantium: qui carnales quidem vocantur, quamdiu corruptibile corpus ſic animam aggravat. Hæc, inquam, pugna eſt ſanctorum contra concupiſcentiam. Nec ab hoc ſenſu vult excludi ipſum Paulum. Lege eundem Lib. I. retract. cap. XIII. Itaque ex Auguſtino pio-

iam

rum prælia ſunt iſta : in quo certamine nihil præcipitur impoſſibile ; & per gratiam pervenitur ad vitæ perfectionem, quam hæc vita requirit viatorum.

V. 15. QUOD ENIM OPEROR, NON INTELLIGO, id eſt per rectam intelligentis rationem & voluntatem non approbo. Sic ſane apud Auguſt. Lib. I. cap. XI. contra 2. epiſt. Pelag. Quid eſt, inquit, ignoro, niſi nolo, non approbo. Sunt hi motus concupiſcentiæ, quos non approbat, & per quos fit, ut quod vult bonum, non perficiat, ut conveniret atque expediret. Odit quidem vir ſanctus hos motus, & tamen nolens eos patitur : quamdiu autem fiunt in nolente, conſentit adhuc legi, eam approbans bona voluntate & mente integra ac legi bonæ conſentiente. Hic ergo eſt conflictus, quem attigi verſ. 14. & optata victoria.

Totus hic verſiculus explicat, quod dixit verſ. 14. hominem venditum eſſe ſub peccato. Nihil hic habent Novatores contra liberum arbitrium : voluntas enim ſemper libera eſt in ſua operatione deliberata, quamvis non ſemper ſit libera ut ſint vel non ſint actiones aliarum potentiarum.

V. 16. SI AUTEM QUOD NOLO, HOC FACIO. Hoc eſt, ſi nolens patior motum concupiſcentiæ, adhuc legi conſentio, & mente illi adhæreo. Sic, inquam, vir bonus, inſurgentibus illis motibus, pugnat pro lege, ne peccet. Falſo in his motibus agnoſcunt Sectarii eſſe peccatum : non enim vetat lex motum concupiſcentiæ omnem, ſed voluntarium, & quando eſt in concupiſcentiam conſenſus. Et vero delirat Calvinus, quando vult omnem motum concupiſcentiæ eſſe peccatum formale : ſolum eſt ex ſe id quod Theologi vocant materiale peccatum, aut quatenus ut effectus ſequitur ex peccato.

V. 17. *uſque* ad 21. NUNC AUTEM. Iam, inquit, non operor ego, operatione humana & deliberata, ſed eſt peccatum & concupiſcentia quæ operatur, & ſine voluntate actum ſuum exercet. Nec IN CARNE, hoc eſt, parte patiente eſt ſolidum & laudabile bonum, ſed potius ad malum prona propenſio. Et verſ. 19. & 20. repetit quæ dixit verſ. 15. Vult ſane his verſibus Paulus explicare, unde naſcatur illa hominis contra ſeipſum pugna, certe ex duplici in homine operandi principio : ex concupiſcentia, inquam, (metonymice peccatum) ad malum : & gratia eum ratione ad bonum. Per carnem vero Patres Auguſt. Lib. I. de Nupt. & Concup. cap. XXXI. Chryſoſtomus & alii intelligunt inferiorem partem hominis. Et falſo Calvinus vult totum hominem intelligi, etiam incluſa voluntate. Sic ille ſemper laxat habenas ad vitia ; tollit libertatem & hoſtis eſt gratiæ. Impia & belluina audacia eſt, paſſim & centies refutata, ubi probatum eſt nec omnia opera voluntatis eſſe peccata, nec eam neceſſitate agi ad peccatum.

V. 21. INVENIO IGITUR LEGEM. Pergit Apoſtolus explicare infirmitatem hominis ſub lege & concupiſcentia : antitheſi rem declarat. Interior homo nitens ratione & gratia delectatur præceptis Dei & lege, quæ bona eſt : ſed alia eſt lex membrorum & concupiſcentiæ. Hæc reluctatur & captivat, ſeu captum hominem ducit ad motionem carnis, non conſentiente voluntate. Legem peccati vocat fomitem ſuggerentem peccatum. Valde urgent Novatores hæc verba, *captivum ducentem* ; ſed refutati ſunt verſ. 17. Paulus enim ſolum admittit captivitatem hanc circa concupiſcentiam non voluntariam : ſemper tamen ut non conſentit, liber eſt homo non captivus lege. Auguſtinus I. de Nupt. & Concup. cap. XXX. ſtat certe in iuſtis perfecta iuſtitia. Et tamen ſunt motus primi concupiſcentiæ : qualem, bone Deus, impii homines ſanctiſſimum Doctorem gentium faciunt, ſemper & neceſſario peccantem ? an non etiam capite ſequente prædicat libertatem a peccatis, & docet ſub gratia Chriſti non eſſe hanc captivitatem Calvinianam.

V. 24. INFELIX EGO HOMO. Poſt interrogationem de liberatione a mortali corpore, reſpondet fore ut per gratiam Dei perveniat ad immortalitatem in reſurrectione. Atque interim, inquit, ſervio legi mente ac ratione, licet carne urgeat lex quæ prona eſt ad peccatum. Oratio eſt non diffidentis, ſed ſuſpirantis ad meliora. Nec putandum hic eſt miſeriam hominis eſſe ſolum peccatum. Vide Auguſtinum Lib. I. de Nupt. & Concup. cap. X. ubi docet hominem corpore ſervire legi peccati non peccando : ſed reſiſtendo his motibus ſervire legi Dei, dum ſentit, ſed non conſentit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Concludit, Chriſto per Baptiſmum inſitos ab omni damnatione eſſe liberos, qui non carnem ſectantur, ſed ſpiritum quem acceperunt: ſpiritum inquam adoptionis, qui Dei filios ac futuræ gloriæ cum Chriſto coheredes efficit; ad cuius gloriæ revelationem non ſolum univerſa aſpirat creatura, vanitati interim ſubiecta; ſed & hi qui ſpiritus acceperunt primitias, illam certa ſpe expectant, Spiritu eos roborante, & quid orandum ſit inſtruente. Declarat etiam incomparabilem Dei erga ſuos exhibitam in Chriſto caritatem, aſſerens nihil poſſe eos a caritate Dei ſeparare quæ eſt in Chriſto Ieſu.

1. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto
Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant. 2. Lex enim
ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me, a lege peccati
& mortis. 3. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo
infirmabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in
ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit pec-
catum in carne, 4. ut iuſtificatio legis impleretur in no-
bis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecun-
dum ſpiritum. 5. Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapi-
unt: qui vero ſecundum ſpiritum ſunt: quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt. 6. Nam
prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax, 7. * quo-
niam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta: nec
enim poteſt. 8. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. 9. Vos
autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei habitat in
vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. 10. Si
autem Chriſtus in vobis eſt: corpus quidem mortuum eſt propter peccatum,
ſpiritus vero vivit propter iuſtificationem. 11. Quod ſi Spiritus eius, qui ſu-
ſcitavit Ieſum a mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum a
mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiri-
tum eius in vobis. 12. Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundum
carnem vivamus. 13. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi au-
tem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 14. Quicumque enim ſpiritu
Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. 15. (*a*) Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitu-
tis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo cla-
mamus: Abba (Pater.) 16. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui no-
ſtro, quod ſumus filii Dei. 17. Si autem filii, & heredes: heredes quidem
Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.
18. Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad fu-
turam gloriam, quæ revelabitur in nobis. 19. Nam expectatio creaturæ, re-
velationem filiorum Dei expectat. 20. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non
volens, ſed * propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: 21. quia & ipſa creatu-
ra liberabitur a ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. 22.
Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc.
23. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes; & ipſi
intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem cor-
poris noſtri. 24. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non
eſt

Digitized by Google

eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? 25. Si autem quod non videmus,
ſperamus, per patientim expectamus. 26. Similiter autem & Spiritus adiuvat
infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe
Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27. Qui autem ſcruta-
tur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro
ſanctis. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in
bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. 29. Nam quos
præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe pri-
mogenitus in multis fratribus. 30. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit:
& quos vocavit, hos & iuſtificavit: quos autem iuſtificavit, illos & glorifica-
vit. 31. Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos?
32. Qui etiam proprio Filio ſuo non peper ci, ſed pro nobis omnibus tradi-
dit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 33. * Quis
accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, 34. quis eſt qui conde-
mnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad
dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35. Quis ergo nos ſeparabit a
caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an pericu-
lum? an perſecutio? an gladius? 36. (ſicut ſcriptum eſt: (*b*) Quia propter
te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.)* 37. Sed in
his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. 38. Certus ſum enim,
quia neque mors, neque vita, neque Angeli, * neque principatus, neque
virtutes, neque inſtantia, neque futura, † neque fortitudo, 39. neque altitu-
do, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate
Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

(a) II. Tim. 1. 7. Gal. IV. 5. (b) Pſal. XLIII. 23.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 7. *Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo*. Non ſcribas *inimicitia eſt in Deum*.
Verſ. 38. *Neque principatus, neque virtutes*. Nec addas *neque poteſtates*, nec ſubſtituas loco huius *neque virtutes*.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 38. N*Eque fortitudo*. Videntur hæ duæ voculæ ſuperfluere ob plures rationes noſtris Notationibus declaratas, etiam doctiſſimo Eſtio probatas ſcribenti in hunc locum.

NOTATIONES.

Verſ. 20. P*Ropter eum qui ſubiecit eam in* (*ſub* Quent.) *ſpe*. Latinorum librorum plerique *in ſpe* legunt; inſignes quidam cum D. Primaſii textu *in ſpem*; Pariſienſium duo Di. o. Ge. l.; noſtri tres, Brug. Malmund. ma. Q. Græce eſt ἐπ' ἐλπίδι, quod eſt in ſpe, vel ſub ſpe; Syriace *ad ſpem*, vel *in ſpem*. Quidam ſequentibus hoc iungunt: *Sub ſpe, quod & ipſa creatura liberabitur*, &c. poteſt enim & ſequentibus & præcedentibus copulari. Pronomen *eam*, *Qui ſubiecit eam*, ut non eſt Græce (διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι) ita Latina ſcripta, T. Malmund. ma. L. Pl. Ion., cum D. Anſelmi textu, & Moguntina editione omittunt, quamquam Malmundarienſi alia littera inter lineas ſupraſcriptum ſit. Alterum Malmundarienſe minus ut illud, quod maius diximus, antiquiſſimum alio legit loco: *Qui ſubiecit in ſpe eam*. Plantini anguſtum nonniſi in margine habet. Syricus Interpres explicationis gratia addidit.

V. 33. & 34. Triplex huius loci pronuntiatio eſt. Una: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui iuſtificat? Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Altera: *Quis accuſabit adverſus electos? Deus qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, immo qui* (&c.) *etiam interpellat pro nobis*. Tertia: *Quis accuſa-*

bit

Digitized by Google

M. N. Hunnæi T littera ſignatum loco huius *neque fortitudo*, ſcribit, *neque virtus*, tollitque ſimiliter quod dictum eſt, *neque virtutes*: cui Auguſtini lectio libri De doctrina Chriſtiana IV. cap. xx. & expoſitio eo libello, quo huius epiſtolæ quaſdam propoſitiones expoſuit, per omnia conſonant. Videri ex his poſſit alterum ſuperfluere vel *neque virtutes*, vel *neque fortitudo*, ſive ut alias legitur, *neque virtus*; & quidem diverſas hæc eſſe eiuſdem partis aliter atque aliter lectæ translationes. Quod enim Græce eſt οὔτε δυνάμεις, quod eſt, *neque virtutes*, exiſtimarim ſingulari numero ab aliis οὔτε δύναμις lectum, & a quibusdam verſum *neque virtus*; quo modo Auguſtinus lib. De moribus Catholicæ Eccleſiæ, & Ambroſio attributa commentaria habent eo loco quo nos cum Græcis, & Syris *neque virtutes*; a quibuſdam *neque fortitudo*. Porro *neque virtus* clarum ſatis videtur fieri non eſſe noſtræ editionis; eoque magis quod ſcriptum illud, T, alteram editionem nonnumquam ſequi comperimus. Poſt hoc *neque fortitudo* cedere debere videtur τῷ *neque virtutes*: hoc enim uno, eoque longe aptiſſimo legitur loco; illud variis errat locis, iiſque minus convenientibus. Ut plurimum legitur poſt *futura* ante *altitudo*. *Neque futura neque fortitudo, neque altitudo*. Manuſcriptum H notatum ſcribit poſt *neque virtutes*: *neque virtutes, neque fortitudo*. Duo manuſcripta C. & So. ru. medium habent inter *inſtantia* & *futura*. *Neque inſtantia, neque fortitudo, neque futura*. Apud Origenem in tertio peri archῶn primum legitur *neque poteſtates*, poſtea additur *neque virtus*, ſed ultimo loco: *Neque altitudo, neque profunditas, neque virtus, neque alia ulla creatura*. Primo, & quarto locis ab affinibus ſeparatum, ſolitarium incommode ponitur; tertio etiam dirimit, quæ manifeſtum eſt combinanda; ſecundo optime congruat, quo poſitum id fuiſſe exiſtimat Dominicus Segobienſis, ſi, quod credit, Apoſtolicum verbum eſt. Ceterum cum vel hoc, vel alterum non levibus argumentis ſupereſſe videatur, minuſque hoc τὸ *neque fortitudo* fundatum in noſtra editione appareat, videtur adiectitium id eſſe. Verumenimvero antiquiſſimum Tractatorem Origenem, vel Interpretem eius Hieronymum (is enim Origenis commentario ſua non pauca adiecit) id legiſſe, atque eo quo in Latinis plerumque codicibus legitur loco poſt *neque futura*, nec præteriiſſe quod antecedit *neque virtutes* ex explanatione in hanc epiſtolam vere colligi videtur, tametſi *neque virtutes* ſcriptum ſit poſteriori, ut priori loco.

(a) Præponit quoque *altitudinem & profundum, præſentibus & futuris*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 2. LEx SPIRITUS VITAE, id eſt lex ſpiritus vivificantis, ſicut lex peccati & mortis, lex peccati occidentis, quæ proprie eſt lex membrorum & carnis.

V. 3. & 4. NAM QUOD. Nam Deus miſſo in ſimilitudinem carnis peccati filio, qui carnem quidem peccati non habuit, ſed omnia præter delictum, illi ſimilem. DE PECCATO DAMNAVIT PECCATUM, id eſt de Chriſto qui pro nobis peccatum, id eſt expiatrix peccati victima factus eſt, peccatum veteris Adæ damnavit, IN CARNE, id eſt per carnem & corpus filii ſui, quod impoſſibile erat legi facere. IN QUO, Græce, ἐν ᾧ, id eſt quatenus ipſa ſcilicet lex INFIRMABATUR PER CARNEM, id eſt per carnalem ſui intellectum, ſive carnis infirmitatem, aut ut Græci aiunt, διὰ φρονήματος σαρκός, id eſt *per prudentiam carnis*. Deus ergo, id quod impoſſibile erat legi, etiam de peccato damnavit peccatum, miſſo IN SIMILITUDINEM CARNIS PECCATI filio, Græc. quidam habent σαρκὸς ἁμαρτωλῆς, id eſt *carnis peccatricis*. Bene autem ait, in ſimilitudinem carnis peccatricis, ut vere carnem intelligas, non vero peccatricem, ſed cetera peccatrici ſimilem in qua Chriſti carne peccatum noſtrum condemnavit, UT IUSTIFICATIO LEGIS, quæ nihil ad perfectum poterat adducere, impleretur & conſummaretur per Chriſtum in nobis, qui iam carnalia reiicimus, & ſpiritualia ſectamur.

V. 5. QUI ENIM SECUNDUM, id eſt carnales carnalia ſectantur, & amant ſpirituales ſpiritualia.

V. 6. PRUDENTIA CARNALIS, id eſt ſapere ac vivere ſecundum carnem.

V. 7. & 8. INIMICA EST DEO, Græc.

eſt, ἔχθρα εἰς Θεὸν, quod ſi ἔχθρα habet accentum in prima, ſignificat inimicitiam, & tunc ſenſus eſt, Sapienria carnis inimicitia eſt in Deum; quo modo legunt Hieronymus & Auguſtinus. Interpres autem legiſſe videtur φρόνημα ἐχθρὸν, id eſt ſapientia inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta. NEC ENIM POTEST: quem locum ſic explicat Photius, cuius habes Græca impreſſa; nos ita vertimus, *Ne turberis audiens dicentem Paulum: nec enim poteſt*, non enim hoc dicit, quod qui prudentiam carnis habet, Deo placere numquam poſſit, ſed quod quandiu in alia carnali prudentia manebit, Deo ſubeſſe non valeat. Similiter intellige, QUI IN CARNE SUNT, DEO PLACERE NON POSSUNT, quamdiu ſcilicet in carne permanent, in carne autem eſſe hoc loco, eſt carnaliter vivere.

V. 10. MORTUUM EST PROPTER PECCATUM. Græci explicant, corpus mortuum eſt, quantum ad energiam peccati attinet, quia in cuius corpore Chriſtus habitat, peccatum nullius eſt efficaciæ. Mihi videtur eſſe ſenſus, quod corpus mortuum eſt, id eſt propter Adæ peccatum morti & afflictionibus obnoxium, ſed interim nihili faciendæ corporis moleſtiæ, quia ſpiritus ob iuſtificationem vivit, iuſtificatio enim vita eſt animæ. Quidam legunt ζωὴ, id eſt vita eſt, ut intelligamus de Spiritu ſancto, qui iuſtificando nos vivificat, & corpus morti obnoxium vivificabit, ſin legis ζωεῖ, id eſt vivit, de ſpiritu noſtro intelligendum eſt.

V. 12. DEBITORES, ſpiritui, non carni: ſed quia carnem ſuam nemo umquam odio habuit, ne videretur omnem inhibere corporis curam, ſubdidit, UT SECUNDUM CARNEM VIVAMUS, id eſt quod alibi dicit, carnis curam ne feceritis in deſideriis.

V. 15. & 16. SPIRITUM SERVITUTIS: Græca ſcholia interpretantur ſpiritum ſervitutis legem Moſaicam, quæ Iudæos minis ac ſuppliciis tamquam vænalia mancipia coerceret, quo pacto poſſumus & SPIRITUM ADOPTIONIS, ac gratiæ legem Evangelicam accipere, per quam credentes adoptantur in filios Dei, & ſic IPSE SPIRITUS TESTIMONIUM REDDIT SPIRITUI NOSTRO, QUOD SUMUS FILII DEI, quia ipſa lex ſpiritualis gratiæ & Evangelica teſtatur nos eſſe filios, qua duce & doctrice, CLAMAMUS ABBA, PATER, id eſt aperte profitemur & vocamus Deum patrem, quod nos in Evangelio filius docuit, hunc orandi modum præſcribens, *Pater noſter*, &c. *Ab* autem ſive *abbi* Hebræis & Syris Græcis πατὴρ, Latinis pater dicitur.

V. 19. 20. & 22. 21. NAM EXPECTATIO. Græce ἀποκαραδοκία; id eſt, anxia & vehemens expectatio, ipſa ſcilicet creatura vehementer anxia. Volunt multi ex Græcis hunc locum uſque ad id quod ſequitur, *non ſolum autem illa*, &c. de creatura quacumque præter rationalem intelligi, eſſeque hic proſopopœiam; ut ſit ſenſus, quod creatura rationis expers naturamque habens corruptioni obnoxiam & interituram REVELATIONEM FILIORUM DEI EXPECTAT. id eſt, tempus iudicii & conſummatæ beatitudinis, quia interim vanitati ſubiacet, & corruptioni vel invita, PROPTER EUM QUI SUBIECIT EAM, id eſt vel propter Adæ peccatum, ob quod & terra & creatura omnis maledictioni & corruptioni facta eſt obnoxia: vel propter Chriſtum, qui ſua potentia vel invitam illam corruptioni tenet obnoxiam. IN SPE TAMEN, id eſt non ſine ſpe interituram illam naturam exuendi, quippe quæ liberabitur a ſervitute & vanitate corruptionis. IN LIBERTATEM GLORIAE FILIORUM DEI, id eſt cum] libertatem gloriæ filii Dei aſſequentur. SCIMUS ENIM, inquit, QUOD OMNIS CREATURA INGEMISCIT ET PARTURIT, id eſt quod omnes creaturæ quodammodo libertatem noſtram ſuſpirant, & inſtar parturientis differri dolent, quippe quæ non ante perfectionis gradum ſortientur, quam poſt iudicium revelatione filiorum Dei facta novi cæli novaque terra creentur.

V. 24. SPE ENIM; id eſt, non pertædeat quod huiuſmodi redemptionem corporis & conſummatam adoptionem tamdiu expectes, ſpe enim ſalvi facti ſumus, iam ſpe illam tenemus, cuius ſpes & certa expectatio nobis vergit ad ſalutem, neque mirum ſi quod tamdiu ſperas, nondum re vera aut vides, aut obtines. SPES ENIM QUAE VIDETUR NON EST SPES, id eſt eorum quæ videntur ſpes non eſt, ſpes, inquam, vera & Theologica, de qua intelligit. QUOD ENIM VIDET QUIS, QUID SPERAT? Deum enim in quem tantum vera ſpes eſt qui videt, non ſperat, quia

vi-

Digitized by Google

videndo iam adipiſcitur quod ſperat, quandoquidem, ut ait Auguſtinus, viſio tota merces.

V. 26. SED IPSE SPIRITUS POSTULAT. Chryſoſtomus per ſpiritum intelligit animam hominis, quæ donum & gratiam orationis a Spiritu ſancto accepit. Oecumenius accipit pro dono orationis a ſpiritu Dei infuſo, aſſeritque omnia ſpiritus dona, ſpiritum aliquando vocari ſecundum Chryſoſtomum, ipſe ſpiritus; id eſt, ſpiritualis anima poſtulat gemitibus ineffabilibus: ſcrutator autem cordium Deus, SCIT QUID DESIDERET SPIRITUS; id eſt, ſpiritualis illa anima quæ non iuxta cupiditates noxias POSTULAT PRO SANCTIS, id eſt ſanctis hominibus vel ſalutaribus rebus & puris. Mihi certe eo loco SPIRITUS ADIUVAT INFIRMITATEM NOSTRAM, non videtur ſpiritus ſumi poſſe niſi pro Spiritu ſancto. QUI POSTULAT PRO NOBIS, id eſt poſtulare nos docet quomodo Matt. x. dicit Chriſtus Apoſtolis; *Non eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*: non quod vere loquatur, ſed quod vere loquendi gratiam largiatur, ſic poſtulat, quando poſtulandi gratiam & orationis donum tribuit.

V. 29. NAM QUOS PRAESCIVIT, ET, id eſt etiam PRAEDESTINAVIT CONFORMES FIERI; quodammodo enim conformes nos filio ſuo faciet, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ipſius in reſurrectione, UT SIT IPSE PRIMOGENITUS IN MULTIS FRATRIBUS, primogenitus, ſcilicet mortuorum & reſurgentium: vel prædeſtinavit conformes fieri, &c. ut ſicut Chriſtus primogenitus eſt Dei patris filius, ita & nos eiuſdem per illum filii ſimus; ſed ille natura, nos adoptione.

V. 31. QUID ERGO; id eſt, quid præterea volumus tantis ab eo beneficiis affecti, nimirum prædeſtinati, vocati, iuſtificati, glorificati?

V. 33. DEUS QUI IUSTIFICAT. Quidam interrogative legunt, An Deus qui iuſtificat; quaſi dicat, Non. Quidam enunciative, QUIA ACCUSABIT, &c. quaſi dicat, Nullus, Deus enim eſt qui iuſtificat.

V. 38. NEQUE INSTANTIA, id eſt neque præſentia, neque futura bona. ALTITUDO, NEQUE PROFUNDUM, id eſt cæli & inferi.

S A.

Verſ. 1. IN CHRISTO, id eſt coniuncti Chriſto. CARNEM, id eſt carnis deſiderio. AMBULANT, id eſt agunt, ſeu vivunt.

V. 2. VITAE, id eſt vivificantis. IN CHRISTO, id eſt ſecundum Chriſtum, ſeu conformiter Chriſti vitæ. PECCATI ET MORTIS, id eſt fomitis per conſenſum animam occidentis.

V. 3. LEGI, ſcilicet Moſaicæ. IN QUO, id eſt quatenus. INFIRMABATUR, id eſt debilis erat & inefficax, ſeu non ſervabatur. PER CARNEM, id eſt impediente concupiſcentia. IN SIMILITUDINEM, &c. id eſt ſimilem peccatoribus, ſcilicet quantum ad naturam, non quantum ad culpam. ET DE PECCATO, id eſt ex peccatoribus, ſeu cum peccato natæ; quaſi dicat, Similis factus hominibus natis ex peccatoribus, & cum peccato: ut coniungatur cum præcedentibus; vel quaſi dicat, Ob peccatum quod inducebat, fomitem damnavit, comprimens & velut & alligans ne prævaleret. *Syr. propter peccatum*, ſcilicet delendum, ut coniungatur cum *mittens*, &c. DAMNAVIT, ſcilicet occidens. IN CARNE, ſcilicet ſua: per eam enim oblatam, peccatum abolevit, & fomiti vires abſtulit.

V. 4. LEGIS, id eſt quam lex requirebat.

V. 5. SECUNDUM CARNEM, id eſt carnales. SAPIUNT; quaſi dicat, Illa probant, iiſque delectantur.

V. 6. PRUDENTIA, id eſt quod approbat. MORS EST, id eſt mortem animæ affert, quam ſummopere vitant ſpirituales.

V. 7. POTEST, ſcilicet quia omnino contraria eſt, ut ignis aquæ, cum qua eſſe non poteſt.

V. 8. IN CARNE, id eſt carnales, ſeu ſecundum carnem viventes.

V. 9. IN SPIRITU, id eſt ſpirituales. EIUS, ſcilicet ſervus, ſeu vivum membrum.

V. 10. MORTUUM, id eſt morti obnoxium. Auguſt. PROPTER PECCATUM, id eſt merito peccati. IUSTIFICATIONEM, id eſt Dei ſpiritum, ſeu gratiam qua iuſtificatur. Græc. *iuſtitiam*.

V. 11. MORTALIA. Syr. *mortua*.

V. 13. MORTEMINI, ſcilicet æterna morte. VIVETIS, ſcilicet æterna vita, tamquam Dei filii.

V. 15. ITERUM, ſcilicet ut in lege veteri. IN TIMORE. Græc. *in timorem*, id eſt ad timendum, ſeu timere facientem. PATER. Vel explicatio præcedentis, ut Græc. indicatur: vel exprimere voluit vocem Iudæi & Gentilis, ſcilicet ille *Abba* clamat, hic *Pater*, ſeu Πατὴρ, ſic enim Græc.

V. 16. TESTIMONIUM REDDIT, id eſt teſtatur, ſcilicet interna inſpiratione.

V. 17. COMPATIMUR, id eſt cum Chriſto patimur.

V. 18. ENIM; pro, autem: CONDIGNAE, ſcilicet ex ſe, nam dignas facit gratia; vel quaſi dicat: Pares non ſunt, quia breves & leves, gloria autem immenſa & perpetua.

V. 19. CREATURAE, id eſt mundi totius, vel hominis. REVELATIONEM, id eſt manifeſtationem gloriæ.

V. 20. VANITATI, id eſt inſtabilitati, ſeu hominum abuſui, vel corruptioni. NON VOLENS, ſcilicet naturaliter quiſque appetit conſervari, ſugitque corrumpi. PROPTER EUM; quaſi dicat, Obedit Deo. SPE, ſcilicet liberationis.

V. 21. LIBERABITUR, ſcilicet in homine, in quo eſt quodam modo omnis creatura: conſtat enim corpore & ſpiritu.

V. 22. INGEMISCIT, id eſt velut gemens optat. PARTURIT, id eſt more parturientis veluti dolet, & expectat laborum finem. ADHUC, id eſt nunc.

V. 23. ILLA, ſcilicet reliqui homines, vel reliquæ mundi creaturæ. PRIMITIAS, id eſt præcipua dona, ſeu prima, data in lege Evangelica. REDEMPTIONEM. Appoſitio: nam quantum ad ſpiritum, adoptio iam habetur.

V. 24. SALVI, ſcilicet perfecte; quaſi dicat, Speramus perfectam ſalutem. QUAE VIDETUR, id eſt ubi videtur quod ſperatur.

V. 26. SPIRITUS, ſcilicet ſanctus. POSTULAT, id eſt nos facit poſtulare; ſic alibi: *Spiritus Patris, qui loquitur in vobis:* &, *Clamantem, Abba Pater*. INENARRABILIBUS, id eſt qui facile explicari non poſſint.

V. 27. DESIDERAT, id eſt deſiderare faciat. SECUNDUM DEUM, id eſt Deo grata. POSTULAT, &c. id eſt facit ſanctos poſtulare.

V. 28. PROPOSITUM, id eſt Dei electionem. Syr. *prædinationem*. SANCTI, id eſt ad ſanctitatem: quamquam non eſt vox hæc Græc. nec Syr.

V. 29. PRAESCIVIT, &c. id eſt præſciendo prædeſtinavit, ſcilicet prædeſtinatio eſt æterna Dei notitia, & electio ad gloriam conſequendam, per Chriſti imitationem. IMAGINIS FILII SUI; pro, Filio ſuo.

V. 32. DONAVIT. Græc. & Syr. *donabit*; quaſi dicat: Quid negabit, qui Filium dedit?

V. 33. DEUS; pro, Deus eſt.

V. 34. IESUS, ſcilicet eſt.

V. 35. CHRISTI, ſcilicet qua Chriſtus nos diligit, vel qua Chriſtum diligimus.

V. 36. MORTIFICAMUR, id eſt occidimur. OCCISIONIS, id eſt occiſioni deſtinatæ.

V. 37. PROPTER EUM, id eſt eius amore, ſeu auxilio.

V. 38. CERTUS. Græc. *perſuaſus*. VIRTUTES. Ordo quidam eſt Angelorum. INSTANTIA, id eſt præſentia.

V. 39. DEI, ſcilicet qua nos diligit, vel qua Deum diligimus. IN CHRISTO, id eſt propter Chriſtum.

MARIANAE.

Verſ. 1. NIHIL ERGO NUNC. Non damnantur qui legem non ſervant, nec SECUNDUM CARNEM AMBULANT, id eſt ſecundum legem carnalem.

V. 2. LEX ENIM SPIRITUS VITAE, id eſt ſpiritus vivificantis. A LEGE PECCATI ET MORTIS me liberavit. Sic veterem legem vocat, quod peccati eſſet occaſio, & non vivificaret, id eſt iuſtificaret.

V. 3. PER CARNEM, id eſt eo quod carnalis eſſet & externa. IN SIMILITUDINEM CARNIS PECCATI, id eſt peccatricis, nobis ſimilem miſit Deus Filium ſuum. ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATUM, id eſt per peccatum, id eſt per Chriſtum qui pro nobis factus eſt peccatum, id eſt hoſtia pro peccato, damnavit, deſtruxit peccatum noſtrum. IN CARNE, id eſt per carnem & mortem Chriſti.

V. 4. UT IUSTIFICATIO LEGIS, quam promittebat, & non dabat, impleretur.

V. 6.

Digitized by Google

V. 6. Prudentia carnis: *Φρόνημα*, *ſenſus*, *effectus*, *electio*. Mors est, id eſt cauſa mortis. Contra, prudentia ſpiritus eſt cauſa vitæ & pacis, id eſt omnium bonorum.

V. 7. Sapientia carnis inimica est Deo: *ἔχθρα εἰς Θεόν*, *inimicitia in Deum*, ſic Hieron. & Auguſt. & Gotth. & Syr. Noſter legit, *ἐχθρὸς τῷ Θεῷ*: ſententia non diſcrepat. Nec enim potest. Quamdiu illa carnis prudentia manet, Deo non eſt ſubiecta: ſic quod verſ. ſequenti dicitur,

V. 8. Deo placere non possunt, ſcilicet carnales, quamdiu in eo perſtant.

V. 9. Vos autem in carne non estis. Quomodo *caro* aliquando iuxta naturam ſumatur, aliquando culpam deſignet, Gregor. XIV. Moral. cap. xxix.

V. 10. Mortuum est propter peccatum, ſcilicet Adæ corpus & noſtrum eſt mortuum, malis ſubiectum.

V. 15. Spiritum servitutis non accepiſtis, ſcilicet legis Moyſaicæ, quæ minis & ſuppliciis, & eo timore plena erat. Sed accepistis spiritum adoptionis, id eſt legem adoptionis gratiæ & amoris, quando clamamus: Abba (Pater) pro, *Abba*, id eſt *pater*. *Abba* vox Chaldæa, ideo interpretationem adiungit.

V. 47. Si tamen compatimur Chriſto. Pugna & contentione opus eſt, ut perveniatur ad palmam.

V. 19. Revelationem filiorum creatura ſpectat, id eſt diem iudicii, ut liberetur a vanitate, qua creatura nunc irrationalis invita ſervit peccatis hominum. Proſopopœia.

V. 20. Propter eum: ſive, *per eum*, *διὰ* genitivo iuncta ſignificat idem quod *per*; at cum accuſativo, ut hic eſt, ſignificat *propter*, id ſecutus eſt noſter Interpres. Sed & cum accuſativo apud Iſocr. in Paneg. & Demoſth. pro Megal. ſumitur pro *per*. Significat creaturam non ſua ſponte, ſed ab alio ſubiici vanitati, nempe Deo, aut Adamo, propter quem terra eſt maledicta. Qui subiecit eam in spe. Gotth. *in ſpem*. Syr. *ſub ſpe*, & iungit cum ſequentibus, ſub ſpe quod liberabitur a ſervitute. Quæ diſtinctio in noſtram verſionem poteſt quadrare, mutatis punctis.

V. 22. Ingemiscit et parturit: *Συνωδίνει*, id eſt *dolores parturientis patitur* creatura.

V. 24. Spe enim salvi facti sumus; quaſi dicat, Non mireris quod redemptio differtur, quod gemimus eam ſpectantes; ſpe eſt oblata; ſpes autem non eſt de præſentibus, & iis quæ videmus.

V. 25. Per patientiam expectamus. *Ὑπομονῆς*, *patientiam*, *expectationem*.

V. 26. Spiritus postulat, id eſt Spiritus ſanctus docet & facit nos poſtulare, ipſe nos adiuvat, ut patienter expectemus.

V. 28. Omnia cooperantur in bonum; quaſi dicat: Si redemptio differtur, ſi adverſa patimur, ea tamen utilia ſunt.

V. 29. Conformes fieri. Vult ut Chriſti exemplo hic patiamur mala, ut ſimus Chriſto ſimiles: nam poſt illa ſequetur gloria.

V. 30. Glorificavit; pro, glorificabit: ſic infra *donavit*, pro, donabit.

V. 33. Quis accusabit? Auguſt. III. de Doct. Chriſt. cap. iii. ſic legit: *Quis accuſabit? Deus qui iuſtificat? Quis eſt qui condemnet? Chriſtus qui interpellat pro nobis?* ut tota oratio ſit ex percontatione & interrogatione compoſita. Ad interrogationem per *eſt* aut *non* reſpondetur; ad percontationem pluribus verbis.

V. 37. Superamus propter eum, ſive *per eum*, *διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος*: ſic Auguſtinus IV. de Doctr. Chriſt. cap. xx. & Lib. XXII. de Civit. cap. xxiii. Ergo in his malis per Chriſtum ſuperamus, eius ope.

V. 38. Neque fortitudo. Græc. & Syr. non eſt. Gotth. *fortitudines* habet; ſed tollit illud *neque virtutes*. Nulla res nos ſeiunget a Chriſti caritate, qua eum diligimus.

MENOCHII.

Verſ. 1. Nihil ergo damnationis, &c. id eſt, nihil damnatio ne dignum Chriſtiani exiſtiment ſe pati, etiamſi motus concupiſcentiæ ſentiant. Qui non secundum carnem ambulat: qui ſuggeſtioni concupiſcentiæ reſiſtunt, nec ſe ab illa rapi patiuntur.

V. 2. Lex enim spiritus vitae, id eſt lex gratiæ vivificantis, id eſt vitam ſpiritualem tribuentis. In Christo Iesu: per

Digitized by Google

per Ieſum Chriſtum]. LIBERAVIT ME A LEGE PECCATI, ET MORTIS; hoc eſt, a iure, dominatu, & reatu concupiſcentiæ; ut licet eam ſentiam, non tamen conſentiam.

V. 3. NAM QUOD IMPOSSIBILE, &c. mens Apoſtoli eſt hoc loco, licet verbis obſcurioribus expreſſa, oſtendere id nobis præſtitum per gratiam, quod lex præſtare non potuit. LEGI: Moſaicæ, & etiam naturali, & decalogi. IN QUO INFIRMABATUR PER CARNEM: *ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός*; quaſi dicat: Quatenus lex impotens erat, & invalida propter carnem noſtram peccato, & concupiſcentia infectam. IN SIMILITUDINEM CARNIS PECCATI, id eſt carnis peccatricis, habentem ſpeciem carnis peccato obnoxiæ, nempe in eo [quia mortalis natus eſt, ac miſerias, & mortem paſſus, quæ debentur peccatoribus. ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATUM IN CARNE: eſt proſopopœia, loquitur enim de peccato tamquam de tyranno, qui de poſſeſſione regni quod invaſerat, eiiciatur. Senſus eſt: Peccatum damnavit de peccato, id eſt Chriſtus in carne moriens damnavit, & ſuſtulit peccatum, quaſi reum huius peccati, quod iniuſte vim intulerit Chriſto, & illum innocentem occiderit; hac enim de cauſa iuſte peccatum ſuo dominio, quod habebat in alios homines, privatum eſt.

V. 4. UT IUSTIFICATIO LEGIS IMPLERETUR IN NOBIS: ut iuſtificatio a peccatis, quam lex exigebat, impleretur [in nobis. Hinc patet per ſolam naturam, & legem, ſine gratia Chriſti, hominem in hac corruptione non poſſe totam legem, totumque decalogum implere. QUI NON SECUNDUM CARNEM AMBULAMUS. Cauſa eſt præcedentis ſententiæ; quaſi dicat: Abolito, & damnato peccato per Chriſtum, legem implemus, quippe qui non ambulamus ſecundum carnem, legi eius obedientes, ſed ſecundum ſpiritum, exequentes, quæ legis ſpiritus ſunt.

V. 5. QUI ENIM SECUNDUM CARNEM SUNT, id eſt qui ſeſe carni conformant, quia homines carnes ſunt. QUAE CARNIS SUNT SAPIUNT: curant, cogitant, meditantur opera carnis, ea ſcilicet, ad quæ concupiſcentia carnalis inclinat, illis afficiunt, & ſtudent, & toti ſunt in illis. QUI VERO SECUNDUM SPIRITUM SUNT, &c. id eſt, homines autem ſpirituales curant, & intenti ſunt in ea opera, quæ Spiritui ſancto ſunt conſentanea, & quæ fructus ſpiritus appellantur, ad Gal. v.

V. 6. NAM PRUDENTIA CARNIS MORS EST: *φρονεῖν τὰ τῆς σαρκός*, id eſt ſapere, & vivere ſecundum carnem mortem affert, aliquando corporis, ſemper autem animæ. PRUDENTIA AUTEM SPIRITUS], id eſt ſapere, amare, & ſectari ſpiritualia, *pacem*, id eſt omnium bonorum proventum conciliat, & tandem vitam æternam.

V. 7. INIMICA EST DEO: cuius legi ſubiici non vult, ut ſtatim additur. NEQUE ENIM POTEST; ſcilicet legi ſubiici, ac ſi dicas: Vitium virtus eſſe non poteſt, nec inclinare ad ea quæ ſunt virtutis; id enim naturæ eius omnino contrarium eſt.

V. 8. QUI AUTEM IN CARNE SUNT: qui carnis affectibus ſerviunt, eoſque explent: qui carnaliter vivunt.

V. 9. IN CARNE NON ESTIS: non eſtis carnales, nec carnalia quæritis, aut amatis, ſed ſpiritualia. SI TAMEN: quod de vobis mihi facile perſuadeo. SPIRITUS DEI HABITAT IN VOBIS: per fidem vivam caritate formatam, gratiam habitualem, & per opera inde procedentia. SPIRITUM CHRISTI: Spiritum [Dei, ut proxime dixit. NON EST EIUS: is inter ſectatores, & diſcipulos Chriſti numerandus non eſt.

V. 10. SI AUTEM CHRISTUS IN VOBIS EST; ſcilicet per Spiritum ſuum; id eſt, ſi quis Spiritum Chriſti habet. CORPUS QUIDEM MORTUUM EST, id eſt morti obnoxium. PROPTER PECCATUM: Adæ, unde mors in mundum eſt inducta. VIVIT PROPTER IUSTIFICATIONEM: vivit vita gratiæ per iuſtitiam, quam] in ea efficit Chriſti Spiritus in vobis habitans.

V. 11. & 12. SPIRITUS EIUS: Spiritus Patris. HABITAT IN VOBIS: per iuſtitiam, idque perſeveranter. QUI SUSCITAVIT, &c. id eſt ipſe Deus Pater. VIVIFICABIT MORTALIA CORPORA VESTRA: reſuſcitando ea ad vitam immortalem, & beatam, exemplo Chriſti capitis, & primogeniti mortuorum. PROPTER INHABITANTEM SPIRITUM, &c. Hinc patet Spiritum ſanctum per ſpiritum caritatis in nobis inhabitantem, eſſe cauſam reſurrectionis, & vitæ glorioſæ. Eſt enim hic Spiritus in ſe vita, omnia animans, vegetans, & vivificans. ERGO FRATRES,

TRES, &c. quaſi dicat: Hactenus dixi vos non eſſe in carne, ſed in ſpiritu; ex hoc igitur ſequitur, nos ſecundum ſpiritum vivere debere, non ſecundum carnem:

V. 13. MORIEMINI: morte æterna. FACTA CARNIS MORTIFICAVERITIS: pravis deſideriis ad peccata incitantibus reſiſtentes.

V. 14. SPIRITU DEI AGUNTUR: non ut bruta, ſed ut homines ratione & libertate præditi. II SUNT FILII DEI: per adoptionem, quibus a Deo promiſſa, atque parata eſt hereditas vitæ æternæ. Hoc eſt alterum argumentum quo probat ſecundum ſpiritum vivendum eſſe, quia nimirum decet filios Dei.

V. 15. NON UT ACCEPISTIS SPIRITUM SERVITUTIS: eſt tertium argumentum quo idem probatur, quia ſcilicet ad hoc accepimus ſpiritum adoptionis, ut nimirum ſecundum ſpiritum vivamus. SPIRITUM SERVITUTIS IN TIMORE: *εἰς φόβον*, *ad timorem*: ſpiritus timoris eſt ſpiritus ſervilis, quem acceperunt Iudæi, ut quaſi ſervi legi obedirent. SED ACCEPISTIS SPIRITUM ADOPTIONIS FILIORUM, id eſt caritatem, & gratiam Spiritus ſancti, vel potius ipſummet Spiritum ſanctum, per quem adoptati ſumus in filios Dei. Filiatio, & adoptatio noſtra in eo videtur conſiſtere, quod ſicut Deus Chriſto homini dedit ſeipſum, id eſt Deitatem, & verbum, ut hunc hominem, qui dicitur Chriſtus faceret Filium Dei; ita nobis dat Spiritum ſanctum, eiuſque Deitatem, ut nos faciat ſuos filios, noſque adoptet. IN QUO: ſpiritu, per quem. CLAMAMUS: non voce, ſed filiali, & fiduciali effectu. ABBA: vox Chaldæa *patrem* ſignificans. Vide quæ dixi infra ad Galat. IV. 6.

V. 16. TESTIMONIUM REDDIT: per clamorem, id eſt affectum, de quo proxime. SPIRITUI NOSTRO: nobis, cordi, & menti noſtræ.

V. 17. ERGO ET HEREDES: nam hereditas filiis debetur, & ad hoc adoptatur quis in filium, ut ſit heres. HEREDES QUIDEM DEI: tamquam Patris. COHEREDES AUTEM CHRISTI: tamquam fratris noſtri. SI TAMEN COMPATIMUR, UT ET CONGLORIFICEMUR; id eſt, ſi tamen compatimur, ut & cum eo glorificemur; ſicut enim Chriſtus quamvis & filius eſſet, & heres merito ſuæ paſſionis ad gloriam completam pervenit; ita ſentit Apoſtolus etiam nos, etſi iam filios & heredes, merito patientiæ, qua Chriſto compatimur, gloriæ eius conſortium adipiſci.

V. 18. NON SUNT CONDIGNAE, &c. ſcilicet quatenus paſſiones humanæ ſunt, & temporaneæ; nam eædem ad futuram gloriam condignæ ſunt, quatenus ſunt paſſiones gratiæ, Chriſti meritis innixæ, ſeu quatenus hæ paſſiones per gratiam Chriſti ſuſcipiuntur, & tolerantur. HUIUS TEMPORIS: huius vitæ. QUAE REVELABITUR IN NOBIS: quæ nobis aliquando retecta palam a Deo exhibetur.

V. 19. NAM EXPECTATIO CREATURAE, &c. Dat rationem precedentium; quaſi dicat, Certiſſime in nobis totique mundo revelabitur hæc gloria, quia omnis creatura naturali quodam deſiderio expectat tempus, quo filii Dei gloria donabuntur, ut cum eis, quibus ſervierunt, quaſi dominis, ipſi quoque ſuam gloriam, renovationem, ac perfectionem tamquam famuli accipiant. EXPECTATIO: *ἀποκαραδοκία*, id eſt ſollicita anxia, & quaſi erecto, extentoque capite expectatio. Non dicit *creatura expectat*, *ſed expectatio creaturæ expectat*; quaſi dicat: Creaturæ ita avide hanc gloriam expectant, ut videantur eſſe ipſa expectatio.

V. 20. VANITATI ENIM CREATURA SUBIECTA EST. Vanitas hic eſt defectus mutabilitatis, & opera ſervilia, labores, paſſiones & corruptiones, quibus creaturæ occupantur propter hominem. NON VOLENS; id eſt, non ſponte ſua, non ex inclinatione ſuæ naturæ; cum unaquæque res naturaliter ſuam appetat perfectionem; corruptionem autem, & defectum fugiat: ſed ex ordinatione, ac veluti præcepto Dei, qui illam hominis culpa ſic exigente, ſubiecit huic vanitati, non tamen in perpetuum, ſed ad tempus, facta ei ſpe liberationis. SED PROPTER EUM: Deum, Deique ordinationem. QUI EAM SUBIECIT: huic vanitati. IN SPE: liberationis, & commutationis in melius.

V. 21. IN LIBERTATEM GLORIAE FILIORUM DEI: creatura liberabitur a ſervitute corruptionis, tunc quando filii Dei ſuam aſſequentur perfectam, & glorioſam libertatem.

V. 22. OMNIS CREATURA INGEMISCIT, &c. quaſi dicat: Omnes creaturæ inanimes

anxie,

anxie, & magno cum dolore finem malorum expectant. Apoſtolus non de omni prorſus creatura loquitur, ſed de ea, quæ in miniſterium hominum facta eſt, id eſt corporea, ac præcipue de mundo hoc inferiori, qui ſedes eſt corruptionum, & corruptivarum mutationum. Si haberent ſenſum, gemerent quaſi parturientes, idque ab exordio mundi, & lapſus hominis uſque nunc.

V. 23. Primitias Spiritus habentes. Dicitur hoc in perſona omnium regeneratorum, qui primitias habent ſpiritus, quia principium aliquod, guſtumque Spiritus ſancti, velut pignus acceperunt in donis ſibi collatis; interim expectantes, & anhelantes ad plenitudinem illam ſibi repoſitam in futurum. Adoptionem filiorum Dei expectantes, id eſt æternam felicitatem ad quam adoptati ſumus, & cuius tamquam hereditatis adoptatis debitæ compotes erimus. Redemptionem corporis nostri: qua redimetur, & liberabitur a mortalitate, & concupiſcentia.

V. 24. Spe enim salvi facti sumus: *γὰρ* enim, dat cauſam cur dixerit nos expectare hanc adoptionem filiorum in cælis, quia ſcilicet necdum re, ſed tantum ſpe ſalvi facti ſumus: per ſpem enim tendimus ad ſalutem, quam ſperamus nos adepturos in cælo. Spes autem quae videtur, &c. ſenſus eſt: Nulla eſt ſpes rei præſentis quæ iam habetur, & poſſidetur: ſed ſpes eſt tantum rei futuræ, id eſt nondum acceptæ, ſicut fides rei non viſæ. Hiſce verbis ſolatur Apoſtolus fideles, qui in hac vita multa patiuntur ob ſpem gloriæ: ſuggerit enim ſæpe mens afflicta homini afflicto: ubi eſt quod ſperas? Huic ſuggeſtioni occurrit Apoſtolus dicens, nos mala præſentia videre, ſed futura bona necdum videre, verum ea ſperare, & per patientiam expectare debere. Nam quod videt quis: quod videt, tenet, poſſidet. Quid sperat? nam re, quæ ſperabatur obtenta, nulla iam reſtat cauſa ſperandi.

V. 25. Si autem quod non videmus speramus, &c. quaſi dicat: Cum autem ſpes ſit earum rerum quas non videmus, cum patientia præſentium miſeriarum, expectare debemus adoptionem, ac libertatem gloriæ filiorum Dei.

V. 26. Similiter autem et Spiritus, &c. Hactenus dixi Spiritum ſanctum varia in nobis operari, ac præſertim facere ut ſuſpiremus adj gloriam cæleſtem: iam dico eumdem ſpiritum, ſicuti iam dicta in nobis operatur, ita ſimiliter operari in nobis robur, & auxilium, quo adiuvet infirmitatem noſtram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: cum tamen hoc ſit maxime neceſſarium, quia oratio proprium remedium eſt infirmitatum noſtratum ad eas ſuperandas. Eſt autem difficillimum ſcira quid petendum ſit, cum ſit difficillimum ſcire quid ſit deſiderandum. Spiritus postulat pro nobis. Spiritus ſanctus poſtulare, ſeu intercedere pro nobis dicitur, eo quod efficaci ſua in nobis operatione, nos orare ac poſtulare faciat, & doceat. In hoc enim adiuvat infirmitatem noſtram. Gemitibus inenarrabilibus. Dicuntur gemitus inenarrabiles, ſive ineffabiles, vel quia procedunt a deſiderio rei ineffabilis, id eſt cæleſtis gloriæ, vel quoniam ipſi motus cordis, ut proficiſcuntur a Spiritu ſancto, ſatis enarrari non poſſunt.

V. 27. Qui autem scrutatur corda, id eſt Deus Pater. Scit quid desideret Spiritus: optime novit ſenſum, affectum, deſiderium Spiritus ſui ſancti gegentis in nobis, & ita novit, ut etiam approbet, & exaudiat. Quia secundum Deum, id eſt Dei mentem, & voluptatem. Pro sanctis. Sanctorum nomine eos intelligit, quos ſtatim poſt, *diligentes Deum*, appellat.

V. 28. Scimus autem; quaſi dicat, Multa, ut dixi, Sancti patiuntur in hac vita, veruntamen illis omnia cooperantur in bonum; alacriter ergo, & fortiter feramus quæ occidunt. Omnia; omes tribulationes, immo ipſi lapſus in peccata, nam ex caſu humiliores, cautiores & ferventiores reſurgunt. Secundum propositum. Propoſitum vocat liberale, & gratuitum Dei conſilium, & decretum, quo propoſuit, ſtatuit, & decrevit Deus ab æterno ex mera ſua bonitate, & clementia homines peccato perditos per Chriſtum vocare ad gratiam, & ſanctitatem ſine ullo eorum merito. Vocati sunt Sancti: vocati ſunt ad ſanctitatem.

V. 29. Nam quos praescivit, &c. Particula, *nam*, dat cauſam cur diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, ſimulque explicat qui ſint ſancti vocati le-

ſecundum propoſitum, ſcilicet iis, quos Deus præſcivit, & prædæſtinavit, ut ſint conformes Chriſto quaſi imagini, id eſt exemplari ſuo; ſenſus ergo eſt: Diligentibus Deum, & ſanctis vocaiis ſecundum propoſitum, omnia etiam iuſtiſſima cooperantur in bonum, quia hi ſunt illi quos Deus ab æterno præſcivit, & prædeſtinavit fore conformes filio ſuo, tam in dilectione hac, ſanctitaie, patientia, & gratia, quam in fuiura gloria; ſi nimirum ipſi in dilectione, ſanctitate, &c. perſeverent. Atque ſicuti hos ab æterno præſcivit, & prædeſtinavit Deus tales per gratiam ſuam fore; iia & in tempore eoſdem per gratiam ſuam vocavit, vocatos, vocationique obedientes iuſtificavit, iuſtificatos vero, & in iuſtitia conſtanter in omni tentatione, & perſecutione permanentes, glorificabit. CONFORMES FIERI IMAGINIS: imago filii Dei eſt exemplar filii Dei, id eſt ipſe filius Dei, qui eſt noſtrum exemplar ſanctitatis, gratiæ, virtutis, &c. UT SIT IPSE: Chriſtus Dei filius. IN MULTIS: in omnibus. FRATRIBUS, id eſt fidelibus, ſanctis, amicis, electis, & dilectis Dei: ſignificat illam conformitatem, de qua locutus eſt, redundare in gloriam Chriſti, nam ex ea conſequitur quædam dignitas, & prærogativa Chriſti, ut ſit primogenitus in multis fratribus. Porro Chriſtus filiorum Dei eſt primogenitus, primo, quia ipſe eſt Filius Dei naturalis, eum ceteri ſint tantum adoptivi. II. Quia ante omnes prædeſtinatus eſt Chriſtus ad hanc filiationem, & unionem cum verbo, & conſequenter ad omnem ſuam gratiam, & gloriam. III. Quia Chriſtus finis, ſcopus, & exemplar fuit, & eſt omnium prædeſtinatorum, & electorum, ut ex hoc loco, aliiſque docet Divus Auguſtin. Lib. de prædeſt. ſanctor. cap. XV.

V. 30. QUOS AUTEM PRAEDESTINAVIT: quos inquam prædeſtinavit. Hunc verſiculum proxime explicavimus verſ. præcedenti.

V. 31. QUID ERGO DICEMUS AD HAEC? Cum ergo tanta ſit cura, quam Deus ſuorum habet, quid dicemus inter paſſiones & adverſitates huius ſæculi conſtituti, niſi quod ſequitur? SI DEUS PRO NOBIS: ſi Deus pro nobis ſtat, volens omnino implere in nobis æternum ſuum propoſitum iuſtificationis, & glorificationis noſtræ. QUIS CONTRA NOS? quis vel hominum, vel dæmonum ita contra nos inſurgat, ut ſalutem noſtram impediat? ſane nullus.

V. 32. QUI ETIAM, &c. qui adeo dilexit nos, ut proprio filio non parceret. OMNIA NOBIS DONAVIT: in Græco eſt, χαρίσεται, id eſt *donabit*; ea ſcilicet quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, & denique ipſam ſalutem, gloriam.

V. 33. QUIS ACCUSABIT ADVERSUS ELECTOS? Quis accuſationem inſtituet obiectis criminibus adverſus eos, quos Deus elegit, volens omnino ſalvare? quaſi dicat, Nemo id fecerit niſi fruſtra. DEUS EST QUI IUSTIFICAT; id eſt, a peccatis, & ab intenta adverſarii actione electos ſuos abſolvit, iuſtoſque pronunciat.

V. 34. QUIS EST QUI CONDEMNET? id eſt damnationis ſententiam in eos ferat? quaſi dicat, Nemo. CHRISTUS IESUS, &c. quaſi dicat: Chriſtus adeo eos non accuſabit, ut pro eis mortuus ſit, & reſurrexerit, &c. QUI ETIAM INTERPELLAT, &c. Apud Patrem tamquam perpetuus advocatus, & patronus noſter, exhibendo ſe, & cicatrices ſuas, quas in paſſione acceptas adhuc ſervat, & Patri oſtendet, ac conſequenter orat, ſua merita, ſuos labores, ſuas paſſiones allegando divino conſpectui.

V. 35 QUIS ERGO, &c. quaſi dicat: Cum Chriſtus hæc omnia fecerit, & faciat pro nobis, quis iam nos abſtrahere poterit ab eius dilectione? TRIBULATIO: videtur afflictionem intelligere in corpore, & rebus æternis. ANGUSTIA: in animo, vel certe rebus dubiis, & perplexis, ubi conſilium humanum deficit.

V. 36. SICUT SCRIPTUM EST, ſcilicet electos pati, & paſſuros eſſe: locus eſt Pſal. XLIII. 23. PROPTER TE: propter confeſſionem tui nominis, & quia tui cultores ſumus. MORTIFICAMUR TOTA DIE: aſſidue tradimur in mortem, quotidianis periculis obiicimur. SICUT OVES OCCISIONIS: haud ſecus atque oves mactationi deſtinatæ, ite pro libito, & abſque commiſeratione ad ſupplicia, & mortem trahunt.

V. 37. SUPERAMUS: ὑπερνικῶμεν, id eſt pluſquam victores ſumus hoſtium, & rerum adverſarum. PROPTER EUM QUI DILEXIT NOS: non noſtra virtute, ſed per auxilium Chriſti, qui dilexit nos.

V. 38. CERTUS ENIM SUM: πέπεισμαι, id eſt certam in Domino ſpem habeo,

confido, perſuaſum habeo. NEQUE MORS, NEQUE VITA: neque mors a perſecutore intentata, neque vita promiſſa. NEQUE ANGELI, NEQUE PRINCIPATUS, &c. id eſt nulla vis ſpiritualis, ſi id aggrederetur. Propterea autem memorat virtutes, & principatus, quia virtus, & vis Angelica his nominibus exprimitur. NEQUE INSTANTIA, id eſt præſentia. NEQUE FORTITUDO, id eſt potentia, & robur principum huius ſæculi.

V. 39. NEQUE ALTITUDO, NEQUE PROFUNDUM, id eſt, nec cæli, nec inferi, Vel, nec altitudo proſperitatis, nec profundum miſeriæ. QUAE EST IN CHRISTO IESU, id eſt per Ieſum Chriſtum mediatorem, & propitiatorem noſtrum.

T I R I N I.

Verſ. 1. IS ERGO QUI per fidem & caritatem inſiti SUNT IN CHRISTO IESU, id eſt iuſtificatis, NIHIL NUNC DAMNATIONIS EST, id eſt nihil damnatione dignum, nulla damnabilis culpa, ut Tridentinum *a* exponit. Cum *iuſtitia* enim (quæ perfectam inducit amicitiam cum Deo,) non conſiſtit reatus culpæ damnabilis, ſeu mortalis: licet bene conſiſtat reatus pœnæ, ſeu obligatio ad pœnam temporalem: & reatus culpæ levioris, ſeu venialis. Hinc contra Calvinum ceteroſque hæreticos patet, primo, motus concupiſcentiæ primos, ſeu involuntarios, qui remanent in iuſtificatis non eſſe peccata damnatione ex ſe digna. Secundo, peccata per baptiſmum ac pœnitentiam non radi tantum vel tegi exterius, ſed revera interius eradi & omnino tolli. Tertio, legem, *non concupiſces*; & quamcumque aliam poſſe a iuſtis impleri etiam in hac vita. Nam alioqui falſum eſſet dicere, nihil in iuſtis eſſe damnatione dignum. Etſi enim maneat in me, etiam iuſtificato,

V. 2. LEX PECCATI ET MORTIS, nempe imperium concupiſcentiæ, repugnans legi mentis meæ, & impetu ſuo me ſubinde captivans, ut ſupra *b* vidimus: *ab* eius tamen dominio, quo ſibi ſervientes & ſubiectos peccati reos facit coram Deo, LIBERAVIT ME *lex* SPIRITUS VITAE, ſeu lex ſpiritus vivificantis, id eſt lex gratiæ *Chriſti*, qua mihi conceditur, ut etſi ſentiam imperium & impetum concupiſcentiæ, poſſim tamen nullo negotio non conſentire illi, immo facile ſuperare ac devincere: ita S. Aug. Theophyl. & Anſelmus.

V. 3. QUOD IMPOSSIBILE ERAT omni alteri LEGI tam Moſaicæ, quam naturali, IN QUO, id eſt quatenus & quia, INFIRMABATUR, id eſt infirma, invalida, impotens erat, partim propter carentiam gratiæ & auxilii ad id neceſſarii; partim PER CARNEM, id eſt propter naturam humanam nimis infectam & immerſam concupiſcentiis carnis & peccatis, quæ lex per ſe tollere non poterat. Unde miſericordia motus DEUS mittens; græce, πέμψας, id eſt cum miſiſſet; vel hebraiſmo, id eſt *miſit*, in mundum FILIUM SUUM IN SIMILITUDINEM CARNIS PECCATI, ſeu peccatricis, id eſt indutum carne, ſeu natura humana, quæ ſimilis eſſet carni peccatricis aliorum hominum: ita Theophyl. Qua indutus Chriſtus DE PECCATO DAMNAVIT PECCATUM IN CARNE; id eſt, per oblationem carnis ſuæ in cruce damnavit peccatum, & dominio, quod inſtar tyranni in omnes homines uſurpabat, ſpoliavit, idque propter graviſſimum peccatum ab ipſo peccato admiſſum, nempe propter vim iniuſte & indigne illatam Filio Dei, qua Agnum innocentiſſimum occidit, eo quod videret illum habere ſimilitudinem carnis peccati: eſt proſopopœia; quaſi dicat: Iuſte privavit Chriſtus peccatum dominio ſuo, eo quod uſurparit dominium non ſuum: quicumque enim manum iniuſte extendit in aliena, iuſte privatur ſuis, inquit Chryſoſt. Theodoretus, Theophyl. Simili iure Chriſtus morte ſua damnavit & occidit mortem. Duo enim hi tyranni, peccatum & mors, de poſſeſſione regni quod invaſerant, deturbati ſunt per Chriſtum.

V. 4. UT IUSTIFICATIO LEGIS, id eſt miſſio peccatorum, iuſtitia & ſanctitas, quam lex Moſaica præſcribebat & exigebat, nec tamen per ſe præſtabat, per legem & gratiam Chriſti *compleretur* & perficeretur IN NOBIS. Certum enim eſt, in tanta naturæ humanæ corruptione, per ſolas naturæ vel legis Moſaicæ vires ſine gratia Chriſti, non potuiſſe mandata omnia impleri, & per conſequens neque peccata remitti, neque iuſtitiam acquiri.

V. 6.

V. 6. Prudentia spiritus, vita et pax. Græce, *ſapere*, amare, ſectari *ſpiritualia*, pacem & omnium bonorum proventum conciliat, & tandem vitam æternam.

V. 7. Sapientia carnis, qua quis vivit ſecundum deſideria carnalia, inimica est Deo; quia ex diametro illi adverſatur, & quia non est subiecta legi Dei, ſed prorſus contraria & rebellis: nec enim potest illi ſubiici, vel cum ea ſtare, quia prorſus illi repugnat, ſicut aqua igni.

V. 9. Vos in carne non estis, sed in spiritu, id eſt non eſtis earnales, nec carnalia ſectamini, ſed ſpiritualia: si tamen (quod de vobis omnino mihi perſuadeo,) spiritus Dei et Christi habitat in vobis per vivam fidem & gratiam ſanctificante, agens, dirigens excitans vos ad ea quæ ſpiritualia & divina ſunt. Qui enim tali *ſpiritu* deſtituitur, non est eius, id eſt Chriſti genuinus filius aut diſcipulus.

V. 10. Quod si Christus per Spiritum ſuum in vobis est, iam demum spiritus veſter vivit vita ſpirituali gratiæ, propter iustificationem, id eſt per & propter iuſtificantem & vivificantem gratiam, quam in ſpiritu, ſeu anima veſtra producit, fovet & continuo auget Spiritus Chriſti habitans in vobis: etſi corpus, pars veſtri vilior, mortuum, id eſt mortis neceſſitati obnoxium ſit, (ita certo & brevi, ut ex nunc pro mortuo habeatur:) idque propter peccatum, id eſt merito peccati, talem pœnam depoſcentis, inquit S. Auguſt. *c* Sed hæc ipſa

V. 11. Mortalia corpora vestra vivificabit rurſum Deus propter inhabitantem Spiritum Christi in vobis. Spiritus enim ſanctus, qui per gratiam ſanctificantem habitat in anima iuſti, cauſa eſt reſurrectionis, & vitæ glorioſæ etiam corporis. Eſt enim Spiritus hic ex ſe & in ſe vita, vivificans, animans, vegetans omnia.

V. 14. Quicumque spiritu non mundi, non dæmonis, ſed Dei aguntur, eiuſdem eum illo indolis & genii, id eſt demum sunt genuini filii Dei, quibus promiſſa & parata eſt hereditas vitæ æternæ. Hoc eſt ſecundum argumentum quo probat vivendum eſſe ſecundum ſpiritum Dei, quia nempe ſic decet veros filios Dei. Sequitur tertium argumentum, verſu ſequ.

V. 15. Non accepistis spiritum servitutis, ſeu ſervilem ſpiritum & indolem in, id eſt eum, timore, ut ſcilicet inſtar ſervorum ſolo timore pœnæ adigamini ad obediendum legi, eiuſque mandata complenda, ut olim Iudæi: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, id eſt filialem ſpiritum & indolem, qualis eſt liberorum & ingenuorum hominum adoptatorum in filios Dei. Talem enim ſpiritum atque indolem indit ſuis quos inhabitat Spiritus ſanctus. Quo inſtigante clamamus, Abba, ſeu Pater; id eſt, invocamus Deum, non ſicut ſervi herum ſuum, puta cum timore & affectu ſervili: ſed ſicut filii amantiſſimum patrem ſuum, nempe filiali & fiduciali affectu, inquit S. Auguſt. *d* Et hoc eſt quartum argumentum.

V. 16. Ipse enim Spiritus ſanctus in nobis habitans testimonium reddit spiritui, id eſt menti & cordi, nostro, quod sumus non mancipia, ſed filii Dei. Inferunt hæretici: Ergo omnes iuſti infallibiliter ſciunt ſe eſſe iuſtos, quia teſtimonium Spiritus ſancti non poteſt non eſſe certiſſimum, immo infallibile. Reſpondeo, Nego conſequentiam: quia teſtimonium iſtud, licet in ſe & quatenus a Spiritu ſancto procedit, ſit eertiſſimum & infallibile: quatenus tamen nobis exhibetur, non eſt eertum niſi certitudine coniecturali, & ut ſummum morali, ut ſupra *e* in ſimili vidimus. Nam ut alia taceam, non ſumus certi an illud teſtimonium proficiſcatur a Spiritu ſancto, an vero a ſpiritu maligno transfigurante ſe in *angelum lucis f*: unde monet S. Ioannes *g*, *Probate ſpiritus utrum ex Deo ſint*. Et S. Paulus *h Nihil mihi conſcius ſum*, *ſed non in hoc iuſtificatus ſum*. Et ita docet Tridentinum *i* & omnes Orthodoxi.

Petes, Quodnam ſit hoc teſtimonium Spiritus Sancti? Reſpondeo, experimentum pacis internæ & tranquillitatis conſcientiæ, nullis (quod ſciamus) gravioribus peccatis obnoxiæ, ſimul & deſiderii ad prompte & ex puro amore ſerviendum Deo: quibus freti fiducialiter *Clamamus*, *Abba*, id eſt *Pater*, confiſi, nos eſſe filios Dei.

V. 18. Passiones huius temporis, ſeu

Digitized by Google

vitæ, quatenus humanæ ſunt vel naturales, NON SUNT CONDIGNAE AD FUTURAM GLORIAM QUAE in altera vita REVELABITUR & palam IN NOBIS apparebit. Quatenus autem ſunt paſſiones ex gratia Chriſti toleratæ, eiuſque meritis innixæ, prorſus condignæ ſunt ad futuram gloriam. Verum hoc ex ſe ſuaque intrinſeca qualitate non habent (cum nimis leves & breves ſint, & nullo modo proportionatæ tanto præmio,) ſed ex gratuito decreto, beneplacito ac promiſſo Dei. Eſt hoc quintum argumentum. Sequitur ſextum:

V. 19. EXSPECTATIO omnis CREATURAE EXSPECTAT REVELATIONEM gloriæ FILIORUM DEI. Græcum ἀποκαραδοκία ſignificat ſolicitam & anxiam expectationem, quaſi eius qui erecto capite & intentis oculis eminus venturum adiutorem proſpicit & expectat. Unde non dicit ſimpliciter Apoſtolus, *creatura exſpectat*, ſed, *expectatio creaturæ expectat*; quaſi dicat: Cæli, elementa, ceteraque omnia creata, licet inſenſibilia, tamen avidiſſime, naturali appetitu exſpectant, & (ut eſt verſ. 22. gementes & inſtar parturientium dolentes) præſtolantur tempus quo filii Dei æterna gloria donabuntur, nempe ut una cum eis, quibus quaſi dominis & heris ſervierunt, ipſa etiam gloriam ſuam, (puta renovationem & ultimam perfectionem) accipiant: ita S. Chryſ. cum ſuis, Ambroſ. k Pererius, Toletus & a Lapide, qui hic notat duodecim argumenta quibus Apoſtolus excitat fideles ad patientiam, quæ tu lector conſule, ſi lubet.

V. 20. CREATURA ENIM perpetuæ VANITATI, vita hac durante SUBIECTA EST, nempe continuæ mutationi, defectioni, corruptioni, & tot ſervilibus laboribus, quibus impendi ſe finit, in obſequium hominum, NON VOLENS, id eſt non ſponte ſua, neque ex inclinatione ſuæ naturæ: (nam naturaliter res quæque appetit ſtabiliter conſervari, & horret ac fugit corrumpi:) SED PROPTER Deum, divinamque ordinationem: Deus enim SUBIECIT creaturam huic vanitati & ſervitio, non tamen in perpetuum, ſed ſolum ad tempus, facta illi certa SPE liberationis & commutationis in melius, quæ illi obtinget in univerſali reſurrectione.

V. 21. IN LIBERTATEM GLORIAE, id eſt ad exemplum, inquit Pererius, Toletus & a Lapide vel (ut S. Chryſoſt.) ad communicationem glorioſæ libertatis, FILIORUM DEI. Sicut nutrix pueri regii, cum puer coronatur, etiam ipſa propter puerum participat de bonis regiis. Et quid mirum, creaturas inanimes, irrationales & viles naturaliter optare & aſpirare ad meliorem ſtatum? cum

V. 23. ETIAM NOS IPSI Chriſti, etſi, PRIMITIAS SPIRITUS HABENTES, id eſt ſortiti primos, pinguiores ac delicatiores fructus Spiritus ſancti, puta gratiam iuſtificantem ac ſanctificantem cum tot annexis virtutibus, dotibus, ſolatiis, cupediis, auxiliis cæleſtibus (quæ in primitiva Eccleſia maxime abundabant; his tamen non ſatiemur, ſed *gementes* anhelemus ad plenam & conſummatam ADOPTIONEM, id eſt ad integram poſſeſſionem omnium cæleſtium bonorum, ad quæ æternum hereditanda adoptati ſumus, nempe ad REDEMPTIONEM quoque CORPORIS NOSTRI, ſeu liberationem a mortalitate, concupiſcentia, aliiſque huius vitæ miſeriis, quæ in reſurrectione demum nobis obtinget: ita S. Chryſoſt. Theodoret. Cyrillus *l* & Toletus. Needum enim reipſa, ſed

V. 23. SPE ſola SALVI FACTI SUMUS, quando in iuſtificatione adoptati ſumus in filios & heredes Dei. SPES AUTEM NON EST de re QUAE VIDETUR, tenetur aut poſſidetur, ſed quam

V. 25. PER PATIENTIAM EXPECTAMUS. *Spes nondum pervenit ad rem*, inquit S. Auguſt. *m & ovum eſt aliquid, ſed nondum eſt pullus*. Donec igitur rem ipſam plene obtinuerimus, merito angimur & ingemiſcimus, ſimulque pro virili noſtro ſatagimus omnia adipiſci neceſſaria vel utilia adhibere, omnia nocentia arcere.

V. 26. SIMILITER ET SPIRITUS ſanctus in nobis habitans, ex ſua parte ADIUVAT INFIRMITATEM NOSTRAM, quæ tanta eſt, ut *ne* quidem *ſciamus* QUID aut qualiter OREMUS, ſeu a Deo depoſcamus, SICUT OPORTET ad ſalutem æternam obtinendam: tantum abeſt poſſimus propriis viribus aſſequi vel exequi omnia ei obtinendæ neceſſaria vel utilia. SED IPSE SPIRITUS ſanctus, ut in nobis inhabitat, & noſtri perpetuam ac ſingularem curam gerit; ita etiam PRO NOBIS & loco noſtri POSTULAT apud Deum; Græce, ὑπερεντυγχάνει, id eſt interpellet, & quaſi diligentiſſimus advocatus,

Digitized by Google

catus, deſideria clientium ſuorum exponit in conciſtorio SS. Trinitatis, GEMITIBUS INENARRABILIBUS. Eſt catachreſis; quaſi dicat: Tanta inſtantia & ardore, quanta facile explicari non poſſint; ita fere Tertull. Nazianz. Hilarius, Ambroſ. S. Thomas *n*, Toletus & a Lapide. Poſtulat autem non ſe ſolo, ſed una nobiſcum, immo & per nos, dum nempe noſtram mentem & cor, quaſi ſua iam membra & inſtrumenta (nam per divinam inhabitationem, gratiam & adoptionem fecit illa ſua) movet, illuminat, excitat, accendit, inflammat: tanta ſæpe vi & ardore, ut etiam expertiſſimi ſtupeant, nec capere aut aſſequi poſſint; tantum abeſt effari vel *enarrare* poſſint. Subinde etiam eos affectus, deſideria & vota inſpirat, ea media ſuggerit, ea poſtulari facit in oratione, quæ nec ante cogitata, nec obvia fuerunt, nec ſcitur unde veniant, aut quo tendant *o*.

V. 27. QUI AUTEM SCRUTATUR CORDA Deus SCIT QUID DESIDERET, & per talia intendat SPIRITUS ſanctus: & ita ſcit, ut etiam approbet, exaudiat, & ad optimum finem deducat: QUIA Spiritus ſanctus quæcumque ſic pro nobis, in nobis, & per nos poſtulat, omnia SECUNDUM DEUM, id eſt ex Dei mente, nutu & voluntate, POSTULAT, utpote PRO SANCTIS, electis & dilectis filiis ſuis.

V. 28. SCIMUS *quod* DEUM toto corde DILIGENTIBUS OMNIA, quæcumque & undecumque obveniunt, ſingulari Dei providentia COOPERANTUR IN BONUM, etiam *peccata*, inquit Auguſt. *p* Anſelm. & S. Thomas, nempe *ex caſu humiliores, cautiores & ferventiores reſurgunt*. Porro cauſa cur tanto illis ſtudio invigilet Deus, eſt amor eius eximius quo proſequitur tum omnes homines quantum ex ſe eſt, tum maxime iuſtos, QUI SECUNDUM PROPOSITUM, id eſt ex gratuito & liberali beneplacito Dei, VOCATI SUMUS SANCTI, id eſt invitati ſunt, & invitantem ſecuti ſunt ad vitæ morumque ſanctitatem.

V. 29. NAM QUOS ab æterno PRAESCIVIT Deus per ductum gratiæ ſuæ & conſenſum liberæ voluntatis tales futuros, PRAEDESTINAVIT ad ulteriora bona, ad excellentiores honores, nempe *ut* CONFORMES *fiant* IMAGINI, id eſt exemplari a Deo iuſtis omnibus propoſito, ſcilicet Chriſto *Filii* DEI, qui omnibus exemplar eſt ſanctitatis, gratiæ & virtutum in hac vita, & gloriæ ac felicitatis in altera vita. Conformes, inquam, fiant iuſti Chriſto, tum in his omnibus iam dictis bonis, quæ in ipſo, quaſi primario exemplari repræſentantur: tum in modo quo hæc bona obtinuit, fovit, ornavit, nempe per multas paſſiones, obloquia & cruces, ut quemadmodum ex divino decreto, *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam q*, & *qui vult venire poſt* Chriſtum, ex pari decreto divino, *tollat crucem ſuam, & ſequatur* eum *r*. Ut etiam ſic in patientia, lucta, & certamine, conſequenter & in victoriis ac triumphis, SIT Chriſtus formaliter PRIMOGENITUS IN MULTIS FRATRIBUS, Chriſto ut primogenito reliqui fratres ſecundogeniti ſeu adoptivi, reddantur per omnia (quoad fieri poteſt) ſimiles ac conformes.

V. 30. QUOS AUTEM ad hanc plenam cum Chriſto conformitatem Deus ab æterno PRAEDESTINAVIT, HOS commodo tempore, loco & modo etiam VOCAVIT, & per vias oportunas illam deduxit, laxando ſubinde habenas dæmoni, mundo, carni, ut iuſtis materiam & occaſionem luctæ ac paſſionis ſubminiſtrent. Sed QUOS ſic VOCAVIT, HOS ET iam divina ſua providentia per eaſdem luctas ac paſſiones IUSTIFICAVIT, non prima iuſtitia (nam ut patet ex verſ. præc. iam ante *vocati ſunt ſancti*, & tales eſſe, *præſcivit* Deus:) ſed ſecunda iuſtitia *ſ*, id eſt iuſtiores & ſanctiores reddidit. Non hoc ſolum, ſed & tot tantiſque laboribus atque ærumnis fortiter perſunctos eximie GLORIFICAVIT, ſeu, ut alii vertunt, *magnificavit*, id eſt magnos, celebres, glorioſos effecit, tum in hac, tum maxime in futura vita: ita Gabr. Vaſquez *t*, qui pro hac expoſitione citat Origenem, Cyrillum & alios Patres, & probat Cornelius a Lapide. Scopus enim Apoſtoli eſt, docere, quemadmodum procurante divina providentia, Chriſto paſſiones omnes & cruces cooperatæ ſunt in maius bonum & maiorem gloriam: ita eadem procurante cooperabuntur eædem etiam iuſtis, ſupple, ſi voluerint ipſi, Deo vocanti, ducenti ac dirigenti, ſe permittere, eidemque obſequi & cooperari. Nam poſſe *vocatos* refragari, patebit ex capitibus ſequentibus. Unde patet non agi hic de abſoluta & abſolute efficaci prædeſtinatione

& ele-

Digitized by Google

& electione ad conformitatem cum Chriſto, ſed ſolum de efficaci quantum, eſt ex parte Dei, & adhuc conditionata ex parte hominis, nempe ſi velit hic ſequi eligentem & vocantem Deum: de quo infra u fuſius.

V. 31. SI DEUS ergo PRO NOBIS & a nobis ſtat, invicto providentiæ ſuæ ſcuto nos tegens ac tutans, QUIS hoſtium CONTRA NOS prævaleat? Neque metuendum, deſore nobis hoc ſcutum.

V. 32. QUI enim ETIAM PROPRIO FILIO SUO NON PEPERCIT, SED ILLUM PRO NOBIS OMNIBUS (quotquot voluerimus) ſalvandis ac glorificandis TRADIDIT in mortem; QUOMODO CUM ILLO NON ETIAM NOBIS DONAVIT OMNIA ad dictam ſalutem & gloriam aſſequendam ex parte ſua neceſſaria? ac præ omnibus divinæ tutelæ, opis ac providentiæ ſuæ ſcutum?

V. 33. & 34. QUIS hic hoſtium ACCUSABIT, ſeu accuſationem inſtituere auſit, ADVERSUS eiuſmodi amicos & elientes DEI, ab ipſo ELECTOS in conſortes ſeu ſocios Chriſti ſui? Obiiciant quæcumque volunt, DEUS eſt QUI IUSTIFICAT, id eſt ab intentata adverſariorum actione clientes ſuos abſolvit, iuſtoſque pronuntiat; QUIS CONDEMNET aut reos faciat? Venit Ioannes Baptiſta *non manducans, neque bibens*, & dicit mundus, *Dæmonium habet* x. Quid tum? Veritas Ioannem iuſtificat *y*, *inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*. Venit filius hominis *manducans & bibens* z, *& curans omnes infirmitates* aa, & dicunt, *Ecce homo vorax, potator vini, amicus publicanorum, &c. Samaritanus es & demonium habes* bb, immo *principem dæmoniorum* cc *Beelzebub*. Sed iuſtificat Chriſtum *Pater* cæleſtis *dd*: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Iobo exprobrat dæmon quod *in faciem*, ſeu exterius tantum & ficte *benedicat* & ſerviat Deo *ee* Ab amicis quoque *ff* vocatur ſtultus, *impius hypocrita*, *tyrannus*, *leo*, *tigris*, &c. Sed iuſtificat eum Deus: *Non eſt ei ſimilis in terra* gg, *vir ſimplex & rectus ac timens Deum*. Caro tentat, fugillat, colaphizat *hh*, anxium & ſcrupuloſum vult facere? Deus qui attendit non ſenſum, ſed conſenſum, ſi hic defuerit, iuſtificat te *ii*: *Nihil nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu*. Quis auſit condemnare? Verum etſi nullus externus me hoſtis terreat, terret propria conſcientia, quæ ob peccata olim admiſſa me anxium facit, ne forte illa a me etſi iam pridem pœnitente, olim in divino iudicio exigantur.

Sed huic malo obviat CHRISTUS IESUS ſalvator & redemptor noſter, QUI ut nos ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ expediat, MORTUUS EST; nec tamen ita mortuus ut ſit impotens nos ulterius adiuvare; nam ſecundum divinitatem, & etiam ſecundum enimam mori non potuit: IMMO & ſecundum corpus RESURREXIT a mortuis, redivivus ſedet AD DEXTERAM DEI, & inſtar ſoliciti advocati ac patroni, INTERPELLAT perpetuo PRO NOBIS Patrem, ſuos labores, ſuas paſſiones, ſuas cicatrices, ſua merita divino conſpectui ſemper oſtentans, quibus pro omnibus pœnitentibus iam pridem plene ſatisfecit.

V. 35. & 36. QUIS ERGO, ſeu internus, ſeu externus hoſtis, quæ creatura, quæ occaſio NOS SEPARABIT A CARITATE CHRISTI? id eſt a caritate, favore, ope, protectione, qua Chriſtus, & Deus per Chriſtum nos proſequitur, inquit Toletus & Pererius. Et conſequenter etiam a caritate qua nos Chriſtum & Deum diligimus, ut alii exponunt? quaſi dicat: Deo tam ſolicite nobis invigilante, tam paterne nos protegente, tanta cura & vigilantia providente ut omnia nobis in bonum cooperentur; quis noſtrum anxius eſſe poſſit de continuatione amoris & favoris eius erga nos, aut noſtri (ſi velimus) erga illum affectus & obſequii? Certe in omni *tribulatione & anguſtia*, quas ex divino decreto, ut ſupra kk vidimus, neceſſe eſt verſ. 36. (SICUT Pſalmo XLIII. 22. SCRIPTUM EST,) electos ſubire; fortiter, generoſe ac glorioſe

V. 37. SUPERAMUS, non noſtra virtute, ſed per & PROPTER EUM, id eſt eius gratia & auxilio, QUI NOS tantopere ab æterno DILEXIT, noſtrique tam ſolicitam curam continuo geſſit. Unde fidenter pronuntio,

V. 38. & 39. CERTUS SUM, quod NOS invitos aut nolentes NON POTERIT A CARITATE DEI, ſeu MORS a tyrannis intentata, ſeu VITA ex eorumdem promiſſione laute continuanda: NEQUE ANGELI, NEQUE PRINCIPATUS, NEQUE VIRTUTES, id eſt nulla vis ſpiritualis, ſeu dæmonum,

ſeu

by Google

ſeu aliorum angelorum, ſi quid tale vellent aggredi, NEQUE INSTANTIA, id eſt præſentia, ſeu bona, ſeu mala: NEQUE ALTITUDO proſperitatis, NEQUE PROFUNDUM miſeriæ, ut Teletus ex Oecumenio: vel ut alii, neque cæli, neque inferi: ſed ſoli nos ipſi prava noſtra voluntate poſſumus nos divellere a Deo, a caritate, a iuſtitia, a ſalute. Nam, ut optime docet S. Auguſt. *ll* ita hic aſtruitur potentia & efficacia divini erga nos affectus, ut tamen metus relinquatur propriæ malitiæ, ſocordiæ & negligentiæ. Unde vocula CERTUS SUM, non deſignat omnimodam & abſolutam certitudinem, ſed ſolum ex parte Dei, divinæque providentiæ: ex noſtra vero parte non niſi conditionatam, ſi Deo cooperari, nec ab eo nos divellere velimus. Et hoc vult Græcum πέπεισμαι, quod tum hic, tum alibi, ex mente Pauli *mm* idem eſt quod perſuaſum habeo, ſpero, confido, ut hic legit S. Ambroſius, Hieronymus *nn*, Syrus, Vatablus, immo & Eraſmus, Beza, Tremellius & plures alii heterodoxi.

(a) Trid. ſeſſ. iii. canone v.
(b) Rom. vii. 21. & 23.
(c) Auguſt. Lib. de Peccat. meritis cap. xv.
(d) Auguſt. ep. ci.
(e) Rom. v. 1.
(f) II. Cor. xi. 14.
(g) I. Ioan. iv. 1.
(h) I. Cor. iv. 4.
(i) Trident. ſeſſ. vi. de iuſtitia.
(k) Ambroſ. IV. Hexamer.
(l) Cyrill. Lib. XXIV. Theſauri cap. 1.
(m) Augu. Serm. XXIX. de Verbis Apoſtoli.
(n) Nazianz. orat. ii. de Fil. Hilar. in Pſalm. lxiv. Ambroſ. epi. xxiii. ad Hor. S. Thom. iii. p. quæſt. xxi. art. 4.
(o) Ioan. iii. 8.
(p) Aug. Lib. II. de Corrept. & gratia cap. 1.
(q) Lucæ. xxiv. 26.
(r) Matth. xvi. 24.
(ſ) Hic cap. iv. 3.
(t) Vaſq. 1. p. xxiii.
(u) Rom. ix. 30. & toto cap. x. & xi. Epheſ. 1. 5.
(x) Matt. xx. 18.
(y) Ibid. verſ. 11.
(z) Matt. xx. 19.
(aa) Matt. iv. 23.
(bb) Ioan. viii. 48.
(cc) Matth. xii. 24.
(dd) Matt. tit. ult.
(ee) Iob 1. ii. 2. 5.
(ff) Iob iv. 10. & v. 11. xi. viii. 4. & xxii. 21. xv. 18. 20. 22. 34. &c.
(gg) Iob ii. 3.
(hh) II. Cor. xii. 7.
(ii) Rom. viii. 1.
(KK) Hic verſ. 29.
(ll) Auguſt. Lib. de Moribus. Eccleſiæ cap. 11. & ſeq.
(mm) Rom. xv. 14. & Heb. vi. 9. & II. Tim. 1. 5. &c.
(nn) Hieron. quæſt. iv. ad Aglaſam.

GORDONI.

Verſ. 1. NIHIL IGITUR. Hic & toto hoc capite proponitur Chriſtianis inſigne conſolationis argumentum. Nihil illis qui in Chriſto vivunt & perſeverant, eſſe quod damnationem afferat, licet ſentiant motus concupiſcentiæ. Duo dat ſigna immunitatis a damnatione; unum eſt eſſe in Chriſto; alterum non ambulare ſecundum carnem. Variat hic, ut vides, textus Græcus, ſed idem ſenſus. Nota, ſi nihil damnationis manet; ergo nec peccatum: plane ergo deletur peccatum: & frivola eſt iuſtificatio per non imputationem. Sed abutuntur hoc loco Sectarii, ut (quia nihil eſt in illis damnationis) nec pœnis nec purgatorio ſint obnoxii, & ſint inde certi de ſua prædeſtinatione. Sed ex qua quæſo ſcriptura habet iſte Sectarius nihil in ipſo eſſe damnationis, præſertim cum fateantur ſe ſemper peccare. Ubi vero eſt culpa, fateri oportet debitam eſſe pœnam, & damnationem, niſi reſipiſcant de ſola pœna & purgatorio.

V. 2. LEX ENIM SPIRITUS VITAE πνεύματος. Per hanc legem Spiritus intelligo gratiam, & dona per quæ applicat nobis Chriſtus meritum paſſionis ſuæ. Liberamur vero in Chriſto, idque a lege peccati & dominatione concupiſcentiæ; nempe ut licet adſit ſenſus concupiſcentiæ, non tamen conſenſus: & in hoc conſiſtit liberatio de qua hic. Mirum eſt, quam ſibi etiam adverſentur Sectarii explicantes quid ſit lex ſpiritus. Omnia confundunt; nihil probant, nil agunt ſomniatores novitatis.

V. 3. NON QUOD IMPOSSIBILE. Præſtat ſane Deus nobis per gratiam, quod per legem præſtari non potuit. Senſus hic eſt: quod impoſſibile erat legi Moſaicæ, naturali aut decalogo, & ubi lex infirmabatur atque impotens erat, ob carnem noſtram concupiſcentiæ obnoxiam ac vitiatam; Deus illud reſtauravit, mittens filium habentem peccati & peccatoris ſimilitudinem (ex carne mortali & paſſione ſua) *qui* DE PECCATO DAMNAVIT PECATUM IN CARNE, hoc eſt, miſit filium, qui in quæſtione & lite de peccato (περὶ ἁμαρτίας) *damnavit* peccatum tamquam perſonam & tyrannum reum mortis. Damnavit autem pec-

peccatum in carne, ſcilicet vel noſtra ubi regnabat; vel ſua, dum ipſe innocens tulit pœnas peccati, & chirographum cruci affixit. In hoc obſcuro verſiculo illud primum occurrit, non poſſe legem ſervari ſufficienter ad ſalutem ſine gratia. Sed ridiculus eſt Novator, qui colligit mandata Dei eſſe impoſſibilia; cum toties Paulus, & hic verſ. 4. doceat, quod deeſt ex parte legis & naturæ ſuppleri per gratiam. Porro obſervarunt interpretes recte pro veritate carnis in Chriſto contra Manichæos, mitti hic filium, non quidem in ſimilitudine carnis, ſed in ſimilitudine carnis peccati.

V. 4. Ut iustificatio legis. En iuſtificationem & obſervationem legis per gratiam Chriſti. Hinc, inquit Paulus, eſt iuſtificatio a peccatis, quam lex non dabat, ſed exigebat. Et hæc ait eſt iuſtificatio quæ fit in nobis (non per imputationem) dum ambulamus, in lege non carnis, ſed ſpiritus. Non moror in declaranda natura iuſtificationis. Sed quid eſt iuſtificationem legis in nobis impleri? Sane ad iuſtificationem oportet concurrere cum fide ſpem & caritatem, & hac ratione apti ſumus ad legem implendam. Verum per iuſtificationem hic aliqui intelligunt obſervationem legis *δικαίωμα*, alii iuſtificationem a peccatis, & *δικαίωσιν* utrumque fit per gratiam; ſed poſterior interpretatio eſt commodior: ſtant enim in iuſtificatione remiſſio & renovatio.

V. 5. & 6. Qui enim secundum carnem. Probat quod dictum eſt, impleri iuſtificationem legis non iis qui ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant. Hoc, inquam, iam probat ex effectu, ſtudioque cuiuſque & ſcopo quo itur: quæ vero ſint ſtudia carnis, & quæ ſpiritus, ſatis notum eſt. Quam belle hic Paulus depingit Sectarios novos, ex quorum turpi doctrina, licentia carnali & moribus relucet lex carnis.

Quod ſubditur verſ. 6. diſtinguit duplicem prudentiam. Illa carnis, eſt iudicium corruptum affectibus malis, prælucens ad male operandum. Contra vero de prudentia ſpiritus, illa mortis adminiſtra eſt, hæc vitæ. Lege Lactantium de vera & falſa ſapientia.

V. 7. Quoniam. Sapientia carnis non poteſt eſſe vitæ, quæ eſt inimica Deo: nec poteſt ſubiici legi Dei. Utrumque verum eſt: nec hic quicquam eſt contra liberum arbitrium: impotentia eſt ex infirmitate carnis: poſſe vero eſt a gratia & a lege ſpiritus.

V. 8. & 9. Promovet ſermonem de duplici ſpiritu. Carnales ſpiritu Deo placere non poſſunt: odit enim impuros & peccatores carnaliter viventes. Vos autem in carne non estis? dubitantis vox eſt, ut docet ſequens conditio: *εἴπερ* enim dubitantis eſt, ut bene explicat Latinus, ſi tamen alloquitur Romanos. Syrus etiam vertit, *ſi vere* quod plane dubitantis eſt. Et demus eſſe affirmationem, non pronunciat hoc Paulus ut rem certam; ſed eſſet ſimplex ex caritate iudicium de aliena vita. Nihil ergo hic favet præſumptioni Novatoris de ſua ſalute.

V. 10. & 11. Si autem Christus in nobis. Qui habet ſpiritum Chriſti, licet corpus ſit obnoxium morti (quam attulit peccatum Adæ) tamen vivit vita gratiæ: ſi autem hic ſpiritus Dei Patris (qui ſuſcitavit Chriſtum) habitat in vobis perſeveranter, fiet ut exemplo Chriſti, vos etiam reſuſcitet: tanta nempe eſt vis gratiæ inhabitantis, & in qua perſeveramus, ut ex hac (non ſola imputatione) inhabitante, pleneque iuſtificante, exeant opera meritoria vitæ æternæ.

V. 12. Ergo fratres. Cum hactenus dixerit Romanos non ſecundum carnem vivere, concludit iam præclara exhortatione ad continuam carnis mortificationem. Ac ſi dicat, nos omnia debere Deo, carni nihil, & hinc quidem proponi mortem æternam, illinc vitam, ad quam reſuſcitabimur. Dicet Sectarius, debitores ſumus: ergo non eſt locus merito. Sed cæcus Novator non videt debita quidem eſſe opera noſtra Deo ratione creationis & redemptionis; voluiſſe tamen Deum interpoſita ſua promiſſione ut eſſent merita: nam vita æterna ſine promiſſione eſſet plane gratis data; tamen interpoſito pacto, datur ex debito & iuſtitia. Paulus Hebr. vi. confutat hoc Novatoris delirium. Vide Ambroſ. ad Pſal. cxviii. Serm. VII.

V. 13. Si enim secundum carnem. Senſus clarus eſt, & firmat duo Catholica dogmata, unum eſt, poſſe iuſtum (quales dixit eſſe Romanos) excidere a iuſtitia, ſi carnem ſequatur: alterum non ſufficere ſolam

lam

iam fidem: quando ut vivas, neceſſe eſt bonis operibus mortificare carnem. Et quorſum hic timor incutitur iuſto, ſi certus eſt de ſalute?

V. 14. Quicumque. Hæc videntur conſecutione necti inter ſe apud Paulum; mortificare carnis facta, agi ſpiritu Dei, eſſe Dei filium, & tandem vivere: ſed ut ſupra monui, opus eſt perſeverantia: ſunt enim filii Dei, quidam per electionem; alii tantum ſecundum præſentem iuſtitiam.

V. 15. Non enim accepiſtis. Docet qualem accipiant ſpiritum, qui ſpiritu Dei aguntur. Non eſt, inquit, ſpiritus operans ex timore pœnæ, ut ſub Moſe, ſed adoptionis & filii operantis ex amore Dei ſincero; & ex hoc ſpiritu agenda ſunt omnia. Lege Auguſt. Serm. XIII. de verbis Apoſtoli. De geminatione vocis, Abba pater (in qua putatur eſſe emphaſis aliqua) vide Marc. xiv. 36. ubi eſt pater, *pater mi*, אבא אבי. Sed dicet Novator, ſi filius eſt, ergo hæres. Ergo certus de hæreditate. Sed iam oſtenſum eſt poſſe excidere ab hac adoptione & iuſtitia. An non etiam inter homines hæres naturalis morte præventus numquam adit hæreditatem. Itaque filio Dei adoptivo ſpes data eſt, non vero ſecuritas.

V. 16. Ipse enim spiritus. Quæſtio eſt an hoc teſtimonium det nobis fidei certitudinem, quod ſimus filii Dei? hic delirant ſi uſquam Novatores, qui fingunt Spiritum ſanctum dare ipſis hanc certitudinem. Certe cum toties Scriptura dicat ſtandum eſſe cum timore, & conſtet, ut iam dixi, poſſe hominem a gratia excidere, ex pura vertigine capitis hoc eorum ſomnium eſt. Nec aliud eſt Græce συμμαρτυρεῖ, quam ſimplex μαρτυρεῖ. An non idem quod Novator, dicet quicumque impiſſimus, ſi vult ſimiliter mentiri, & falſo gloriari de ſua iuſtificatione. Et in viginti aut triginta ſectis hodie de veritate religionis certantibus, ſeque mutuo damnantibus de hæreſi, cum omnes, inquam, dicant ſe habere hanc certitudinem de ſua doctrina & ſalute, an non hoc evidenter oſtendit omnes præter ſaltem unam mentiri. (Unica quippe eſt veritas) immo in nullis hæreticis ut tales ſunt, poteſt eſſe vera certitudo ſalutis; certe cum non habeant expreſſam de certitudine revelationem; aut quicquam quod reddat hanc certitudinem evidenter credibilem, unde quæſo habebunt certitudinem fidei, aut quod Spiritus ſanctus (qui non eſt fallax) hoc illis dicat, aut ſe maiorem habere certitudinem de perſeverantia, quam habuerint Adam, Eva & Angeli. Sed omiſſa iam & toties refutata hac ambitioſa certitudine fidei de propria iuſtitia, & perſeverantia; concedunt quidem Catholici, a iuſtis ſæpe haberi bonum & non vulgare teſtimonium ſe eſſe filios Dei, quale habent ex ſingularibus affectibus caritatis, & experimento ſuavitatis in animo, ex quo fit ut non modo non ſint ex timore anxii de ſalute; ſed etiam (quamvis ſciant ſe labi poſſe) non habeant rationem cur dubitent, aut putent ſe eſſe ſine gratia iuſtificante. Catharinus etiam admiſit infallibilem certitudinem, ut cum Europæi credunt eſſe Iaponios: viderit ille. Ceterum illa quam admiſi ſanctorum ampla conſolatio eſt, per quam placide requieſcunt in Dei providentia: & tale eſt teſtimonium quod dat Spiritus ſanctus. Verum, inquam, & nullo modo fallax: nec tamen cum ſumma certitudine, cum non ſciamus certiſſime an affectus ille ſit naturalis, aut ex alio principio. Nam habent etiam Gentiles erga ſua numina magnos affectus, & ſæpe ſunt naturalia divinis ſimilia, & hæc de certitudine iuſtitiæ. De veritate doctrinæ alibi.

V. 17. Si autem filii. Filii quidem ſunt hæredes: ſed an omnes filii? Sane qui eſt per adoptionem filius, ſi excidat moriens a gratia, non aſſequetur hereditatem. Opus eſt ergo perſeverantia, & pro conditione neceſſaria requiruntur hic bona opera. Nec mirum, cum non omnes filii unius patris hereditatem aſſequantur. Et quicquid ſit de humanis heredibus, vult Deus neceſſitatem operum, cum nos adoptat.

V. 18. Existimo autem. Contendunt Novatores nullo modo eſſe dignitatem in operibus quibus promeremur gloriam, & toti ſunt ut deſtruant Catholicam de merito doctrinam. Nihil, inquiunt eſt ἄξιον τῆς δόξης; ſed impie & inique negant eſſe in operibus dignitatem ex gratia, & proportionem ex pacto: ſtat æqualitas non rei ad rem, ſed geometrica. Sic ſe habet ſemen ad fructum vel arborem: nec cauſa ulla eſt cur Dei promiſſionem efficiant Novatores inanem.

V. 19. Nam expectatio creaturae. Revelabitur illa gloria: nam eſt in ma-

gna expectatione creatura, ita ut creatura ipſa ſit velut expectatio; & expectatio expectans: ἀποκαραδοκία, ſolicita expectatio. Per creaturam alii aliud intelligunt: ſed recte Chryſoſtomus, Hilarius, & alii multi intelligunt omnem mundi creaturam præter hominem. Proſopopœia ergo eſt, dum illæ omnes innato quaſi deſiderio expectant revelationem filiorum Dei, ut quæ homini ſervierunt, adſint etiam & quaſi lætentur in illa revelatione.

V. 20. & 21. VANITATI ENIM CREATURA: ματαιότητι, & μάταιος, vanum, inane, vile aliqui mutabilitatem intelligunt; vel certe dicit Paulus creaturas illas ſubiectas eſſe vanitati propter abuſus in homine, qui vane utitur illis: dum enim ex Dei ordinatione obtemperant homini, ſubiiciuntur hominum vanitati, avaritiæ, gulæ. NON VOLENS, ſcilicet Deo iubente. Interim ex modo loquendi tribuit rei inanimatæ actum nolendi, immo & ſpem qua liberatur ab hac vanitate in revelationem filiorum Dei.

V. 22. SCIMUS ENIM. Apoſtolus facit adhuc ex quadam Proſopopœia velut gementes creaturas, de quibus verſ. 19. donec ſimul cum filiis Dei liberentur ab illa vanitate, cui per abuſum ſubiectæ ſunt nolentes, & ſerviant deinceps electis. Sic, inquit, creaturæ exoptant finem malorum in hoc mundo, qui eſt ſedes corruptionis. *In libertatem*, in libertate vel propter libertatem.

V. 23. NON SOLUM AUTEM ILLA. Senſus hic eſt, non mirum eſſe ſi filii Dei ingemiſcant, cum gemant non ſolum creaturæ, ſed etiam ipſi Apoſtoli, qui acceperunt primitias Spiritus, hoc eſt (ut ego interpretor) prærogativam in donis gratiæ, linguarum & miraculorum. ADOPTIONEM EXPECTANTES, id eſt hereditatem & gloriam ad quam ſumus adoptati, & per quam liberabitur corpus a mortalitate. Dicet Sectarius ex vi adoptionis datur gloria; ergo non ex merito. Hallucinatur. Immo ex eo quod detur gratia, ſequitur & reſultat meritum & dignitas operis. Ignorat hic ſuam vocem Novator iſte, & unde reſultet meritum: & quid dicet de Chriſto?

V. 24. & 25. SPE ENIM SALVI. Dixit Paulus nos adhuc in hac vita expectare plenam illam adoptionem in cælis: nunc hoc declarat; quia hæc vita eſt ſtatus ſperantium; & inde mox infert verſ. 25. patientiam nobis eſſe neceſſariam. Docet ergo nos adhuc ſpe tantum tenere ſalutem illam; quæ non eſt rerum præſentium, ſed futurarum. SPES QUAE VIDETUR, NON EST SPES. Accipit ſpem pro re ſperata: id autem quod ſperatur, eſt plena adoptio. Ea vero includit prædeſtinationem, vocationem, perſeverantiam & gloriam. Cogitet hic novus Sectarius, quam falſo afferat ſe certum eſſe de hac adoptione. Apoſtolus docet eam ſpe tantum hic teneri. Et cum non excludat quandam formidinem, ubi quæſo, erit certitudo fidei? At quomodo ſpe ſalvi? An non etiam fidei & caritate? Sane his omnibus: ſed ait ſpe teneri ſalutem. Et ſynecdoche eſt, quam belle explicat Auguſtinus, de fide & operibus cap. XIII.

V. 26. SIMILITER AUTEM. Ambroſius, Nazianz. Orig. & alii communiter per Spiritum intelligunt Spiritum S. Ille (ut eſt in Græco) accipit, & fulcit infirmitates noſtras; adiuvat conferens gratiam precum, ut precibus victoriam obtineamus. *Similiter* ὡσαύτως, ſicut dat ſpem & patientiam, ita etiam docet interpellare ut oportet, POSTULAT, dum poſtulare facit. Nullus itaque Sanctus poſtulat pro nobis hoc modo, ut ſanctus Spiritus, qui Deus eſt, & principalis excitator atque effector orationis in nobis. Dices, ſi ita ille, ergo inutiliter Sancti invocantur. Alibi refutatum eſt: cur non etiam dicit Novator, cum ſemper poſtulet Spiritus, ſemper etiam excludi orationes pro aliis in hac vita, quod non audet aſſerere, & refellitur vel ex hoc ſolo capite.

V. 27. QUI AUTEM SCRUTATUR CORDA. Dixit nos neſcire ut plurimum, quid oremus: nunc addit nos in hoc etiam iuvari a Spiritu Sancto, qui dirigit, facit petere quæ recta ſunt, & obtineri illa a Deo: ſæpe nos quæ noxia nobis ſunt, petimus. Spiritus hic Deus eſt, ut eſt ſcrutator cordium. Itaque Deus SECUNDUM DEUM poſtulat, hoc eſt poſtulare facit & docet.

V. 28. SCIMUS AUTEM. Sane diligentibus Deum omnia cedunt in bonum, etiam adverſa quæcumque (nempe ad meritum) & caſus ipſi, dum reſurgunt homines cautiores & humiliores: attamen iis, QUISE-

CUN-

CUNDUM PROPOSITUM VOCATI SUNT SANCTI, quique ex æterno Dei decreto, & κατὰ πρόθεσιν, ad ſanctitatem deſtinantur. Habet ergo hic locus præoccupationem; dici enim poterat: ſi adeo nos iuvat Spiritus, unde tot mala nobis obveniunt? Reſpondet, in felicitatem omnia cooperari. Lege Hieronymum in cap. vi. ad Gal. De propoſito ſecundum prædeſtinationem agunt ſuo loco Theologi. Hic recte referri locus poteſt ad iuſtos prædeſtinatos, ut ſunt ſimiles filio Dei in laboribus & adverſis hic tolerandis per gratiam, quod iam dicebam. Alii referunt ad electionem, etiam ad gloriam. Non moror.

V. 29. 30. 31. & 32. NAM QUOS PRAESCIVIT. Hic locus habet (ut plerique eum exponunt) ordinem a Deo ſervatum in ſalute hominum decernenda: ſic quidem colligo ſatis mentem Pauli, & connexionem cum præcedente verſiculo. Accedunt qui dicunt declarari hic qui ſint ſancti illi, quibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: hoc ſi quæras a Paulo, ſunt, inquit, illi quos Deus præſcivit fore conformes per tribulationes & dolores filio ſuo, vocatos ad hoc ſecundum propoſitum gratiæ ſuæ. Quos autem ita prædeſtinavit æterna ordinatione ſua, hos & vocavit in tempore, iuſtificavit, &c. Omnia ergo in bonum his Deum diligentibus, ita ut pro nihilo eſſe debeat ſic dilectis pati adverſa cum Chriſto, interim dum differtur præmium: tanti eſt prædeſtinari per gratiam efficacem ad labores in hac vita & conformitatem cum Chriſto. Nota Chriſtum dici primogenitum tum ex prædeſtinatione ante alios; tum quia eſt filius naturalis, & non adoptione. Dixi iam ſæpe Sectarios inepte ex hac vocatione putare ſe eſſe certos de ſua prædeſtinatione. Deus quidem pro nobis eſt; & ſtabit eius decretum: nondum tamen nobis patefactum eſt: vide Hieronymum Lib. II. cap. ix. contra Pelag. Hinc verſ. 33. quis accuſabit niſi fruſtra, ſperare quidem iubet; ſed quod infallibiliter de quibuſdam decretum eſt non revelatur.

V. 33. & 34. QUIS ACCUSABIT. Certitudinem Sectariorum iam excluſi. At Paulus de ſalute certus eſt; quid inde? loqui ille quidem poteſt de certitudine ſpei; aut etiam de revelatione ſibi facta de ſe, qualem non habet Sectarius: de aliis vero, aut etiam de Romanis ad quos ſcribebat, moralem certitudinem habere potuit: quis pro certo probabit maiorem? Chriſtus vero verſ. 34. INTERPELLAT PRO NOBIS, ſane velut perpetuus advocatus, & ſe ſuaque merita ac labores exhibendo pro nobis: ſic ex Hebr. x. ſanguis eius clamat miſericordiam? An non etiam Pater intuetur & approbat eius amorem erga nos? denique ſic orat ſecundum humanitatem, & exauditur ex iuſtitia. Orat ergo tum interpretative, tum etiam qua homo eſt: petit tamen non iam merendo, ſed exigendo.

V. 35. &c. QUIS ERGO NOS SEPARABIT. Firmam cum Chriſto coniunctionem electorum deſcribit, & quam infert eſſe ſecuram ex his quæ dicta ſunt. Conſtat quidem firmitatem hanc peti ex dilectione & caritate; ſed an ex ea qua Deus nos diligit, ut aliqui putant; an quod probabilius eſt, ex noſtra dilectione erga Deum; an (quod non male aſſeritur) ex utraque, ſcilicet Dei erga nos, & noſtra in Deum. Vincimus enim ſimul propter eum qui dilexit nos, nempe quia ille amat, & nos viciſſim dum cooperamur.

V. 36. PROPTER TE MORTIFICAMUR. Scriptum hoc eſt Pſal. XLIII. 23. ſic electi pro confeſſione nominis Chriſti traduntur in mortem, ut vivant virtute Chriſti.

V. 38. 39. CERTUS SUM: πέπεισμαι, eſt confidere & certam habere ſpem, tam firma eſt electorum coniunctio cum Chriſto, ut adverſa & alia quæ recenſet, nequeant ſeparare a Chriſto: non mors, non vita præſens, non Angeli etiamſi boni de malo ſuaderent. Eſt ergo ſpes amoris in Paulo: ut certe nec Angeli mali, cuiuſcumque virtutis eſſent, poſſent ſeparare: non porro inſtantia pericula præſentia aut futura; non fortitudo aut robur principum huius ſæculi; non altitudo proſperitatis, non profundum miſeriæ. Denique nolentem nihil a Chriſto ſeparare poteſt. Et hinc certitudo ſalutis tanta erit quanta eſt caritatis & perſeverantiæ.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Propter Iudæorum ruinam, de qua vehementer dolet, promiſſiones non fruſtrari aſſerit Iſraelitis factas a Deo Abrahæ filiis, nimirum cum illæ non pertineant ad omnes carnales Abrahæ filios, ſed tantum ad eos qui ex Iudæis & Gentilibus gratuita Dei electione filii Abrahæ per fidem conſtituuntur: Deus autem cuius vult miſeretur, & quem vult indurat: Iudæi vero quia non ex fide Chriſti quem reiecerant, ſed ex legis operibus iuſtitiam quærebant, ſunt in ſua iniquitate relicti, Gentibus per fidem Chriſti iuſtificatis.

1. VEritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium
mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: 2.
quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor
cordi meo. 3. (*a*) Optabam enim ego ipſe anathema
eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei
ſecundum carnem, 4. qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſ-
latio, & obſequium, & promiſſa: 5. quorum patres,
& ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus bene-
dictus in ſæcula. Amen. 6. Non autem quod exciderit verbum Dei. Non e-
nim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ: 7. neque qui ſemen ſunt
Abrahæ, omnes filii: (*b*) ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: 8. id eſt, non
qui filii carnis, hi filii Dei? ſed (*c*) qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur
in ſemine. 9. Promiſſionis enim verbum hoc eſt: (*d*) Secundum hoc tempus
veniam; & erit Saræ filius. 10. * Non ſolum autem illa: (*e*) ſed & Rebec-
ca ex uno concubitu habens, Iſaac patris noſtri. 11. Cum enim nondum
nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (ut ſecundum electionem
propoſitum Dei maneret] 12. non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt
ei: 13. (*f*) Quia maior ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, E-
ſau autem odio habui. 14. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud De-
um? Abſit. 15. Moyſi enim dicit: (*g*) Miſerebor cuius miſereor: * & miſe-
ricordiam præſtabo cuius miſerebor. 16. Igitur non volentis, neque curren-
tis, ſed miſerentis eſt Dei. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni: (*h*) Quia in
hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuntie-
tur nomen meum in univerſa terra. 18. Ergo cuius vult miſeretur, & quem
vult indurat. 19. Dicis itaque mihi: Quid adhud queritur? voluntati enim e-
ius quis reſiſtit? 20. O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? (*i*) Num-
quid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? 21. An non
habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in ho-
norem, aliud vero in contumeliam? 22. Quod ſi Deus volens oſtendere iram,
& notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, a-
pta in interitum, 23. ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ,
quæ præparavit in gloriam. 24. Quos & vocavit nos non ſolum ex Iudæis, ſed
etiam ex Gentibus, 25. ſicut in Oſee dicit: (k) Vocabo non plebem meam, plebem
meam: † & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, mi-
ſericordiam conſecutam. 26. [*l*] Et erit: In loco, ubi dictum eſt eis: Non
plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi, 27. Iſaias autem clamat pro
Iſrael:

Digitized by Google

Iſrael: [*m*] Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient. 28. Verbum enim conſummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram: 29. & ſicut prædixit Iſaias: [*n*] Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus. 30. Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam: iuſtitiam autem, quæ ex fide eſt. 31. Iſrael vero ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non pervenit. 32. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis, 33. ſicut ſcriptum eſt: [*o*] Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

(a) Act. IX. II. I. Cor. XV. 9. (b) Gen. XXI. 12. (c) Gal. IV. 28. (d) Gen. XVIII. 10. (e) Gen. XXV. 24. (f) Gen. XXV. 23. Mal. I. 2. (g) Exod. XXXIII. 19. (h) Exod. IX. 16. (i) Sap. XV. 7. Iſa. XLV. 9. Ier. XVIII. 6. (k) Oſee II. 23. I. Pet. II. 10. (l) Oſee I. 10. (m) Iſa. X. 22. (n) Iſa. I. 9. (o) Iſa. VIII. 14. & XXVIII. 16. I. Pet. II. 7.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 1. *Veritatem dico in Chriſto*. Non addas *Ieſu*.

Verſ. 10. *Non ſolum autem illa*. Non eſt mutandum *illa* femininum in maſculinum, aut dativum femininum *illi*.

Verſ. 15. *Et miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor*. Non mutes genitivum *cuius* in dativum.

Lectionum Varietas.

Verſ. 25. Et *non dilectam, dilectam, & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam*. Iamdiu annotavimus, aliique ante & poſt nos duplicem hic eſſe verſionem eiuſdem pericopes, & illam quidem, *Et non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam*, videri genuinam noſtræ editionis ſcripturam.

Notatio.

Verſ. 25. Sicut (*&* 2. MS. G.) *in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam plebem meam; & non dilectam dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam*. Antiqui Epanorthotæ, & antiqui Zegeri codices auferunt, *Et non dilectam, dilectam:* idem auferunt antiqui noſtri Brug. Lob. Leod. Mal. ma. mi. O, P, H. Græci libri tollunt iſtud: *Et non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam:* illud legunt; *Et non dilectam, dilectam:* καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην. His enarratores multi conſentiunt Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & Auctor commentariorum apud Ambroſium: S. Auguſtinus etiam ſub finem libri primi ad Simplicianum, & libri contra Fauſtum XXII. cap. LXXXIX. Antiquis Latinorum codicibus ſuffragatur D. Hieronymi lectio ſcribentis in primum Oſee caput, & Haymonis Halberſtatenſis, atque Anſelmi Cantuarienſis Commentarii; Scholia ad hæc quantum colligere poſſum, quæ in D. Pauli epiſtolas exſtant in Hieronymi operibus. Syri unum dumtaxat legunt id quod huiuſmodi eſt, ut utrumque complectatur, utrumque ſignificet. Eumdem ad modum ipſe Propheta: eadem enim cum Propheta Syri uſi ſunt voce רחם, quæ & *diligere*, & *miſereri* ſignificat: ורחמתי את־לא רחמה (eo enim Apoſtolus hac parte reſpexit) id quod noſtra editio in calce II. capitis Prophetiæ Oſee II. 23. vertit: *Et miſerebor eius quæ fuit abſque miſericordia*; verti etiam poteſt, *Et diligam eam quæ fuit non dilecta*, ſive ad verbum: *Et diligam non dilectam*. Erat divinitus impoſitum nomen filiæ, quam Oſee I. 6. 8. genuerat לא רחמה quod eſt *non dilecta*, vel *non miſericordiam conſequuta*, ſive *abſque miſericordia*: quemadmodum filio impoſitum fuit nomen לא עמי: *Non populus meus*, ſive: *Non plebs mea*. Manifeſtum igitur evadit non utrumque illud apud Apoſtolum legendum eſſe, ut vulgus codicum, & Gloſſematicorum Latinorum legit: ſed alterum, vel ex altera verſione additum reſecandum. Porro ſit Græcis illud genuinum: *Et non dilectam dilectam:* noſtræ editionis germana ſcriptura eſt: *Et non miſericordiam conſequutam, miſericordiam conſequutam*; cui adie-

Digitized by Google

adiectum eſt illud: *Et non dilectam, dilectam*; ex Græcis opinor libris, & in pleriſque quidem exemplaribus præpoſitum, atque in compluribus fruſtra gravatum pronomine *meam* (*Et non dilectam meam, dilectam meam*) in quibuſdam vero poſtpoſitum legit, veriſimile eſt, Interpres noſter Græce pro ἠγαπημένην, ἠλεημένην, quo modo iuxta ſeptuaginta duorum interpretationem in Oſee eſt. Teſtatur Oſee enarrator Hieronymus in caput ſcribens primum, quædam illic exemplaria ἠγαπημένη legiſſe; ſed veriora cenſent quæ habent ἠλεημένη, quia ad diſtinctionem Iſraelis, cui non miſeretur, infert Deus. *Domui autem Iuda miſerebor*. Certa profecto videtur editionis ſeptuaginta duorum lectio ἠλεημένη, quia ſequentia omnia, quæ ad priora reſpiciunt per ἐλεεῖν tranſlata ſint; viderique poſſit ἠγαπημένη eo ex Apoſtolo admiſſum eſſe. Ceterum poterant ſequentia omnia per ἀγαπᾶν verti, eſſeque congrua lectio eorum quæ præcedunt ἠγαπημένη; nam quod diximus רחם, qua voce ſemper Propheta utitur ad ἐλεεῖν, & ἀγαπᾶν, ad *miſereri* & *diligere* commune eſt.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 3. & 4. OPTABAM. Græc. ηὐχέμην, id eſt optabam atque orabam: dicitque Photius ſumi pro ηὐχόμην ἄν, id eſt optarem, quod ſi de abalienatione a Chriſti gloria Paulus intelligit, hyperbolica eſt locutio, ad ſuum in Iudæos affectum deſignandum. Neque enim qui paulo ante dixit, *Scio quod nulla creatura poterit me ſeparare a caritate Dei quæ eſt in Chriſto*, ſtatim revera ab eo divelli optaret, ſed hyperbolicus ſermo eſt, qualis iſte Moyſi, Exod. XXXII. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo*. Videtur autem mihi ſine hyperbole poſſe legi. Nam anathemata Græcis dicuntur ſacri ſceleſtique homines, qui ad urbis luſtrationem diis manibus & inferis mactabantur, ſi qua lues aut calamitas ingrueret, quam huiuſmodi hominum internecione placatis diis ſedatum iri putabant, ad cuiuſmodi ſacrificia alludens Paulus: *Uſque adeo mihi dolet*, inquit, *Iudæorum abiectio, quod ſi Dei adverſus illos iram vel quovis meo malo placare poſſim, optarem anathema eſſe*; id eſt, quod Græci dicunt ἀναθεματίζεσθαι hoc eſt peſſumdari & exterminari a Chriſto modo ſic illis proſim. Certe Hieronymus anathema ſumit pro corporali occiſione. COGNATI. Græce, συγγενεῖς; congeneres, ſive eiuſdem generis aut affines. ADOPTIO; id eſt, quos Deus adoptavit in filios, ſicut dicitur Exod. IV. *Filius meus primogenitus Iſrael*. GLORIA, ſcilicet magnificentiæ divinæ in miraculis & revelationibus. TESTAMENTUM. Græce διαθήκη, id eſt teſtamenta; διαθήκη autem ſignificat teſtamentum & hereditatem, quomodo hic ſumi poteſt; nam Iſrael dicebatur hereditas Domini. OBSEQUIUM, Græce λατρεία, id eſt cultus Dei & ſacrorum ritus. PROMISSA, id eſt ad quos factæ ſunt promiſſiones.

V. 5. QUORUM PATRES, id eſt de quorum gente ſancti patres ac patriarchæ fuerunt.

V. 6. NON QUOD EXCIDERIT; id eſt, non exprobro genti meæ tot Dei beneficia, neque tantopere ob eam doleo, quaſi exciderit Verbum Dei; id eſt, quaſi exiſtimem verbum illius, & promiſſiones irritas eſſe. Neque enim ſi non ad omnes de Iſrael, neque ad omne ſemen Abrahæ promiſſio pervenit, fallacem Deum eſſe oportet: ſolis enim veris Iſraelitis & filiis Abrahæ facta eſt promiſſio, at non omnes qui ſunt ex Iſrael, ſcilicet ſecundum carnem, hi ſunt Iſraelitæ: neque qui de ſemine ſunt Abrahæ ab eo ſecundum carnem deſcendentes, hi ſunt Abrahæ, veri filii, ſed ſolis Abrahæ veris filiis veriſque Iſraelitis facta eſt promiſſio; nequaquam igitur verbum Dei excidit.

V. 7. SED IN ISAAC. Conciſus eſt hic locus, & ita nonnihil ſubaudiendo ad præcedentia coniungendus, non omnes qui ſemen ſunt Abrahæ, hi filii, ſed qui ad inſtar Iſaac illi per fidem geniti ſunt, ſicut ſcriptum eſt, *in Iſaac vocabitur tibi ſemen*; id eſt, Iſaac quem affœta iam Sarræ natura non poterat, non tam ſemen Abrahæ quam ipſius fides genuit. Itaque qui per imitationem fidei Abrahæ Chriſto ac Deo geniti ſunt, inter veros cenſentur Abrahæ filios, & illis facta eſt promiſſio.

Et

Et illud eſt quod explicat Paulus; id eſt, non qui filii carnis hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine, id eſt reputantur, cenſentur, inter ſemen & veros Abrahæ filios. *Promiſſionis enim verbum hoc eſt*, id eſt de hac enim promiſſione ſic ſcriptum eſt, *ſecundum tempus*, id eſt hoc tempore veniam.

V. 10. NON SOLUM AUTEM. Et hic conciſa ſententia eſt. Non ſolum autem illa Sarra filium habuit promiſſionis, ſed & Rebecca habens, ſubaudi in utero ex uno concubitu Iſaac patris noſtri, id eſt ab Iſaac patre noſtro imprægnata. Græci legunt pro concubitu κοίτην, id eſt concubitum. Interpres legit ἐξ ἑνὸς κοίτου, id eſt ex uno concubitu ſive cubili, quo verbo verecundius carnalem actum expreſſit Paulus, niſi malumus excuſare ſermonis neglectum Paulo frequentem. Vult autem Paulus exemplo Iſmaelis & Iſaac, Iacob, & Eſau oſtendere præfiguratam Iudæorum, qui maiores natu erant, abiectionem; & gentium qui minores, aſſumptionem. Et ne cauſarentur Iudæi gentes idololatras ſe Dei cultores, & ideo illos abiiciendos, ſe retinendos, oſtendit eſſe præfiguratam gratuitam gentium vocationem, cum ſine ullis nondum natorum meritis Iacob minor electus, Eſau maior eſt abiectus.

V. 15. & 16. MISEREBOR. Græca paulo ſecus habent, ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω, id eſt *miſerebor, cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo ei, cuius miſereor*. VOLENTIS NEQUE CURRENTIS. Græca ſcholia & Photius ita explicant, tum maxime Photius: οὐ τοῦ θέλοντος μόνον, οὐδὲ τρέχοντος μόνον, ἀλλὰ δεῖ καὶ τοῦ θεόθεν ἐλέους, καὶ τῆς ἐκεῖθεν συμμαχίας, id eſt, non eſt volentis ſolum, neque currentis ſolum, ſed miſericordia a Deo opus eſt, & miſſo cælitus auxilio: aliter quoque Photius exponit, ut ea verba non Pauli ſini aſſerentis, ſed alicuius dubitantis, atque ita ſua ſententia concludentis. Græca Photii videre potes.

V. 17. SCRIPTURA DICIT PHARAONI, pro de Pharaone. EXCITAVI TE, UT OSTENDAM IN TE VIRTUTEM, id eſt potentiam meam; nam Græce eſt δύναμιν. Oecumenius ſic interpretatur, *in hoc te regnare permiſi, ut demonſtretur quam ſim longanimis*; potentiam enim interpretatur Dei longanimitatem.

V. 18. QUEM VULT INDURAT, deferendo & auxilium alioquin non debitum ſubtrahendo, ſicut & tradere dicitur in paſſiones ignominiæ: ſic enim Græci explicant: τὸ γὰρ σκληρύνει ἀντὶ τοῦ ἐᾷ σκληρυνθῆναι nam *το indurat* poſitum eſt pro indurare permittit.

V. 19. & 20. QUID ADHUC QUERITUR? Græce, μέμφεται; id eſt, quid adhuc homo conqueritur? TU QUIS ES QUI DEO RESPONDEAS? Græce ἀνταποκρινόμενος, id eſt qui contra reſpondeas Deo; Græci explicant *qui repugnes*. Viſum eſt lectori quid in hunc locum, poſtquam multa de prædeſtinatione philoſophatus eſt Photius, tandem concludat afferre: tu Græca ſi voles require; vides, inquit, quomodo dubietatis huius ſolutio alterius eſt occaſio dubii: idcirco præſtat huiuſmodi cauſas non inquirere: aut ſi inquiras, maiorum dubiorum cauſas pro ſolutione adfer; eſt enim ingenui ac non ingrati ſervi ab ipſo opifice & domino rerum cauſas non exigere, ſed de omnibus quæ agit, gratias illi reddere.

V. 22. QUOD SI DEUS VOLENS OSTENDERE IRAM SUAM ET NOTAM FACERE POTENTIAM SUAM, τιμωρητικήν, ſcilicet ut Græci aiunt: *qua in delicta animadvertit*. SUSTINUIT IN MULTA PATIENTIA VASA IRAE APTA. Græce κατηρτισμένα, id eſt aptata in interitum, ut oſtenderet, &c. Ad finem huius ſententiæ ſupplendum eſt, quid ad te? vel tu quis es qui contra reſpondeas Deo; eſt enim hic locus unus ex eclipticis Pauli: adverte autem quod Deus quidem vaſa miſericordiæ præparavit in gloriam, at vaſa iræ ſic aptata longanimis ſuſtinuit: nos enim nobis ipſi perniciem inveximus; Deus miſericordiam eſt largitus.

V. 24. QUOS ET VOCAVIT: cum præceſſerit: Græce neutro genere σκεύη, id eſt *vaſa*: & maſculino ſequatur οὕς, id eſt *quos*, non ad verbum, ſed ſignificatum referre oportet: ſenſus eſt autem, inter quæ vaſa nunc & nos vocavit: ut ſe Paulus Iudæis una & Græcis immiſceat.

V. 26. ET ERIT, id eſt fiet, ſive continget, quod IN LOCO UBI DICTUM EST Iſraelitis, NON PLEBS MEA, vos IBI VOCABUNTUR, ſcilicet gentes, FILII DEI VIVI. Hunc locum autem ſicut & præcedentem *vocabo*, &c. non nihil ſuo more immutans Paulus ex prophetia Oſeæ ſumpſit:

qui

Digitized by Google

qui etſi de Iudæis illic intelligatur, per ſimilitudinem tamen tranſtulit ad gentes.

V. 27. Reliquiae salvae. Si ex tanto numero reliquias tantum ſalvandas propheta prædixit, ſatis indicat non omni Iſrael factam eſſe promiſſionem: in cuius locum ſucceſſuræ eſſent gentes.

V. 28. & 29. Verbum enim. Verbum accuſandi caſus eſt, cum Græce ſit λόγον, & ſenſus eſt, verbum enim & ſermonem conſummans eſt, id eſt conſummat & abbreviat dominus: quod de verbo incarnato intelligi poteſt, qui decurtatus & ad hominis uſque naturam abbreviatus, atque exinanitus, reliquias Iſrael ſalvas fecit: vel verbum pro lege Moſaica ſumitur, quod abbreviavit Dominus, dum pro cunctis laciniosæ legis ceremoniis breviſſimum dedit dilectionis & fidei præceptum. Semen: vel ſemen Abrahæ Chriſtum: vel ſemen verbi Dei ſcilicet evangelium, vel Apoſtolos qui ſemen Abrahæ ſunt, utpote ex Iudæis orti.

V. 30. 31. & 32. Quod gentes. Mirum videatur fortaſſe quomodo gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderunt eam, Iudæi autem sectando legem iustitiae, ſcilicet legalis, non pervenerunt ad eam. Hoc autem factum eſt quia finem iuſtitiæ legalis Chriſtum non apprehenderunt: quare autem? Quia non ex fide, ſubaudi ſectabantur illam iuſtitiam. Sed quasi ex operibus, id eſt, quia non in Chriſto & Meſſia qui finis erat legis, confidebant; ſed in externis operibus & ceremoniis legis: de iis enim intelligi indicat Græca lectio quæ habet *ἐξ ἔργων νόμου*, id eſt ex operibus legis, & de huiuſmodi Græca ſcholia explicant.

V. 33. Lapidem offensionis, ſcilicet Chriſtum, in quem offenderunt & impegerunt Iudæi.

S A.

Verſ. 1. In Christo, id eſt teſte Chriſto, vel coram Chriſto. In Spiritu sancto, id eſt illuminante Spiritu ſancto.

V. 2. Dolor, ſcilicet ob Iudæorum incredulitatem.

V. 3. Optabam, ſcilicet olim, cum Chriſtum non cognoſcerem. Anathema, id eſt ſeparatus, ſeu alienus. Pro fratribus, ſcilicet dum iuvarem illos, Chriſtum perſequentes.

V. 4. Gloria, ſcilicet æterna illis promiſſa. Testamentum. Græc. *teſtamenta*, id eſt pacta. Obsequium. Græc. *λατρεία*, id eſt *Dei cultus*.

V. 5. Amen, id eſt certe ita eſt.

V. 6. Non autem, ſcilicet id dico. Exciderit, id eſt irritum ſit factum. Verbum, id eſt promiſſio de ſalute Iſraelis.

V. 7. Semen, id eſt poſteri. In Isaac, id eſt per Iſaac; quaſi dicat: Filii tui dicentur, qui ex Iſaac derivati.

V. 3. Promissionis, id eſt ad quos promiſſio pertinet, ſcilicet ſalutis, ſicut & Iſaac ex promiſſione datus.

V. 9. Verbum; pro, verba. Secundum, &c. id eſt hoc eodem tempore.

V. 10. Illa, ſcilicet habuit filium ex promiſſione. Concubitu habens, id eſt concipiens. Patris nostri; pro, patre noſtro, ſcilicet habuit de filio Iacob promiſſionem.

V. 11. Maneret, id eſt firmum eſſet;

V. 12. Ex operibus, id eſt ob opera, quæ nulla adhuc erant. Ei, ſcilicet Rebeccæ.

V. 13. Sicut; pro, ſicut etiam.

V. 15. Misereor, id eſt cui mihi placet miſereri. Miserebor. Græc. *miſereor*.

V. 17. Excitavi, id eſt feci exiſtere, ſeu regem eſſe. Virtutem, id eſt potentiam.

V. 18. Indurat, ſcilicet non dans gratiam.

V. 19. Queritur, ſcilicet Deus de peccatoribus.

V. 20. Respondeas, ſcilicet arguens eius iudicia. Græc. *contra reſpondeas*.

V. 21. Honorem, id eſt uſum honorificum. Contumeliam, id eſt vile miniſterium.

V. 22. Quod si Deus, &c. iunge cum *Quid ergo dicemus*, &c. Irae, id eſt ira digna, ſcilicet peccatores obſtinatos. Apta, id eſt parata, ſcilicet ob peccata.

V. 33. Ut ostenderet; pro, & ſimul oſtendere.

V. 25. Dicit, ſcilicet ſecundum LXX. & Hebr. quamquam hic non dilectam, &c. non eſt Syr. et non misericordiam, &c. non eſt Græc.

V. 27.

V. 27. PRO, id eſt de, vel ſuper. RELIQUIAE, id eſt pars quædam.

V. 28. VERBUM, id eſt rem. CONSUMMANS, id eſt perſiciens, ſcilicet Deus. IN AEQUITATE, id eſt iuſte, ſeu iuſto iudicio.

V. 29. FUISSEMUS, ſcilicet periiſſemus prorſus.

V. 31. IUSTITIAE, id eſt iuſtificantem.

32. EX OPERIBUS, ſcilicet voluit iuſtus evadere. OFFENDERUNT, id eſt impegerunt.

V. 33. CONFUNDETUR, id eſt pudore afficietur, ſcilicet ſpe fruſtratus.

MARIANAE.

Verſ. 3. OPTABAM ENIM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO: non cupit ſeparationem a Chriſto, qui dixit: *Scio quia nulla creatura poterit me ab eo ſeparare*; ſed occidi, ut Moyſes Exod.XXXII.32. *Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte eis hanc noxam*. Solebant hominem deſtinare ad mortem, ut ſic populus expiaretur. Eum hominem *ſacrum* & *anathema* vocabant, per ε ab ἀνατίθεμαι, id eſt *execror*. Alioqui per η, ab ἀναθῆναι, id eſt *ſeponere*, vel *ſuſpendere*, *donarium* ſignificat. De hoc plura Giraldus Syntagm. 17. de Diis Gentium. Ergo cupit Paulus pro ſalute ſui populi eſſe *anathema*, id eſt morti a Chriſto deſtinari. Hebr. id *anathema* חרם *herem* dicitur.

V. 4. QUORUM ADOPTIO EST, ſunt in filios adoptati. GLORIA, præ aliis populis excellentia. ET TESTAMENTUM. Græce *teſtamenta*, διαθῆκαι, id eſt *pacta*, fœdus cum illis fecit Deus. OBSEQUIUM, λατρεία, *cultus*, religio eſt eorum. Ipſi ſoli Deum colebant. Propter has prærogativas cupit pro illis mori.

V. 5. QUORUM PATRES, ET EX QUIBUS. *Et* redundat.

V. 6. NON AUTEM QUOD EXCIDERIT VERBUM DEI. Deus promiſſis ſtat, ſed alio modo, ſcilicet cum Iudæis non carne, ſed ſpiritu ea ſervat.

V. 7. SED IN ISAAC. Per hunc contra, ſeu ſupra naturæ ordinem genitum intelligit filios ſpiritu quibus dantur promiſſa.

V. 8. AESTIMANTUR IN SEMINE, id eſt pro filiis Abrahæ habentur qui promiſſionis filii ſunt fideles.

V. 9. PROMISSIONIS ENIM VERBUM, id eſt de hac promiſſione ſic loquitur Scriptura. SECUNDUM HOC TEMPUS. Non ergo naturæ virtute. Totum huc pertinet, ut intelligatur, Iſaac filium ſpiritu fuiſſe, eius fratres quicumque credunt.

V. 10 EX UNO CONCUBITU. Græc. *concubitum*, ſed non cohæret ſententia. HABENS, id eſt concipiens. Probat Iacob etiam filium ſpiritu fuiſſe non per promiſſionem, ſed per electionem. Et hac occaſione agit de prædeſtinatione.

V. 15. MISEREBOR CUIUS. Ubi miſericordia non eſt, iniquitas neque induſtria valet.

V. 16. IGITUR NON VOLENTIS. Induſtria non valet, ut quis præferatur. Aliqui addunt, *non eſt volentis tantum*: ſed ii ex prævisis operibus hominem prædeſtinari volunt, nempe Græci omnes Patres, quod non ſequimur; neque damnamus tamen, de quo Velloſillus in propria quæſtione de hac re in ſuis Advertentiis, Tom. 2. quæſt. XIII. conc. 1.

V. 17. SCRIPTURA PHARAONI dicit, id eſt, de Pharaone. QUIA IN HOC IPSUM EXCITAVI TE, id eſt Regem te feci. UT OSTENDAM. Eo flagellato & ſubmerſo oſtendit Deus virtutem, id eſt potentiam ſuam.

V. 18. ERGO CUIUS VULT MISERETUR. Prædeſtinatio ſine meritis. ET QUEM VULT INDURAT, deſerendo, ſubtrahendo auxilium.

V. 19. QUID ADHUC QUERITUR? ſine diphthongo. Quid conqueritur Deus, ſi ei non obediunt quos ipſe deſerit. O HOMO, TU QUIS ES? Si Deus volens oſtendere iram & potentiam.

V. 22. VASA IRAE, id eſt homines pravos ſuſtinuit. APTA. Gotth. *aptata*: ſic Græc. κατηρτισμένα.

V. 23 UT OSTENDERET DIVITIAS GLORIAE SUAE, IN VASA MISERICORDIAE, id eſt prædeſtinatos. Auguſtinus XV. de Civit. cap. II. Qui ſunt in cælo, vocantur *vaſa miſericordiæ*, quia ex peccato liberati ſunt, prius vaſa in contumeliam, deinde in honorem. Nemo enim bonus, qui non fuerit malus.

V. 25. NON DILECTAM, DILECTAM vocabo. Gotth. hoc non eſt. Sic legit Hieron. in 1. caput Oſeæ. Illud, ET NON MISERICORDIAM CONSECUTAM, MISERI-

CORDIAM CONSECUTAM, Græc. non eſt, ſine eo legunt Græci Expoſitores, tum Auguſtinus ſub finem Lib. I. ad Simplic. & contra Fauſtum Lib. XXII. cap. LXXXIX. Citatur hic locus ex Oſeæ II. verſ. 23.

V. 27. CLAMAT PRO ISRAEL Iſaias, id eſt *de Iſrael:* ſic Syr. RELIQUIAE, id eſt pauci ſalvi erunt. Iſaiæ X. 22.

V. 28. VERBUM, id eſt rem. BREVIATUM, id eſt ad paucos rediget filios Iſrael. Pauci convertentur. Quid ergo dicemus? ſcilicet quod Gentes antea iniquæ.

V. 30. APPREHENDERUNT IUSTITIAM. Mirum profecto Gentes ſine Deo eſſe prælatas Iudæis, qui legis iuſtitiam tenebant. Sed nimirum offenderunt in lapidem, non ſuſcepere Chriſtum, Gentes eum fide ſuſceperunt. Ea illis ruinæ cauſa.

MENOCHII.

Verſ. I. IN CHRISTO, id eſt Chriſto teſte. Teſtor Chriſtum, iuro per Chriſtum me verum dicere. TESTIMONIUM MIHI PERHIBENTE, &c. ad id quod dico teſtes mihi adduco, & allego conſcientiam meam. IN SPIRITU SANCTO, id eſt per Spiritum ſanctum, ut eiuſdem conſcientiæ meæ teſtem.

V. 2. QUONIAM: quod. TRISTITIA MIHI MAGNA EST, &c. ſcilicet ob reiectionem, & reprobationem Iudæorum a iuſtitia, & ſalute. Vel, triſtitia mihi magna eſt, quod ita aliquando diſpoſitus fuerim, ut optarem anathema eſſe a Chriſto.

V. 3. OPTABAM ENIM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO, &c. id eſt, in æternum non a Chriſti caritate, ſed ab eius beatitudine & gloria ſeparari, ſi fieri poſſet, ut fratres mei Iudæi ſalvi eſſent. Optat hoc loco Paulus illud idem, quod in ſimili caſu optavit Moſes Exod. XXXII. 31. dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*. Vel, ſenſus eſt: Cum eſſem Iudæus, eram Chriſti hoſtis adeo ut nihil cum illo commune habere vellem, ſed ab illius doctrina, & moribus penitus abhorrerem; adeo addictus eram Iudaiſmo, & genti meæ. COGNATI MEI, id eſt eiuſdem Gentis Iudaicæ.

V. 4. QUORUM ADOPTIO EST FILIORUM; id eſt, quos Deus adoptavit in filios cum ſibi ſuoque cultui eos addixit, Exod. IV. 22. dicens: *Filius meus primogenitus Iſrael*. ET GLORIA: quorum ſcilicet gloria maior eſt quam ceterarum gentium, *Non enim fecit Dominus taliter omni nationi*: Pſalm. CXLVII. ET TESTAMENTUM; quaſi dicat, Quibuſcum pactum ſæpius iniit Deus. ET LEGIS LATIO; hoc eſt, quibus lex a Deo lata fuit. ET OBSEQUIUM, id eſt cultus ſacer, ac divinus lege ceremoniali præſcriptus. ET PROMISSA; quaſi dicat: Benedictio Abrahæ promiſſa, omneſque aliæ promiſſiones Dei, quarum eſt præcipua Chriſti, & per eum redemptionis promiſſio.

V. 5. QUORUM PATRES: ſubaudi, ſunt, id eſt qui progenitores habent ſanctos patriarchas Abraham, Iſaac & Iacob. SUPER OMNIA. Vel, Deus ſuper omnia, vel, benedictus ſuper omnia, uterque ſenſus commodus eſt, & textui conveniens. AMEN: ita eſt, & fiat, ut ſcilicet benedicatur in ſæcula.

V. 6. NON AUTEM QUOD EXCIDERIT, &c. quaſi dicat: Quamquam autem ego magnopere diſcrucior, & pro ipſorum ſalute ſum ſollicitus; certo tamen ſcio fieri nulla ratione poſſe, ut divina promiſſio irrita, & inanis evadat. NON ENIM OMNEM, &c. quaſi dicat: Sic enim mihi perſuadeo non omnes qui ab Iſrael parente noſtro geniti ſunt, eos ad Iſraeliticam gentem re ipſa pertinere.

V. 7. NEQUE QUI SEMEN SUNT ABRAHAE, &c. id eſt, nec ideo qui ſecundum carnem nati ſunt ex Abraham, cenſendi ſunt omnes eius filii ſecundum mentem Scripturæ, tales nimirum ad quos pertineat benedictio, & hereditas Abrahæ. IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN, id eſt in poſteris Iſaac, quaſi dicat: Poſteritas tua, o Abraham, cenſebitur per Iſaac, qui Dei promiſſione, & virtute ſupernaturali natus eſt tibi ſeni, & ſterili Saræ: non per Iſrael qui filius eſt carnis, id eſt ſola naturali virtute generatus; quaſi dicat Paulus: Ita ergo etiam nunc veri ſpirituales Iſraelitæ, & filii Abrahæ ſunt, & promiſſæ benedictionis hæredes, non quos naturalis generatio eius, ſed quos gratia, & virtus ſpiritualis regeneravit per fidem, & baptiſmum, & ſic patet non excidiſſe divinum promiſſum.

V. 8 SED QUI FILII SUNT PROMISSIONIS AESTIMANTUR IN SEMINE; quaſi dicat: Sed filii a Deo Abrahæ promiſſi æſtiman-

mantur in ſemine, id eſt æſtimantur ſemen, ſive filii, & heredes Abrahæ & conſequenter ipſius Dei, divinæque promiſſionis Abrahæ factæ.

V. 9. PROMISSIONIS ENIM VERBUM HOC EST, &c. Probat hic Apoſtolus quod dixit, ſcilicet Iſaac fuiſſe Abrahæ filium, non carnis, id eſt carnali virtute genitum, ſed promiſſionis, id eſt virtute divina a Deo promiſſa conceptum, & genitum; probat, inquam, ex eo quod dicitur Geneſ. XVIII. 10. *Secundum hoc tempus*, &c. Vide quæ ibi diximus. *Secundum hoc tempus*, ſignificat *anno proximo*.

V. 10. NON SOLUM AUTEM ILLA, ſcilicet Sara. SED ET REBECCA; ſcilicet, hoc ipſum experta eſt, filios nimirum a Deo cenſeri non carnaliter genitos, ſed eos, qui divinitus promittantur, eligantur, & adoptentur. Nam Iacob filius eius, licet iunior, quia promiſſus, & electus a Deo, prælatus fuit Eſau ſeniori, factuſque eſt ſucceſſor, & heres Iſaac patris ſui. EX UNO CONCUBITU HABENS, ſcilicet conceptum, vel fœtum.

V. 11. CUM ENIM NONDUM NATI FUISSENT: ex Rebecca Iacob, & Eſau. AUT ALIQUID BONI EGISSENT, AUT MALI: quippe adhuc utero matris incluſi. Probat hic Paulus Iacob Rebeccæ filium iuniorem prælatum eſſe Eſau ſeniori, non ex præcellentia ætatis, nativitatis, aut meritorum, ſed ex electione, & promiſſione divina, qua nimirum ante eorum nativitatem, & operationem dictum eſt a Deo, *Maior*, ſcilicet Eſau, *ſerviet minori*, ſcilicet Iacobo.

V. 12. UT SECUNDUM ELECTIONEM PROPOSITUM DEO MANERET; quaſi dicat: Sicut Deus Iacobum non quia id merebatur, ſed quia ipſe erat filius electus, & promiſſus a Deo prætulit Eſau fratri, ſecundum carnem ſeniori, & digniori, facitque Iacobum ſolum heredem benedictionum Abrahæ avi ſui; ita allegorice non carnales poſteros Abrahæ, ſed ſpirituales elegit idem Deus, qui eſſent filii Abrahæ, & benedictionis illius heredes, idque non ex eorum merito prævio, ſed ex libera ſua electione, & dignatione. NON EX OPERIBUS: a Iacob, & Eſau præviis, & a Deo præviſis. SED EX VOCANTE, id eſt ex gratuita Dei vocatione, & electione. DICTUM EST EI: Rebeccæ matri.

V. 13. MAIOR SERVIET MINORI; ſcilicet, Eſau ſerviet Iacobo, non in ſe, ſed in poſteris ſuis. Nam Iſraelitæ Iacobi poſteri terram Chanaam Abrahæ promiſſam poſſederunt. Idumæi vero Eſau poſteriori ſervierunt Iſraelitis præſertim tempore Davidis, & Salomonis. SICUT SCRIPTUM EST: Malach. cap. 1. 2. IACOB DILEXI, ESAU AUTEM ODIO HABUI; quaſi dicat: Etſi Eſau, & Iacob fratres eſſent germani, & gemini, eoque nomine pares, niſi quod Eſau ratione primogenituræ præponendus videretur; ego tamen *Iacob dilexi*, id eſt volui ei in ſua poſteritate benefacere; *Eſau autem odio habui*, id eſt poſthabui, ac neglexi, nolens ſingularia in eius poſteritatem beneficia conferre. Hic, ſenſus eſt litteralis verborum prophetæ. Iam hinc colligendum relinquit Apoſtolus argumento a figura ad rem ſignificatam; ſic etiam nunc Iacob, id eſt credentes Chriſtianos, qui ſunt filii promiſſionis, & ſemen ſpirituale Abrahæ, & Iacob, quaſi filios dilexi: Eſau vero, id eſt ſemen carnis, Iudæos ſcilicet, odio habui, repuli, & reieci.

V. 14. NUMQUID INIQUITAS APUD DEUM? Occurrit Apoſtolus tacitæ obiectioni: ſi Deus ſine merito Iacob dilexit, Eſau vero illi æqualem odio habuit, ergo iniuſtus videtur, quod dicere aut ſentire eſt impium.

V. 15. MOYSI ENIM DICIT: Exod. XXXIII. 19. obiectioni reſpondet Apoſtolus. MISEREBOR CUIUS MISEREOR, id eſt cuius voluero miſereri. ET MISERICORDIAM PRAESTABO, &c. ſignificat Deum miſereri quibuſcumque voluerit, eligendo eos ad ſalutem ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis; quaſi dicat: Prædeſtinatio hæc, & electio Iacobi, præ Eſau, & allegorice filiorum fidei Abrahæ, id eſt Chriſtianorum, præ filiis carnis, id eſt Iudæis, non eſt cuipiam debita, nec opus iuſtitiæ, ſed miſericordiæ, ac conſequenter mihi liberum, & gratuitum; numquam ergo iniquum; quaſi dicat: Ergo nulla eſt in carnalium Iudæorum repulſa, & credentium acceptatione ad iuſtitiam, gratiam, & ſalutem, quæ ſunt, benedictio Abrahæ, & ſemini eius promiſſa, iniquitas; quia acceptatio hæc nulli eſt debita, ſed plane eſt in Dei arbitrio, ut eam det gratis cui voluerit; non ergo Iudæis feci iniuriam, cum Gentibus feci miſericordiam.

V. 16. Igitur non volentis, neque currentis, &c. quaſi diceat Paulus: Benedictio Abrahæ, & Iſaac non fuit Eſau volentis, & currentis in campum ad venandum, ut cum ex venatione ſua comediſſet pater, benediceret ei; ſed fuit Iacobi, cuius Deus miſertus eſt, ut in eum caderet, non in Eſau, licet is ſenior eſſet, & primogenitus. Ut ſit ſenſus: Quod quis ſit electus a Deo, non ex merito bonæ voluntatis, neque ex merito boni operis, ſeu converſationis præcedentis, aut prævisæ; ſed ſolo ac libero beneplacito eſt Dei miſerantis.

V. 17. Dicit enim scriptura: Exod. ix. 16. Quia in hoc ipsum &c. Probavit Apoſtolus non eſſe iniquum quod Deus gratuita electione, & voluntate Iacob dilexerit, eiuſque miſertus ſit, ſine illius operibus & meritis. Hic probat ſecundam antitheſis ſuæ partem, ſcilicet quod Eſau odio habuerit, & noluerit eius miſereri, id non ex demeritis Eſau præ Iacob accidiſſe, ſed ex Dei voluntate, qui noluit eius miſereri: eſt enim hoc Deo liberum, ut patet in Pharaone, quem obduratum in ſuis peccatis, ſibi, ſuiſque peccatis permiſit, & dimiſit; ac tandem punivit mergendo eum in mari rubro; cum tamen miſertus ſit Nabuchodonoſor, & aliorum, qui æque ut Pharao mali, & obdurati fuerunt. Excitavi te. Hebræa verba ſic proprie Latine reddi poſſunt; *Feci ut exiſteres*, vel, *ſtare te feci*. Paulus Græce dixit, ἐξήγειρά σε, id eſt *excitavi*. Sunt tamen qui interpretentur, *Evexi te, & ad regnum extuli*. Vide dicta Exod. vi. 16. Ut ostendam in te virtutem meam. Hæc non prima, & præcipua cauſa cur Deus Pharaonem excitavit. Prima enim cauſa fuit ut Pharao Deo creatori ſuo obediret, & bene beateque viveret, qui finis eſt omni homini a Deo præſtitutus. Sed quia prævidebat Deus eum contumaciter obluctaturum divinis iuſſionibus, eius malitiam ordinavit ad ſuam gloriam, & ad oſtenſionem potentiæ ſuæ in eo.

V. 18 Et quem vult indurat, in ſua malitia, & duritia relinquendo.

V. 19. Quid adhuc queritur: μέμφεται, ſenſus eſt: Si Deus quos vult eligit, & quos vult reprobat, cur conqueritur de hominibus apud prophetas, & iraſcentis more gravia comminatur, quod ad ipſum non convertantur ut ſalvi fiant? Quis resistit, quis reſiſtere poteſt divinæ voluntati, quoſdam pro libito damnanti, quorumdam vero miſerenti?

V. 20. Tu quis es qui respondeas Deo? quaſi dicat, Tu quis es, qui diſputas cum Deo? Figmentum: vas fictile. Ei qui se finxit: figulo. Quid me fecisti sic? cur me tale finxiſti; quaſi dicat, Minime poterit expoſtulare.

V. 21. An non habet potestatem, &c. Sicut figulus poteſt ex eodem luto facere vas unum in honorem, id eſt ad uſum honorificum, aliud in contumeliam, id eſt ad uſum vilem, & abiectum: ita Deus ex eadem maſſa hominum cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Cuius ergo miſeretur, id eſt quem peccato liberat, & iuſtificat, uti Chriſtianos credentes, hos facit vaſa in honorem: quem vero indurat, ut Pharaonem, & Iudæos incredulos, hos facit vaſa in contumeliam. Porro ſicut Deus poſitive, & directe miſeretur, ſic poſitive, & directe facit vaſa in honorem; & ſicut permiſſive, & indirecte tantum indurat, ſic permiſſive, & indirecte tantum facit vaſa in contumeliam.

V. 22. Quod si Deus, &c. Apoſtolus hic perfecte reſpondet querelæ, quam propoſuit: Si Deus homines indurat, cur queritur, & induratos punit? Reſpondet ergo hoc modo; quaſi dicat: Indurati ipſi poſitive ſe fecerunt, & aptarunt vaſa iræ; Deus ergo non fecit eos, ſed *ſuſtinuit*, id eſt patienter peccare permiſit, differens diu ſupplicium, ſicque eos induraſſe dicitur, idque duplici de cauſa. Prior eſt, ut iram, id eſt iuſtam, & potentem ſuam vindictam in eos oſtenderet, ut fecit dum Pharaonem merſit in mari rubro. Poſterior eſt, ut ex hac ſeveritate Dei in induratos appareat glorioſa Dei miſericordia, opulentia, & liberalitas *in vaſa miſericordiæ*, id eſt in ſanctos, & electos, quibus non pœnam, ſed gloriam præparavit. Quod si Deus sustinuit vasa irae: ſupple, Quid ad te? Vel tu quis es, qui reſpondeas Deo? Apta in interitum: κατηρτισμένα, *aptata, & apparata*, ſcilicet, propria culpa & impœnitentia.

V. 24. Quos et vocavit nos, &c. *Quos*, idem eſt ac ſi dicat: Hæc vaſa miſericordiæ, non lutea, ſed humana ſunt ii, quos

quos Deus ad ſe ſuamque gratiam, amicitiam, & filiationem *vocavit*, nempe nos fideles, tum ex Iudæis, tum ex Gentibus.

V. 25. SICUT IN OSEE DICIT: cap. II. num. vigeſimo quarto VOCABO NON PLEBEM MEAM, &c. quaſi dicat: Vocabo Gentes idololatras, quæ non fuerunt plebs mea, ad meam fidem, & cultum, ut eum fuerint ad me converſæ, vocem eas plebem meam, & qui non erant a me dilecti, id eſt, gratiæ donis affecti, faciam dilectos, ita ut populus meus, & dilecti mei vocari poſſint. ET NON MISERICORDIAM CONSECUTAM, &c. id eſt, faciam ut plebs Gentilis, quæ antea non erat miſericordiam conſecuta, iam vere vocetur miſericordiam conſecuta.

V. 26. ET ERIT; ſcilicet, id quod dicam. IN LOCO: ut verbi gratia in Græcia, Italia, &c. UBI DICTUM EST EIS, &c. quibus populis dici poterat, *Non plebs mea vos*. VOCABUNTUR FILII DEI VIVI: ad fidem converſi.

V. 27. SI FUERIT NUMERUS FILIORUM ISRAEL, &c. id eſt, etſi populus ſecundum carnem ex Iſrael genitus iuxta promiſſionem Abrahæ factam multiplicetur, & ſit quaſi arena maris, id eſt innumerabilis. RELIQUIAE SALVAE FIENT: paucæ tantum reliquiæ ſalvæ fient, pauci ſalvabuntur, quaſi reliquiæ.

V. 28. VERBUM ENIM CONSUMMANS. &c. In Græco eſt, *λόγον γὰρ συντελῶν, καὶ συντέμνων*; quaſi dicat, Deus conſummabit, & abbreviabit verbum, id eſt rem, ſcilicet numerum fidelium ex Iſrael brevem, hoc eſt exiguum faciet. IN AEQUITATE, in iuſtitia, id eſt iuſto ſuo iudicio id facturus eſt Dominus.

V. 29. ET SICUT PRAEDIXIT ISAIAS: cap. I. verſ. nono. NISI DOMINUS SABAOTH, &c. Niſi Deus reliquiſſet paucas aliquas reliquias gentis noſtræ ſemen, funditus quaſi Sodoma interiiſſemus. Niſi tempore Chriſti parum reliquiarum videlicet B. Virginem, Apoſtolos, & paucos electos ex Iudæis credentes elegiſſet Deus, reprobatus fuiſſet totus Iſrael ob infidelitatem, & periiſſet, ut Sodoma.

V. 30. QUID ERGO DICEMUS? Cum talia prædixerint prophetæ de Gentium vocatione, & Iudæorum abiectione, quid dicemus? Nempe hoc quod ſequitur. QUOD GENTES (QUAE NON SECTABANTUR IUSTITIAM; id eſt, quod Gentes, quæ erant ſine cultu, & lege unius Dei, ideoque nec iuſtitiæ qua quis Deo placeat, aſſequendæ ſtudebant. APPREHENDERUNT IUSTITIAM, &c. conſecutæ ſunt iuſtitiam legis Evangelicæ, quæ datur, & recipitur per fidem, & eſt vera iuſtitia liberans a peccatis, & Deo reconcilians.

V. 31. ISRAEL. Iſraelitæ. SECTANDO IUSTITIAM LEGIS: Moſaicæ. IN LEGEM IUSTITIAE NON PERVENIT, id eſt aſſecuti non ſunt legem iuſtitiæ, quæ eſt per fidem, & Evangelium. Notandum hic Apoſtolum poſt longam totius capitis diſputationem quæſtionem ſolvere, & dare propriam cauſam cur reiecti ſint Iudæi a iuſtitia, & ſalute, Gentes vero ad eam ſint aſcitæ, & electæ: nimirum quia Iudæi eam quæſierunt ubi non debebant, ſcilicet in operibus legis, non in fide Chriſti ubi eam poſuit Deus; hoc eſt enim quod ſubdit Apoſtolus.

V. 32. NON EX FIDE, SED QUASI EX OPERIBUS, ſcilicet iuſtitiam quæſierunt Iudæi; Gentes vero fidem Chriſti amplexæ ſunt, &c. OFFENDERUNT ENIM IN LAPIDEM OFFENSIONIS. Chriſtus dicitur lapis offenſionis, quia occaſio illis fuit ruinæ in fide, nam propter eius humilitatem, & carnis infirmitatem eum non agnoverunt, nec receperunt.

V. 33. SICUT SCRIPTUM EST: Iſai. cap. XXVIII. 16. & cap. VIII. 14. PONO IN SION: ponam in Iudæa, vel in Eccleſia. LAPIDEM OFFENDICULI: Chriſtum ex Iudæis naſciturum, atque inter eos verſaturum, in quem impingent, & cadent. ET PETRAM SCANDALI, idem eſt, quod *lapis offenſionis*. OMNIS QUI CREDIT IN EUM: ſive Iudæus, ſive Gentilis. NON CONFUNDETUR: ſpe ſua non fruſtrabitur, ſed ſalutem conſequetur.

T I R I N I.

Verſ. 1. IN CHRISTO, id eſt teſte Chriſto: IN SPIRITU SANCTO, id eſt illuminante & impellente me Spiritu ſancto.

V. 2. TRISTITIA MIHI MAGNA EST, ob id quod cogor iam propalare, nempe incredulitatem & infelicitatem Iudæorum ob repudium & reiectionem a Deo. Tantum

tum enim abeſt, odio Iudæorum aut legis Moſaicæ hæc dicam, ut iam pridem *optarim*.

V. 3. ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBUS MEIS Iudæis. Hebræum *cherem* a, & Syrum *cherma*, & Latinum *anathema*, teſte Budæo ſignificat totalem ſeparationem, exciſionem, ſucciſionem, occiſionem. Optabat ergo Paulus (ut olim Moiſes *b*,) heroico quodam exceſſu caritatis, æternum (ſi opus vel utile foret) ſeparari *a Chriſto*, id eſt non a caritate & gratia, ſed a perſona Chriſti, ſeu ab æterna beatitudine & gloria futura cum Chriſto, in cælis, dummodo hac via Iudæi ſalvarentur: ita Chryſoſtomus cum ſuis, Theodoretus, Sotus & Catharinus. Addit Caſſianus *c*, optaſſe pœnis addici æternis, ut hac via plures bearentur, & Deum laudarent in æternum. Quod licere etiam cuivis ſibi optare ſub tali conditione, docet Lud. Molina *d*.

V. 4. QUORUM ADOPTIO EST FILIORUM; id eſt, qui olim a Deo adoptati ſunt in filios, iuxta illud Exodi IV. 22. *Filius meus primogenitus Iſrael*. Quorum item eſt GLORIA, id eſt arca fœderis *e*, inquit Toletus: & tot alia glorioſa beneficia, prodigia & miracula, inquit Theodoretus, quibus eximiam gloriam præ omnibus Gentibus aſſecuti ſunt: *Non enim fecit taliter omni nationi f*. TESTAMENTUM, id eſt fœdus ſeu pactum, quod Deus Exodi XXIV. tam ſolemne iniit cum Iudæis. ET LEGISLATIO, id eſt quibus lex cælitus allata fuit in Sinai *g*. ET OBSEQUIUM; Græce, λατρεία, id eſt cultus veri Dei, vera religio. ET PROMISSA cælitus facta de Meſſia, & iuſtitia ac ſalute per Meſſiam præſtanda.

V. 5. QUORUM PATRES, ſupple, ſunt illi nobiles, inclyti & famoſi heroes. EX QUIBUS etiam prognatus EST CHRISTUS. Quæ omnia arguunt eximiam Iudæorum dignitatem.

V. 6. NON AUTEM hæc dico de repudio Iudæorum, QUOD ſeu quaſi ideo, EXCIDERIT, id eſt irritum factum ſit, VERBUM, ſeu promiſſum DEI; cum, quod Iſraelitis promiſſum fuit, iam Gentibus concedatur, puta benedictiones ſpirituales, de iuſtitia, ſalute & vita æterna per Chriſtum conferenda, quæ promittuntur Abrahæ Geneſis XII. 2. & alibi *h*: nempe, *Benedicam tibi, eriſque benedictus: Ero Deus tuus & ſeminis tui*, quia *in te & in ſemine tuo* Chriſto, *benedicentur*, id eſt iuſtitiam, gratiam, gloriam æternam aſſequentur *omnes Gentes*. De his enim ſolis erat quæſtio: nam corporales benedictiones de multiplicandis eius poſteris, & poſſeſſione terræ Chanaam optime ac fertiliſſime ipſis conferenda, nullum erat dubium quin Iudæis, non vero Gentibus collatæ eſſent, cum ſoli Iudæi ad hoc uſque tempus terram Chanaan poſſiderent. Sed hi de ſpiritualibus bonis, Abrahæ eiuſque ſemini promiſſis querebantur, non ſemini Abrahæ aut Iſraelis, ſed extraneis illa concedi, ſi (quod Paulus aiebat) reiectis Iſraelitis, Gentiles ad iuſtitiam, gratiam & gloriam admitterentur. Hanc cavillationem tum hic, tum alibi *i* refellit Paulus, dicens, promiſſiones illas ſpirituales a Deo factas poſteris Abrahæ & Iſraelis, non carnalibus, id eſt Iudæis, ſed ſpiritualibus, id eſt Chriſtianis, qui fidem Abrahæ & Iſraelis ſectantur. NON ENIM OMNES QUI EX ISRAEL, id eſt ex Iacobo Patriarcha carnaliter prognati SUNT, II SUNT veri ISRAELITAE ſecundum mentem Scripturæ, ſeu *filii promiſſionis*, id eſt ad quos pertineat divina promiſſio ſpiritualis facta Abrahæ & Iſraeli. Hæc enim promiſſio ſpectat ad ſolos ſpirituales illorum filios, nempe qui fidem illorum imitantur, quales ſunt pauci ex Iudæis, plurimi ex Gentibus. Id vero probatum vobis dabo duplici ſimili exemplo. Nam Primo, *non omnes*

V. 7. & 8. QUI SEMEN SUNT ABRAHAE, id eſt qui carnaliter ex Abrahamo (cui promiſſiones illas primo fecit Deus) procreati ſunt, ii omnes eo ipſo cenſentur tales eius FILII, ut ſimul ſint *filii* DEI, nempe quos Deus adoptavit in filios, ut in eis benedictiones, quas Abrahæ fecerat, compleret. Talis enim filius erat ſolus *Iſaac*, eiuſque poſteri, dicente Scriptura, IN ISAAC, in poſteris Iſaaci, VOCABITUR & cenſebitur TIBI SEMEN; quaſi dicat: Non Iſmaelitæ, neque alii ex Cetura *k* procreandi tibi FILII CARNIS, id eſt ſola naturali vi generativa producti, erunt heredes tui, ſed ſoli Iſaacidæ, QUI SUNT FILII PROMISSIONIS; id eſt, qui ex Iſaaco, ſingulari Dei promiſſione & virtute ſupernaturali, tibi iam ſeni & ſterili Saræ conceſſo procreabuntur. Ita iam quoque, va-

ri Abrahæ & Iſraelis filii & heredes ſpirituales ſunt, non quos naturalis ex ipſis generatio, ſed quos promiſſio & ſupernaturalis regeneratio per fidem & gratiam produxit.

V. 10. SED ET REBECCA idipſum experta eſt, ſcilicet veros filios & heredes cenſeri non omnes qui carnaliter gignuntur, ſed eos ſolos qui divinitus eliguntur. Et hoc eſt alterum exemplum; quaſi dicat: Forte ſuſpicaberis, ideo reiectos ab hereditate Iſmaelem & filios Ceturæ, quod ex ancillis vel concubinis [l] prognati ſint; Iſaac vero electum, quia ex Sara libera & totius familiæ domina procreatus eſt. Sed falleris: nam en tibi unam eamdemque Iſaaci coniugem Rebeccam, quæ EX UNO eodemque CONCUBITU & complexu coniugali ſimul duos concepit & in lucem edidit filios [m], e quibus tamen ſolus *minor*, Iacob, ad hereditanda patribus promiſſa bona delectus & electus fuit a Deo, ſenior vero Eſau neglectus & reiectus eſt: ita S. Chryſoſt. Theophyl. a Lapide, Menochius & alii.

V. 11. CUM ENIM NONDUM NATI FUISSENT Eſau & Iacob (ne putes aliquid datum præcellentiæ ætatis) & *nondum* ALIQUID BONI EGISSENT AUT MALI (ne meritis aliquid tributum exiſtimes;) UT SECUNDUM ELECTIONEM MANERET PROPOSITUM DEI, id eſt, ut firmum ac ſtabile eſſet quod Deus ſua ſponte & libera electione propoſuerat & ab æterno decreverat, nempe Iacobum eiuſque poſteros extollere & honorare præ Eſau eiuſque poſteris; ideo

V. 12. NON EX præviis aut prævisis OPERIBUS, vel operum meritis Iacobi vel Eſau: SED EX ſolo VOCANTE, (id eſt ex ſolo nutu & beneplacito Dei, quemque pro libito ad quæcumque voluerit eligentis ac vocantis,) DICTUM & revelatum EST Rebeccæ [n], quod

V. 13. MAIOR natu Eſau *ſervitūrus* eſſet MINORI Iacobo, non in propriis perſonis, (numquam id factum,) ſed in poſteris ſuis. Soli enim Iſraelitæ promiſſam terram Chanaan poſſederunt, ex Iſraelitis progenitus eſt Meſſias, &c. & ſervierunt illis Idumæi, poſteri Eſau, tempore Davidis, Salomonis, Ioſaphat & Machabæorum [o]. Ita, præter citatos, etiam Toletus. Et hoc eſt quod apud Prophetam Malachiam SCRIPTUM [p] EST, IACOB DILEXI, ESAU ODIO HABUI. Quæ verba licet proprie, & ut ſonant, vera ſint de poſteris Eſau & Iacobi, quorum hi ob ſincerum Dei cultum chari fuerunt Deo, illi vero ob idololatriam aliaque ſcelera exoſi: malim tamen hic ex recepta Hebræorum conſuetudine, de qua alibi [r], per *odium* intelligere ſolum neglectum, vel, ut ſummum, caſtigationem & afflictionem, qualem inferre ſolent qui aliquos odio proſequuntur. Neglectis enim & quaſi reiectis, ſemperque graviſſime afflictis Idumæis, Iſraelitas peculiari dilectione proſequebatur ubique Deus, his imperium in illos dabat, hos quaſi proprium peculium fovebat, promovebat, bonis omnibus cumulabat. Non ergo agit hic Apoſtolus de dilectione vel electione (ut quidam arbitrantur) ad gloriam cæleſtem, vel etiam ad gratiam & iuſtitiam, quaſi vel perſona Iacob, vel eius poſteri ſoli iuſtificandi aut ſalvandi eſſent, Eſau vero & Idumæi omnes damnandi, (quia hoc falſum eſt, cum veriſimile ſit Eſau ſalvatum eſſe, ut alibi dixi [s], & certo conſtet, abnepotem Eſau Iobum [t], eiuſque amicos, & multos alios ex poſteris pari modo ſalvatos fuiſſe, maxime poſtquam ſub Ioanne Hyrcano Eccleſiæ & Synagogæ Iudaicæ inſerti fuerunt) Sed agit de dilectione & electione in peculiarem populum & hereditatem Dei, cui cederent promiſſiones factæ Abrahæ de poſſidenda terra Chanaan, de Meſſia ex eius ſemine naſcituro, &c. Ad hæc enim Deus, pro ſuo ſolius beneplacito ſelegit Iacobum, eiuſque poſteros Iſraelitas, reiecto Eſau, eiuſque poſteris Idumæis.

V. 15. MISEREBOR CUIUS MISEREOR, id eſt cuiuſcumque voluero; quaſi dicat: Eiuſmodi electio non eſt opus iuſtitiæ, nec cuiquam iure debita; ſed eſt ſolius miſericordiæ & gratuita, ideoque mihi libera. Poteram enim, ſi libuiſſet, hereditatem bonorum corporalium promiſſorum Abrahæ extendere etiam ad Idumæos. Et pari ratione (nam & hoc quoque, ſaltem in Allegorico ſenſu, videtur Apoſtolus inſinuare voluiſſe) poteram hereditationem bonorum ſpiritualium de iuſtitia & ſalute æterna promiſſorum Abrahæ extendere etiam ad eos qui ſola carnali generatione ex Abraham & Iacobo eſſent procreandi, etſi fidem illorum non imitarentur. Sed ut illud

Digitized by Google

illud noluit, ita nec iſtud placuit. Utrumque mihi liberum, neutrum ulli iniurium eſt.

V. 16. IGITUR NON VOLENTIS, NEQUE CURRENTIS EST, SED MISERENTIS DEI; quaſi dicat: Benedictio Iſaaci, (& quæ hanc conſequebatur, hereditatio bonorum Abrahæ & Iſaaco promiſſorum) non obvenit Eſau, licet Iſaacus id enixe vellet, & Eſau citiſſime venatum curreret *u*: ſed neque Iacobo ideo obtigit, quod volente matre cucurrerit ad gregem, citiuſque hœdum patri attulerit, quam Eſau ſuam venationem *x*: ſed quia Deus pro ſuo ſolius beneplacito ſic voluit ac decrevit: ita Anaſtaſ. *y* Toletus & a Lapide. Pari modo, quod illi qui per fidem in Chriſtum ſpirituales filii ſunt Abrahæ & Iacobi; id eſt, quod Chriſtiani hereditent bona ſpiritualia Patriarchis illis promiſſa, exclusis qui ſolum carnales filii ſunt, ſeu Iudæi; non provenit ex volitione, curſu, vel prævijs meritis horum vel iſtorum: ſeu ex operibus legis Moſaicæ Iudæorum, vel legis naturalis Gentilium,) ſed ex ſolo nutu & beneplacito Dei, nolentis tam nobilem benedictionem, & filiationem alligare rebus naturalibus vel cæremonialibus, ſed ſolis ſupernaturalibus, puta fidei & ſpei in Chriſtum, tamquam diſpoſitioni ad iuſtitiam (qua fiunt filii Dei) congruæ & neceſſariæ. Nec eſt quod vel Eſau, vel Idumæi, vel carnales Iudæi querantur factam ſibi aliquam iniuriam, cum plane liberum ſit Deo ut miſereri, ita etiam non miſereri alicuius, ſed relinquere in ſuis miſeriis, ut reliquit Pharaonem in ſuis peccatis & obduratione; cum potuiſſet illum eripere, ut eripuit Nabuchodonoſorem, Cyrum, & alios quoſdam tyrannos, qui æque ac Pharao mali obdurati fuerant. Nec cauſæ iuſtæ deſunt Deo cur hunc in miſeriis relinquat, alios eripiat: nec minus ex uno, quam ex altero elucet eius divina potentia, ſapientia & gloria.

V. 17. IN HOC IPSUM, o Pharao, EXCITAVI TE non ad peccandum, vel mihi rebellandum (ut exponunt hæretici,) ſed ad ſolium regni occupandum. In Exodo (unde hæc deſumuntur,) eſt, *poſui te*, ſupple, in ſolio regio: ubi Chaldæus & LXX. verterunt, *conſervavi & ſuſtinui*, ut in populum meum inſurgeres, inquit S. Chryſoſt. & Photius. UT OSTENDAM IN TE comprimendo & puniendo, VIRTUTEM, id eſt *fortitudinem* MEAM, ut eſt in Exodo *z*: ut ſic toti orbi metus incutiatur. Non quod hæc fuerit primaria & abſoluta intentio Dei, ſed ſecundaria & ex hypotheſi, nempe ſi Pharao ſua malitia pœnam promeritus fuerit. Et ita expone etiam verſ. 22. Deus enim in omnibus omnino & primario & abſolute intendit oſtendere gloriam, potentiam, ſapientiam, bonitatem ſuam: ſed cum hæc oſtendi poſſint duplici via, puta vel miſericordiæ, vel iuſtitiæ: viam miſericordiæ ſæpe quidem pro placito ſuo abſolute ac determinate intendit: ſed viam iuſtitiæ numquam niſi ſub conditione, ſi quis ſua culpa promeritus fuerit.

V. 18. ERGO CUIUS VULT MISERETUR, ut patuit in Iacobo, eiuſque poſteris: ET QUEM VULT INDURAT, ut patuit in Pharaone, in Amorrhæis *aa*, & ſimilibus obſtinatis. *Indurat*, inquam, non directe & proprie (ut blaſphemant Calvinus & Puritani,] ſed improprie & indirecte, ſcilicet eo ipſo quo non miſeretur, ſed ſubtrahit ſpecialia & frequentia auxilia gratiæ, & permittit peccatorem in ſua malitia & duritia (ad quam ſponte pronum eſt cor humanum, quando uberiore gratia Dei deſtituitur) perſeverare & creſcere, & obiicit ſubinde, ſed aliis iuſtis de cauſis, occaſiones, ex quibus magis indurentur, ut alias *bb* docui.

V. 19. QUID ADHUC QUERITUR Deus? græce, *μέμφεται*, id eſt conqueritur; quaſi dicat: Si *Deus* ut dixiſti, *cuius vult miſeretur & quem vult indurat*, cur ſuccenſet impiis, & ob impietatem illos punit? voluntate enim Dei tales ſunt, cui nemo reſiſtere poteſt. Huic blaſphemæ obiectioni reſpondebit categorice verſ. 22. Sed prius hic retundit horum blaſphemorum ſuperbiam obiectu pleni & abſoluti dominii, quod Deus habet in omnes homines & creaturas.

V. 21. AN FIGULUS NON HABET abſolutam POTESTATEM *cc*, & plenum iſtud ac liberum dominium, ut EX EADEM MASSA *faciat* ALIUD VAS IN HONOREM, id eſt in uſus honorificos: ALIUD VERO IN CONTUMELIAM, in vile, probroſum & contumelioſum miniſterium? an pari modo Deus ratione abſoluti dominii ſui non habet liberam poteſtatem, v. g. ut ex

una

Digitized by Google

una eademque Abrahamitica maſſa Iſraelitas bonis & beneficiis promiſſis Abrahæ cumulet & honoret ; Iſmaelitas & Idumæos malis & flagellis oneret , immo Iſraelitarum ſervituti addicat ? ex eadem incolarum AEgypti maſſa Iſraelitas qui ſerviebant , educat in libertatem, & extollat in gloriam; AEgyptios vero qui dominabantur, infinitis plagis atterat, ac demum in profundum maris demergat : ita Toletus. Quanto igitur potiori iure poteſt ex diverſa , vel diverſimode diſpoſita maſſa (non iam ex nudo dominio ſuo , ſed etiam ex legibus iuſtitiæ) facere unum vas in honorem & gloriam , alterum in ſordes & in contumeliam ? unum extollere, alterum deprimere? unum ad iuſtitiam & ſalutem provehere, alterum indurare? hoc enim , ſaltem allegorice , vult hinc inferre S. Paulus. Sed tunc Deus , ſicut non niſi improprie & indirecte indurat , ita non niſi improprie & indirecte facit vas in contumeliam : proprie autem & directe peccator ipſe facit ſe tale vas, uti etiam ſe indurat , poſſetque , ſi vellet , (ut alibi *dd* dicitur) ſe a ſuis ſordibus emundare, & ex vaſe contumeliæ fieri vas in honorem. Unde iure merito quæritur Deus & ſuccenſet & punit induratos. Et hæc eſt directa & plena reſponſio Pauli ad blaſphemam impiorum obiectionem verſ. 16 propoſitam, nempe

V. 22. & 23. DEUS non fecit illos, ſed ipſi ſe fecerunt talia VASA IRAE , APTA ; græce , *aptata* (ſupple, propria culpa ,ob ſtinatione, & impœnitentia) IN INTERITUM, ad nihil aliud ſervientia quam ad pœnas & ſupplicia ſubeunda . Quod vero dicatur eos *indurare*, non facit proprie vel directe , ſed ſolum indirecte & occaſionaliter, nempe *patienter ſuſtinendo*, ſeu tolerando partim illorum nequitias & ſcelera, partim inductiones novarum occaſionum, quibus magis magiſque indurentur .) Talia vero iuſte liciteque tolerantur , quando iuſtæ cauſæ adſunt . Deus autem duplicem hic habet cauſam. Prior eſt, *ut* IRAM ET POTENTIAM , id eſt iuſtam & potentem vindictam in induratos *oſtendat* ; v. g. flagellando AEgyptios tot plagis, & Pharaonem demergendo in mari: (putant enim ſæpe impii, ex impotentia Dei naſci quod non ſtatim puniat ſcelera :) poſterior eſt, ut ſceleratorum punitione clarius eluceſcat glorioſa Dei *miſericordia*, opulentia ac beneficentia in Sanctos & electos, quos ab æterno uti prævidit eſſe VASA MISERICORDIAE ſuæ divinæ adaptata & dicata , ita PRAEPARAVIT IN honorem & GLORIAM eternam : ita Græci Patres, S. Thomas , & plerique interpretes. Ex quibus patet, non agi hic de completa prædeſtinatione aut reprobatione , vel de abſoluta electione ad gloriam, aut deputatione ad infernum : quaſi Deus, ſeu ante (ut vult Calvinus cum ſuis) ſeu poſt prævifum peccatum originale (ut volunt nonnulli Catholici Doctores) pro ſuo ſolius placito certum definitumque numerum hominum, nullo habito reſpectu ad illorum merita vel demerita actualia , deſtinarit abſolute ſalvare , reliquos damnare , vel in maſſa (ut aiunt) damnatorum relinquere : & hos eſſe *vaſa contumeliæ & iræ* divinæ , illos *vaſa miſericordiæ & honoris*. Apoſtolus enim hic agit de *vaſis* quæ poſſint mutare conditionem , & emundare ſe a ſordibus, atque ita e vaſis contumeliæ evadere vaſa honoris *ee*, aut e contrario *ff*. Quæ mutatio cadere non poteſt in deſtinatos abſolute ad gloriam, vel ab illa abſolute reiectos. Agit ergo hic Apoſtolus de ſolis deſtinatis ad hereditatem, etiam ſpiritualem , Abrahæ & Patriarchis promiſſam, puta ad iuſtitiam , & conſequenter etiam ad ſalutem per Chriſtum conſequendam : ſed deſtinatis ſub conditione , ſi eidem Chriſto (quem omnibus neceſſarium redemptorem pro ſuo ſolius beneplacito Deus propoſuit) per fidem & debitum cultum ſubdi; inſeri & inhærere voluerunt . Vide Vaſquez , Molinam , a Valentia , a Lapide.

V. 24. Nos ; quaſi dicat : Hæc quæ dixi *vaſa miſericordiæ*, non ſunt lutea vel figlina ſed ſunt vaſa humana , nempe *nos*, ſpirituales & veri Abrahæ heredes , filio eius Chriſto per fidem & gratiam inſerti ; & conſequenter adoptati etiam a Deo in filios & heredes regni ipſius cæleſtis. Quos ET VOCAVIT ad eam dignitatem Deus, NON SOLUM EX IUDAEIS , ſeu ex ſolis carnalibus Abrahæ poſteris , (ut vos, o Iudæi , futurum arbitrabamini ,) SED ETIAM EX GENTIBUS , ſicut ſe facturum promiſit Oſee II. 24. Immo vero pau-

Digitized by Google

paucos ex Iudæis ad Chriſtum convertendos.

V. 27. CLAMAT ISAIAS *gg*, cum ait: *Etſi*: NUMERUS carnalium FILIORUM ISRAEL, iuxta promiſſionem *hh* factam Abrahæ FUERIT TAMQUAM ARENA MARIS, id eſt quaſi infinitus, tamen non niſi RELIQUIAE SALVAE FIENT, vel, ut habet Iſaias, *convertentur* ex eo, ſupple, ad Dominum, id eſt exigua ſolum pars. Quod Iſaias ad litteram prædicit de Iudæis tempore Ezechiæ regis Iuda ex clade per Sennacherib Aſſyrium tyrannum illata reſiduis: ſed allegorico, & a Spiritu ſancto principaliter intento ſenſu, vult intelligi de Iudæis tempore Chriſti ad eius fidem & cultum convertendis & ita ſalvandis. Nam teſte eodem Iſaia *ii*.

V. 28. CONSUMMANS ET ABBREVIANS eſt Deus, id eſt conſummabit & abbreviabit VERBUM, id eſt rem de qua agimus, nempe numerum Iudæorum, IN AEQUITATE, ſeu prout æquum & iuſtum erat, ad Chriſtum converſorum, *brevem*, id eſt exiguum, colliget. Patent hæc ex Græco & textu Iſaiæ. Quo eodem adhuc kk teſte,

V. 29. NISI DOMINUS SABAOTH, id eſt exercituum, potenti ſua gratia RELIQUISSET NOBIS ex Iudæis modicum aliquod SEMEN, ſeu reliquias, verſ. 5. Virginem Deiparam, Apoſtolos, Diſcipulos Chriſti, & paucos alios ab his ad finem converſos, iam funditus periiſſemus SICUT SODOMA ET GOMORRHA, toto Iſraele reiecto ac reprobato a Deo: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Auguſtinus *ll*, Rupertus & Haymo.

V. 30. QUID ERGO DICEMUS? Fatebimur quod res eſt. Nempe, QUOD GENTES, QUAE NON ſunt ex Abrahamo carnaliter prognatæ neque SECTABANTUR IUSTITIAM, ſed pronæ ruebant in omnia ſcelera *mm*, *tamen* APPREHENDERUNT & aſſecutæ ſunt IUSTITIAM, & quidem veram *iuſtitiam*, vere a peccatis liberantem, vere Deo reconciliantem: QUAE non niſi per *fidem* in Chriſtum acquiritur:

V. 31. ISRAEL VERO, ſeu maior Iſraelitarum pars, SECTANDO LEGEM IUSTITIAE, id eſt legem Moſaicam, quæ ipſis ad comparandam iuſtitiam data erat, & ipſos eo (ſi ſequi voluiſſent) manuducebat, (puta ad fidem in Chriſtum:) tamen IN LEGEM IUSTITIAE, id eſt ad legem & fidem Chriſti vere iuſtificantem, & extra quam nulla eſt iuſtitia vel ſalus, *non pervenerunt*. Ecce poſt longam diſſertationem, ſolvit demum Paulus nodum quæſtionis hoc capite ſibi propoſitæ, puta cur Iudæi a iuſtitia & ſalute reiecti, Gentes vero ad eam aſcitæ & electæ ſint a Deo. Cauſa, inquit, eſt,

V. 32. QUIA Gentes vocatæ a Deo, rectam viam, quæ ex decreto divino ducit ad iuſtitiam, inierunt, nempe credendo in Chriſtum: Iudæi vero quantumcumque ſolicitati, NON voluerunt EX FIDE in Chriſtum haurire iuſtitiam (unde tamen neceſſario hauriri debet:) SED EX ſolis OPERIBUS & ceremoniis legis ſuæ Moſaicæ, QUASI illis alligata eſſet. Nam etſi in venturum Meſſiam ante crediderunt *nn*, &, ſummis votis illum adhuc abſentem expetierint: cum tamen ad rem ventum fuit, & Meſſiam præſentem habuerunt, induci non potuerunt ut eum pro Meſſia amplecterentur vel agnoſcerent: OFFENDERUNT ENIM ſua arrogantia IN LAPIDEM OFFENSIONIS, id eſt in Chriſtum; quaſi dicat Non arriſit ipſis hic Chriſtus, ſed ſcandalizati ſunt eius humilitate, paupertate, cruce, & morte. Atque ita in hunc lapidem, quem Deus *poſuerat in Sion*, ut filii Sionis præ omnibus aliis nationibus primi huic lapidi inædificarentur, ipſi primi fœdiſſime impegerunt, & corruerunt in impietatem, in perfidiam, in damnationem.

V. 33. SICUT SCRIPTUM EST, & ante octingentos annos *oo* de ipſis prædictum ab Iſaia *pp*, ECCE PONO IN SION LAPIDEM fundamentalem & angularem *qq* Eccleſiæ meæ: ET OMNIS QUI CREDIT IN EUM, ſive Iudæus, ſive Gentilis, NON CONFUNDETUR nec fruſtrabitur ſpe ſua, ſed certo iuſtitiam & ſalutem aſſequetur. Sed & quicumque non crediderit in eum, certo confundetur, & numquam ſalutem aut iuſtitiam aſſequetur, quæcumque demum alia via illam quæſierit: quin potius talis lapis iſte erit *lapis* OFFENSIONIS, & *petra* SCANDALI, occaſio lapſus, ruinæ, exitii & damnationis, non lapidis, ſed ſuomet vitio: ita

So-

Digitized by Google

Sionis filiis eventurum (heu !) prævideo & prædico.

(a) Levit. xxvii. 28.
(b) Exodi xxxii. 32.
(c) Caſſian. collat. xxxi. cap. vi.
(d) Molina 2. p. q. xxiv. in fine.
(e) I. Reg. iv. 21.
(f) Pſ. cxvii. ult.
(g) Exodi xix. & xx. &c.
(h) Geneſ. xvii. 7. & cap. xxii. 18.
(i) Galat. iii. 14. Rom. iv. 3. & 24.
(k) Gen. xxii. 1.
(l) Gen. xvi. 1. &c. cap. xxv. 6.
(m) Ibid. verſ. 21. &c.
(n) Gen. xxv. 23.
(o) II. Reg. viii. 14. IV. Reg. viii. 20. I. Mach. v. 65. & II. Mach. x. 16. Malach. 1. 2.
(p) Ibid. & Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 7.
(r) Geneſ. iii. 4.
(ſ) Iob. 1. 1.
(t) Abdiæ verſ. 16. & 18. in comm.
(u) Geneſ. xxvii. 3. &c.
(x) Ibid. verſ. 9. &c.
(y) Anaſtaſ. in Qq. S. Scripturæ q. lix.
(aa) Exod. iv. 21. & Deuter. xxi. 30. & Ioſue xi. 20.
(bb) Exod. vii. 3.
(cc) Ierem. xviii. 8.
(dd) II. Tim. ii. 21.
(ee) I. Tim. ii. 2. Roman. xi. 3.
(ff) Ibid. verſ. 20. &c.
(gg) Iſaiæ x. 22.
(hh) Gen. xxii. 17.
(ii) Iſaias ſup.
(kk) Iſaiæ 1. 9.
(ll) Auguſt. Lib. I. ad Simplicianum quæſt. ii. Alii in Iſaiæ 1. 9.
(mm) Rom. 2. 21. & ſeqq.
(nn) Lucæ vii. 19.
(oo) Chronici cap. xxx. in Iſaiæ.
(pp) Iſaiæ viii. 28. 16.
(qq) Pſal. cxxii. verſ. 21.

GORDONI.

Verſ. I. VERITATEM DICO IN CHRISTO. Iurat per Chriſtum ſe veritatem dicere, & ſimul in teſtimonium veritatis adducit conſcientiam, & Spiritum S. conſcientiæ teſtem : aſſerens ſe magna affici moleſtia propter reiectionem & reprobationem Iudæorum. Ita quidem licito iuramento purgat ſuſpicionem Paulus, qua laborabat apud Iudæos, a quibus viſus eſt legis violator & transfuga ad gentes : & quia expediebat eum acceptum & gratum eſſe illis quos volebat convertere ad meliorem vitam, & avertere ab interitu.

V. 3. OPTABAM ENIM EGO. Teſtatur hunc gentis ſuæ amorem ex magna caritate oriri. Optare hic putatur Paulus pro ſalute fratrum, ſi fieri poſſet, ſeparari in æternum, non quidem a caritate Chriſti, ſed ab eius gloria. Vide ſimile aliquid Exod. xxxii. 31. Secunda interpretatio eſt Paulum loqui de ſuo fervore & voto quod habebat in Iudaiſmo contra Chriſtianos. Alii votum hoc intelligunt de morte, aut longi etiam temporis ſupplicio aliquo: tot ſunt ſententiæ. Certe anathema hoc debet eſſe aliquid quod modum teneat, ne ſit alienum a prudentia Pauli; hoc de ſupplicio, & contemptu in opinione hominum, ac ut haberetur tamquam peripſema, videri potuit Paulo, & vocari anathema, piaculum, vel κάθαρμα. De voce ἀνάθεμα, & Hebraico חרם dixi Levit. xxvii. 28. COGNATI, id eſt eiuſdem gentis.

V. 4. & 5. QUI SUNT ISRAELITAE. Hæc quæ ſequitur Iudæorum laus inſinuationis vim habet; unde amorem ſuum erga gentiles ſuos commendat. Tituli laudis ſunt; eorum ADOPTIO; dum adducti ſunt ad ſpecialem Dei cultum, Exod. iv. 22. GLORIA, maior quam aliarum gentium : TESTAMENTUM; pactum Dei ſæpe cum illis; LEGISLATIO, facta in tabulis, νομοθεσία, OBSEQUIUM, ſpecialis Dei cultus : PROMISSA FACTA facta Abrahæ; QUORUM PATRES, ſcilicet ſunt illi Patriarchæ, ex quibus eſt Chriſtus. AMEN: ita eſt. Hic verſus quintus eſt inſignis locus pro divinitate Chriſti contra Arianos, ubi tamen Eraſmus corrumpit hunc locum inepta interpretatione, conſtituens colon poſt τὰ omnia. Sic patrocinatur Arrianis; quem magno conatu reprehendunt etiam Sectarii: immo confutant eius temeritatem omnia exemplaria Latina & Græca. Ceterum ſuper omnia, ſecundum humanitatem ex dono; ſecundum divinitatem ex natura.

V. 6. 7. 8. & 9. NON AUTEM QUOD EXCIDERIT. Senſim venitur ad reiectionem Iudæorum & vocationem gentium, qui erant filii Iſrael ſpirituales, licet non ſecundum carnem. Atque hoc cum ita ſit; certum eſt promiſſionem Dei, quamvis deficiant Iudæi, non fore irritam: manent Iudæi ſecundum ſpiritum regenerati per fidem Chriſti. Et in his per deſtinatum Meſſiam ſtabit promiſſio. IN ISAAC VOCABITUR, inquit, ſemen, qui erat filius promiſſionis ſupernaturalis ex ſterili Sara; & in tali poſteritate ſtabit quod promiſſum eſt. Quid ergo, quamvis excidant Iudæi ſecundum carnem. Erit filius promiſſionis in perpetuum, ac proinde numquam peritura eſt Eccleſia Dei. Sane verbo Dei & non tantum carne generamur.

 V. 10.

Digitized by Google

V. 10. NON SOLUM AUTEM ILLA. Non ſolum Sara illud oſtendit, ſed etiam in Rebecca habemus ſimile exemplum, ubi duos in utero habens filios oſtendit Iſraelitas æſtimandos eſſe non ex naturali propagatione, ſed ex adoptionis gratia. Dictum eſt Gen. xv maior ſerviet minori, non propter merita ulla, ſed ex gratuita electione; ſicut Malach. 1. dicitur *Iacob dilexi*; *Eſau autem odio habui*; certe in hereditatis ſortitione; nempe ut Iacobo & poſteris daretur terra fertilis; Eſau autem aſpera. Itaque non ſatis eſt naſci ſecundum carnem, ut fiat electio ad hereditatem.

Hic obiter adverto non recte explicari hunc locum a quibuſdam; qui ſicut putant gratiam per fidem Chriſti, de qua hactenus, eſſe diverſam a gratia electionis & prædeſtinationis; ita exiſtimant Paulum facere tranſitionem a priore illa, ad quæſtionem de hac poſteriore, quæ gratia prædeſtinationis eſt. Neutrum recipio; nam ut eadem eſt hæc gratia; ita eſt de qua diſputat Paulus tota hac epiſtola. Ceterum quamvis ita ſit, putat tamen Vaſques in antitheſi inter Iacob & Eſau non eſſe ſermonem de prædeſtinatione in perſona Iacob ad gloriam; & reprobatione in Eſau; ſed ut iam dicebam de hereditate melioris terræ: a qua repuliſſe eſt odio habuiſſe.

Dices, cum Paulus capite hoc toto, ut dixi, agat de his ad quos terminatur promiſſio per gratiam, electionem & prædeſtinationem, ſequeretur ſic exemplum de Iacob eſſe extra rem & parergon. Reſpondet Vaſques obiter tantum adduci, & ſolum ad declarandum non omnes ex carnali generatione natos eſſe filios promiſſionis & potiores heredes. Eſt quidem in exemplo iſto tranſitus ab hoc temporali ad ſpirituale, ut dixi Malachiæ cap. 1. at non eſt tranſitus a gratia ad gratiam. Sed quid de exemplo duorum fratrum in quæſtione de prædeſtinatione. Sane, ut dictum eſt, ſenſus litteræ eſt de temporali hereditate; nollem tamen negare ſenſum myſticum attingere id quod de gratia hoc capite tractatur: nam myſticum ſenſum docent in hunc locum Auguſtinus, & alii Patres ad citatum capite primo Malachiæ. Et certe apud Patres terra promiſſa eſt typus vitæ æternæ, ſicut annexam habebat vocationis gratiam; in iis, inquam, qui ſecundum propoſitum ſunt vocati. Verum dicet forte aliquis ex prælectione Iacob; recte inferri prædeſtinationem inde incipere, & proinde non prædeſtinari homines ex præviſis meritis. Facile hoc ſolvitur, ſi dicas prædeſtinationem incipere a gratuita electione ad gratiam, indeque ſequi merita & gloriam. Sed de hac re alibi ex profeſſo. Eſt interim hæc communior ſuaviorque ſententia, & non modo Catholicorum, ſed etiam Sectariorum Lutheri & Arminianorum in Belgio, qui ponunt initium a præviſa fide.

V. 12. NON EX OPERIBUS. Senſus allegorico Chriſtiani vocantur ad gratiam non ex operibus ullis, non ſolum præviſis, ſed ne quidem futuris & præſcitis (quamvis in Dei præſcientia eſſent præſentia) ſicut nec ob futura ſua peccata damnatur homo. Et hoc totum myſtice vel allegorice deſignatur in ſorte Iacob & Eſau: de quibus non videtur loqui perſonaliter niſi in ſenſu litteræ, non autem iuxta ſenſum myſticum. Subdit vero, quando ſic Iudæos reiicit electis gentibus, nullam eſſe in Deo iniquitatem: hic ſatis apparet ſenſum allegoricum maxime intendi a Paulo.

V. 14. & 15. QUID IGITUR DICEMUS. Occurrit obiectioni: ſi enim ſicut Iacob ex electione accepit promiſſam terram; ita allegorice non carnales poſteros Abrahæ, ſed ſpirituales elegit Deus ex gentibus qui eſſent benedictionis heredes, idque non ex merito, ſed quia voluit; ergo iniuſtus videtur Deus, qui excluſis heredibus inducit exterios. Reſpondet nullam in hoc eſſe iniuſtitiam: ſolum ex libro Exod. cap. xxxiii. 19. miſericordia Dei oſtenditur libera, & electio ad ſalutem ex beneplacito eſt; non debita ulli: non enim ex iuſtitia datur; & datur cui Deus voluerit. Qui itaque gentibus facit miſericordiam, non facit Iudæis iniuriam. Ceterum hæc eſt electio ad gratiam, quam negat Auguſtinus eſſe ex operibus ullis; & alteram quæ eſt ad gloriam concedit eſſe ex operibus gratiæ. In his denique ut non intelligitur voluntas efficax beandi hominem ante præviſa merita; ita nec ad iuſtificandum ante præviſum hominis conſenſum: ne alioqui prædeterminatio officiat libertati, ut alibi oſtendi Lib. IX. quæſt. ix. cap. xiv.

V. 16. IGITUR NON EST VOLENTIS. Benedictio Abrahæ, & electio ad primam gratiam vel perſeverantiam, & prædeſti-

natio

natio ad iſta non ex operibus, ſed a Deo libere vocante. Hoc totum habet locum in populo Chriſtiano, cuius (hac in parte) typus eſt Iacob.

V. 17. & 18. DICIT ENIM SCRIPTURA. Docuit non eſſe iniuſtitiam, quod unius miſereatur Deus: hic probat alteram partem antitheſis, non eſſe iniuſtum, ſi alterius non miſereatur, ut contigit in Pharaone. Liberum utrumque eſt Deo, nec in ullam partem aſtrictus eſt: τὸ UT ANNUNCIETUR, non ſignificat cauſam, ſed eventum EXCITAVI TE: ex Hebr. *feci ut exiſteres*. De hac induratione dixi Exod. IX. At cur excitavit hoc modo Pharaonem? præcipua cauſa eſt ut rex iſte diſceret ex flagellis obedire creatori, ad exemplum multorum. Altera, quam hic dat Paulus, eſt (ſi non velit ſapere) ut in caſtigatione impii peccatoris diſcerent alii ſapere, & ſimul eluceret Dei potentia & gloria. De hac induratione dixi alibi Lib. IX. & Deum non deſerere niſi deſeratur; nec hominem induratum addici pœnis niſi ob peccata: hic ordo eſt, peccat, deſeritur, induratur, punitur; oſtendi etiam loco citato, quomodo a Deo detur interdum obdurationis occaſio.

V. 19. 20. & 21. QUID ADHUC QUAERITUR. Hoc obiici Paulo poterat; ſi cauſa hominum talis eſt, ut Deus quos vult, induret, & voluntate ſua aliorum miſereatur, cur ergo queritur de peccatis hominum? cur arguit, cur hortatur? Infirmum eſt hoc humanæ rationis argumentum. Deus vult omnes ſalvos: non vult peccatum; & per gratiam fovet libertatem ne peccet. Et primum ſemper ſibi deeſt homo. Quis eſt ergo vilis homo qui aliquid Deo obiiciat: ſi ipſe qui omnium creator & dominus utatur iure ſuo, & libertate in his quæ non ſunt debita creaturis. Et quis eius voluntati reſiſtet damnanti peccatorem, aut miſeranti quorum vult. Declaratur hoc exemplo figuli verſ. 21. ſi quos vult induret. Hæc eſt gravis reprehenſio, qua utitur Paulus: μενοῦνγε, in Græco eſt *quaſi vero*, ſeu *immo vero*: interdum admirantis eſt; & merito admirantis quod abiecta creatura queratur de iuſto & ſapientiſſimo Dei iudicio. In comparatione autem de figulo non eſt ſenſus hominem plane eſſe inſtar luti, aut ſine libertate & intellectu; ſed oſtendit non magis reluctari hominem debere Dei voluntati, quam lutum figulo.

V. 22. & 23. QUOD SI DEUS. Plenius explicat datam quæſtionis ſolutionem de induratione. Senſus eſt, Deum non facere ſua primaria voluntate induratum: ſolum dum homo peccat & non cooperatur gratiæ, permittit ut hæreat in malo; immo & tolerat peccantem, & differt ſupplicium. Cauſa vero affertur, tum ut dum tandem puniet appareat potentia & iuſtitia Dei; tum ut ex oppoſito bono & miſericordia appareat Dei bonitas & opulentia. Oratio hæc eſt ſuſpenſa & conditionalis. Explicatur autem reticentia hoc ſupplemento: ſi Deus ſuſtinuit vaſa iræ ut oſtenderet, &c. non ideo eſt iniuſtus. SUSTINUIT, ἤνεγκεν, *tulit*, κατηρτισμένα, *aptata*, certe a ſeipſis non a Deo; hoc eſt, propria culpa & impœnitentia.

V. 24. & 25. QUOS ET VOCAVIT: τὸ *quos*, refert vaſa miſericordiæ poſita verſ. 23. Et hæc vaſa ſunt homines, quos Deus vocat ad gratiam & gloriam: ſicut dictum eſt Oſee cap. II. 24. vide hæc Prophetæ verba ibidem explicata: non ſoli ergo Iudæi a Meſſia vocandi.

V. 27. ISAIAS AUTEM CLAMAT. Deo habebat verſus 24. ſcilicet converſionem gentium & Iudæorum. Prior pars probata eſt ex Oſea. Altera hic probatur de Iudæis ex Iſaia cap. X. 22. & 23. unde ait hos etiam convertendos, ſed paucos, & quaſi reliquias, reiecta magna multitudine. Et hic eſt ſenſus allegoricus verborum Iſaiæ, quem nobis hic dat Paulus: alioqui ſenſus litteræ (ut ibidem dixi) eſt de Sennacherib. Hic iam occurrunt Sectarii. Citat, inquiunt, Paulus Scripturas; ergo auctoritas ex Scripturis habetur, & non ex auctoritate Eccleſiæ. Reſpondeo, Scripturam in ſe habere auctoritatem, & ſemper eſſe certiſſimam; at aliud eſt de nobis: non enim nobis redditur certa, niſi accedat teſtimonium Eccleſiæ. Sic etiam in præſentia conſtat ex Pauli teſtimonio citatum Iſaiæ locum pertinere non tantum ad Chaldaica tempora, ſed inſuper ad Chriſtiana.

V. 28. & 29. VERBUM ENIM CONSUMMATUM. Commodior ceteris huius loci interpretatio eſt de miſericordia Dei, per quam facta eſt malorum inundantium ac pœnarum debitarum præciſio, & abbreviatio, ut ſic ſupereſſent reliquiæ & pauci, alio.

Digitized by Google

alioqui de gente Iudaica fuiſſet ut de Sodoma ex verſ. 29. Et citatur locus Iſaiæ cap. 1. 9. quem ibidem interpretatus ſum de reſiduis tum poſt Chaldaicam captivitatem, tum poſt excidium ſub Tito. Hanc mali præciſionem vocat verbum breviatum & conciſum συντετμημένον. Sunt aliæ quidem verbi huius breviati interpretationes, ſed fere morales: ſic Hieronymus ad Iſaiam interpretatur Evangelium: alii aliud.

V. 30. QUID ERGO DICEMUS. Senſus verborum eſt, cum ita res ſe habeat de Gentium vocatione & abiectione Iudæorum, quid reſtat niſi ut fateamur gentes quæ olim ſine lege erant nunc aſſecutas eſſe legem optimam & Evangelicam; Iudæos vero de lege gloriantes, nunc eſſe ſine lege. Facta autem eſt tanta mutatio (en nervum totius diſputationis) quia Iudæi quærebant ſalutem in operibus legis, & non in fide Chriſti; Gentiles autem e contra, &c. Ita quidem evenit Iudæis, quia offenderunt in lapidem offenſionis & Chriſtum, qui in tanta ſui abiectione ſcandalum viſus eſt Iudæis, & inde occaſio ruinæ. De hoc lapide vide locum Iſaiæ hic citatum ex cap. VIII. 14. & cap. XXVIII. 16.

CAPUT X.

Orat Apoſtolus pro Iudæis, quos zelum Dei & legis habere aſſerit non ſecundum ſcientiam: nam Chriſtum finem legis iguorantes, ex legis operibus iuſtitiam quærebant: de diverſitate iuſtitiæ ex operibus legis ab ea quæ ex fide eſt, quæ tam Iudæo quam Græco in Chriſtum credenti communis eſt: ubique autem terrarum prædicata eſt Chriſti fides; quam repellentibus Iudæis, ſuſceperunt Gentes.

1. FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad
Deum, fit pro illis in ſalutem. 2. Teſtimonium enim
perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, ſed non
ſecundum ſcientiam. 3. Ignorantes enim iuſtitiam Dei,
& ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubie-
cti. 4. Finis enim legis, Chriſtus, ad iuſtitiam omni cre-
denti. 5. *Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam, quæ
ex lege eſt, (*a*) qui fecerit homo, vivet in ea. 6. Quæ
autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit: (*b*) Ne dixeris in corde tuo: quis aſcen-
det in cælum? id eſt, Chriſtum deducere: 7. Aut quis deſcendet in abyſſum?
hoc eſt, Chriſtum a mortuis revocare. 8. Sed quid dicit Scriptura? (*c*) Prope
eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædi-
camus. 9. Quia 'ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo
credideris, quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. 10. Corde enim
creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. 11. Dicit enim
Scriptura: (*d*) Omnis, qui credit in illum, non confundetur. 12. Non enim
eſt diſtinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes
qui invocant illum. 13. (*e*) Omnis enim quicumque invocaverit nomen Do-
mini, ſalvus erit. 14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?
Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient -
ne prædicante? 15. Quomodo vero prædicabunt niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt:
(*f*) Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! 16.
Se.l non omnes obediunt Evangelio. Iſaias enim dicit: (*g*) Domine quis cre-
di.lit auditui noſtro? 17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chri-
ſti. 18. Sed dico: Numquid non audierunt? (*h*) Et quidem in omnem terram
exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 19. Sed dico: Num-
quid

Digitized by Google

quid Iſrael non cognovit? Primus Moyſes dicit: (*i*) Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam: 20. Iſaias autem auder, & dicit: (K) Inventus ſum a non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. 21. Ad Iſrael autem dicit: (*i*) Tota die expandi manus meas * ad populum non credentem, & contradicentem.

(a) Levit xviii. 5. Ezech. xx. 11. (b) Deut. xxx. 12. (c) Deut. xxx. 14. (d) Iſa. xxviii. 16. (e) Ioel. ii. 22. Act. ii. 21. (f) Iſa. lii. 7. Nah. i. 15. (g) Iſa. liii. 1. Ioan. xii. 38. (h) Pſal. xviii. 5. (i) Deut. xxxii. 21. (K) Iſa. lxv. 1. (l) Iſa. lxv. 2.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

Verſ. 21 *Ad populum non credentem & contradicentem.* Non ſubiicias pronomen *mihi*, quod multi.

Notatio.

Verſ. 5 M*Oyſes enim ſcripſit*, (*dixit* o.) *quoniam iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo vivet in ea.* Hæc Latinorum librorum, quos nos vidimus, multique alii ante nos conſtans eſt lectio: quam enarrat ex antiquis Origenes, vel, eius interpres. Græci libri ſcribunt: μωσῆς γράφει τὴν δικαιοσύνην (γὰρ) ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι, ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς: *Moſes enim ſcribit iuſtitiam quæ ex lege, quoniam qui fecerit ea* (5. 10) *homo*, (Sy.) *vivet in eis*: Quibus ſuffragantur Syrica exemplaria, Græcique Tractatores. Chryſoſtomus, Theoderetus, Theophylactus. Oecumenius. Coniiciunt quidam Latinam lectionem ſcribarum temeritate depravatam; pro quibus facere poſſit, quod Haymo in quibuſdam codicibus haberi teſtetur, *vivet in eis*, niſi de Græcis vel alterius verſionis Latinis codicibus loquatur. Coniiciunt alii Græcam lectionem, quamquam Moſis verba propius referat (*Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciet ea homo & vivet in eis*, Levit. 18. v. 5) ex III. ad Galatas cap. verſ. 12. immutatam, ubi ſimilis eſt locus: ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, pro quo nos habemus: *Lex autem non eſt ex fide: ſed, qui fecerit ea vivet in illis*; porro hoc ad Romanos loco legiſſe Interpretem: ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτῇ. Verum quod bene ſe habet, utraque lectio in idem recidit.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. VOLUNTAS: εὐδοκία, id eſt propenſus animi affectus: oſtendit autem ſe non invidia aut odio, ſed commiſeratione præcedentia de Iudæis dixiſſe.

V. 2. AEMULATIONEM. Græce, ζῆλον, id eſt zelo afficiuntur ac ſtudio erga legem ſuam, at vero non quemadmodum oportet ac ſecundum ſcientiam, ſed ſine iudicio.

V. 3. SUAM QUAERENTES STATUERE. Græce, στῆσαι, id eſt ſtabilire ac confirmare: atque in eam ſolam confidentes, IUSTITIAE DEI, id eſt fidei quæ iuſtificat, aut Chriſto, qui dicitur Dei iuſtitia. *Non ſunt ſubditi.* Græce οὐχ ὑπετάγησαν, id eſt ſe non ſubdiderunt neque illi obedierunt.

V. 4. FINIS ENIM LEGIS, id eſt conſummatio ac perfectio: quia lex & prophetæ uſque ad Ioannem: bene autem Chriſtus omni credenti finis eſt & completio legis ad iuſtitiam, qui pro omnibus credituris legem implevit, ut iam nullius deinceps ad iuſtificationem lege ſit opus.

V. 5. IUSTITIAM QUAE EX. Videtur interpres legiſſe, ὅτι δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ἐν αὐτῇ ζήσεται: alii: Μωσῆς γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ, ζήσεται ἐν αὐτοῖς, id eſt, Moyſes enim definivit iuſtitiam quæ ex lege, nimirum quod qui fecerit ea (quæ ſcilicet lege iubentur) vivet in illis, id eſt per illa, ad hunc ſenſum, quod legem ſacientibus vita æterna non promittitur, ſed temporalis, ac bona temporalia.

Digitized by Google

ralia. Sumptus eſt autem locus ex Levit. xviii. ubi dicitur: *Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo vivet in iis.*

V. 6. & 8. Quae autem ex. Antea oſtendit iuſtitiam legis ceremoniis & præceptis infinitis conſtare, quæ qui fecerit, vivet: ad quæ labor magnus exigitur. Nunc autem illi iuſtitiam fidei comparans, oſtendit non multo opus eſſe labore ad illam apprehendendam; quippe quæ proxime nos eſt. Ad hoc autem aſſumit verba Moyſi ex Deuteron. xxx. cap. quibus hortabatur Moyſes Iudæos ad legem ſervandam; & illa de lege dicta ad fidem transfert Paulus. Verba autem Moyſi ſic habent: mandatum hoc quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, nec procul poſitum, nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere: Quis noſtrum valet in cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos ut audiamus atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas: Quis e nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos deferre: ut poſſimus audire & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt verbum valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud. Quæ verba ad iuſtitiam Dei transfert Paulus, quaſi ipſe Chriſtus iuſtitia fidei qui nos fide iuſtificat, dicat unicuique noſtrum: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in caelum? id eſt, noli putare impoſſibilem eſſe factu, fidei iuſtitiam, aut tam difficilem, ut ad eam apprehendendam tibi ſit opus in cælum aſcendere. Hoc est Christum deducere, id eſt a cælo evocare ad eam afferendam, quaſi non eam attulerit: iuſtificans nos ſanguine ſuo, & ne dixeris, Quis descendet in abyssum? vel transfretabit mare (nam abyſſus immenſa congregatio aquarum eſt) ut ſcilicet iuſtitiam adferat ad nos; id eſt, omnino noli exiſtimare impoſſibile eſſe fidei iuſtitiam ad nos afferri: quia hoc eſſet Chriſtum a mortuis revocare, hoc eſt, e numero mortuorum eximere, negare illum aliquando pro iuſtificandis nobis fuiſſe mortuum. Neque enim uſque adeo difficilis eſt, ac tam longe petenda iuſtificatio. Quid *enim* dicit scriptura? prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo; id eſt, ſicut Moyſes Iudæis dicit proximam eſſe illis legem ut complere eam poſſint; ita, inquit, prope eſt verbum in ore tuo, verbum ſcilicet fidei quod prædicamus.

V. 10. Corde enim creditur. Primum enim quo iuſtificamur ex impiis interna fides eſt: deinde ſi externe confitendi ſeſe offert occaſio, etiam quæ corde premitur, ore promenda fides eſt, ac paſſim annuncianda, unde & Chriſtus in evangelio ait: *Qui confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo:* Matth. x. & rurſum Lucæ ix. *Qui me erubuerit & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet.*

V. 15. Sicut scriptum est. Videtur hic eſſe eclipſis, & ſubaudiendum coniungendo cum præcedentibus: ſed miſſi ſunt & prædicaverunt, sicut scriptum est: Quam speciosi pedes, &c.

V. 16. Auditui nostro, id eſt, his quæ abs te audivimus, & verbis noſtris.

V. 18. Et quidem: ſubaudiendum eſt, audierunt, ſicut ſcriptum eſt, in omnem terram.

V. 19. Moyses dicit, ego ad aemulationem. Oſtendit prædictum a Moyſe ut etſi Iudæi Chriſtum cognoſcerent, non tamen in eum crederent, quinimmo credentibus gentibus inviderent. Ego, inquit, ad aemulationem vos adducam; id eſt, provocabo ad æmulationem & invidiam, in non gentem, id eſt adverſus gentiles, qui vix digni ſunt appellatione gentis: unde ſubdit, in gentem insipientem: in iram vos mittam; id eſt, excitabo in vobis iram & indignationem adverſus illos: quæ tamen omnia intelligenda ſunt non poſitive, ſed privative, deſerendo ſcilicet illos maligne menti ſuæ, quod ſcilicet futurum ſit ut vocatione gentium irritati Iudæi, zelo & invidia adverſum gentes incitentur.

S A.

Verſ. 1. Voluntas, ſcilicet erga Iudæos propenſa eſt.

V. 2. AEmulationem, id eſt zelum, ſeu ſtudium. Secundum scientiam, id eſt ut par eſt, ſeu ſapienter.

V. 3. Dei, id eſt quam Deus dat. Suam, id eſt propriam, ſcilicet in operibus legis ſitam. Statuere, id eſt tueri; quaſi dicat, Sua niti, ſeu fidere iuſtitia.

V. 4. Finis, id eſt ſcopus, ſcilicet præcipue

cipue intentum. AD IUSTITIAM, ſcilicet dandam propoſitus.

V. 5. IUSTITIAM, &c. id eſt legis præcepta.

V. 6. QUAE AUTEM, &c. pro, de ea autem quæ per fidem acquiritur iuſtitia, ſic dicitur. IN CAELUM, ſcilicet ut inde nobis iuſtitiam afferat. DEDUCERE, id eſt poſtulare, ut e cælo veniat, qui iam venit.

V. 7. ABYSSUM, id eſt profunditatem inferni. REVOCARE, id eſt velle ut reſurgat, qui iam reſurrexit.

V. 8. VERBUM FIDEI, QUOD; pro, fides quam.

V. 9. DOMINUM IESUM, id eſt adventum Filii Dei in mundum.

V. 10. AD IUSTITIAM, id eſt ut quis iuſtus ſit. AD SALUTEM, id eſt ut quis ſalvus ſit.

V. 11. CONFUNDETUR, ſcilicet ſalute fruſtratus.

V. 12. DIVES, id eſt abundanter utens miſericordia.

V. 14. QUEM; pro, de quo.

V. 15. PEDES, id eſt inceſſus, ſeu diſcurſus. PACEM, id eſt felicitatem. BONA, ſcilicet æterna.

V. 16. AUDITUI, id eſt auditis a nobis.

V. 17. AUDITU, id eſt iis quæ audiuntur a prædicante, ſcilicet concipitur. VERBUM CHRISTI, id eſt prædicationem de Chriſto.

V. 18. AUDIERUNT, ſcilicet homines, ut poſſint excuſari; vel Gentiles intelligit. ET QUIDEM, ſcilicet ſcriptum. Pſalm XVIII. EXIVIT; pro, exibit. EORUM, ſcilicet prædicatorum.

V. 19. COGNOVIT, ſcilicet quod dicimus de iuſtitia fidei. PRIMUS, ſcilicet inter ceteros. AEMULATIONEM, id eſt invidiam. IN; pro, per. NON GENTEM, id eſt contemptiſſimam, ſeu indignam Gentis nomine. IRAM, id eſt indignationem; ſcilicet quod ſalus Gentibus proponatur, fiantque de populo Dei. MITTAM, id eſt inducam, ſcilicet ſinam induci.

V. 20. AUDET, ET DICIT, id eſt audenter dicit.

V. 21. AD; pro, de.

MARIANAE.

Verſ. 1. VOLUNTAS. Εὐδοκία, *bona voluntas*, beneplacitum cordis mei. IN SALUTEM eſt Iudæorum. Oro ut Iudæi ſalutem conſequantur. Verum ii

V. 3. SUAM QUAERENTES STATUERE, id eſt volentes iuſtitiam legis ſtabilire, veram iuſtitiam, qui eſt Chriſtus, non ſequuntur.

V. 5. MOYSES ENIM SCRIPSIT, QUONIAM. Græc. *Moyſes enim ſcribit iuſtitiam, quæ ex lege, quod qui fecerit ea* (quæ ibi iubentur) *qui fecerit homo vivet in eis*, ſcilicet vita temporaria.

V. 6. QUIS ASCENDET. Quod Moyſes dixit Deut. XXX. 11. de facilitate legis ſuæ, id transfert Paulus ad legem fidei, non eſſe opus aſcenſu in cælum, aut deſcenſu in infernum, ſed ore & corde poſſe fidem ſuſcipi.

V. 8. PROPE EST VERBUM, id eſt res, negotium hoc prope te eſt.

V. 10. CORDE ENIM CREDITUR. Fides interna & externa ad ſalutem eſt neceſſaria.

V. 12. NON EST DISTINCTIO IUDAEI ET GRAECI. Dixerat, *Omnis qui credit*; quaſi dicat: Dixi *omnis*, quia non eſt diſtinctio Iudæi & Græci apud Deum. Omnes accepit.

V. 15. SICUT SCRIPTUM EST. Deeſt aliquid, ut illud: iam miſſi ſunt prædicantes, ſicut ſcriptum eſt: Quam pulchri pedes.

V. 16. QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO? id eſt iis, quæ a te audivimus, aut quæ a nobis ipſi audierunt; aut verbis noſtris quis credidit? Rationem reddit, cum ſint concionatores, cur pauci convertantur.

V. 18. ET QUIDEM: ſupple, iam audierunt, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram. VERBA EORUM, ſcilicet Apoſtolorum exierunt; ubique evangelizatum eſt.

V. 19. EGO AD AEMULATIONEM VOS ADDUCAM. Faciam ut Gentibus invideatis. IN NON GENTEM vos adducam. Vix gentis nomen erit vobis, nulla reſpublica, nulli ex vobis principes. Quod re videmus impletum. IN IRAM VOS MITTAM: quæ ſcilicet ex æmulatione orietur, ex ira mœror.

V. 20. ISAIAS AUTEM AUDET, id eſt audacter pronuntiat. QUI ME NON INTERROGABANT, id eſt conſulebant, a me reſponſa non petebant, ab iis ſum inventus.

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. 1. VOLUNTAS CORDIS MEI, &c. εὐδοκία; id eſt, propenſus animi affectus, & vehemens deſiderium mihi erga Iudæos, ut ſalventur, atque ideo pro illis oro.

V. 2. TESTIMONIUM ENIM PERHIBEO ILLIS; quaſi dicat: Hoc de illis vere, & ex animo affirmo. AEMULATIONEM DEI HABENT, &c. ζῆλον Θεοῦ; quaſi dicat: Fateor illos ſtudio legis, & divini cultus teneri, non tamen prudenter agere, quia vere contra Dei honorem, & veritatem agunt, cum Chriſtum, & eius legem oppugnant.

V. 3. IUSTITIAM DEI: quæ nos iuſtos facit non coram hominibus, ſed coram Deo, & quæſita eſt in reconciliatione hominis cum Deo per fidem Chriſti. ET SUAM: iuſtitiam ex ſuis, & naturæ viribus, & legis operibus partam. QUAERENTES STATUERE: ſtabilire, tueri, defendere. IUSTITIAE DEI NON SUNT SUBIECTI: οὐχ ὑπετάγησαν, *non ſubdiderunt ſe*, illi non obediverunt; quaſi dicat: Quia Iudæi ſuam iuſtitiam ex lege quæſiverunt, hinc noluerunt ſe ſubdere fidei Chriſti, ac conſequenter nec veræ iuſtitiæ Dei; hanc enim Deus in fide, & obedientia Dei conſtituit. Unde ſequitur:

V. 4. FINIS ENIM LEGIS CHRISTUS. Finis, & ſcopus legis eſt Chriſtus, quia tota lex ad Chriſtum quaſi ad finem, terminum, & ſcopum ſuum refertur, tendit, ducit, & vocat; ſenſus eſt, Chriſtum eſſe per quem lex impletur, & vera iuſtitia acquiritur, quatenus quiſque in eum credit ut propitiatorem, per quem Deus & peccata remittit, & præſtat gratiam bene vivendi. AD IUSTITIAM OMNI CREDENTI: ut ſcilicet per fidem Chriſti omnes credentes in eum iuſtitiam aſſequantur. Non intelligit Apoſtolus fidem ſolam, ſed cum illa ea omnia quæ fides monſtrat agenda.

V. 5. MOYSES ENIM SCRIPSIT: Levit. XVIII. 5. Sententia eſt: Qui fecerit iuſtitiam legis, hoc eſt, iuſtum quod lege præſcriptum eſt, hic vivet in ea; id eſt, hic non punietur morte, quam lex tranſgreſſoribus ſuis ſæpe intentat; viveique vita temporali, proſpera, quam lex ſervantibus ſe promittit; quaſi dicat: E contrario vero qui fidem Chriſti amplexus fuerit, *hic* vivet vita iuſtitiæ in hoc mundo, & in futuro vivet vita ſalutis, gloriæ, & felicitatis æternæ.

V. 6. QUAE AUTEM EX FIDE, &c.] Proximo verſiculo dixerat ex Moyſe, ei vitam promiſſam fuiſſe, qui feciſſet iuſtitiam quæ ex lege eſt. Nunc ne quis exiſtimet legem Chriſti gravem eſſe & difficilem, ut fuit lex Moſaica eam a facilitate commendat. Senſus ergo eſt, Iuſtitia quæ eſt ex fide, vere de ſe ipſa prædicare poteſt, *Ne dixeris in corde tuo*, &c NE DIXERIS IN CORDE TUO. Sumpta ſunt hæc verba ex Deut. XXX. 11. ubi habemus: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cœlo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos*, &c. Sententia ergo eſt, Non magna, & difficilia a te petuntur, ut iuſtitiam Chriſti conſequaris; non eſt tibi de cœlo deducendus Chriſtus, non e ſubterraneis ſpecubus educendus, omnia facilia ſunt, & in promptu.

V. 8. PROPE EST VERBUM: res eſt facilis, & ad pauca revocatur, quæ ſtatim ſubiicit. IN ORE TUO, ET IN CORDE TUO: ut ſcilicet corde Chriſtum credas, & ore confitearis, ut paulo poſt explicat. HOC EST VERBUM DEI QUOD PRAEDICAMUS: ad hæc pauca revocatur Evangelium quod prædicamus, ut ſcilicet credas, & quæ per fidem facienda cognoveris, ea facias].

V. 10. CORDE ENIM CREDITUR AD IUSTITIAM; quaſi dicat: Fides cordis valet, & neceſſaria eſt ad acquirendam iuſtitiam. ORE AUTEM CONFESSIO FIT AD SALUTEM. Profeſſio vero fidei, quæ fit ore, valet, & neceſſaria eſt ad iuſtitiam hanc conſervandam, & augendam, & conſequenter ad ſalutem æternam promerendam, & conſequendam.

V. 11. DICIT ENIM SCRIPTURA: Iſai. XXVIII. 16. NON CONFUNDETUR: non fruſtrabitur ſua ſpe, ſed ſalutem conſequetur.

V. 12. NON ENIM EST DISTINCTIO IUDAEI, ET GRAECI: quia Iſaias generatim dixit, *Omnis qui credit*, ideo urget Apoſtolus, & explicat particulam illam *omnis*. DIVES: largus, & beneficus. QUICUMQUE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI. Sumpta eſt hæc ſententia in Ioele II. 32.

Quicumque autem Deum ſicut oportet invocaverit, ſcilicet cum debita fide, ſpe, contritione, & caritate, hic ſalvus erit.

V. 14. QUOMODO ERGO, &c. quaſi dicat: Quomodo invocabunt Deum, quaſi Dominum, & auctorem ſalutis, omniſque boni, in quem non credunt? Hoc dicit Paulus ut oſtendat prædicationem verbi, & Evangelii debere eſſe generalem omnibus etiam Gentibus, contra errorem Iudæorum exiſtimantium prædicationem ſalutis eſſe ipſorum propriam.

V. 15. QUOMODO VERO PRAEDICABUNT NISI MITTANTUR? Nullus enim licite, & legitime prædicat niſi legitime miſſus, unde eſt illa Ieremiæ querela cap. XXIX. *Non mittebam eos, & ipſi currebant*, &c. QUAM SPECIOSI PEDES, &c. quaſi dicat: Quam pulcher, ſuavis, & gratus erit adventus, & diſcurſus annunciantium Evangelium, eiuſque bona & læta nuncia, ſcilicet pacem cum Deo, gratiam, iuſtitiam, & ſalutem? Vel, Quam grati, & accepti erunt auditoribus ſuis Apoſtoli, hæc bona hominibus per totum orbem annuntiantes, & evangelizantes?

V. 16. SED NON OMNES OBEDIUNT EVANGELIO. Occurrit Paulus obiectioni; dicet enim aliquis Iudæus: ſi tam ſpecioſi ſunt pedes, & tam lætæ voces Evangelizantium Chriſtum, cur tam multi in eum non credunt? Reſpondet Paulus cauſam eſſe, quod multi ſuis vitiis, aut ſuo Iudaiſmo affixi, nolint credere, & obedire Evangelio, ideoque oculos, aures, & animum avertant ab hac ſpecie, & pulchritudine Evangelii, & Evangelizantium. ISAIAS ENIM DICIT: utique de Iudæis cap. LIII. 1. AUDITUI NOSTRO: ſermonibus, quos ex nobis audierunt; quaſi dicat: Pauci admodum: loquitur Iſaias in perſona Apoſtolorum.

V. 17. ERGO FIDES EX AUDITU. Deducit Paulus ex Iſaiæ teſtimonio confirmationem ſuperioris ſententiæ, nempe non poſſe Gentes credere, niſi audierint, neque audire, niſi eis prædicatum fuerit; itaque ait, *Ergo fides ex auditu:* ſi enim Iſaias dicit, quis credidit auditui noſtro, ergo auditus fidem præcedit, & ſi audiendum eſt, verba, & prædicatio neceſſaria ſunt. AUDITUS AUTEM PER VERBUM CHRISTI; id eſt, per prædicationem Apoſtolorum, qui quaſi legati miſſi a Chriſto eius verbum prædicant.

V. 18. SED DICO, NUMQUID NON AUDIERUNT? quaſi dicat: Dixi fidem ex auditu naſci debere, & ex prædicatione; nunc addo prædicationem non defuiſſe, nec defuturam. ET QUIDEM IN OMNEM TERRAM EXIVIT, &c. Præteritum hic ponitur pro futuro prophetico more ob rei futuræ certitudinem, ſignificaturque Evangelium ubique terrarum prædicandum.

V. 19. SED DICO, id eſt quin vero dico. NUMQUID ISRAEL NON COGNOVIT? ſcilicet, etiam Gentibus prædicandum eſſe Evangelium, licet hoc ſcire nolit, aut, diſſimulet; quaſi dicat: Adeo verum eſt Gentibus prædicandum eſſe Evangelium, ut idipſum futurum Prophetæ Iudæis prædixerint, ideoque Iudæis hoc ipſum cognitum eſt, aut eſſe debet. MOSES DICIT: Deut. XXXII. 21. AD AEMULATIONEM VOS ADDUCAM IN NON GENTEM: adeo Gentiles efferam, ut vobis invidendi evadant. IN NON GENTEM: propter Gentiles, qui hactenus non fuerunt gens mea. IN GENTEM INSIPIENTEM; id eſt, propter Gentiles, qui hactenus inſipienter vixerunt, & ſtulte adorarunt idola. IN IRAM VOS MITTAM: invidiam, & iram in vos commovebo.

V. 20. AUDET, ET DICIT: audacter, & libere pronunciat. INVENTUS SUM A NON QUAERENTIBUS ME. Etiam hic eſt præteritum pro futuro; ſenſus eſt, Invenient me fide ex auditu concepta qui me non quærebant, ſcilicet populus Gentilis. PALAM APPARUI IIS: iis me manifeſtavi. QUI ME NON INTERROGABANT: ſed in rebus dubiis ſua idola conſulebant.

V. 21. AD ISRAEL: de Iſrael. TOTA DIE: frequentiſſime. EXPANDI MANUS MEAS: per prædicationem Chriſti, & Apoſtolorum eius, & per crebra miracula ab eis patrata. AD POPULUM NON CREDENTEM, ET CONTRADICENTEM: populo Iudaico, qui tamen perſuaderi non potuit, ſed ſemper Evangelio reſtitit, & contradixit.

T I R I N I.

Verſ. 2. ÆMULATIONEM DEI; Græce, *zelum* HABENT legis divinæ, SED NON SECUNDUM SCIENTIAM, ſeu

ſeu dictamen prudentiæ : nam contra Dei honorem & legem opponunt ſe Filio Dei & legi divinæ.

V. 3. IGNORANTES ENIM IUSTITIAM DEI, id eſt veram & Deo probatam iuſtitiam, nempe qua non coram ſolis hominibus, ſed etiam coram Deo iuſti reddimur, ipſique plene reconciliamur per fidem vivam in Chriſtum; *quærunt* & ſatagunt STATUERE, ſtabilire, tueri unicam SUAM *iuſtitiam*, quam quaſi ſufficientem ad ſalutem ſibi delegerunt, quæſita eſt in obſervatione ceremoniarum Moſaicarum & traditionum Phariſaicarum *a*, & ſolum iuſtos reddit coram hominibus : unde IUSTITIAE DEI veræ ac genuinæ NON SUNT SUBIECTI; Græce, *non ſe ſubdiderunt*, vel ſubducere noluerunt; & conſequenter non ſunt iuſtitiam aſſecuti, ne quidem illam, ad quam lex Moſaica (cuius adeo zeloſi ſunt,) illos manu ducebat.

V. 4. FINIS ENIM, ſcopus & intentum LEGIS Moſaicæ CHRISTUS eſt: quia tota lex ad Chriſtum, quaſi ad finem, ſcopum & terminum ſuum collimat, tendit, vocat, manuducit, AD IUSTITIAM veram ac ſolidam per illum præſtandam OMNI CREDENTI, id eſt per vivam fidem in illum: ita Theodoret. S. Thomas & alii. Quod ſi a ſcopo iſto præſcindas, & ſolam ſecte-ris

V. 5. IUSTITIAM QUAE EX LEGE EST *b*, ſeu legalem, quæ ex obſervatione præceptorum legis reſultat, per hanc, vel ipſo Moyſe teſte *c*, non aſſequeris niſi vitam & ſalutem temporalem & corporalem: nam ſpiritualem & æternam non promittit lex, niſi per Chriſtum; ita S. Ambroſ. Theodor. Anſelm. Neque tamen velim exiſtimes, ad illam per Chriſtum iuſtitiam aſſequendam opus tibi eſſe præſentia corporali perſonæ Chriſti, ut eius, ſeu aſpectu, ſeu attactu, ſaneris aut iuſtificeris, ut ipſe propterea vel e cælis, vel ab inferis evocandus tibi ſit. Longe ſecus res habet: nam ſi licuit Moyſi de lege ſua, cetero-qui difficillima *d* (*quam nec nos, nec patres noſtri portare potuerunt,*) dicere: *e Mandatum hoc non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, ut* merito *poſſis dicere, Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos*, &c. Longe potiori iure idem

V. 6. DICIT IUSTITIA QUAE EST, & hauritur EX FIDE in Chriſtum, nempe; NE DIXERIS IN CORDE TUO, neque ſollicitus aut anxius quæras: Quis mihi ad iuſtitiam a Chriſto accerſendam ASCENDET ad ipſum IN CAELUM? ID EST in ſenſu Allegorico, *Quis eo aſcendit*, inde *deducturus* ad me præſentia ſua corporali curandum ac iuſtificandum? *Aut quis deſcendet in abyſſum*, vel in ſubterraneos ſpecus, in ſepulcrum vel limbum patrum? *Hoc eſt* allegorice, *Quis eo deſcendet, Chriſtum a mortuis* (ſi forſan apud illos verſetur,) in orbem *revocaturus*? Non eſt quod te crucies, aut quod angaris: nam quod ibi

V. 8. SCRIPTURA de lege Moſaica DICIT; hoc in legem Chriſti & iuſtificationem per Chriſtum longe verius quadrat: PROPE EST VERBUM; id eſt, res tibi facilis eſt, in promptu & ad manum, nec alibi quærenda, quam IN proprio CORDE TUO, ET ORE TUO: facillima eſt iuſtificationis & ſalvationis tibi via. Nam HOC EST VERBUM FIDEI; id eſt, ad hæc pauca revocatur totum Evangelium, QUOD vobis tamquam neceſſarium ad iuſtitiam & ſalutem aſſequendam PRAEDICAMUS, nempe, ut

V. 9. CORDE *credas* in Filium Dei pro te incarnatum, mortuum & *reſuſcitatum*, ET ORE idipſum *profitearis*. Hic enim reſurrectionis articulus, tamquam ultimus terminus, complectitur in ſe & præſupponit omnes alios articulos fidei neceſſarios, & difficillime induci poterant Iudæi, qui Ieſum occiderant, ad credendam eius reſurrectionem: & ea credita, factum ipſi ſuum ſponte retractabant, pœnitebant, ceteraque & credenda & agenda ultro amplectebantur.

V. 10. CORDE ENIM, id eſt intellectu (ex voluntatis imperio) omnino neceſſario in Chriſtum CREDITUR AD IUSTITIAM obtinendam, ad eamdem vero fovendam, ſtabiliendam, augendam, & conſequenter AD SALUTEM aſſequendam debet etiam ORE & opere externo, quandocumque res exigit, CONFESSIO fieri ſeu profeſſio fidei. Ex quo patet, non ſolam fidem, ut contendunt hæretici, ſed etiam profeſſionem fidei tum verbalem; tum realem, (& conſequenter bona opera) neceſſario requiri ad iuſtitiam & ſalutem, eamdemque cauſare, ſeu promereri, primam *f* nempe iuſtitiam de congruo, ſecundam etiam de condigno.

V. 11.

Digitized by Google

V. 11. OMNIS QUI ſic CREDIT IN ILLUM *g*, ſive Iudæus ille fuerit, ſive Gentilis, NON CONFUNDETUR, non fruſtrabitur ſua fide & ſpe, ſed iuſtitiam & ſalutem ſperatam certo aſſequetur.

V. 12. NON ENIM EST, in hoc ulla (licet vos id putetis,) DISTINCTIO IUDAEI ET GRAECI *h*, ſeu Gentilis. NAM IDEM & communis OMNIUM DOMINUS, æquali affectu *dives*, id eſt largus & munifi cus, eſt promiſcue IN OMNES homines & nationes, dummodo qua decet fide, ſpe, contritione & caritate ILLUM *invocent*, eiuſque gratiam & opem implorent. Vides præter fidem, etiam *invocationem* hic requiri? ſub *invocatione* autem intelligit non ſolam opis divinæ implorationem, ſed etiam gratiarum actionem, laudem, adorationem, ſacrificium, votum, martyrium, omnemque externum cultum Dei. Sicut alibi de *iuramento* dixi *i*.

V. 14. QUOMODO ERGO INVOCABUNT etiam Gentiles *nomen Domini*, IN QUEM NON CREDIDERUNT, immo de quo nihil dum *inaudierunt?* quaſi dicat: Vos Iudæi mi hi ſuccenſetis quod Gentium habear Apoſtolus k, & ipſis evangelizem & communicem gratias a Chriſto conceſſas. Atqui iam ex Iſaia, Ioele & aliis Prophetis vidimus, iuſtitiam & ſalutem per Chriſtum, non ſolis Iudæis, ſed promiſcue omnibus omnino Gentibus, dummodo ipſum invocent, promiſſam a Deo; ergo voluntate eiuſdem Dei debet etiam Gentibus id innoteſcere, & conſequenter debet ipſis prædicari.

V. 15. QUOMODO VERO vel ego, vel alii præcones Evangelii PRAEDICABUNT illud NISI MITTANTUR? nam abſque legitima miſſione, ſeu deſtinatione Dei ad tale munus, non licet ulli id uſurpare, cum nullus poſſit eſſe legatus, niſi miſſus ab eo cuius eſt legatus. Unde illa Dei querela apud Ieremiam XXIX. 9. *Non mittebam eos, & ipſi currebant*. Ex quo ſubintelligendum relinquit Iudæis Paulus, ſe iuſſu & miſſu Dei prædicare etiam Gentibus Evangelium: ut paſſim conſtabat partim ex publica fama & teſtimonio Eccleſiæ, partim ex tot tantiſque miraculis, quibus miſſionem ſuam ubique probatam ac certam faciebat. Nam talibus quaſi ſigillis divinis ſolet miſſio præconum Evangelii, maxime ad novas provincias, cælitus comprobari, ut hac via fidem facilius inveniant, & adventus illorum gratior accidat. SICUT SCRIPTUM EST apud Iſaiam LII. 7. QUAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIUM, id eſt quam ſuavis, quam amœnus, quam gratus eſt adventus, diſcurſus, labores præconum Evangelii omnibus PACEM ET BONA omnis generis per Chriſtum nobis procurata, auditoribus ſuis afferentium! nempe remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, gratiam & dona Spiritus ſancti, curationem inſuper morborum *l* & aliorum defectuum, & tot alia beneficia corporalia, ſpiritualia, ſubinde teſtatiſſimis miraculis impertita.

V. 16. SED, ſi tam ſpecioſus, tam gratus eſt illorum adventus, cur NON OMNES credunt illis, & OBEDIUNT EVANGELIO? & cur maxime ex Iudæis tam pauci ad id inducuntur? conformiter querelæ *Iſaiæ*, QUIS, ſeu quotuſquiſque Iudæorum, CREDIDIT AUDITUI NOSTRO? id eſt, Evangelio quod nos Apoſtoli (nam in horum perſona loquitur Iſaias LIII. 1.) ex ore Chriſti audivimus, & Iudæi viciſſim ex ore noſtro audierunt; quaſi dicat: Pauci admodum Iudæi credunt & obediunt evangelio. Sed unde hoc ipſis malum?

V. 17. FIDES, ut ex dictis *m* conſtat, naſcitur EX AUDITU, ſeu ex Evangelio audito *n*: *Auditur autem Evangelium* PER VERBUM CHRISTI, id eſt per prædicationem de Chriſto, quæ commiſſa eſt Apoſtolis & aliis Apoſtolicis viris.

V. 18. SED an hæc prædicatio defuit Iudæis? an tot iam continuis annis NON illam AUDIERUNT, partim ex ore ipſiuſmet Chriſti: partim ex ore Apoſtolorum & aliorum præconum Evangelii? aut forte SONUS EORUM, qui ad ultimos uſque FINES ORBIS TERRAE penetravit (quod enim David *o* de *cælis* ad litteram dixerat, Paulus allegorice applicat præconibus Evangelii:) ſolos latet Iudæos? ita S. Chryſoſt.

V. 19. SED, ſi latet; unde tanta *æmulatio*, invidia & *ira* Iudæorum (quam etiam Moyſes *p* prædixit) adverſus Gentiles occaſione Evangelii de Meſſia ipſis evulgati & ab ipſis acceptati? extreme enim indignantur id beneficii Gentilibus delatum, quos ob priſtinam idolomaniam vocant GENTEM INSIPIENTEM, immo NON GENTEM, ſeu nomine gentis indignam. An

qui

qui ob delatum aliis Evangelium tam graviter indignantur, ipſimet Evangelium non cognoverunt? Sed non latet hic cauſa incredulitatis Iudaicæ.

V. 20. ISAIAS AUTEM veram & genuinam cauſam (quam multi verentur attingere) palam & manifeſte AUDET in lucem proferre, nil veritus contribulium ſuorum offenſionem. Quare & ſerra ab ipſis diſſectum, ex certiſſima, (ut ait) Hebræorum traditione docet S. Hieron. Tertull. *q* & alii. Cauſam vero hanc affert Iſaias cap. LXV. ubi in perſona Chriſti exprobrat Iudæis, quod, cum Gentiles, QUI ante NON INTERROGABANT, NON *quærebant*, ſeu ME, ſeu de me, toti ſuis idolis intenti, ſimulatque per Apoſtolos meos ipſis PALAM APPARUI & innotui, mox ſumma aviditate & ſtudio *quæſierunt* ME (ita habet Iſaias) nec prius ceſſaverunt quam plane & perfecte INVENTUS SUM illis redemptor ac ſalvator. E contrario

V. 21. ISRAEL, *populus* tot nominibus meus, AD quem TOTA DIE EXPANDI eam has MANUS & ulnas MEAS, quem inſtar dilecti primogeniti mei arctiſſimo affectu ſemper complexus ſum, quem donis & beneficiis innumeris perpetuo proſecutus ſum, cui ſine menſura in ſinum congeſſi munera cæleſtia terreſtria, & quantas vellent opes, delicias, gloriam: quem ipſemet coram adii, docui & millenis miraculorum illecebris ad me pertrahere conatus ſum: ad quem denique etiam corporales has manus in ligno crucis expanſas quanta potui vi & caritate protendi, ut populum illum, etſi tortorem, carnificem & occiſorem meum, pro illo tamen ultro ac libentiſſime moriens, ad ſinum meum pellicerem, immo pertraherem; *populus*, inquam, hic meus nihil ad hæc omnia attendens, ſed mei, ſui, Deus oblitus incredibili pertinacia & obſtinatione permanſit in infidelitate & perfidia ſua, *nolens credere*, ſeu mihi, ſeu in me, ſeu aliis de me. Et quaſi hoc parum ipſi eſſet, inſuper etiam palam & ubique mihi meiſque ſe opponit, & in omnibus *contradicit*, non modo verbis, ſed & ſæviſſimis ſuppliciis ac tormentis, quibus me meoſque ſervos ac filios indigniſſime perſequitur in dies. Hæc eius perfidia & obſtinatio cauſa eſt præſentis incredulitatis, & per conſequens perditionis & exitii illius: ita fere Origenes, Chryſoſt. Ambroſ. & plures alii.

(a) Matth. v. 20. 23. &c.
(b) Hic verſ. 3.
(c) Levit. XVIII. 5.
(d) Actor. v. 10.
(e) Deut. XXX. 11.
(f) Rom. IV. 3.
(h) Rom. I. 16.
(i) Ierem. XII. 16. Amos VIII. 14. & Sophoniæ I. 5.
(k) Rom. XI. 13. Iſa. ſupr. Ioel. II. 32.
(l) Marci ult. 18.
(m) Hic verſ. 14.
(n) Verſ. 16.
(o) Pſal. XVIII. 5.
(p) Deuter. XXXII. 21.
(q) Hieron. Lib. XV. in Iſaiam in fine. Tertull. Lib. III. carminum contra Marcion.
(r) Exodi IV. 22.

GORDONI.

Verſ. I. FRATRES. Amorem in fratres oſtendit, dum orat pro eorum ſalute, & dolet de exitio: ſic bonus paſtor ſuis placere ſtudet. VOLUNTAS CORDIS, eſt propenſus animi affectus.

V. 2. TESTIMONIUM; quaſi diceret: Zelum quidem legis habent, ſed non agunt prudenter dum negligunt quod habet veram legem, & Dei fidem. Recte quidem dixit non ſecundum ſcientiam, cum gratiam Chriſti impugnent, & negent beneficia Meſſiæ eſſe communia gentibus. Impius hic zelus eſt, ut certe & gentium & Sectariorum.

V. 3. IGNORANTES ENIM. Sectantes iuſtitiam ex lege & viribus naturæ non obediunt veræ iuſtitiæ, quæ eſt in fide Chriſti & obedientia mandatorum. Hoc loco abutuntur Sectarii Calviniani: ſane non reprehenduntur hic Iudæi quod nitantur propria iuſtitia eo modo quo docent Theologi Chriſtianos habere propriam & inhærentem iuſtitiam. Iam dixi quæ fuerit propria iuſtitia Iudæorum: qui etiam addebant aliqua ex ſuis ritibus. Illa Catholicorum ita propria eſt uniuſcuiuſque, ut tamen ſit a Deo, ut docet Concilium Tridentinum agens de iuſtificatione impii. Quam vero ponunt Calviniani iuſtitiam, in conficta & nuda imputatione, nec Dei eſt iuſtitia, nec a Deo, ſed a cerebro Sectariorum: an non mendax eſt imputatio iuſtitiæ in eo in quo manent cum ſumma impietate peccata, & quomodo Deus talem iuſtum eſſe pronunciabat; quid prodeſt quæſo, imaginaria hæc

re-

relatio ad Chriſtum, ſi tu in teipſo manes iniuſtus? hic in omnem partem ſe vertit Sectarius, neque proficit hilum; ſolum cum aliud non habeat, in cauſa deſperata vomit calumnias.

V. 4. Finis enim legis. Reddit rationem illius quod dixit verſ. 3. *Ignorantes iuſtitiam Dei*. Ignorabant, quia ſcire debebant Chriſtum eſſe finem legis. Hoc varie exponitur. Intelligo vero eſſe finem legis non ſolum, quia vetera erant ut apparatus ad legem Chriſtianam (ubi ceſſabant vetera) ſed quia Chriſtus erat per quem lex vere impletur, iuvante eius gratia; & acquiritur vera iuſtitia credendo in eum ut oportet. Hinc Chriſto ſerviebat lex tota, data ut ad eum manuduceret homines, & afferret ſanandos: ſic ergo Iudæi ignorabant iuſtitiam Dei, ignorantes conſummatorem.

V. 5. Moses enim. Scriptum eſt Levit. xviii. 5. *qui fecerit iuſtum quod lege præcipitur, vivet optima vita*. Addit alium Scripturæ locum ex Deuteronom. cap. xxx. 11. unde deducit poſſe ſervari legem & iuſtum quod ibi præcipitur, nempe per Chriſtum, & fidem in eum: quod Paulus hic verſ. 11. probat ex verbis Ioel capite II. verſ. 32. *Omnis qui credit*, &c. Ad quod ſpectat locus Iſaiæ xxviii. 16. & illud iam explicatum hic verſ. 4. Chriſtum eſſe finem legis per quem lex impletur. Ex quibus tandem hæc fiet collectio: ſi ex legis obſervatione & iuſtitia pendet vita, & lex iſta non ſervatur niſi per fidem in Chriſtum; ſequitur ad ſalutem & vitam obtinendam neceſſariam eſſe fidem in Chriſtum. Et ex hoc ſenſu optime efficitur quod verſ. 4 propoſuit, Chriſtum eſſe legis finem & conſummatorem, ut perfecte obſervetur; & ex eius fide pendere ſalutem.

V. 6. & 8. Hoc tantum his duobus verſibus addendum: probari facilem nunc eſſe legis obſervationem, revelato tandem & præſente Meſſia, quem hic prædicat Paulus: & præterea obſervationem legis eſſe neceſſariam ad ſalutem. Et hoc quidem docet Paulus verſ. 5. Illud vero verſ. 6. & deinceps. Atque hæc quidem omnia belle novitatis & falſæ doctrinæ auctores arguunt Calvinianos: ubi Paulus non tantum pronunciat, ſed etiam probat eorum de impoſſibili obſervatione legis & operibus doctrinam eſſe mendacem.

Solum hic inter Catholicos ſcriptores ſupereſſe poteſt quæſtio, quid ſint iuſtitia legis & iuſtitia fidei. Aliqui iuſtitiam quæ ex lege eſt, vocant eam quæ habetur ex legis cognitione, & non ex fide & gratia Chriſti: ac ſi dicas ex viribus naturæ ſervatam legem; & huic iuſtitiæ proponi vitam proſperam temporalem; ſic quidem conſurgit quædam antitheſis cum lege fidei. Alii cum Chryſoſtomo & Theophylacto intelligunt eſſe veram legis obſervationem, & cui reſpondet vita ſpiritualis & æterna. Immo Auguſtinus de ſpir. & lit. cap. xxix. hunc ſenſum etiam admittit. Et ſane magis videtur eſſe ex mente Pauli. Nec ſic ſtat ea antitheſis quæ eſt ſupra inſinuata inter iuſtitiam peculiarem legis & iuſtitiam Dei: & tamen aliquo modo poſſunt diſtingui, ita ut ſint una iuſtitia, ſed ex diverſa conſideratione dicatur iuſtitia legis prout habet legem pro objecto; Chriſti vero, prout eſt per Chriſtum: nec tamen difficile eſt tueri illam antitheſim.

V. 9. Quia si confitearis. Occurrit illis dubitationibus verſ. 6. & 7. *quis aſcendet? quis deſcendet?* quaſi dicat: Ne putes rem difficilem, paucis opus eſt, ſi credendo confitearis Chriſtum, ſalva res eſt. Hinc habent Sectarii ſi Paulum velint audire, fidem veram eſſe credere, & in aſſenſu, non in fiducia, illamque eſſe neceſſariam ad acquirendam iuſtitiam; & profeſſionem fidei valere ad iuſtitiam tum conſervandam, tum augendam. Hinc etiam habemus, non ſoli fidei tribui iuſtitiam & ſalutem: nam adiungit etiam confeſſionem. Nec fidei attribuit Scriptura iuſtitiam, niſi vel ut principio, vel ut habenti comites ſpem, caritatem & opera. Et quis credet Paulum hic ſoli credenti, quamvis flagitioſo promittere iuſtitiam. Pugnantia ſunt hæc; & plura requirit Paulus expreſſis verbis. Ridiculus porro eſt Novator, qui Catholicam fidem ait eſſe Dæmonum fidem, qui etiam credunt: ſed neſcit Dæmonem convictum evidentia rei credere ex demonſtratione, Catholicum ex revelatione: operatio denique fidei eſt ſupernaturalis, ut alia omittam.

V. 10. Corde creditur ad iustitiam. Senſus hic eſt: Syncero animo credendo pervenitur ad iuſtitiam: & qui per hanc viam perducitur ad iuſtitiam, debet adde-

re

Digitized by Google

re fidei ſuæ confeſſionem, ne iuſtitiam amittat. Hic ſeſe explicando intricant Sectarii novi, [& quicquid dicunt, puerile eſt. Recte hoc loco cor intellectum & voluntatem complectitur. Concurrere vero debet voluntas ad actum fidei, tum quia quod creditur eſt obſcurum & difficile, requirens imperium voluntatis; tum ut actus fidei iſto modo liber, reddatur voluntarius & meritorius.

V. 11. Dicit enim scriptura. Sententia hic propoſita petitur ex Iſaiæ cap. xxviii. Qui vere fidelis eſt, non confundetur: iam enim oſtendi verſ. 9. veram fidem non eſſe ſolam. Non confundetur, non fruſtrabitur.

V. 12. & 13. Non enim est distinctio. Quod dixit verſ. 11. *Omnis qui credit*, hic explicatione firmatur; ac ſi diceret: Ita verum de omnibus eſt, ut nec Iudæus nec Gentilis excipiatur: idemque roborat verſ. 13. ex Ioele cap. ii. 32. Hæc ita ſe habent, fides primum, deinde invocatio, poſtea impetratio ſalutis. Sermo eſt de invocatione ut oportet: ea enim eſt quæ redditur efficax.

V. 14. & 15. Quomodo ergo invocabunt, &c. Recte huius loci ſenſum videtur aſſecutus Vaſquez. Obiicitur difficultas contra id quod dictum eſt de invocatione, quam ſolvit verſ. 18. Quærit ergo quomodo invocabunt? Nam quæ ſubiicit, ſe mutuo conſequuntur & ſupponunt. Certe ut Gentes invocent, debent audiviſſe legitime miſſum, alioqui quomodo audient, intelligent & credent, ut poſſint invocare. Reſpondebit verſ. 18.

V. 15. & 16. Quam speciosi pedes. Auget quæſtionis difficultatem tum ex Iſaia, quod non credant auditui; tum quia non ſolum debet mitti prædicator, ſed etiam ſpecioſe, & legitima auctoritate, ne putetur lupus invadens ovile, ut faciunt hodie Sectarii. Et vero tota hæc gradatio eo ſpectat, ut ſciamus totum ſalutis negotium a Deo pendere, & eius miniſtris legitime miſſis, qui legationem obeunt pro Deo. Hinc ſane Ieremiæ xxiii. reprehenduntur falſi Prephetæ; *Currebant, & ego non mittebam eos.* Sic currunt Calviniani Sectarii abſque miſſionis ordinariæ vel extraordinariæ criterio. Et pete an ita ſit a Britannis, ubi Epiſcopi Calviniani negant eſſe veros miniſtros inter Novatores ſectarios per Gallias; & hi viciſſim in Gallia Anglicanos Epiſcopos vocant Antichriſtianos: ſic pugnant, qui ſemel a vero aberrant. Quis ſenſus ſit verborum Iſaiæ, dixi ex profeſſo ad loca hic citata.

V. 18. Numquid non audierunt. Reſpondet quæſtioni de qua v. 14. potuiſſe Gentes invocare, quia audiverunt, & inde habent auditum ad credendum; quaſi diceret, prædicationem gentibus nec defuiſſe, nec defuturam. Immo in omnem terram exibit ſonus eorum: nam eſt hic præteritum pro futuro. Verba ſunt ex Pſalm. xviii. 3. & 4. ubi de ſenſu horum verborum ad litteram. Hic autem ſenſu allegorico refert iſta verba ad Apoſtolos. At quomodo ſonus Apoſtolorum in omnem terram exivit? Sane citantur verba Prophetæ, qui ut diu ante Apoſtolos ſcripſit, cenſetur poſuiſſe præteritum: ſed quicquid ſit de phraſi prophetica vel enallage Hebraica, recte dicemus per ſynecdochen accipi magnam terræ partem pro tota.

V. 19. Numquid Israel non cognovit. Vox prædicantium Evangelium *exivit*, hoc eſt, ut expoſui, exibit ad gentes: nunc ait hoc etiam eſſe notum & denunciatum ipſis Iudæis, fore ut gentibus publicetur Evangelium: quod probat ex Moſe Deuter. xxxii 21. Ad aemulationem; quaſi diceret; Adeo favebo gentibus hac in parte, ut vos illis hoc bonum invideatis, & litis in iram ſeu invidiam. Ubi ſane Deus minatur graviter Iudæis, quos ob ingratitudinem caſtigandos denunciat, uti ibidem oſtendi. Hæc Paulus refert ad præſens inſtitutum: tanta bona conferet Deus gentibus in vocatione ad fidem, ut vos illi genti inſipienti, ſeu non genti invideatis: ſic, inquam, Apoſtolus verba illi Cantici, *Et in gente ſtulta irritabo eos*, interpretatur, oſtendens potuiſſe Iudæos cognoſcere futuram vocem Evangelii inter gentes aliquando.

V. 20. Audit et dicit. Locus eſt Iſaiæ lxv. 1. & 2 quem refert ſimiliter Apoſtolus ad futuram notitiam Evangelii inter gentes. Inventus, præteritum pro futuro. Additur verſ. 21. antitheſis de incredulitate Iudæorum. Totidem modis denunciatur gentium vocatio, & reprobatio Iudæorum, de qua nos ſupra.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

Deus quoſdam ex populo Iudaico gratuita ſua electione ſibi ſervavit, per fidem in Chriſtum ſalvandos, reliquis ob incredulitatem in ſua cæcitate iuxta Prophetarum vaticinia relictis, ac Gentibus in locum ipſorum ex gratuita Dei bonitate aſſumptis: quas monet Apoſtolus ne adverſus Iudæos glorientur: quodque Iudæi ad tempus deſerti tandem ad Chriſtum convertentur, exclamans ob divinæ ſapientiæ incomprehenſibilitatem.

1. DIco ergo: Numquid Deus repulit populum ſuum? Abſit.
Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham, de tribu
Beniamin: 2. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præ-
ſcivit. An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura: quem-
ad modum interpellat Deum adverſum Iſrael? 3. [a] Do-
mine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt:
& ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. 4.
Sed quid dicit illi divinum reſponſum? (b) Reliqui mihi
ſeptem millia virorum, * qui non curvaverunt genua ante Baal. 5. Sic ergo
& in hoc tempore †, reliquiæ * ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.
6. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gra-
tia. 7. Quid ergo? quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio
autem conſecuta eſt: ceteri vero excæcati ſunt: 8. ſicut ſcriptum eſt: (c)
Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut
non audiant, uſque in hodiernum diem. 9. Et David dicit: * (d) Fiat men-
ſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributio-
nem illis. 10. Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſem-
per incurva. 11. Dico ergo: Numquid ſic offenderunt ut caderent? Abſit.
Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus ut illos æmulentur. 12. Quod ſi de-
lictum illorum divitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium:
quanto magis plenitudo eorum? 13. Vobis enim dico Gentibus, * Quamdiu
quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, 14. ſi
quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos
ex illis. 15. Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: quæ aſſum-
ptio, niſi vita ex mortuis? 16. Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi
radix ſancta, & rami. 17. Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum
oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis olivæ fa-
ctus es, 18. noli gloriari adverſus ramos. Quod ſi gloriaris non tu radicem
portas, ſed radix te. 19. * Dices ergo: Fracti ſunt rami ut ego inſerar. 20.
Bene: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſa-
pere, ſed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte
nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos qui-
dem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſe-
ris in bonitate, alioquin & tu excideris. 23. Sed & illi, ſi non permanſe-
rint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere il-
los. 24. Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam in-
ſertus es in bonam olivam: quanto magis ii, qui ſecundum naturam inſeren-
tur ſuæ olivæ? 25. Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc, (ut non

ſitis vobiſipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec ple-
nitudo Gentium intraret, 26. & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret, ſicut ſcriptum
eſt: (*e*) Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Iacob. 27. Et
hoc illis a me teſtamentum; cum abſtulero peccata eorum. 28. Secundum E-
vangelium quidem inimici propter vos: ſecundum electionem autem, chariſ-
ſimi propter patres. 29. Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei. 30.
Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam
conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: 31. ita & iſti nunc non cre-
diderunt in veſtram miſericordiam, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. 32.
* Concluſit enim Deus omnia in incredulitate; ut omnium miſereatur. 33.
O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia
ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius! 34. (*f*) Quis enim cognovit ſen-
ſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? 35. Aut quis prior dedit illi, & re-
tribuetur ei? 36. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi
gloria in ſæcula. Amen.

(a) III. Reg. xix. 10. (b) III. Reg. xix. 18. (c) Iſa. v. 26. Matth. xiii. 14. Ioan. xii. 48. Act. xxviii. 26. (d) Pſal. lxviii. 23. (e) Iſa. lix. 20. (f) Sap. ix. 13. Iſa. xxx. 13. I. Cor. 2. 16.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Qui non curvaverunt genua ante Baal*. Non omittas has duas voculas *ante Baal*.

Verſ. 5. *Secundum electionem gratiæ*. Non ſubiicias *Dei*.

Verſ. 9. *Fiat menſa eorum in laqueum*. Non eſt hic inſerendum *coram ipſis*.

Verſ. 19. *Dices ergo: Fracti ſunt rami*. Retinendum eſt futurum *dices*, non ſubſtituendum præſens *dicis*.

Verſ. 32. *Concluſit enim Deus omnia incredulitate*. Correctores prætulerunt ablativum *incredulitate*, ei quam alii libri legunt accuſativo *incredulitatem*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 5. *Reliquiæ ſalvæ factæ ſunt*. Quidam libri & auctores omittunt *ſalvæ* conformiter Græco, & Syro, quaſi dicatur, aliqui facti ſunt reliqui: qua de re noſtræ Notationes. Supra ix. 27. memoraverat Apoſtolus reliquias ſalvas factas.

Notationes.

Verſ. 5. *Sic ergo* (*enim* o.) *&* (*nunc* o.) *in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ* (*Dei* o.) *ſalvæ factæ ſunt* (*fient* o.) τὸ *ſalvæ* nec a Græcis libris, nec a Græcis tractatoribus Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio legitur οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. Latini libri, conſentientibus expoſitoribus, Haymone, Anſelmo, Auctore Gloſſæ, Carenſi, Lombardo, Lyrano, Aquinate, Gorran, Brunone, Richelio, & aliis poſterioribus, plerique omnes habent. Porro unum Pariſienſes proferunt Ge. I. qui Græcis conformiter demat hunc in modum: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ ſunt*; cui ſi forte ex Græco correctus eſſe hoc loco, ut aliis exiſtimetur M. N. Hunnæi manuſcriptum L ſignatum adſtipulatur, quamquam addat *Dei* (*ſecundum electionem gratiæ Dei factæ ſunt*) quod alia bona ſcripta tanto conſenſu tollunt, quanto vulgaria legunt. Reperitur dictio *ſalvæ* apud Latinos Patres Ambroſium libri De Noe & Arca cap. v. & libri 2. De Iacob & vita beata cap. III. Hieronymum in fine lib. XVI. in Iſaiam, & in commentariis cap. II. Prophetiæ Michææ; Auguſtinum quæſt. 148. ſuper Geneſim, ſecunda quæſtione primi libri ad Simplicianum, & libri De patientia cap. 20: verum quia nihil ex locorum circumſtantiis intelligi poteſt, incertum relinquitur, an à Patribus ipſis lectum, an a Scribis poſtea adiectum ſit, qui in vetuſtis paſſim Auctoribus citata Scripturæ teſtimonia iuxta uſitatum legendi modum emendarunt, ita ut de Patrum lectione haud facile quid ſtatui poſſit, niſi quod ex præcedentibus, aut ſequentibus verbis colligatur, ea quæ ſæpenumero aliud a Patribus lectum fuiſſe, quam modo apud eos legatur, ſignificant. Exemplum quod ad præſentem locum faciat, adferamus: Libri II. De bono perſeverantiæ cap. XVIII., apud B.

Augu-

Auguſtinum legitur, in noſtra ſaltem quam Frobenius dedit editione: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt*: quæ vero paulo poſt ſequuntur Auguſtini verba luculentiſſime declarant, *ſalvæ* ab eo omiſſum fuiſſe: „ In hac ergo electione, ait, & in his „ reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ „ ſunt, voluit intelligi plebem, quam pro- „ pterea Deus non repulit, quia præſcivit: „ ac mox: " Præſcivit enim reliquias, quas „ ſecundum electionem gratiæ fuerat ipſe fa- „ cturus. „ Similiter in Origenis enarrationibus, & in Ambroſio adſcriptis commentariis, atque Proſperi libro De vocatione gentium primo, Cap. III. ant iuxta novam editionem X. adſcribitur *ſalvæ*: ſed qui horum verba diligenter excuſſerit, habebit, unde adiectitium eſſe ſuſpicetur. Quo circa nos, in his mediocritatis noſtræ ſcriptis non facile adſerimus, tametſi aliter a multis factum videamus, Patrum, aut Enarratorum pro lectionibus auctoritatem, niſi eorum ſimul tractationes ſuffragentur, vel ipſæ eorum per ſe lectiones aliis ... quæ a ſcribis mutatæ non eſſe haud difficulter dignoſcantur, ſi non alius adferendi modus innuat. Videri poſſit τὸ *ſalvæ* quod ſermo alioqui mutilus appareret hic aſſumptum, vel ex commentario, quemadmodum vocula *Dei*, quam Auctor Gloſſæ quam habemus ſcriptam, ſubaudit (non fruſtra enim hic ab enarratoribus ſalutis fit mentio, quamvis *ſalvæ* non legerint) vel ex Iſaiæ loco, quem IX. cap. ſuperiori citat Apoſtolus Rom. IX. 27. his noſtræ editionis verbis: *Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ, ſalvæ fient*: atque huc facere quod in quorundam Gloſſematicorum textibus legatur: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ fient*. Accedit quod, id quod Interpres duabus vocibus ſolet reddere, ſalvum facere, vel ſalvum fieri, aut eſſe, Apoſtolus ipſe unica ſemper exprimat σώζειν, vel σώζεσθαι, numquam σῶον ποιεῖν, vel σῶον γίνεσθαι, aut γεγονέναι. Claudius Guilliaudus, & Adamus Saſbout, ex iis quos expoſitionibus ſuis iunxerunt textibus, *ſalvæ* omiſerunt. Syri ſenſum dederunt huius lectionis: *Sic & in tempore hoc reliquiæ relictæ ſunt per electionem gratiæ*. In quem ſenſum accipi poſſit ſententia etiam lectio *ſalvæ*, ſi *ſalvæ factæ ſint*, intelligatur, remanſerunt, ſuperſtites ſunt. Hoc enim hoc loco vult Apoſtolus, quoſdam fuiſſe ex Iſraelitis, gratuita Dei electione, reliquos qui Chriſtum non reiecerint, quemadmodum Eliæ tempore reliquerat ſibi Deus qui non curvaverant genua Baal.

V. 13. *Quamdiu* (*& diu* o.) *quidem* (*enim* o.) *ego ſum Gentium Apoſtolus*. Quod Græce eſt ἐφ' ὅσον, hoc eſt, ſi verbum verbo reddatur, *ad quantum*, non ſolum ad tempus, ſed etiam ad rationem referri poteſt. Quare alii vertunt: *Quatenus ego quidem ſum Gentium Apoſtolus*. Ceterum vulgatæ editionis verſione & ratio datur intelligenda, quamquam non per modum rationis expreſſa: quemadmodum cum in Evangelio Matth. IX. 15. dicitur: *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus?*

V. 32. *Concluſit* (*Concludit* o.) *enim Deus* (*Dominus* 2. MS.) *omnia in incredulitatem*, (*incredulitate* 2. MS. *in credulitate* o.) *ut omnium miſereatur*. Græci, & Syrici libri cum Græcis tractatoribus Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylacto, & Oecumenio pro *omnia* legunt *omnes*; τοὺς πάντας habent Græci, idem Syrici & in priori & in poſteriori ſententiæ parte. Eumdem ad modum *omnes* legunt D. Hieronymus caput Michææ ſecundum exponens, & S. Auguſtinus libri 21. De civitate Dei cap. XVIII. Vulgatus Interpres facile pro πάντας legiſſe potuit πάντα, omiſſo articulo. Utriuſque ſenſus idem eſt, atque eius quod Interpres dedit vehementior. Id quod deinde ſequitur, *in incredulitatem*, multi codices ſexto caſu ſcribunt *in incredulitate*: verum illud ut Græco conſonat (εἰς ἀπείθειαν) ita in lectiſſimis eſt editionis noſtræ manuſcriptis Di o. I. Ge. o. Brug. Lob. Mil. O. E. Pl. m. & aliis. Hentenius id in textum retulit.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. 2. & 5. **N**UMQUID DEUS. Quia paulo ante viſus erat aſſerere receptis gentibus Iudæos abiectos, oſtendit primum ſuo exemplo nequaquam abiectum eſſe populum, quod ipſe de gente Iudæa Deo ſit acceptus. Et quia quibuſdam nequaquam ſufficiens argumentum videretur ob unicam ipſius perſonam, exemplum adfert Heliæ dicens: NON REPULIT DEUS PLEBEM SUAM QUAM PRAESCIVIT, Græce προέγνω, id eſt præcognovit: ut agnoſcendi verbo uramur pro eo quod eſt, acceptum habere, ſicut in Evangelio de ſuis ovibus Chriſtus ait: *Ego agnoſco meas*.

Digitized by Google

Sicut enim Helias dum viros Dei Iezabel perſequeretur ſe ſolum putabat relictum, ſed audivit tamen divinum reſponſum, ſupereſſe multos qui crederent, & relicta eſſe ſeptem virorum millia, qui idolum Baal non coluiſſent: ſic, inquit, in hoc tempore RELIQUIAE SECUNDUM ELECTIONEM GRATIAE DEI SALVAE FACTAE SUNT. Græca habent tantum λεῖμμα κατὰ ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν; id eſt, ſic & nunc ſunt reliquiæ ſecundum electionem; id eſt, ita & nunc ſuperant multi Iudæi electi per gratiam Dei. Ambroſius tamen, Auguſtinus & Origenes legunt cum noſtro interprete.

V. 6. SI AUTEM GRATIA, IAM NON EX OPERIBUS. Græce εἰ δὲ χάριτι; id eſt, ſi per gratiam electæ & ſalvæ factæ ſunt Iudæorum reliquiæ, iam non ex operibus. Origenes hoc loco intelligit de operibus legis dicens: Sciendum eſt, quia opera quæ Paulus repudiat & frequenter vituperat, non ſunt opera iuſtitiæ quæ mandantur in lege, ſed ea quibus gloriantur ii qui ſecundum carnem legem cuſtodiunt, id eſt vel circumciſio carnis, vel ſacrificiorum ritus, vel obſervatio ſabbatorum, & Neomeniarum: hæc & huiuſmodi ſunt opera ex quibus dicit neminem poſſe ſalvari, & de quibus hoc loco dicit, quia non ex operibus, alioqui gratia non eſt gratia. Certe ea videtur eſſe mens Pauli, qui tota epiſtola nihil aliud agat, niſi ut confidentiam in lege litteræ, & externis operibus tollat a Iudæis. Quod ſi viſum eſt & de aliis operibus intelligi, prout multi antiqui intelligunt; hunc tibi ſenſum ex Photio afferimus: cuius græca ſi voles lege: ait autem: Si per Dei gratiam eligimur, facile eſt ad Chriſtum accedere, & in illum credere, neque enim operibus indigemus, ut in illum credatur, & ad illum accurratur; ſed ſola ſufficit voluntas & electio: per gratiam enim ſuam non ex operibus nos aſſumit: quod ſi gratia ſua nos vocat & aſſumit, nequaquam eam in rem opus habemus operibus: hæc Photius. Ex quibus perſpicua eſt mens Pauli, quod videlicet ad illam Dei vocationem, utque in Chriſtum credatur, nullis opus eſt operibus præter unam voluntatem: ſic latro Evangelicus nullis operibus fidem præcedentibus eſt aſſumptus. Hoc eſt quod aliis verbis Auguſtinus, Proſper, Primaſius, & ceteri antiqui toties aſſerunt, nos ſola Dei gratia ſine operibus fidem præcedentibus iuſtificari: de quo vide peramplius argumentum noſtrum in epiſtolam ad Romanos.

V. 7. QUOD QUAEREBAT ISRAEL NON EST CONSECUTUS, ELECTIO AUTEM CONSECUTA EST; hoc eſt, non totus Iſrael ſalutem & gratiam conſecutus eſt, ſed *electio;* hoc eſt, ii qui ex Iudæis electi fuerant.

V. 8. DEDIT ILLI DEUS SPIRITUM COMPUNCTIONIS: hoc Græci ſic explicant, τὸ ἔδωκεν, μὴ ἐνέργειαν, ἀλλὰ συγχώρησιν νοεῖ; id eſt, τὸ dedit, non actionem effectionemque Dei ſignificat, ſed permiſſionem. Ubi autem habemus, *Spiritum compunctionis;* pro compunctionis, Hebræi legunt *tardema*, id eſt *ſoporis*, pro quo Septuaginta verterunt κατάνυξιν, id eſt *compunctionem*, quos ſecutus eſt Paulus ut ſere ſolet. Theodotio eeſtaſim vertit, id eſt mentis exceſſum. Aquila καταφορὰν, id eſt gravem ſomnum.

V. 11. UT CADERENT, id eſt ut præcipites ruerent nulla eum ſpe reſurgendi. Aliquando enim caſus pro totali lapſu ſumitur, ut Amos: *Quomodo, cecidit lucifer qui mane oriebatur.* SED ILLORUM DELICTO: id eſt, delictum Iudæorum occaſio fuit ſalutis gentilibus, quando illis Evangelium reiicientibus aſſumpti ſunt gentiles, UT ILLOS AEMULENTUR, Græce, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτοὺς, Noſter interpres retulit, τὸ αὐτοὺς, maſculinum ad τὰ ἔθνη, neutrum: quod aliquoties etiam facit Paulus; & tunc ſenſus eſt, ut illos æmulentur, ſcilicet Iudæi gentiles: cum converſionem gentium videntes, & ab ſeſe ad illos translatas promiſſiones, zelo quodam æmulationis ac bonæ invidiæ ad fidem convertantur. Mihi quoque videtur τὸ αὐτοὺς referri poſſe ad Iudæos, & τὸ παραζηλῶσαι, ſumi pro provocare & extimulare, referrique ad gentes; ut ſit ſenſus, ut gentes illos Iudæos provocent & extimulent ad ſe ſuamque fidem imitandum.

V. 12. QUOD SI DELICTUM; id eſt, quod ſi ex diminutione & abiectione Iudæorum ob ſua ſcelera, tantum divitiarum mundo, & tantum gentilibus commodum allatum eſt; quanto magis PLENITUDO EORUM divitiæ ſunt mundi & gentium, quanto uberiorem fructum mundus & gentes percipient, quando univerſus Iſrael credet? hoc eſt enim quod plenitudinem vocat.

V. 13.

V. 13. & 14. QUAMDIU QUIDEM. Gr. ἐφ᾽ ὅσον; id eſt vel quandiu, vel quatenus ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum, HONORIFICABO. Græci habent, δοξάζω, id eſt *honorifico*, vel *glorifico*, interpres legit in futuro δοξάσω, id eſt *honorificabo* vel *illuſtrabo*. MINISTERIUM MEUM, id eſt munus prædicandi Evangelii inter gentes: ut carnem meam provocem AD AEMULANDUM. Græce eſt, εἴπως παραζηλώσω], id eſt ſi quo modo carnem meam, Iudæos ſcilicet provocare poſſim ad æmulandum vos. Græci explicant *miniſterium meum honorifico*; id eſt, gentes mihi creditas laudo & commendo ex fide percepta: ut eorum laudibus aliquot ex Iudæis ad credendum excitatos & provocatos ſalvos faciam: potes videre Græca Veronæ impreſſa; poteſt quoque eſſe ſenſus, miniſterium meum honorificabo, id eſt creditum mihi munus honorifice peragam & tractabo.

V. 15. SI ENIM AMISSIO EORUM. Gr. ἀποβολή, id eſt abiectio eorum & reiectio; id eſt, ſi eorum abiectio per occaſionem reconciliatio fuit mundi, QUAE EST ASSUMPTIO NISI VITA EX MORTUIS? hoc eſt, ſi Iudæorum iactura reconciliationis fructum mundo attulit; quæ, id eſt qualis & quanta futura eſt illorum aſſumptio, *niſi vita ex mortuis*, id eſt res ſumme bona: ſic enim interpretatur Photius, ζωὴ γὰρ ἐκ νεκρῶν τότε ἔσαι, τοτέςι ἄπειρα ἀγαθά, id eſt *tunc erit vita ex mortuis*, hoc eſt, infinita bona & paulo poſt, Quidnam erit, inquit, illorum aſſumptio, niſi divitiæ multæ, niſi perfectum conſummatumque gaudium, quale futurum eſt in communi illa vita & reſurrectione? Oecumenius interpretatur, *niſi vita ex mortuis*, id eſt niſi quod vos per peccatum mortuos Deus aſſumens vivificabit? alii ad gentiles referunt hunc locum, ut ſit ſenſus, quantum fructus allatura eſt ipſis gentibus Iudæorum aſſumptio, quibus tantum profuit abiectio, niſi quod illis futurum eſt perinde, ac ſi quis mortuum ad vitam ſuſcitet, nimirum res ſumme bona.

V. 16. QUOD SI DELIBATIO. Græc. ἀπαρχή, quod ſignificat primitias fructuum & decimas Deo offerri ſolitas: delibationem autem hoc loco ſive ἀπαρχὴν, id eſt primitias vocat Apoſtolus ſanctos Patres & Patriarchas, probans illorum exemplo non eſſe Iudæos, modo velint, prorſus abiectos, idque metaphora ſumpta a frugibus. Si enim primitiæ ac decimæ, ſive delibatio, id eſt fruges, Deo delibatæ ac conſecratæ, ſanctæ ſunt, EST ET MASSA SANCTA, id eſt reliquum corpus ſanctum. Cum enim eiuſdem ſit naturæ corpus integrum cum ſuis partibus, ſi partes inde deſumptæ ſanctæ ſunt, nihil vetat, & totum corpus ſanctum eſſe: modo ne aliunde inquinetur. Sic & nihil vetat reliquos Iudæos ab illis ortos, ſanctos eſſe.

V. 17. & 18. QUOD SI ALIQUI, &c. Analogia oleæ & olivæ gentium faſtum retundit Paulus, germanam oleam ſive olivam faciens Iudæos ſicut Hieremias ait: Olivam uberem, pulchram, fructiferam: ſponſam vocavit dominus nomen tuum, oleaſtrum autem gentilem populum, qui nihil dulcoris ex germana oliva habebat, priuſquam inſitus eſſet in radicem olivæ bonæ, id eſt fidem patrum ac patriarcharum. Ipſos ergo gentiles vetat gloriari, eo quod in bonam oleam inſiti ſunt, id eſt in locum Iudæorum aſſumpti, neque ſupra ſe efferri, ſed in timore conſiſtere; quoniam futurum ſit, ut ſi in fide non permanſerint, a bona olea reſecentur: Iudæi autem qui inde reſecti ſunt, fidem apprehendentes inſerantur, quia ſi is qui natura erat ramus oleaſtri, præter naturam ſuam in germanam olivam inſitus eſt, quanto magis Iudæi quod natura ſua de vera olea participiant, rurſus in eam inſeretur? Igitur NOLI GLORIARI ADVERSUS RAMOS, id eſt noli inſoleſcere adverſus Iudæos, qui exciderunt a vera olea, id eſt fide patrum, cui tu es inſitus, quod ſi gloriaris te aſſumptum a Deo, NON TU RADICEM PORTAS, SED RADIX TE; id eſt, non tu fide tua ſtas, qui nullam habebas, ſed fide patrum quæ te portat ac fecit ſubſiſtere.

V. 21. SI ENIM DEUS NATURALIBUS RAMIS NON PEPERCIT. Aut hic per elipſim deeſt τὸ vide ſcilicet, vide ne forte nec tibi parcat, aut Græc. γὰρ, id eſt *enim* abundat, quomodo ſæpe Græcis παρέλκει, & tunc ſenſus eſt: Noli altum ſapere, Græc. μὴ ὑψηλοφρόνει; id eſt, ne inſoleſcas, neve elato ſis animo, ſed time: ſi Deus naturalibus ramis, id eſt Iudæis non pepercit, ne forte, vel ne quando (ut eſt Græce μήπως) nec tibi parcat.

V. 24. II QUI SECUNDUM NATURAM. Gr.

οἱ κατὰ

οἱ κατὰ φύσιν, id eſt naturales: ſcilicet rami inſerentur ſuæ olivæ?

V. 25. DONEC PLENITUDO, id eſt non in omnem Iſrael, ſed in partem tantum cæcitas contigit, & induratio: neque in perpetuum, ſed quouſque PLENITUDO GENTIUM *intraverit*, id eſt gentiles omnes crediderint, & omnis Iſrael ſalvus fiat, ſitque unum ovile & unus paſtor.

V. 27. ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTUM. Hoc loco pro teſtamento Septuaginta verterunt *διαθήκη*, quod non modo ſignificat teſtamentum, ſed fœdus & pactum, quæ magis hoc loco quadrant. Nam Hebræi habent *berit*, id eſt *fœdus meum*: & hoc modo ſenſus eſt, & hoc ego cum illis paciſcor.

V. 28. & 29. SECUNDUM EVANGELIUM. Hic locus unus eſt ex anapodotis Pauli; neque enim eſt verbum quo referatur *τὸ* inimici, niſi ſubintelligamus ſunt: vult autem hoc loco Paulus, quod licet quantum attinet ad neglectum Iudæis evangelium, inimici facti ſunt Deo propter gentiles, ut ſcilicet illis neglectis gentiles aſſumerentur, tamen PROPTER PATRES; id eſt, ratione promiſſionis factæ patribus chariſſimi ſunt Deo Iudæi, quibus & promiſſa ſervabit: quia SINE POENITENTIA, Græc. *ἀμεταμέλητα*, ad verbum *impœnitibilia* SUNT DONA DEI ET VOCATIO, id eſt huiuſmodi, quod non eſt ſuper his ſententiam mutaturus Deus.

V. 29. & 30. SICUT ENIM ALIQUANDO. Libet hoc loco elegantem Photii explicationem vertere, cuius Græc. ex cod. Veron. require: ſic autem ait, Exhortatur iis verbis ad fidem Iudæos; ſimulque ſpem illis proponit egregiam, omnemque erubeſcenti tollit occaſionem. Ne erubeſcas, inquit, propterea quod incredulus fueris accedere: neque deſperes, ſi quidem tardius accedens miſericordiam conſequeris. Nam & gentes aliquando ad fidem vocatæ primum incredulæ perſtiterunt, nunc vero crediderunt tandem, neque ob priorem infidelitatem pudefactæ, neque ob ſerum ad ſalutem acceſſum præpeditæ quo minus occiderent. Nec tu ſimiliter habes Iudæe quod erubeſcas aut diffidas quidquam: tantum prompto animo ad fidem accede, & miſericordiam obtinebis. Quod vero ait, MISERICORDIAM CONSECUTI ESTIS PROPTER ILLORUM INFIDELITATEM, & paulo poſt, NON CREDIDERUNT IN VESTRAM MISERICORDIAM, non eſt intelligendum, quod Iudæorum infidelitas cauſa fuit miſericordiæ gentibus factæ: neque rurſus quod gentibus facta miſericordia, Iudæis cauſa fidelitatis extiterit: ſed ut oſtendat Deum numquam a ſuis operibus ceſſare, ac miſericordiam ubertim omnibus præſtare, nam & olim incredulæ fuerunt gentes, & nunc infideles Iudæi: neque tamen interim benefacere & miſericordem ſe ceſſat exhibere Deus: hæc Photius: iis autem verbis tum Iudæorum conſolandorum gratia utitur Paulus, tum etiam ob gentes ne inſolentius ſe gerant, quod abiectis Iudæis ipſi crediderint: miſericordiæ, ſcilicet Dei eſſe quod crediderint: futurum autem aliquando, ut increduli nunc Iudæi miſericordiam conſequantur, & credant: qui ut inquit Paulus, *nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam*. Græc. hab. *ὅτι καὶ νῦν ἠπείθησαν τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει*, quod verti poteſt; *increduli fuerunt ob veſtram miſericordiam*: ut reſpondeat ei quod præceſſit, *vos miſericordiam conſecuti eſtis propter illorum incredulitatem*, ita nunc & Iudæi increduli fuerunt propter veſtram miſericordiam: non quod miſericordia gentibus facta cauſa extiterit Iud. incredulitatis, ſicut neque infidelitas Iud. miſericordiæ gentibus præſtitæ, niſi ex occaſione, quod ſemper habere voluit Deus a quibus coleretur, & in quos beneficia ſua conferret. Sicut enim aliquando vocatis ad fidem gentibus, ſed illis vocationis ſuæ negligentibus aſſumpti ſunt in populum Dei, Hebræi, & miſericordiam conſecuti: rurſus in incredulitatem prolapſis Iudæis, per illius infidelitatis occaſionem ex ſola tamen bonitate Dei, miſericordiam gentes conſecutæ ſunt: ita, inquit Paulus, & tunc increduli fuerunt Iudæi propter, *Veſtram miſericordiam*, id eſt vobis miſericordiam conſecutis, ipſi permanſerunt increduli, non credentes miſericordiam vos potuiſſe conſequi: neque tamen propterea deſperata ſalus illorum eſt, ſi quidem diſpenſante Deo, per illorum tamen malitiam, increduli ipſi permanſerunt vobis miſericordiam conſecutis, UT ET IPSI MISERICORDIAM CONSEQUANTUR, ut ſcilicet tandem plene vobis credentibus, & ingreſſa gentium plenitudine, cum aperte vos miſericordiam conſecutos eſſe intelligant, & ipſi tandem conſequantur.

V. 32.

V. 32. Conclusit : permiſſive ſcilicet ſinendo eos in incredulitatem abire.

V. 33. Investigabiles, id eſt inſcrutabiles, ſive imperveſtigabiles, eſt enim Græc. *ἀνεξιχνίαστοι*, id eſt inveſtigabiles, atque ita puto vertiſſe interpretem, ſed librariorum errore prius in ſublatum.

S A.

Verſ. 2. Praescivit, id eſt prædeſtinavit. Auguſt. II. de Prædeſt. Elia, id eſt Eliæ hiſtoria. Interpellat. Syr. *invocat*.

V. 3. Suffoderunt, id eſt everterunt.

V. 6. Reliquiae, id eſt pauci quidam, ſeu quos Deus ſibi reliquit. Factae sunt; pro, fiunt, ſeu fient : quamquam Græc. non eſt *ſalvæ factæ:* nec Syr. ſed ſolum, *factæ ſunt*, ſcilicet manſerunt.

V. 6. Gratia. Ablativus eſt. Operibus, id eſt operum merito. Non est gratia. Hic additur Græc. & Syr. *Si autem ex operibus iam non eſt gratia, alioqui opus non eſt opus*; ſed videtur adiectitium.

V. 7. Ergo; ſcilicet dicendum. Quod, id eſt iuſtitiam quam. Electio, id eſt *electi*, Hebr.

V. 8. Compunctionis, ſcilicet doloris, quo pungerentur indignati contra Evangelium. Id ex LXX. Nam Hebr. *ſoporis*, ut nos legimus. Syr. *ſtupiditatis*. Vide Iſa. xxix. 6. Usque, &c. id a Paulo additum.

V. 9. Captionem; quaſi dicat, Quo capiantur. Et in retributionem; quaſi dicat, Idque eis pro ſuis peccatis retribuatur.

V. 10. Incurva, id eſt deprime; quaſi dicat, Humilia eos.

V. 11. Offenderunt, id eſt impegerunt. Salus est, ſcilicet conſecuta. Illos, ſcilicet Gentiles. Aemulentur, id eſt imitentur, ſcilicet Iudæi.

V. 12. Magis, ſcilicet profuerit.

V. 14. Aemulandum, id eſt imitandum. Carnem, id eſt cognatos, ſcilicet Iudæos.

V. 15. Amissio, id eſt reiectio, ſeu perditio. Assumptio, id eſt reſtitutio ſcilicet putanda eſt.

V. 16. Delibatio. Græc. *ἀπαρχή*, id eſt *primitiæ*. Intelligit vero Patriarchas. Massa, ſcilicet Iudæi, illorum poſteri.

V. 17. In illis, id eſt inter illos. Socius, id eſt particeps.

V. 18. Gloriari, id eſt efferri.

V. 20. Bene, id eſt ita quidem eſt. Altum sapere, id eſt ſuperbire.

V. 22. Bonitate, id eſt probitate; vel quaſi dicat, Non abutens tanta Dei bonitate.

V. 24. Secundum naturam, id eſt naturales ſunt rami.

V. 25. Mysterium, id eſt arcanum. Vobis ipsis, id eſt apud vos.

V. 26. Omnis, ſcilicet electus.

V. 27. Testamentum, id eſt pactum, ſcilicet impletum.

V. 28. Secundum, id eſt quod attinet. Propter vos, id eſt ut vos ea occaſione fidem reciperetis.

V. 29. Poenitentia, ſcilicet Dei; quaſi dicat, Non pœnitet Deum promiſſi.

V. 30. Propter; pro, per.

V. 31. In vestram; pro, in veſtri, id eſt ut miſericordiam conſequeremini. Gr. *veſtra miſericordiæ*, id eſt gratiæ vobis a Deo factæ; quaſi dicat, Fidem non receperunt.

V. 32. Conclusit, id eſt permiſit concludi. Omnia. Græc. *omnes*. Omnium, ſcilicet tam Gentilium, quam Iudæorum; quaſi dicat, Ut eſſet locus eius in omnes miſericordiæ.

V. 33. Altitudo, id eſt *profunditas*. Græc. *βάθος*. Investigabiles: a *veſtigo*. Vide Proverb. v. Epheſ. iii. quaſi dicat, Impenetrabiles.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. Numquid Deus repulit. Reſpondet tacitæ obiectioni, quoniam dixerat Gentes eſſe vocatas, Iudæos reiectos. Et alludit ad Samuelis verba, I. Reg. xii. 22. *Non relinquet Dominus populum ſuum:* ubi Sept. utuntur verbo *ἀπώσατο*, *repulit*, quo & hic Paulus. Chald. רחק *rahak*, *elongavit*, quo hic Syr.

V. 2. Quam praescivit, id eſt elegit, acceptam habuit iuxta illud: *Ego agnoſco meas*, ſcilicet oves, mihi placent. Non eam plebem Deus repulit.

V. 4. Reliqui mihi septem millia. Numerus finitus pro infinito & magno.

V. 5. Salvae factae sunt reliquiæ. Græce, *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ*

tiæ

Digitized by Google

tiæ factæ ſunt, id eſt reliquiæ remanſerunt Iudæorum: ſic Syr. & Expoſitores Græci. Noſtram tamen lectionem ſequitur Auguſtinus quæſt. CXLVIII. in Geneſ. Ambroſius Lib. de Noe & arca, cap. V. Hieronymus in fin. Lib. XVI. in Iſaiam. Sententia non diſcrepat.

V. 6. IAM NON EX OPERIBUS, ſcilicet legis datur gratia, de quibus tota Epiſtola agit, ſive abſolute non propter bona opera datur prima gratia.

V. 7. QUOD QUAEREBAT ISRAEL, ſcilicet ut omnes ſalvarentur, hoc non eſt conſecutus, ſed electio, id eſt pauci id obtinuerunt.

V. 8. SPIRITUM COMPUNCTIONIS. Κατανύξεως, alii *ſomnum*, alii *ecſtaſim* vertunt, id eſt mentis alienationem, aut torporem, ſcilicet torporem illis immiſit. Locus ex Iſai. XXIX. 10. Ideo plerique ſunt excæcati.

V. 9. FIAT MENSA, id eſt quæcumque in hac vita optant, in contrarium vertantur. ET IN RETRIBUTIONEM ILLIS, ſcilicet demeritorum & delictorum.

V. 10. DORSUM EORUM SEMPER INCURVA, Imperativus σύγκαμψον, non recta incedant.

V. 11. SIC OFFENDERUNT UT CADERENT: nulla ſcilicet ſpe reſurgendi. ABSIT. SED ILLORUM DELICTO. Iudæorum delictum occaſio fuit ſalutis Gentium, ut Iudæi Gentes æmulentur, & eo zelo tandem convertantur. Quod ſi eorum ob delictum Gentes ſalvæ factæ ſunt,

V. 12. QUANTO MAGIS. Multo erit mundo maior fructus, quando Iudæi convertentur.

V. 13. MINISTERIUM MEUM HONORIFICABO, id eſt laudabo Gentium converſionem, ſi forte Iudæi aliqui æmulentur & convertantur.

V. 14. SI QUOMODO AD AEMULANDUM PROVOCEM CARNEM MEAM, id eſt cognatos, Iudæos, ut & ipſi convertantur.

V. 15. NISI VITA EX MORTUIS? id eſt perinde erit mirabilis converſio Iudæorum, atque mortuorum ſuſcitatio.

V. 16. QUOD SI DELIBATIO. Græc. *primitiæ*, ſi bonæ ſunt, ET MASSA, id eſt acervus frugum. Primitias vocat Patriarcas.

V. 17. TU AUTEM CUM OLEASTER ESSES; id eſt, vos Gentes ante infrugiferæ, nunc inſerti in Eccleſiam eſtis frugiferæ. Oleaſtri furculus non inſeritur in truncum olivæ, ſed contra; neque fructus reſpondet trunco, ſed ramo inſerto. Non ergo comparatio in omnibus eſt ſimilis; in hoc tantum, quod ramus a trunco nutritur. INSERTUS EST IN ILLIS. Syr. *loco illorum*, ſcilicet ramorum qui fracti ſunt, nempe Iudæorum.

V. 21. NE FORTE NEC TIBI PARCAT. Supple, cave, ne ſuperbias.

V. 24. QUI SECUNDUM NATURAM, id eſt qui naturales olivæ rami ſunt.

V. 25. MYSTERIUM HOC. Nolo ut ignoretis illud eſſe, cecidiſſe Iſrael, ut Gentes converterentur, fore tamen ait, ut & Iudæi aliquando convertantur.

V. 27. ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTUM, id eſt pactum, hoc paciſcor, ſupple, cum Iudæis, quod fiet, CUM ABSTULERO PECCATA EORUM, id eſt eos convertero.

V. 28. SECUNDUM EVANGELIUM, id eſt; tempore Evangelii ſunt Iudæi inimici propter vos, id eſt ut vos intretis. At electionis futuræ tempore Iudæi dilecti erunt propter promiſſiones patribus factas. Auguſtinus de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. XVI. *Inimici, quia permiſit Deus, ut interficerent Chriſtum, & ſic redemptio in omnes redundaret*. Sed SECUNDUM ELECTIONEM, id eſt prædeſtinationem Amici propter patres, quia tandem convertentur, ſcilicet ob eorum merita, & factas illis promiſſiones.

V. 29. SINE POENITENTIA ſunt Dei dona. Non revocat Deus quod promiſit.

V. 31. IN VESTRAM MISERICORDIAM, id eſt ob veſtram miſericordiam non crediderunt Iudæi, ut ea occaſione veſtri miſereretur Deus. Aut nunc veſtri exemplo non crediderunt, ut aliquando idem cum illis fiat, illorum miſereatur Deus.

V. 33. O ALTITUDO. Epiphanius Hæreſ. LXXIII. ſentit hæc verba ſumpta ex illis Pſal. XXXV. 7. *Iudicia Dei abyſſus multa*. Quod ſequitur, QUAM INCOMPREHENSIBILIA, ex illis: *In mari viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis*, Pſ. LXXVI. 20.

V. 35. AUT QUIS PRIOR DEDIT ILLI: προέδωκεν. Ambroſius Lib. IV. de Fide, cap. VI. videtur legiſſe προσέδωκεν, id eſt *addidit*, aut προσέθηκεν: ait enim citato hoc loco: *Vides quia cui nihil addi poteſt, non diſpar a pleno eſt*.

V. 36.

V. 36. Et in ipso. Græc. *in ipſum*, id eſt propter ipſum ſunt omnia. Sic ad Galat. 1. 16. *Omnia per ipſum, & in ipſo, εἰς αὐτὸν*, id eſt *propter ipſum*. Ipse gloria in saecula: ſit ſcilicet Syr. *in ſæcula ſæculorum*: ſic Goth.

MENOCHII.

Verſ. 1. Dico ergo, &c. Dico, inquit, & quæro occaſione teſtimoniorum, quæ ex Moyſe, & Iſaia adduxij. Repulit populum suum: ut non fiat particeps benedictionis promiſſæ in Chriſto. Absit: non ita eſt, non omnino Deus populum ſuum reiecit. Nam et ego Israelita sum, &c. & tamen fidelis ſum, & Chriſtianus, quemadmodum & Apoſtoli, & multi alii ex Iudæis credentes: non ergo Deus repulit abſolute plebem ſuam.

V. 2. Quam praescivit: quam ſua æterna benevolentia complexus eſt; quam ab æterno decrevit ad ſe trahere, ſuamque facere. In Elia: de Elia, vel in rebus geſtis Eliæ, quæ ſcribuntur III. Reg. xix. Interpellat Deum adversum Israel: quaſi totus ad impietatem defeciſſet: τὸ *Interpellat* in Græco eſt, ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ, ad verbum diceremus, *Colloquitur cum Deo contra Iſrael*. Reſpondet phraſis Italica, *Ricorre a Dio, e ſi lamenta del popolo d' Iſraele*.

V. 3. Relictus sum solus: qui tibi adhæream. Quaerunt animam meam: vitam mihi tentant eripere.

V. 4. Reliqui mihi: mihi reſervavi. Non omnes defecerunt ad idola, ut tu exiſtimas, nam ſunt in Iſrael ſeptem virorum millia, qui genua non flexerunt ante Idola. Septem millia: numerus finitus pro indefinito, id eſt multa millia.

V. 5. In hoc tempore: promulgati Evangelii. Reliquiae: hoc eſt, pauci Iudæi credentes Chriſto; pauci, inquam, præ innumeris incredulis, ita ut ex tanta incredulitate, & clade videantur hic paucæ eſſe reliquiæ. Secundum electionem gratiae, id eſt per electionem Dei gratuitam. Salvae factae sunt; id eſt, reliqui ſunt, remanſerunt, ſervati ſunt molti qui Chriſti fidem reciperent.

V. 6. Si autem gratia, &c. occaſione eius quod proxime dixerat, *ſecundum electionem gratiæ*, iterum quod ſupra docuerat, inculcat, nimirum non ex lege, aut legis operibus fieri remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam coram Deo, ſed ex virtute Chriſti, quæ per fidem vivam applicatur nobis. Si autem gratia, τῇ *gratia*, eſt ablativi caſus, & ſenſus eſt: Si electio ex gratia facta eſt, non ergo ex operibus, id eſt non ex merito, & efficacia operum legis. Si enim gratia hoc modo data eſſet, non haberet rationem gratiæ, ſed potius mercedis.

V. 7. Quid ergo? ſupple, dicemus. Vel, ſenſus eſt, Quid ſequitur ex dictis? Quod quaerebat Israel, hoc non est consecutus. Senſus eſt; Iudæi iuſtitiam quærebant, & quærunt, ſed eam non ſunt aſſecuti, quia non quærunt quemadmodum oportet, quærunt enim ex operibus, cum illa ſolum' habeatur ex gratia. Electio, id eſt electi, reliquiæ populi electæ. Consecuta est: ex fide in Chriſtum. Ceteri vero excaecati sunt; id eſt, exceptis reliquiis ceteri Iudæi non ſolum deſerti, verum etiam ſua malitia excæcati ſunt, ut clarum Evangelii lumen non videant.

V. 8. Sicut scriptum est: Iſa. vi. 9. & xxix. 10. Dedit illis Deus: permittendo, deſerendo, & occaſiones obiiciendo bonas quidem in ſe, ſed quibus illi ſe magis indurarent, ſuo vitio, & culpa. Spiritum compunctionis: Iſa. xxix. 10. unde hæc ſcripta ſunt, habetur, *Spiritum ſoporis*, ſtuporis nimirum, cæcitatis, & pertinaciæ. In Græco autem tam apud LXX. quam apud Paulum hoc loco, pro *ſoporis*, eſt κατανύξεως, *compunctionis*: eſt autem κατανύσσειν, unde κατάνυξις derivatur, pungendo penetrare, compungere, veluti aculeis, aut acu. Videtur voce κατανύξεως cæcitas ſignificari; quaſi dicat, Oculos illorum ita cæcitate captos, ac ſi acu compuncti videndi facultatem amiſiſſent. Usque in hodiernum diem, id eſt ex quo tempore Chriſtus advenit, uſque in præſens.

V. 9. Et David dicit: Pſal. lxviii. 23. Fiat mensa eorum. Menſa ſpiritualis animæ, ſcilicet menſa legis Dei, & ſacræ Scripturæ fiet illis in laqueum, &c. per modum enim imprecationis prædicit mala quæ eventura erant Iudæis ob eorum peccata, & ingratitudinem. In laqueum,

UM, ET IN CAPTIONEM: in exitium, ut ſcilicet iuſto Dei iudicio, quia ea abuſi ſunt, & quia ex ea Chriſtum agnoſcere noluerunt, iam inde mortem, & excæcationem vitio ſuo petant, unde vitam & lumen captare potuiſſent. IN SCANDALUM: in occaſionem ruinæ. IN RETRIBUTIONEM: qua illis malorum quæ fecerunt debita pœna rependatur.

V. 10. OBSCURENTUR OCULI EORUM NE VIDEANT; id eſt, mens eorum ſubtractione tui luminis ita obtenebretur, ut recto iudicio privati claram, ac præſentem veritatem non agnoſcant. DORSUM EORUM SEMPER INCURVA: nihil cœleſte ſapiant, ſed animo, ac deſiderio ſemper terram ſpectent, res terrenas quærant, ac deſiderent: contra quam veri Chriſtiani faciunt, quorum converſatio in cælis eſt, dum ea quæ ſurſum ſunt quærunt ac ſapiunt, non quæ ſuper terram.

V. 11. DICO ERGO, &c. Senſus eſt, ſi ceteri excæcati ſunt, & impletum eſt quod prædictum erat per Moyſem, & David, & Iſaiam de populi excæcatione, & incredulitate, inferemus ne ex his, & dicemus, ergo Iudæi iſti ſic offenderunt, ut caderent ſine ulla ſpe reſurgendi, & ſe ad bonam frugem revocandi? ABSIT: non ita eſt, neque enim omnino populum Iudaicum Deus abiecit, ſed reliquias ſibi inde ſervavit, ac ceterorum caſu ad tempus uti voluit, tamquam occaſione converſionis, & ſalutis gentium. SED ILLORUM DELICTO: per delictum, ruinam, & lapſum Iudæorum. SALUS EST GENTIBUS; id eſt, Gentes ad ſalutem, & iuſtitiam vocavit. UT ILLOS AEMULENTUR: dum enim Gentes ad fidem vocat, Iudæos ad æmulationem, hoc eſt, admirationem provocat, ut qui videant promiſſa Patribus ſuis facta, & a ſe neglecta, transferri ad Gentes.

V. 12. QUOD SI DELICTUM ILLORUM, &c. ſi delictum ſive lapſus Iudæorum per occaſionem ceſſit, ac redundavit in ſpirituales mundi divitias, hoc eſt in ſalutem copioſe præſtitam Gentibus toto orbe diffuſis. ET DIMINUTIO EORUM, &c. id eſt, ſi ceſſit ad multitudinem Gentium convertendam Iudæorum abiectio, quo factum eſt, ut tam pauci ex illis fidem ſuſciperent, ceteris incredulitate cæcatis. QUANTO MAGIS PLENITUDO EORUM: ſupple, divitiæ Gentium erant; cum videlicet plena eorum multitudo, atque univerſus Iſrael in fine mundi credet Chriſto, ditabitque Gentes, & provocabit ad ſe imitandum.

V. 13. VOBIS ENIM DICO GENTIBUS, &c. Commendaverat Evangelii prædicationem Gentibus factam, per quam ipſæ divitias magnas erant conſecutæ; nunc cauſam affert cur hac uſus commendatione, ut ſcilicet ſuum miniſterium honorificet, non ad inanem gloriam, ſed ad utilitatem populi ſui Iudaici. QUANDIU SUM GENTIBUS APOSTOLUS: quamdiu ero veſter Apoſtolus. MINISTERIUM MEUM: Apoſtolatus, & prædicationis ad Gentes.

V. 14. SI QUO MODO: inſinuat Iudæorum obſtinationem, & pertinaciam. AD AEMULATIONEM PROVOCEM: ut provocem Iudæos ad quamdam ſalutarem invidiam, & æmulationem veſtri, ut hoc ſtimulo excitati divitias haſce ſpirituales appetant, & per Evangelium eas conſequantur. CARNEM MEAM: iudæos ſignificat, quibus cognatione carnis coniunctus erat. ALIQUOS EX ILLIS. Dicit *aliquos* ſciens ſuo tempore non futurum, ut admodum multi converterentur, plenitudine in aliud tempus reſervata.

V. 15. SI ENIM AMISSIO, &c. quaſi dicat: Si Iudæorum incredulitas, & abiectio Gentibus, & univerſo orbi attulit occaſionem reconciliationis, quia videlicet a Iudæis repulſa ad Gentes pertranſiit; quanta lætitiæ materia erit ſi etiam ipſi Iudæi rurſum aſſumantur ad fidem? videlicet perinde erit, ac ſi mortuus quis ad vitam revocetur.

V. 16. QUOD SI MASSA, &c. Probat etiam Iudæos poſſe ad fidem converti; gratiam Evangelii accipere, & ſanctos eſſe; ſi primitiæ, & delibatio maſſæ ſancta eſt, profecto & tota ipſa maſſa, quæ eiuſdem eſt naturæ cum delibatione ſancta erit; quaſi dicat: Apoſtoli, & Diſcipuli Domini, qui ſunt veluti primitiæ, & delibatio Evangelium amplexi ſunt, ergo id etiam poterunt alii Iudæi. Alludit Apoſtolus ad legem Num. XV. 20. quam vide. ET SI RADIX SANCTA, ET RAMI. Si Patriarchæ, ex quibus velut ex radice proceſſit arbor Iudaici populi, ſancti ſunt; ipſa etiam arbor cum ramis ſuis, id eſt populus Iudaicus ſanctus erit, aut eſſe poterit.

V. 17. ALIQUI EX RAMIS: ex Iudæis. FRACTI SUNT: a radice, aut ab arbore

ſunt

ſunt revulſi, ſcilicet a fide, & iuſtitia ſuorum parentum exciderunt, eo quod fidem quam in Chriſtum venturum habuerunt, in eum venientem abiecerunt. Pendet ſenſus ex ſequentibus. Tu autem: o popule Gentilis. Cum oleaster esses, id eſt populus profanus, & infidelis, ex profanis, infidelibus oriundus. Insertus es in illis: nuper inſitus es inter olivæ ramos in arbore manentes. Et socius radicis, &c. & factus es particeps fidei, gratiæ, & pinguedinis Spiritus ſancti, quam Iudæorum parentes habuerunt, præſertim Abraham pater credentium, eiuſque poſteri, qui fuerunt Eccleſia Dei, hæc enim eſt oliva.

V. 18. Noli gloriari adversus ramos: iam fractos, ſcilicet contra Iudæos incredulos. Quod si gloriaris: ſi te iactas, & Iudæo infideli inſultas. Non tu radicem portas, &c. reſpondebitur, & dicetur tibi te tantum inſertum eſſe radici, hoc eſt, fidei & Eccleſiæ ſanctorum Patriarcharum, & Apoſtolorum, qui omnes Iudæi fuerunt, ab eaque te omnem gloriam nactum fuiſſe, & utilitatem ſuxiſſe, idque gratis, ideoque rurſum exſcindi poſſe, ut rami naturales, id eſt Iudæi, ob ſuperbiam effracti, & evulſi ſunt.

V. 19. Fracti sunt rami, ut ego inserar; quaſi dicat: Fracti ſunt, & reiecti Iudæi ab Eccleſia, unde factum eſt, ut ego Gentilis Iudæorum loco *illi* aggregarer, & infererer.

V. 20. Bene, &c. recte dicis; probo quod dicis, ſed ſcito quod propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide stas, id eſt inſertus es oleæ propter fidem. Noli altum sapere: noli ſuperbire. Sed time: ne ſcilicet per infidelitatem ab ea excidas, ſicut illi exciderunt.

V. 21. Naturalibus ramis: Iudæis. Non pepercit: ſed expulit a ſua Eccleſia, amicitia, & ſalute. Ne forte nec tibi, &c. tibi Gentili inſititio non parcat, ſi in fidem, aut Chriſtianam vitam pecces.

V. 22. Si remanseris in bonitate; id eſt, ſi digne vixeris illa bonitate, & benignitate, quam Deus tibi exhibuit.

V. 23. Inserentur: olivæ.

V. 24. Contra naturam: contra naturam tuæ originis cum eſſes oleaſter, etiam inſitus es in bonam olivam; vel potius ſenſus eſt, contra naturam, quia in inſitionibus ſurculus non ſequitur naturam trunci, ſed potius truncus ſequitur naturam inſiti ſurculi: hic autem in vocatione tua a gentiliſmo contrarium accidit, nam Chriſto inſitus naturam Chriſti, & eius mores induiſti contra naturam inſitionis. Inserentur suae olivae: iterum eidem ſuæ olivæ inſerentur, ſic ut inſiti coaleſcant.

V. 25. Nolo enim vos ignorare, &c. quaſi dicat, Hoc dico, ne in ſuperbiam erigamini. Mysterium hoc: quod ſequitur. Vobis ipsis sapientes, id eſt ſuperbi, ſapientia enim parit ſuperbiam: eſt metalepſis; niſi φρόνιμοι poſitum ſit pro φρόνημα ἔχοντες, eſt enim Græcis φρόνημα *elatus animus*, quod verius videtur. Ex parte, id eſt aliquibus. Donec plenitudo intraret: donec numerus eorum qui ex Gentibus crediturí ſunt, plene compleatur, & intret in ovile Chriſti.

V. 26. Et sic omnis Israel salvus fieret, id eſt pœne omnis, plurimi ſcilicet ex ſingulis tribubus in fine mundi convertentur, & ſalvi fient. Sicut scriptum est: Iſa. lix. 20. Veniet ex Sion: e gente Iudaica, atque ex ipſa regia ſtirpe Davidis. Qui eripiet impietatem a Iacob: qui auferat, & aboleat peccata Iſraelitarum; Chriſtus ſcilicet.

V. 27. Testamentum: fœdus quod cum illis feriam. Cum abstulero peccata eorum: in fine mundi per prædicationem Enoch, & Eliæ.

V. 28. Secundum Evangelium: cui adverſantur Iudæi. Inimici; ſcilicet ſunt Dei. Propter vos: ut vos, o Gentes, hac occaſione recipiatis prædicationem, & fidem. Urget, & repetit hoc Apoſtolus, ut Gentes beneficium Evangelii, ſibi occaſione Iudæorum praſtitum agnoſcant, ideoque illis, licet incredulis, non indignentur, ſed commiſereantur. Secundum electionem autem: qua Deus olim Iudæos in populum ſibi elegit. Charissimi propter patres: chariſſimi ſunt propter ſanctos Patriarchas patres eorum, quorum pietas, & fides ita Deo placuit, ut promiſerit ſe Deum fore ſeminis eorum poſt eos: Gen. xvii. 7. & Dan. iv. 37.

V. 29. Sine poenitentia: ἀμεταμέλητα; quaſi dicat, Impœnitibilia, immutabilia, id eſt talia quorum nec debeat pœnitere eum qui dedit aut promiſit. Dona, et vocatio Dei. Loquitur Apoſtolus de promiſſis, & vocatione quæ facta ſunt ab-

ſolute, & ſine conditione, hæc enim ſunt immutabilia.

V. 30. ET VOS: o Gentes. NON CREDIDISTI DEO: ἠπειθήσατε τῷ θεῷ, *increduli fuiſtis Deo*: plus eſt incredulum eſſe, quam non credere, nam incredulitas ſignificat pertinaciam non credendi etiam viſis, vel auditis idoneis documentis. PROPTER INCREDULITATEM EORUM; ſcilicet Iudæorum, in quorum locum inſerti eſtis in bonam olivam.

V. 31. ITA ET ISTI, ſcilicet Iudæi. NON CREDIDERUNT IN VESTRAM MISERICORDIAM: ut vos, o Gentes, ea occaſione miſericordiam prædicationis fidei, & gratiæ a Deo reciperetis. UT ET IPSI: Iudæi ſcilicet: MISERICORDIAM CONSEQUANTUR: ut ſcilicet veſtro exemplo provocati, maxime cum viderint plenitudinem Gentium intraſſe, credant in Chriſtum, atque ita miſericordiam, gratiam & gloriam conſequantur.

V. 32. CONCLUSIT ENIM DEUS, &c. id eſt; permiſit Deus concludi omnes ſub peccato, & ſub incredulitate. Apte utitur verbo, *concluſit*, quia peccator peccato, quaſi ſaxo, aut carcere clauditur, unde ſine Dei gratia egredi nequit. IN INCREDULITATE: εἰς ἀπείθειαν. Vide dicta verſ. 30. UT OMNIUM MISEREATUR: omnium nationum, tam Iudæorum, quam Gentilium.

V. 33. O ALTITUDO DIVITIARUM, &c. ὦ βάθος πλούτου, *o profundum divitiarum*; ſenſus eſt: O quam profunda, & humanis ſenſibus imperſcrutabiliis eſt copia, ſeu magnitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. INCOMPREHENSIBILIA: ἀνεξερεύνητα, *inſcrutabilia*. INVESTIGABILES VIAE EIUS, id eſt non veſtigabiles. Senſus eſt, rationes operum Dei non poſſe a quoquam penitus cognoſci.

V. 34. SENSUM DOMINI: cogitationes, & conſilia mentis divinæ. CONSILIARIUS EIUS: σύμβουλος, particeps, & conſcius conſiliorum Dei.

V. 35. AUT QUIS PRIOR DEDIT EI, &c. Hanc ſententiam videtur ſumpſiſſe Apoſtolus ex Lib. Iob cap. XLI. 2. ubi ait Dominus: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* Porro neminem Deo quidquam primo dediſſe, quod non acceperit ab eo, probat Apoſtolus ex ſequentibus, *Quoniam ex ipſo*, &c. ET RETRIBUETUR EI: quis prior Deo dedit, unde merito remunerationem expectet?

V. 36. QUONIAM EX IPSO, &c. nam ab ipſo tamquam auctore, ac per ipſum, quaſi conſervatorem, & cuſtodem omnia exiſtunt, & ad ipſum tamquam ad finem referuntur. Ipſi ſit gloria in ſæcula. Amen.

T I R I N I.

Verſ. 2. NON omnem PLEBEM SUAM Iudaicam REPULIT DEUS ab hereditate Patriarchis per Deum in Chriſto promiſſa: nempe non repulit eam gentis partem, QUAM ab æterno PRAESCIVIT & prævidit, Chriſti fidem & gratiam gratuito ſibi oblatam, ſponte ſua admiſſuram & complexuram, ſoreque fidelem: ita a Lapide.

V. 5. RELIQUIAE populi Iudaici; id eſt, pauci Iudæi credentes in Chriſtum, præ innumeris aliis qui increduli manſerunt, SECUNDUM ELECTIONEM GRATIAE, id eſt ex gratuita Dei electione, SALVAE FACTAE SUNT, id eſt iuſtificatæ ſunt. Non enim (ut bene notat idem a Lapide) agit hic Paulus de electione immediata ad gloriam, ſed neque ad primam gratiam excitantem, neque etiam ad finem: ſed de electione immediate ad iuſtitiam, eaque non abſoluta, ſed conditionata, ut ſupra *a* dixi. Unde huic electioni non repugnat conſenſus liberi arbitrii, eiuſque libera cooperatio, & gratiæ cælitus oblatæ acceptatio: ſed neque repugnat fides, pœnitentia, aliæque liberæ hominis diſpoſitiones ad iuſtificationem. Nam poſitis his omnibus, nullum adhuc meritum, nullum ius proprie dictum acquiritur homini ad iuſtitiam: ſed eſt meræ electionis Dei & meræ gratiæ, quod ſic diſpoſitos iuſtificet, non alios qui talibus diſpoſitionibus carent, ut diſerte docet alibi *b* Apoſtolus, & ex eo Tridentinum. Fides enim & pœnitentia, & reliqua iuſtificationi prævia, non ex ſua natura, vel naturali vi & efficacia, diſponunt ad iuſtitiam, ſed ex nuda electione, propoſito, voluntate & decreto Dei. Et ſic conciliantur diſſidentes in ſpeciem locutiones quorumdam SS. Patrum: nam S. Chryſoſtomus & fere reliqui Græci cauſam dant cur Deus hunc præ illo eligat ad iuſtitiam & ſalutem; dicunt quia hunc ſuæ gratiæ conſenſurum, cooperaturum, & ad iuſtitiam ſe diſpoſiturum prævidit, non illum. Sed S. Auguſtinus, & cum eo S.

Tho-

Digitized by Google

Thomas, & plerique Scholaſtici cauſam dant, quia Deus hunc gratuito elegit ad iuſtitiam, vel quia hunc gratis voluit iuſtificare, non illum. Utrumque enim verum eſt: nam & conſenſus liberi arbitrii, eiuſque cum gratia cooperatio prærequiritur tamquam diſpoſitio ad iuſtitiam: & tamen ea ipſa diſpoſitione poſita, nihil adhuc iuris proprie dicti acquiritur diſpoſito, ſed iuſtitia illi confertur ex gratuita voluntate & decreto Dei, quo ultro ex mera miſericordia, intuitu meritorum Chriſti, elegit ac promiſit, ſic diſpoſito iuſtificantem gratiam conferre præ alio non diſpoſito.

V. 6. SI AUTEM GRATIA, ſeu gratuita electione, *ſalvæ factæ*, ſeu iuſtificatæ, *ſunt reliquiæ* Iudaicæ: (iuſtificatio enim eſt inchoata ſalvatio, puta a peccatis, a dæmone, &c. quæ perficietur in gloria cæleſti: non igitur ſunt iuſtificatæ EX OPERIBUS, ſeu merito vel efficacia operum, legis ſuæ Moſaicæ, vel etiam legis naturæ, ut ipſi arbitrantur. ALIOQUIN GRATIA, id eſt iuſtificatio, quam conſtat eſſe gratuitam, IAM NON *eſſet* GRATIA, ſed merces, ut alibi *e* dictum.

V. 7. QUID ERGO ex dictis hucuſque concludemus? nempe quod ſequitur. QUAEREBAT, & etiamnum quærit ISRAEL (ſeu maior pars populi Iſraelitici,) iuſtitiam, ſed NON EST eam CONSECUTUS, quia non quærit ubi oportet & ſicut oportet: quærit enim ex merito ſolorum operum legis, cum quærere deberet ex meritis Chriſti, per fidem ſibi illa applicando, quam tamquam præviam diſpoſitionem & medium ad aſſequendam iuſtitiam neceſſarium, ab æterno ſtatuit, & pro ſuo beneplacito elegit ac decrevit Deus. Et quia hanc fidem amplexata eſt ELECTIO, id eſt pars illa minor populi Iudaici, quam iam dixi electam a Deo, ideo ipſa CONSECUTA EST iuſtitiam: CETERI VERO Iudæi, quia fidem admittere noluerunt *d*, a Deo deſerti & ſua malitia EXCAECATI SUNT.

V. 8. SICUT SCRIPTUM EST ab Iſaia, DEDIT ILLIS DEUS SPIRITUM COMPUNCTIONIS, ſeu compunctum; quaſi dicat: Oculi eorum ita cæcitate capti ſunt, ac ſi acu compuncti, videndi facultatem amiſiſſent. In Iſaia *e* vertit Interpres *ſpiritum ſoporis*; nam Hebræum *tharthema* ſignificat altiſſimum veternum, qui omnem oculorum & aurium ſenſum adimit, adeo UT NON VIDEANT, NEQUE AUDIANT: ita S. Cyprianus, Chryſoſt. cum ſuis, Iſidorus, Heſychius & a Lapide. *Ut* enim non ſignificat hic cauſam, ſed conſecutionem effectus. Quomodo vero Deus hæc facere dicatur, alias *f* expoſui. Ita

V. 9. DAVID quoque per modum imprecationis prædicit Pſalm. LXVIII. 23. MENSA ſpiritualis EORUM, nempe menſa legis & Scripturarum, quæ illos inſtar lautiſſimi epuli paſcere & oblectare ſolebat, nunc refractariis FIAT IN LAQUEUM ET CAPTIONEM *g*, id eſt in laqueum quo capiantur, in ruinam, in exitium: ET IN RETRIBUTIONEM, qua debita ſceleribus eorum pœna ipſis rependatur; quaſi dicat: Hanc habeant ſuæ pervicaciæ mercedem, ut qui ex SS. Scripturis Chriſtum ſuum nolunt agnoſcere, iam iiſdem magis offendantur, lædantur & excæcentur: ita Origenes, Anſelmus, Caietanus, Toletus.

V. 10. DORSUM EORUM SEMPER INCURVA; ut iam non cæleſtia vel divina, ſed ſolum terrena ſapiant, quærant, deſiderent.

V. 11. DICO ERGO per hæc antecacta, ſic offendiſſe & impegiſſe Iudæos, UT CADERENT ſine ſpe reſurgendi, & ſe ad bonam frugem revocandi? Nequaquam: nam veniet aliquando tempus, quo omnes reſipiſcent, nempe ſub finem mundi *h*. Interea reliquias ſibi aliquas ſervavit Deus; ceterorum vero DELICTO & caſu ad tempus uti voluit, tamquam occaſione converſionis & *ſalutis Gentilium*: UT Iudæi, videntes promiſſa ſibi bona & a ſe neglecta transferri ad Gentiles, pro zelo ILLOS *æmulentur* & imitentur.

V. 12. QUOD SI DELICTUM & lapſus Iudæorum, ET DIMINUTIO, id eſt minutus ſeu exiguus numerus credentium ex Iudæis reliquus, occaſio fuit *mundo*, id eſt, Gentilibus, tantorum bonorum, ut ſcilicet Evangelio, fide, gratia & iuſtitia ditarentur; QUANTO MAGIS profuerit iiſdem Gentilibus PLENITUDO *Iudæorum*[*], nempe quando omnes ſub finem mundi convertentur? Tunc enim potenti ſuo exemplo trahent ad ſe imitandos quotquot ſupererunt ex Gentibus infideles. Sic autem velim nunc quoque Gentilium exemplo trahi Iudæos ad Chriſtum. Et hac eſt cauſa cur ubique

V. 13. MINISTERIUM, ſeu munus Apoſtola-

Digitized by Google

ſtolatus mei & prædicationis ad Gentes, quanto poſſum opere *honorificem* & extollam, tum verbis, tum miraculis, & aliis quibuſcumque poſſibile eſt viis illud inſigne atque illuſtre reddam; nempe ut hoc quaſi ſtimulo excitem &

V. 14. AD AEMULANDUM ſplendorem ac dignitatem veſtram, PROVOCEM CARNEM MEAM, id eſt Iudæos, quibus ego carnali cognatione functus ſum; nempe ut velint etiam ipſi, veſtro exemplo provocati, ad Chriſtum ſe convertere, & iiſdem vobiſcum theſauris ditari.

V. 15. SI AMISSIO; Græce, ἀποβολὴ, id eſt abiectio, reiectio, reprobatio maioris partis *Iudæorum*, occaſio fuit *reconciliationis* reliqui MUNDI, id eſt Gentilium cum Deo; QUAE ASSUMPTIO, id eſt quantæ frugis, quanti gaudii erit, quando omnes Iudæi aſſumentur ad fidem Chriſti? NISI VITA EX MORTUIS; id eſt, numquid perinde erit ac ſi mundus, altera parte ſui ante mortuus, integre reviviſcat?

V. 16. SI DELIBATIO, &c. Probat, Iudæos non ita reiectos a Deo, quin aliquando convertendi ſint ad eum, nempe quia ſanctorum patrum filii ſunt, ac proinde etiam ipſi ſaltem morali quadam æſtimatione, & quaſi analogica ſanctitatis aſpergine ſancti ſunt, & Deo dicati ac conſecrati. *Si* enim *delibatio*; Græce ἀπαρχὴ id eſt primitiæ, id eſt pars prima delibata, ſeu deſumpta ex tota maſſa, SANCTA EST, Deoque dicata & conſecrata, puta Patriarchæ, Apoſtoli, & primi ex Iudæis Chriſtiani; ergo *&* iam tota MASSA populi Iudaici ſancta & ſanctificata cenſetur i: cuius ſanctificationis intuitu Deus illam aliquando ſibi vendicabit: ita S. Ambroſ. Anſelmus & alii. Nihil ergo hic pro Calvino, qui vult hinc concludi, infantes Chriſtianorum ita eſſe ſanctos, ut baptiſmo non egeant. Poſſet eodem iure probare, etiam adultos, etſi incredulos, Chriſtianorum filios, immo & Iudæos omnes modernos, eſſe ſanctos, quia ſanctorum parentum ſunt filii. Sed Apoſtolus non agit hic de ſanctitate proprie dicta, qua quis ſit iuſtus in ſe & amicus Deo, ſed de ſanctitate ſolum analogica & metaphorica, qua quid Deo conſecratur, & quaſi appropriatur. Sic locus, ſic pecunia, ſic veſtes dicatæ ſervitio divino dicuntur ſanctæ. Sic populus omnis Iudæus vocabatur ſanctus. Quin & coniux infidelis iunctus coniugi fideli ſanctus vocatur ab eodem S. Paulo. An talem etiam iuſtum & amicum Deo volet Calvinus?

V. 17. ALIQUI EX RAMIS arboris Iudaicæ e radice ſanctorum Patriarcharum exortæ, FRACTI SUNT, & ab arbore revulſi; id eſt, a iuſtitia & fide parentum ſuorum exciderunt, nempe poſteriores Iudæi, quia fidem quam in Meſſiam venturum habuerant, in eum iam adventantem & præſentem abiecerunt. In horum locum, TU populus Gentilis, CUM OLEASTER, ſeu ſilveſtris oliva, ESSES, id eſt populus profanus & infidelis, ex infidelibus oriundus, INSERTUS & inſitus ES inter olivæ reliquos ramos, nempe inter Apoſtolos & alios ex Iudæis ad Chriſtum converſos: ET FACTUS ES SOCIUS RADICIS ET PINGUEDINIS OLIVAE: particeps fidei, gratiæ & chariſmatum Spiritus ſancti, quæ Iudæorum parentes Abraham, Iſaac, Iacob & alii Patriarchæ habuerunt.

V. 20. TU AUTEM FIDE, id eſt per & propter fidem in Chriſtum, oleæ inſertus es, & in ea STAS ac perſiſtis: NOLI propterea ALTUM SAPERE, præſumere aut ſuperbire; SED TIME: fides enim, qua ramdici & oleæ inhæres, non ita te illi adglutinat, ut non poſſis iterum excidere.

V. 22. SI enim non PERMANSERIS IN BONITATE, ingratus tanto favori & benignitati tibi a Deo exhibitæ, etiam TU EXCIDERIS ex olea, id eſt Eccleſia Dei.

V. 23. SED ET Iudæi increduli, SI NON PERMANSERINT IN INCREDULITATE, INSERENTUR in oleam Eccleſiæ. Ex quibus S. Pauli ſententiis aperte convincitur: Primo, contra Calvinum, poſſe hominem excidere a gratia & fide. Secundo, contra quoſdam etiam Catholicos, perſeverantiam cauſam obiectivam eſſe electionis & prædeſtinationis abſolutæ ad ſalutem & gloriam. Tertio, de perſeverantia ſua neminem certum eſſe in hac vita, ut bene demonſtrat S. Auguſtinus k & alii Patres, & nos ſupra *l* docuimus.

V. 25. CAECITAS infidelitatis CONTIGIT EX PARTE IN ISRAEL, id eſt obvenit quibuſdam, immo pleriſque Iſraelitis, DONEC PLENITUDO GENTIUM, id eſt plenus numerus eorum qui ex Gentilibus credituri ſunt, INTRARET, ſeu intret in Eccleſiam & in ovile Chriſti.

V. 26.

Digitized by Google

V. 26. SIC autem, completo Gentilium converſorum numero, OMNIS ISRAEL, (id eſt omnes Iudæi, qui tunc ſupervivent,) SALVUS FIERET; græce, σωθήσεται, id eſt ſalvus erit, convertetur & ſalvabitur: ita Origenes, Hilarius *m*, Ambroſ. & Chryſoſt. cum quo S. Thom. Caietanus, Sotus & plures alii ſentiunt, omnes omnino Iudæos, etiam *Danitas* contribules Antichriſti, ipſo exſtincto convertendos ad veram fidem. SICUT SCRIPTUM EST apud Iſaiam *n*: VENIET EX SION, id eſt ex tribu Iuda & familia Davidica, quæ habitat in Sion, naſcetur Chriſtus, QUI IMPIETATEM omnem, (ergo & infidelitatem) AVERTAT ET ERIPIAT A IACOB, id eſt a poſteris Iacobi, ſeu Iſraelis. Et idem docet Malachias *o*.

V. 27. HOC ILLIS A ME TESTAMENTUM, ſeu fœdus eſt, quod iam pridem ipſis ſancte addixi, & ſuo tempore certiſſime complebo, CUM nempe ABSTULERO PECCATA EORUM, inchoate in primo Meſſiæ adventu, complete vero in fine mundi, ut docet præter ſupradictos etiam S. Auguſtinus *p*. Tunc enim ex utraque & Gentium & Iudæorum plenitudine conflabitur una, perfecta & plena Eccleſia Chriſti. Interea

V. 28. SECUNDUM EVANGELIUM, ſeu quantum attinet ad Chriſtum quem proponit Evangelium, ex hoc capite Iudæi ſunt INIMICI Dei, PROTER VOS, id eſt veſtro non malo, ſed bono, nempe ut vobis, o Gentiles, hac occaſione prædicetur Evangelium, inquit S. Ambroſius. SECUNDUM ELECTIONEM AUTEM, qua Iudæi olim in populum Dei ſelecti ſunt, CHARISSIMI accidunt Deo PROPTER PATRES ſuos, quorum intuitu complebit omnino Deus quod olim promiſit *q*, nempe, ſe filios eorum ſibi olim adiuncturum, ſaltem in fine mundi. Etſi enim filii eorum id non mereantur, propter ſuam tamen promiſſionem certo id complebit.

V. 19. SINE POENITENTIA ENIM SUNT DONA ET VOCATIO DEI: abſolute per ipſum, & ſine adiecta conditione aliquando facta. Græc. ἀμεταμέλητα, id eſt impœnitibilia, ſeu immutabilia, id eſt talia quorum nec debeat, nec velit, nec poſſit eum pœnitere. Hucuſque autem

V. 31. NON CREDIDERUNT Iudæi in Chriſtum, idque IN VESTRAM MISERICORDIAM; id eſt, ut vos, o Gentiles, ea occaſione miſericordiam prædicationis fidei & gratiæ, & in oleam inſitionis, a Deo conſequeremini: UT ET IPSI poſtmodum provocati veſtro exemplo, credant in Chriſtum, atque ita eamdem vobiſcum MISERICORDIAM, gratiam & gloriam CONSEQUANTUR.

V. 32. CONCLUSIT ENIM OMNIA, id eſt omnes homines (ut habet Græcus & Syrus,) permiſit concludi, DEUS *ſub* peccato *infidelitatis*, permittens ſucceſſive tam Iudæos quam reliquas omnes Gentes in infidelitatem delabi, eaque quaſi carcere concludi, ex quo ſine Dei gratia non poſſunt egredi aut exſolvi: UT ſic OMNIUM totius mundi nationum MISEREATUR, & glorioſam miſericordiam ſuam toti univerſo patefaciat. Miſericordia enim ſupponit miſeriam, in quam lapſus ſit is cuius quis miſeretur. Hanc concluſionem conformem iis quæ I. & II. capp. docuerat, ſubiungit hic Apoſtolus, ut hac ratione tam Gentes quam Iudæos humiliet, inter ſe concordes faciat, & divina beneficia magis illuſtret.

V. 33. O ALTITUDO DIVITIARUM; Græce, *ô profundum;* quaſi dicat: O abyſſalen profunditatem: primo, *divitiarum*, ſeu exuberantis theſauri miſericordiæ; ſecundo, SAPIENTIAE; tertio, SCIENTIAE DEI! Sic enim Græca diſtinguunt & Syra. QUAM INCOMPREHENSIBILIA; græce, *inſcrutabilia* SUNT IUDICIA EIUS, ET IMPERVESTIGABILES VIAE, id eſt conſilia, rationes, modi & cauſæ providentiæ, EIUS! Cum millenæ aliæ viæ ad manum illi eſſent, quibus poſſet omnium omnino excellentiſſime miſereri, etiam ſine cuiuſquam lapſu aut prævio peccato; hanc tamen viam inire voluit, qua præſciebat primo Gentiles, deinde etiam Iudæos in infidelitatem lapſuros, & in ea tot ſæculis continuaturos.

V. 34. & 35. QUIS ENIM COGNOVIT, aut cognoſcere poſſit, SENSUM hunc profundiſſimæ ſapientiæ divinæ? AUT QUIS CONSILIARIUS EIUS FUIT? Græce, σύμβουλος, id eſt conſcius arcanorum conſiliorum divinorum. AUT QUIS PRIOR aliquid ILLI DEDIT, quod ab ipſomet non acceperit, ratione cuius ipſe, uni præ altero obſtringatur

gatur

Digitized by Google

gatur, ſaltem ex gratitudine, hoc vel il lud genus honorum vel beneficiorum rependere? quaſi dicat: Nulli Deus ullo iure vel titulo obſtringitur, cum nihil ab ullo acceperit, quod prius non ipſemet donarit. Unde nec iniuſtitiæ, nec infidelitatis, nec ingratitudinis argui poteſt, ſi Gentiles prius infideles nunc illuminet, Iudæos prius fideles nunc excæcari permittat. Videtur Apoſtolus hanc ſententiam ex Iobo *r* deſumpſiſſe, ubi ſimili modo ait Deus, *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* Ergo nec iuſtorum merita ſunt apud Deum, inquit Calvinus. Sed negat ſequelam S. Auguſtinus *ſ*: *Debitor factus eſt Deus, non aliquid a nobis* prior *accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo nobis*, ut *dicamus ei, Redde quæ promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti*. Porro neminem Deo quippiam primo dediſſe, quod non ab eo acceperit, probat:

V. 36. QUONIAM EX IPSO, tamquam primore effectore: ET PER IPSUM, tamquam primum directorem (adde & mediatorem:) ET IN IPSO tamquam abyſſo omnis perfectionis; Græce eſt, *in ipſum*, ſupple, tamquam ultimum finem, SUNT OMNIA quæcumque habent verum Eſſe, inquit S. Thomas. Quæ attributa licet omnia conveniant ſingulis divinæ Trinitatis perſonis, tamen a S. Athanaſio, Baſilio *t*, Ambroſio, Hilario, Origene, Auguſtino, Grægor. *u* & aliis Patribus ac Doctoribus ſingulis, ut iam diſtinxi, appropriantur. Quod vero ſubiungitur, IPSI GLORIA, &c. indicat eſſentiæ divinæ unitatem. Et hoc S. Pauli exemplo, & communi Apoſtolorum uſu atque inſtitutione docet S. Baſilius, & ex eo Baronius, cœpiſſe in Eccleſia frequentari hanc SS. Trinitatis doxologiam, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Cui (teſtibus Patribus Concilii Vaſenſis) *x* Concilium magnum Nicenum ad retundendos Arianos, addidit, *Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen*.

(a) Rom. IX. 21. & 30.
(b) Rom. IV. 3. & 5. Trid. ſeſſ. V. & 6.
(c) Rom. IV. ſup.
(d) Rom. IX. 34.
(e) Iſaiæ VI. 9. & XXIX. 10.
(f) Exod. VII. 3. & Iſaiæ VI. 9.
(g) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 41.
(h) Hic verſ. 26.
(i) Num. XV. 20.
(K) Auguſt. Lib. XI. Civit. cap. XII.
(l) Rom. VIII. 39.
(m) Hilar. in Pſal. LVIII.
(n) Iſaiæ LII. 20.
(o) Malachiæ I. 5. &c.
(p) Auguſt. Lib. XX. Civit. cap. XXIX.
(q) Gen. XVII. 7. &c.
(r) Iob XLI. verſ. 2.
(ſ) Aug. de verbis Apoſtoli Serm. XVI.
(t) Baſil. Lib. de Sp. ſancto cap. V. 7. 26. & 27.
(u) Auguſt. Lib. de Trinit. cap. VI. & Lib. I. de Doctrina Chriſtiana. cap. V. Greg. Lib. XXIX. Moral. cap. XXVIII.
(x) Concilium Vaſenſ. cap. V.

GORDONI.

Verſ. 1. NUMQUID. Movet quæſtionem quæ ſequi videbatur ex fine capitis præcedentis an Deus reiecerit populum ſuum, ac ſi eſſet immemor omnium promiſſionum ſuarum per Prophetas. Reſpondet, μὴ γένοιτο, *abſit;* & varias ſubdit rationes, quibus probat non eſſe reiectum: ita tamen ut efficiat & concludat, nec totum eſſe reiectum, nec totum electum. Et primum profert ſeipſum qui Iſraelita eſt, non tamen reiectus: idem de aliis Apoſtolis dicere potuit. Pueriliter hic ratiocinantur novi Sectarii; Paulus non eſt reiectus: ergo omnes fideles ſunt certi de ſalute: & quid ſi Paulus de ſalute habuit revelationem? At ubi eſt revelatio de Calvino? Multa alia omitto quæ illis eſſent probanda, ſe eſſe fideles, ſola fide eſſe iuſtos, & iuſtum non poſſe deficere, quantumvis peccet.

V. 2. NON REPULIT DEUS PLEBEM. Intellige non repuliſſe omnem, ut iam dicebam. At quid eſt illud, QUAM PRAESCIVIT? Si hoc ita intelligas, non repulit, ſed vocavit vocatione prima ad fidem eos quos prævidebat ex ſe eſſe dignos; hoc, inquam Pelagianum eſt. Aliud eſt de ſecunda vocatione. Alius ſenſus eſt, quamvis præſcire ut plurimum ad reprobos referatur, tamen accipitur pro prædeſtinatione hoc loco, ex Auguſtino Libro II. de bono perſever. cap. XVIII. hoc ſenſu qui bonus eſt, non eſt intelligenda præſcientia conditionata, ſed abſoluta, & poſt decretum, ſeu viſionis, ut loquuntur Theologi.

V. 2. & 3. AN NESCITIS. Probat ex III. Reg. cap. XIX. 10. tempore Eliæ multos fuiſſe iuſtos, ac proinde non eſſe totum populum reprobatum. Sed de querela Eliæ & cæde

cæde Prophetarum dixi ad illum locum.

V. 4. Reliqui mihi. Non defecerunt ad idola, ſuperſunt ſeptem millia: finitus numerus pro indefinito: tale eſt divinum reſponſum, χρηματισμὸς. (Vide Matth. cap. II. verſ. 12.) locus eſt ex III. Reg. cap. XIX. 18. & quo abutuntur novi Sectarii, ut inde colligant Ecclesiam interdum eſſe inviſibilem: non putabat Propheta ſe eſſe ſolum: falluntur: nam ſolum ſe putat Elias ex prophetis: aliud eſt eſſe ſolum, aliud ſolum prophetare, & ſtare aperte pro domo Dei conrra Iezabelem. Compone porro tempora Eliæ cum regibus Iuda, & ſtatim occurret Ioſaphat, & multi fideles in Iuda & Beniamin.

V. 5. & 6. Sic ergo. Sicut tempore Eliæ, ita etiam nunc tempore Pauli ſunt reliquiæ ex Iudæis: & hi quoque ſalvi facti ſunt ſecundum electionem gratiæ, ſeu per electionem Dei gratuitam. Reliquiae, hoc eſt aliqui, pauci tamen. Quod ſi ex gratia electi ſunt a Deo; non ergo (inquit Paulus) ex eorum induſtria & operibus; alioqui electio non eſſet gratuita. Si autem gratia: τὸ gratia, ablativus caſus eſt. Sic ex occaſione reponit, & infert quod ſupra dixit, Non ex operibus. Hanc electionem non eſſe ex merito, ſed ex gratia, paſſim quoque oſtendit Auguſtinus ad Simplicianum quæſt. II. & de Prædeſtinatione cap. XVII. Negant itaque Catholici meritum eſſe primæ gratiæ: dari tamen merito gloriam pro confeſſo eſt. Dicet Sectarius, ſi ſalus eſt ex gratia, ergo non ex operibus; ergo nulla ſalus ex merito. Sed hallucinatur Novator iſte: nam ſalus illa quæ eſt in vocatione efficaci ad primam gratiam, & iuſtificationem impii, non eſt ex operibus aut merito noſtro. Et ſic optime ſtat oppoſitio inter gratiam & opera: quod contra Pelagianos docuit ſemper Eccleſia: At ſi conferatur opus cum incremento gratiæ, aut vita æterna, ſtat meritum, ut conſtanter etiam docet Eccleſia contra Sectarios novos. Lege Auguſtinum Serm. II. de verbis Domini. Sic etiam ſæpe docet Auguſtinus meritum non præcedere, ſed ſequi gratiam: & hæc merita ſeu opera ex gratia & promiſſo orta non pugnare cum gratia.

V. 7. Quid ergo. Quid ex his efficitur? Hoc ſane Iſrael ſeu Iudæi quærebant iuſtitiam, & eam non ſunt aſſecuti: quid ita? quia eam non quærebant ut oportebat. Non, inquam, ex fide Chriſti, ſed ex operibus legis & excæcati ſunt: atque hoc de maiore parte. Reliqui autem qui electi ſunt, & pars exigua, quærentes ex fide Chriſti ſalutem, ſunt aſſecuti iuſtitiam. Excæcatio hæc non eſt illata pure a Deo, quaſi ipſe plane excæcet: ſolum ob demerita privat efficaci lumine, & ſic tandem hærent in cæcitate.

V. 8. Sicut scriptum est. Iſai. VI. 9. vel Iſai. cap. XXIX. 10. Dedit illis Deus spiritum compunctionis, ac ſi compunctis oculis nihil viderent. Illo capite XXIX. eſt ſpiritus ſoporis, & κατανύξεως, apud Septuag. Dicitur autem datus hic ſpiritus a Deo, ut dicebam verſu 7. de excæcatione: idque etiam hodie præſente Meſſia: quamvis vero hæc quæ ſunt apud Paulum non ſint in Iſaia, tamen ſententia habetur Iſai. cap. XIX. 14. Iam dixi excæcationem hanc eſſe voluntariam. Nec efficiet umquam impietas Calvini, ut Deus aliquid contra ſuam bonitatem faciat.

V. 9. & 10. Et David dicit, fiat. Sunt hæc ex Pſal LXVIII. 23. quo loco & ſæpe alibi in Pſalmis dixi hæc & ſimilia verba non eſſe imprecatoria, ſed prophetica; ac ſi diceret, Evenient hæc iuſto Dei iudicio ob populi ingratitudinem. Non hæreo in explicatione Pſalmi, qui ſuo loco totus eſt explicatus.

V. 11. & 12. Dico ergo, numquid. Senſus eſt, Sed numquid iuxta hæc vaticinia Iudæi in Chriſtum lapidem offenſionis adeo impegerunt, ut actum ſit penitus de toto populo, & ſint ſine ſpe reſurgendi, μὴ γένοιτο, abſit. Spes adhunc reliqua eſt: nam hoc caſu & ruina Iudæorum Deus uſus eſt in bonum, ut nimirum & gentes ex hac Iudæorum miſeria & delicto excitarentur ad fidem Chriſti, & ex ipſis Iudæis aliqui tandem reſipiſcerent. Hinc verſ. 12. ſi porro ſic ex delicto Iudæorum & abiectione velut ex occaſione provenerunt divitiæ gentium ſpirituales, quanto magis eveniet divitiarum plenitudo, quando videbunt ſub mundi finem longe pleniorem Iudæorum converſionem.

V. 13. Vobis enim dico Gentibus. Convertit iam orationem ad gentes, poſt diſputationem de abiectione Iudæorum,

hortaturus ne & ipſi extollantur & cadant. Orditur hic ab ea obligatione quæ illi incumbit ratione muneris & Apoſtolatus ſui; quem, inquit, honorificabo (ut Apoſtolus gentium) ſolicitudine & prædicationis diligentia inter tot nationes, ſi forte hac ratione & magnitudine ſperati fructus, iniicere poſſit animum Iudæis æmulandi fidem & converſionem gentium. Per carnem Iudæos intelligit.

V. 14. Ut salvos faciam. Deus eſt qui ſalvat ut auctor atque operator ſalutis : at miniſterium ſalutis per homines fit: ſic Paulus hoc loco ſalvat : ſic etiam in miraculis cum Deo intervenit creatura: tota humana philoſophia agnoſcit diſtinctionem cauſæ principalis ab inſtrumentali, ut hinc videas ingentem inſcitiam Novatorum, qui mentiuntur tale miniſterium detrahere gloriæ Dei.

V. 15. Si enim amiſſio. Abiectio Iudæorum attulit occaſionem reconciliationis gentibus & mundo; iam ſic Paulus ; Si abiectio eſt illo modo reconciliatio mundi; quanto maior lætitia & reconciliatio erit mundo, ſi ipſorum etiam Iudæorum tandem accedat reconciliatio. An non erit quaſi a morte reſurrectio? idque tum ipſis Iudæis reconciliatis; tum multis adhuc gentibus, vel hoc exemplo Iudæorum bono convertendis. Cur ergo non deberet Paulus pro carne & fratribus laborare.

V. 16. Quod si massa. Incitat ratione a facilitate Iudæos ad converſionem. Nec dubium eſt, inquit, quin poſſint Iudæi converti, & acceſſionem illam facere: nam ſi Apoſtoli, & alii qui ex Iudæis primitiæ converſionis & delibatio ſunt, evaſerunt ſanctificati per fidem Chriſti; cur non etiam poteſt & tota maſſa, quæ eſt eiuſdem naturæ cum delibatione. Omnes enim ſunt Iudæi. Idem allegorice infert argumento a Prophetis & Patriarchis : ſi enim radix illa ſancta fuit, cur non etiam ſanctificari poterunt arbor & rami?

Primitiæ dicuntur delibatio, quia primum delibantur Deo: ἀπαρχὴ, maſſam hic vocat φύραμα. Auguſtinus conſperſionem nominat, ut farina aqua & fermento conſperſa. Inepte vero ex hoc loco (ubi a parentibus ad nepotes fit conſecutio) colligit Calvinus fidelium filios eſſe heredes promiſſionum per ſuos parentes, nec proinde egere baptiſmo: nam alioqui ſimiliter inferre poſſemus Iudæos incredulos, quorum parentes erant fideles, ſalvari ſine baptiſmo, ſola ſanctitate fœderali : nec advertit homo preceps ſolum concludi a Paulo, poſſe Iudæos ſalvari.

V. 17. Quod si. Alloquitur Gentiles, ſuadens ne & ipſi glorientur contra ramos ſeu Iudæos ex gratia illis facta, ſed ſolicite ſerviant Deo. Senſus pendet ex verſiculis inſequentibus *Rami* fracti, avulſi Iudæi a fide & parentum ſanctitate. Oleaster, populus infidelis, & prophanus. Insertus, inſitus inter olivæ ramos, ſocius radicis, particeps donorum & gratiæ. *Noli gloriari*, ut iam dicetur, qui fiſſo ramo es tantum ſurculus inſertus.

Nihil hic habent Calviniani pro gratia indelebili: nam ſicut rami nati ex olea, ſunt defracti: ita inſiti rami defrangi poſſunt, flante interdum vehementius Borea. Mox plura.

V. 18. &c. Noli gloriari. Totus hic locus torquet Sectarios novos. Accepta gratia amitti poteſt: nam ſicut rami naturales ſunt deſracti, ita inſertus ſurculus poteſt deſrangi. Noli ergo gloriari, memor te portari a radice & ſuſtentari ; non autem e contra. Per donum gratuitum acceſſiſti ad radicem, & fidem Sanctorum, iterum excidere potes : Time, inquit (verſ. 20. & 21.) ne forte nec tibi parcat, præſertim (verſ. 24.) cum contra naturam tuæ originis ſis inſertus; vel etiam contra naturam, quatenus ſurculus non ſequitur naturam trunci (potius truncus ſequitur naturam ſurculi) contingere ergo poteſt ſeparatio. Fruſtra timere iubetur, qui timere non debet; aut qui ex bono principio certus eſt. Et quis credet Spiritum ſanctum hortari hic ad infidelitatem, & ad timendum, ſi certitudo eſt fidei de ſalute. Timere iubetur, inquit Calvinus, ut ſic excutiat torporem : frivolum eſt ; nam certitudine retinetur torpor. Et alium finem dat Paulus ; nempe ne excidat a fide, & loquitur de vera fide. Lege Auguſtinum de corrept. & grat. cap. VII. & alibi paſſim de certitudine perſeverantiæ.

V. 22.

V. 22. & 23. Vide ergo bonitatem. Hic habes Novator, non tantum poſſe (quod iam docuit) iuſtum excidere a gratia, ſed etiam poſt lapſum iterum converti. Si permanseris. Ergo loquitur non de hypocritis (corruptela eſt Novatorum) ſed de his qui ſunt in gratia; & hos iubet timere. Adde antitheſin de Iudæis inſerendis veræ olivæ. Ergo vi antitheſeos loquebatur de vera præciſione, & ἀποτομία a gratia, & non de hypocritis, quippe qui non deficiunt ab eo quod non habebant.

V. 25. & 26. Nolo enim vos ignorare. Rem arcanam aperit gentibus, ne ex hoc quod inſiti ſint olivæ, ſuperbiant, & Iudæi exciſi. Myſterium vero hoc eſt: cæcitas iſta Iudæorum ad tempus tantum eſt, donec intret plenus gentium numerus, quem Deus decrevit ſalvare; quo impleto, totus Iſrael ſalvabitur. Citat Iſai. cap. LIX. 20. quod eveniet in fine mundi. Eveniet autem omni Iſraeli, quando ſcilicet ex omnibus tribubus plurimi ſalvabuntur, nova inſitione, κατὰ φύσιν, cum illa gentium ſit quaſi παρὰ φύσιν. Dixi ex omnibus plurimos: nam nec iſta plenitudo gentium de qua verſu 25. complectitur omnes omnino gentes. Hanc magnam Iudæorum converſionem prophetico ſpiritu prædicit Paulus.

Citat hic Paulus in hoc teſtamento & fœdere verba Iſaiæ, unde colligunt Sectarii ex ſola Scriptura probari dogmata: male ratiocinantur. An non vident hic Paulum explicantem locum Scripturæ, quem citat? Rectius ergo collegiſſent probari dogmata ex Scripturæ vera & per Eccleſiam interpretatione: vera, inquam, & non ex cerebro Calvini petita.

V. 28. & 29. Secundum Evangelium. Implebitur ex verſu 27. teſtamentum & fœdus, cum abſtulerit Deus peccata Iudæorum: & quidem ſunt inimici Deo, quatenus adverſantur Evangelio; & iſtud fuit vobis gentibus occaſio ut reciperetis fidem. Ac vere populus eſt dilectus Deo, ſi ſpectes electionem Patrum, & promiſſionem Patribus eorum factam: non enim pœnitet Deum donorum & vocationis factæ, aut in poſterum decretæ. Ac proinde implebit quod Patribus & poſteris promiſit. Decreta Dei immutabilia ſunt. Sed de hoc alibi ex profeſſo. Hic ſolum aſſerendum eſt, pœnitentiam quæ habet mutationem & improbationem prioris conſilii, nunquam eſſe in Deo. Alius vero eſt modus pœnitentiæ, quando Deus aufert quod prius dedit. Sed nec hic modus locum habet in præſentia de promiſſione facta Patribus Iſraeliticis: habet tamen locum ſi peccanti iuſto Deus gratiam ſubducit. Quam certe turpiter hallucinentur hic novi Sectarii, vel hinc apparet, dum colligunt fidem ſemel habitam non amitti: hoc Paulus verſu 18. plene refutavit. Et quamvis aliqua Dei dona, ut electio efficax, perſeverantia decreta & ſalus, ita ſunt firma, ut de his numquam pœniteat Deum ullo modo: tamen aliqua ſunt dona alterius rationis quæ amitti poſſunt, ut Paulus ſupra docuit. Neque promiſſio facta univerſe alicui populo dat certitudinem ſingulis de effectu promiſſionis in ſe, niſi inſuper accipiant certitudinem de applicatione ſingulis facienda.

V. 30. & 31. Sicut enim. Aliud argumentum eſt pro futura Iudæorum converſione; quaſi diceret: Cur negabitur huic populo olim electo miſericordia in perpetuum, quæ vobis gentibus cum peccatores eſſetis, conceſſa eſt, ſine ullis veſtris meritis. Propter incredulitatem, ſeu ex occaſione incredulitatis eorum, ut et illi miſericordiam conſequantur, ſcilicet veſtro exemplo provocati; aut ex æmulatione veſtræ miſericordiæ. Latet iuſta antitheſis in ſententia.

V. 32. Concluſit Deus. Explicat quod iam dixit: Deus, inquit, ita diſpoſuit de ſalute utriuſque populi, Iudæorum & gentium, ut permiſerit utroſque peccato ligari, & velut vinculo concludi, & inde fieri ut amborum miſereretur. Legunt aliqui τοὺς πάντας, non τὰ πάντα. Et Syrus כל אנש *col enoש*. Certe hic agitur de hominibus. Quid hic Novator? Ergo, inquit, omnes ſemper peccant: & Deus eſt auctor peccati. Utrumque quod infert Sectarius, refutatur ex iam dato verborum ſenſu: & ſola negatione conſecutionis convincitur. Oſtenſum etiam eſt capite VII. non omnia opera hominis eſſe peccata. Ac demum cap. I. 24. probatum eſt Deum permittere quidem peccata, numquam tamen eſſe cauſam peccati.

Digitized by Google

V. 33. O ALTITUDO DIVITIARUM. Præclare hic docet Apoſtolus, imparem eſſe creaturam omnem, ut ſcrutetur Dei iudicia, cum ſint inſcrutabilia. Ego, inquit, cum mecum expendo divinum conſilium; quo factum eſt ut Gentiles toti in idolis, ad gratiam & ſalutem vocarentur & Evangelium: Iudæi autem habentes divinas promiſſiones ſalutis, ſint excluſi a gratia: in hac, inquit, admirabili viciſſitudine, & caſu electi populi, ac felici forte tandem Gentilium, hoc ſolum ſupereſt ut præ ſtupore exclamem, o altitudo, &c. Hæc Pauli exclamatio eſt fidei actus, immo & obedientiæ ac religionis. Et vero quid prodeſt curioſitas in hac divinæ ſapientiæ abyſſo? Lege Athanaſium orat. II. contra Arrianos. Sunt enim hæc iudicia Dei, *ἀνεξερεύνητα*. Hieronymus vocat inſcrutabilia & *ἀνεξιχνίαστα*, *inveſtigabilia*. Negative accipitur *τὸ in*, ſicut cum dico inviſibilia: quamvis etiam affirmare aliquando poſſit vox inveſtigabile: aliqui etiam legunt, *inveſtigabiles*.

V. 35. AUT QUIS PRIOR DEDIT ILLI. Non ſolum in conſiliis ſuis admirabilis eſt, ſed dives, omnia dans, & qui nulli quicquam debet. Denique dominus omnium eſt, atque adeo mirum non eſt, ſi Deus hunc eligat ad gratiam, & alium non eligat, *τίς προέδωκε*. Refutat hoc Pelagianos: nam initium ſalutis non eſt ex nobis: nec nos prius damus. Inſtat iam Novator: ſi nihil prius datur Deo; ergo ille non rependit ex debito: ergo nullum eſt meritum in nobis. Sed neſcit Sectarius iſte ordinem divinæ providentiæ. Nemo prior dat Deo, ſed ipſe incipit in vocatione, & facit ut poſſit eſſe meritum. Lege Auguſtinum Serm. XVI. de verbis Apoſtoli. Sed de merito, & quomodo ex promiſſione Deus ſe reddat debitorem ſæpe alias.

V. 36. QUONIAM EX IPSO. Ratio datur cur nullus Deo prior dederit, quia ex ipſo ſunt omnia. Pleraque ex his verbis colligunt Scholaſtici. Hinc probat Trinitatem Auguſtinus de fide & ſymbolo, cap. IX. & de Trinit. Lib. I. cap. VI. Similiter alii colligunt creationem, gubernationem & providentiam, ut S. Thomas & Ambroſius de Spiritu ſancto, cap. X. Recte etiam colligimus omnium perfectiones eſſe in Deo, adeoque ipſum eſſe infinitum. Delirat ſemper Novator: Omnia, inquit, ex Deo; ergo non datur liberum arbitrium; ſed contra; ſi omnia ex Deo, cur non etiam liberum arbitrium? Et vero ita eſt: nam incipit ipſe ut dicebam verſu 35. & facit per gratiam ut homo libere operetur, dum adiuvat ſuo concurſu arbitrium liberum. Lege Auguſtinum de gratia & Lib. arb. cap. II.

CA:

Digitized by Google

C A P U T XII.

Inſtruit Romanos ut a ſæculi vanitate abſtracti totos ſe Deo dedant, de ſuſceptis donis nan ſe efferentes, aut illorum limites tranſgredientes; ſed in modum membrorum eiuſdem corporis omnia ad proximi utilitatem ordinantes, ipſis quoque inimicis benefaciant.

1. OBſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, (*a*) ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, * rationabile obſequium veſtrum. 2. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri: (*b*) * ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. 3. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: (*c*) * & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei. 4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: 5. ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. 6. Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes, ſive prophetiam ſecundum rationem fidei, 7. ſive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina, 8. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate. 9. Dilectio ſine ſimulatione. (*d*) Odientes malum, adhærentes bono: 10. (*e*) * Caritate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes: 11. (*f*) Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes: * Domino ſervientes: 12. Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi inſtantes: 13. * Neceſſitatibus ſanctorum communicantes: (*g*) Hoſpitalitatem ſectantes. 14. Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. 15. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: 16. Idipſum invicem ſentientes: Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos: 17. Nulli malum pro malo reddentes: (*h*) providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. 18. (*i*) Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes: 19. (*k*) Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: (*l*) * Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus. 20. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. 21. Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.

(a) Philip. iv. 18. (b) Epheſ. v. 17. I. Theſ. iv. 3. (c) I. Cor. xii. 11. Epheſ. iv. 7.
(d) Amos v. 15. (e) Epheſ. iv. 3. (f) I. Pet. ii. 17. (g) Hebr. xiii. 2. I. Pet. iv. 9.
(h) II. Cor. viii. 21. (i) Hebr. xii. 14. (k) Eccli. xxviii. 1. 2. 3. Matth. v. 39.
(l) Deut. xxxii. 35. Hebr. x. 30. Prov. xxv. 21.

Digitized by Google

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 3. *Et unicuique ſicut diviſit Deus menſuram fidei*. Non eſt auferenda coniunctio *&*, quam Correctores addiderunt.

Verſ. 10. *Caritate fraternitatis invicem diligentes*. Retinendus eſt ablativus *caritate*, non ſurrogandus accuſativus *caritatem*, quod docuimus & nos in Notationibus.

Verſ. 11. *Domino ſervientes*. Olim ante Hieronymianam correctionem latini libri fere legebant *Tempori ſervientes*; quemadmodum & verſu 13. ſubſequente *memoriis*, pro *neceſſitatibus*, *ſanctorum communicantes*.

Verſ. 19. *Mihi vindicta*, *ego retribuam*, *dicit Dominus*. Ut ſervandus eſt nominativus *vindicta* loco accuſativi qui vulgo legitur; ita non eſt præponenda coniunctio *&* ante pronomen *ego*.

NOTATIONES.

Verſ. I. RAtionabile obſequium veſtrum. Ex Græco, & Syrico recte etiam vertitur *Rationale*: τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν eſt Græce: id quod plerique hodie reddunt: *Rationalem cultum veſtrum*. Ceterum exiſtimarim veteri Interpreti Græce magis, quam Latine perito eadem fuiſſe *rationale*, *&* *rationabile*, ita ut intelligi poſſit per *rationabile* quod tranſtulit, & quod rationali hominis parte mente fit, hoc eſt ſpirituale, & quod rationis æquitate dictante fit, & quod rationis iudicio temperatur, denique quod recta ratio ad legitimum finem dirigit.

V. 2. *Ut* (*Et o.*) *probetis* (*ad probandum* (Cyp.) *quæ* (*quid* 1. MS.) *ſit* (Compl. G.) *voluntas Dei bona*, (*placens* 1. MS.) *& beneplacens*, (*placens Cypri.*) *& perfecta*. Hunc ad modum legitur, ut noſtris in libris, ita apud D. Cyprianum libri III. epiſtola xxv. S. Hieronymum poſt medium libri primi adverſus Iovinianum, & Primaſium, qui in proprio eum commentario diſerte explicat: *Bona & beneplacens*, *& perfecta*. Bona, melior, & optima. Beatus Auguſtinus epiſt. lxxxv. ac libri x. De civitate Dei cap. vi. & auctor enarrationum Ambroſii nomen præferentium legunt. *Ut probetis* [*Approbandum vos* Aug.] *quæ ſit voluntas Dei*, *quod bonum*, *& beneplacitum* (*placitum*. Ambr. Sedul.) *& perfectum*; (*eſt* Ambr.) quo modo & Auctor commentariorum quæ in Hieronymi operibus legiſſe videtur, quod ſeorſum poſteriorem huius ſententiæ partem explicet hoc modo: „ hoc „ eſt, quod bonum ſit, & melius, & opti„ mum. „ Idque ex Sedulio, qui cum illa lectione hanc explicationem in collectanea ſua tranſtulit, manifeſtum eſſe poteſt. Grecus ſermo ad utramque lectionem ambigus eſt (εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον) quod nomen *voluntas* ac ſubſequentia adiectiva neutro genere efferat, & articulum præponat voci ἀγαθὸν: Syriacus non niſi priorem admittit; quæ cum in Latinis libris omnibus, ſcriptis atque impreſſis iam inveniatur, & ab Haymone, Anſelmo, Auctore Gloſſæ, poſterioribusque Latinis enarratoribus exponatur, germana noſtræ editionis eſſe omnino videtur, noſtræ inquam editionis, qua ex B. Hieronymi caſtigatione utimur. Teſtatur enim Hieronymus in Origenis, ſuoque magna ex parte in epiſtolam ad Romanos commentario, olim vulgatum legendi modum Latinis fuiſſe: *Quod bonum*, *& beneplacitum*, *& perfectum*; ſed in Græco ipſe alterum haberi docet: *Bona*, *& beneplacens*, *& perfecta*, ſive quod articulum τὸ ante ἀγαθὸν non habuerit, ſive quod conformiorem Græco iudicaverit, quem Græcorum commentarii magis probaverint, ut eorum quos nos habemus, Chryſoſtomi, Theophylacti Oecumenii. Nec dubium quin is prius, Origenis ſit commentarius, quo iuxta hanc lectionem locus explicatur (iuxta utramque enim explicatur) niſi hunc in locum nihil ipſius Origenis ſit, ſed totum Hieronymus Interpres addiderit. Multa enim Origenis commentariis deerant, incertum quo caſu; quæ Hieronymus a ſe ſuppleta, & in præfatione, & in peroratione teſtatur. Verba eius in hunc locum 12. ad Romanos capitis hæc ſunt: „ Sciendum eſt quod in Græ„ co habet: *Ut probetis*, *quæ ſit voluntas Dei* „ *bona*, *& beneplacita*, *& perfecta*. Sed nos „ quia unus in utroque poteſt ſenſus videri, „ conſuetudinem ſequimur Latinorum. „ Sequitur poſtea, ubi hæc pars ſingulariter tractatur: Ut probetis, quæ ſit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum: manifeſtum eſt autem, quod & præceſſiſſe debuerat, quodque prolixius textum Interpres prius recitaverit quam modo habeatur.

V. 10. *Caritatem fraternitatis invicem diligentes*. Complures noſtræ ætatis ſcriptores *caritate* legendum eſſe coniiciunt; profecto non

non abſque argumentis. Primum enim Græce eſt τῇ φιλαδελφίᾳ, qui eſt dativus modi, quem Latini ſuo ablativo exprimunt: *caritate* igitur *fraternitatis* ſive *fraterna*: nam *fraternitatis* dixit Interpres pro *fraterna*, extremum forte Græcæ vocis imitatus, quam quia Latinis una ſimili compoſitionis vox non eſt, duabus tranſtulit. Deinde non eſt Græce participium *diligentes*, ſed quod accuſandi caſum non fert, nomen φιλόστοργοι, quod exponere poſſis *affectuoſi*: τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι: *Caritate fraterna ad invicem affectuoſi*. Præterea non apte congruit vox *invicem*, ſi *caritatem* legas: niſi addas *ad* vel *in* præpoſitionem; &, quidem in uno ſcripto L. notato hæc addita eſt (*in invicem*) ad tollendum, opinor, ſententiæ incommodum: ſed ex aliis omnibus quos vidimus, calamo, æreque exaratis libris, dempto Zegeri teſtamento, omiſſa etſi ſit Græce, cognoſcitur, quod nomen φιλόστοργοι redditum ſit participio *diligentes*. Inſuper huiuſmodi formam cuiuſmodi hæc ſententia ſexto caſu *caritate* lecta referunt ſubſequentes: *Honore invicem prævenientes*, *ſolicitudine non pigri*, & ceteræ; atque illa *honore* convenientiſſime, hanc *Caritate* proxime ſequitur. Ad hæc hunc in modum & legunt, & intelligunt veteres cum Græci Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius; tum Latini, Tertullianus libro in Marcionem 5. legit, *Amore fraternitatis invicem affectuoſi*. Simili fere modo illorum Auctor commentariorum, quæ Ambroſio vulgo tribuuntur: *Fraternitatis amore invicem benigni*. Hieronymiana ſcholia: „ Ita vos diligite, „ explicant, quaſi ex una matre generati.“ Id quod Sedulius in collectanea ſua tranſtulit, præmiſitque, *Caritate fraterna invicem benigni*. Primaſius ſimiliter: *Caritate fraternitatis*. „ Tamquam ex uno utero nati, ita „ vos diligite; *invicem benigni*. „ Haymo: „ Ideſt, ait, cum caritate fraternitatis ſitis „ vos alterutrum diligentes, quia unus eſt „ pater veſter, qui in cælis eſt. Omnes enim qui unam fidem habent, & uno baptiſmate ſunt abluti, ita invicem, ita ſecundum Deum diligere debent, veluti fratres ex uno matris utero egreſſi. „ Iam vero & Latina noſtræ editionis exemplaria reperimus, quæ *caritate* legant (*caritate fraternitatis invicem diligentes*) unum ſcriptum Plantini medium, duo impreſſa, Moguntiæ unum, anno 1472. Lugduni alterum, anno 1522., quibus Romanum Breviarium Pii quinti Pont. Max. iuſſu editum adſtipulatur, in tertia Lectionum ſæcundæ diei infra octavam Epiphaniæ, ex hoc Epiſtolæ ad Romanos capite deſumptarum. Adſtipulatur etiam Lyrani commentario, quem ab ipſa Typographiæ inſartia excuſſum a M. N. Hunnæo habemus, mixtus textus, nec commentarius ipſe refragatur? textus etiam D. Thomæ commentario annis 1518. & 1526. Pariſiis edito iunctus, quamvis commentarius refragatur. Sunt & manuſcripta quædam ex noſtris Mal. mi. D. quibus an poſt adiecta ſit lineola, quæ eſt loco *m* litteræ dubium ſit. Poſſit, ut facile potuit, *e* litteræ ſuperpoſita fuiſſe lineola, factumque *caritatem*, ut participio *diligentes* accuſandi caſus quem regit, daretur, quod non intelligeretur *caritate fraternitatis* dictum eſſe pro *fraterna*. Auctor Gloſſæ, aliique Gloſſematici poſteriores duobus modis hanc ſcribendi rationem (*caritatem fraternitatis invicem diligentes*) exponunt; uno: Diligite caritatem quam fratres habent inter ſe altero: Velitis a fratribus redamari; ſed; illis longe aliter, ut videtur, quam Apoſtolus velit.

V. 11. *Domino ſervientes*. Auctor commentariorum quæ in B. Ambroſii ſunt operibus, *Tempori ſervientes* legit „ In Græco, „ inquit, dicitur ſic habere: *Deo* (*Domino*) „ *ſervientes*; quod nec loco competit. Quid „ enim opus erat ſummam hanc ponere totius devotionis, quando ſingula membra, „ quæ ad obſequia & ſervitia Dei pertinent, „ memoret? In omnibus enim iis quæ enumerat, plenum Deo ſervitium exhibetur. „ Nam ſervire tempori quid ſit, alibi ſolvit, cum dicit: (Epheſ. v. verſ. 26.) „ *Redimentes tempus quoniam dies mali ſunt* „ &c. Oſtendiſſe hunc Auctorem videtur quod hæc totius ſumma, *Domino ſervientes*, media inter membra legatur. Græci libri qui hodie in manibus ſunt, fere τῷ καιρῷ δουλεύοντες, quod eſt *tempori ſervientes* habent. Ceterum Regius ex Complutenſi, & quinque alii a Pariſienſibus notati, δ. ε. θ. ι. ια., τῷ κυρίῳ (κυρίου Ald.) δουλεύοντες, *Domino* (*veſtro* Syri.) *ſervientes* ſcribunt, quibus conſentiunt Græcorum, Chryſoſtomi, Theodoreti, Theophylacti, atque Oecumenii textus, & commentaria, Syriceque editiones. Scholia adhęc Latina, quę apud B. Hieronymum exſtant, & Primaſii commentaria, ac Sedulii collectanea. Origenis Interpres Hieronymus cum hunc legendi modum explicuiſſet: „ Scio, addidit, in nonnullis Latinorum exemplaribus haberi, *tempori* „ *ſervientes*; quod mihi videtur inconvenienter inſertum, niſi quis forte ita dictum „ putet, ut in aliis idem Apoſtolus ait (I. Cor. vii. verſ. 29. Epheſ. v. verſ. 16.) *Tempus breve eſt*, *ſupereſt ut qui* &c. vel ut

illud

„ illud dictum eſt: *Redimentes tempus* „ &c. Hodie in Latinis codicibus lectio hæc *tempori ſervientes* non reperitur: conſtanter enim *Domino ſervientes* habent, tametſi ſcriptorum antiquiſſimi (*a*) qui libris capitum argumenta præfigunt, huius epiſtolæ 48. caput, de *tempori ſerviendo* inſcribuat, nimirum, quod retinuerint capitum argumenta ei Latinorum editioni, quæ ante noſtram fuit, accommodata: quo circa maius Malmundarii exemplar & eum locum quem proxime tractaturi ſumus iuxta antiquam editionem deſcribit: *De communicatione Sanctorum* (Leod.) *memoriis* (*membris* Toſanum) & ſi legat iuxta noſtram: *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes*. Conſtanter etiam Haymo, Anſelmus, & poſteriores noſtræ editionis enarratores, *Domino ſervientes*, ediſſerunt: quamquam auctor Gloſſæ ex Ambroſio, cuius interpretationem addidit, & alii alterius litteræ, *Tempori ſervientes* meminerint. Exiſtimo D. Hieronymi caſtigationem hanc legendi rationem, *Domino ſervientes*, editioni noſtræ dediſſe: qui in epiſtola ad Marcellam ſcripta, ultima tomi ſecundi, cum in eos acriter invectus eſſet, qui ſtudioſe ei detrahebant, quod in ſacris novi Teſtamenti litteris quædam emendare tentaſſet, adiecit tandem. „ Illi legant: *Spe gaudentes, tempori ſervientes*. Nos legamus: *Spe gaudentes, Domino ſervientes*. Varietati occaſionem dedit affinitas Græcarum vocum κυρίῳ & καιρῷ, præſertim cum voces ſcribæ breviare ſoleant.

V. 13. *Neceſſitatibus ſanctorum* [*eorum* o.] *communicantes*. D. Hilarius ſub finem libri, quem in Conſtantium Auguſtum ſcripſit, Auctor commentariorum Ambroſii nomen præferentium, & Petrus Chryſologus ſermoni 120. legunt: *Memoriis ſanctorum communicantes*: quem ad modum magis in Latinis exemplaribus haberi meminerat Interpres Origenis. Scholiaſtes qui B. Hieroaym:i ſcriptis iunctus eſt, ac Sedulius Collector & iſtam, & alteram lectionem explanant. Hodie Latini, Græci, & Syrici codices concorditer conſtanterque alteram: *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes* habent: quibus volunt Tractatores Græci Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & Latini Haymo, ac poſteriores. Et hanc rurſum legendi rationem noſtræ editioni a B. Hieronymo datam autumo; qui in Origenis, aut ſuo potius commentario utrumque legendi modum, ut ædificationi utilem, admittit, ſed hunc *neceſſitatibus ſanctorum communicantes* non obſcure præfert. *Uſibue* vertit, *ſanctorum communicantes*; dein adiungit: „ Memini in Latinis exemplaribus ma-
„ gis haberi: *memoriis ſanctorum communi-*
„ *cantes*: verum nos nec conſuetudinem tur-
„ bamus, nec veritati præiudicamus, maxi-
„ me cum utrumque conveniat ædificationi.
„ Nam uſibus ſanctorum honeſte, ac decen-
„ ter non quaſi ſtipem indigentibus præbe-
„ re, ſed cenſum noſtrum cum ipſis quo-
„ dammodo habere communem, & memi-
„ niſſe ſanctorum, ſive in collectis ſolemni-
„ bus, ſive pro eo ut ex recordatione eo-
„ rum proficiamus, aptum & conveniens vi-
„ detur. “ Diverſitas iterum ex vicinitate Gręcarum vocum orta fuit, χρείαις, μνείαις: eſt enim locus hic ſuperiori quam ſimillimus.

(*a*) Leod. Toſanus Mal. ma. ſed is parva hęc omnia pręcepta uno capite XLII. complectitur. Brugenſi codici poſterior argumentornm pars ſimul cum initio epiſtolę ad Romanos deeſt uno folio perdito.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1 RATIONABILE OBSEQUIUM. Gr. λατρείαν λογικὴν, id eſt, non carnale ſacrificium, quemadmodum olim Iudæi victimas carnales offerebant, ſed rationabile ac ſpitituale novæ in Chriſto vitæ ſacrificium. Photius enim τὴν λογικὴν interpretatur πνευματικήν.

V. 3. DICO ENIM, id eſt adhortor aut iubeo; utroque enim modo interpretatur Photius τεάυτῦ NON PLUS SAPERE QUAM OPORTET, SED SAPERE AD SOBRIETATEM. Gr. μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, *non altius de ſe exiſtimare quam par eſt, ſed exiſtimare cum modeſtia*, vetat enim hoc loco Paulus, ne quis inſletur ſupra alium de donis a Deo perceptis, ſed ſi quam a Deo gratiam perceperit, in ea modeſte ſe gerat: ET UNICUIQUE SICUT DEUS DIVISIT MENSURAM FIDEI. Græc. non habent, *&*,

ac

ac ſic commodior erit connexio: præcipio omnibus ſapere ad ſobrietatem, *ſicut unicuique*, &c. vel præcipio ſapere ad ſobrietatem, & id quidem ſicut unicuique Deus diviſit menſuram fidei: quo loco Gr. & Photius ſumunt fidem pro donis gratuitis ac viſibilibus, quæ in primitiva eccleſia Spiritus ſanctus largiebatur fidelibus.

V. 4. 5. 6. 7. & 8. SICUT ENIM, &c. exemplo magni corporis, in quo multa MEMBRA NON EUNDEM ACTUM, id eſt eandem actionem ſive operationem HABENT. Docet in corpore myſtico, quod eſt Eccleſia, ſingulos homines eſſe vice membrorum, habentes iuxta gratiam nobis conceſſam diverſas donationes; SIVE PROPHETIAM SECUNDUM RATIONEM FIDEI. Græc. κατὰ τὴν ἀναλογίαν, id eſt iuxta proportionem vel rationem fidei: ſequentibus autem locis docent Græca ſcholia eſſe eclipſes multas; & neglectum ſermonis Paulo frequentem, quippe qui non venerit prædicaturus in ſublimitate humanæ eloquentiæ: itaque ſequentem locum, ſic explicant; SIVE *quis* PROPHETIAM habet *iuxta* RATIONEM FIDEI, in ea ſubaudiunt, maneat, SIVE MINISTERIUM, habet, IN MINISTRANDO. Gr. ἐν τῇ διακονίᾳ, id eſt *in miniſtratione*, ſubaudi, maneat: quid ſint autem miniſtrationes, vide I. ad Cor. XII. SIVE QUI DOCET IN DOCTRINA, ſubaudi, maneat. *Sive* QUI EXHORTATUR IN EXHORTANDO. Gr. ἐν τῇ παρακλήσει, id eſt *in exhortatione*, ſubaudi maneat. Eſt autem in his omnibus ſenſus, quod unuſquiſque dono accepto contentus manere in eo debet, & gratias agere, neque adverſus alium non habentem inſoleſcere. QUI TRIBUIT: & in his quoque locis eclipſis eſt, qui tribuit ergo in ſimplicitate, ſubaudi, tribuat. Græce ἐν ἁπλότητι, id eſt in ſimplicitate, vel ingenuitate, hoc eſt ingenue & libere tribuat, non quaſi coactus. QUI MISERETUR, id eſt eleemoſynam largitur: nam hic miſereri non compati ſignificat, ſed miſericordiam & eleemoſynam præſtare: qui ergo miſericordiam præſtat, in hilaritate, ſubaudi, eam præſtet; *hilarem enim datorem diligit Deus*.

V. 9. DILECTIO SINE SIMULATIONE. Subaudiendum eſt hoc loco verbum, ſit; ſimiliter in verbo odientes, & ceteris participiis ſequentibus, aut ſupplendum eſt verbum ſitis; aut iungenda ſunt illa cum verbo proxime ſequenti, benedicite:

V. 15. GAUDERE; vel ſupplendum eſt dico, id eſt iubeo gaudere, vel infinitivus Græcus vertendus in imperativum gaudete, ſimiliter & flere in flete.

V. 16. IDIPSUM INVICEM SENTIENTES; id eſt idem invicem ſentientes, atque invicem concordes & unanimes. HUMILIBUS CONSENTIENTES; Græci habent συναγόμενοι, id eſt accommodantes & adiungentes voſmetipſos humilibus & abiectis: quidam Græci legunt συναπαγόμενοι, a συναπάγομαι, quod ſignificat ſimul mecum duco, & tunc ſenſus eſſet, converſationem cum humilibus habentes: quæ ſignificata pene eadem ſunt. PRUDENTES APUD VOSMETIPSOS; id eſt, nolite veſtro iudicio vos exiſtimare prudentes, iuxta illud, *væ qui prudentes eſtis in oculis veſtris*.

V. 17. PROVIDENTES BONA, NON SOLUM CORAM DEO, SED ETIAM, &c. Græci non habent hæc verba, *non ſolum coram Deo ſed etiam*, at iſtud tantum, προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον ἀνθρώπων; & ſic exponunt Græca ſcholia, eum dixiſſet nulli malum pro malo reddentes, addit & illud προνοούμενοι τὰ καλά, tamquam dicat: Non ſufficit malum malo retaliare, ſed illi qui nos male habet, oportet etiam, proſpicere ac rebus illius bene conſulere; id enim ſignificat τὸ προνοέομαι; ſecundum noſtram verſionem ſenſus eſt ut τὰ καλὰ ſumatur Attico more pro καλῶς, id eſt bene providi, ac bene ſibi proſpicientes, non ſolum coram Deo, id eſt non ſolum Deo teſte, ſic ut conſcientia tua non te reprehendat, ſed etiam coram hominibus, ut nullam illis occaſionem ſcandali præbamus.

V. 18. SI FIERI POTEST. Græce εἰ δυνατὸν, referri poteſt ad id quod præceſſit, providentes bona coram omnibus hominibus, ſi fieri poteſt, quia quod ſequitur, QUOD IN VOBIS EST, Græc. τὸ ἐξ ὑμῶν tantumdem valet, & iungitur cum ſequentibus, *quod in vobis eſt;* id eſt, quantum in vobis erit pacem cum omnibus habentes, poteſt etiam utrumque referri ad ſequentia.

V. 19. DEFENDENTES: ἐκδικοῦντες, id eſt, *ulciſcentes*; quadrat enim quod ſequitur, MIHI VINDICTA, forte interpres legit, δικοῦντες, quod etiam ſignificat defendentes: ceterum defendere in Scriptura pro ulci-

ulciſci aliquoties uſurpat interpres veteris ac novi teſtamenti.

V. 20. CARBONES IGNIS. Carbones ignis aliquando iram Dei ſignificant, iuxta illud Pſal. XVII. *carbones ſuccenſi ſunt ab eo*; & hoc modo vult Paulus non eſſe appetendam vindictam, quinimmo benefaciendum inimico; quod ſi noſtra benignitate non vincitur, maiorem adverſus illum Dei iram excitamus. Aliquando carbones ignis, opera caritatis ſignificant, iuxta quod ſenſus eſſe poteſt: Inimico tuo ſtude quantum potes benefacere, ſic enim benignitate tua malignitatem eius extingues, & ſuper caput eius carbones ignis congeres, id eſt caritatem accendes.

V. 21. VINCE IN BONO MALUM, Græce *τὸ κακὸν*, ut non hominem malum, ſed ipſam hominum malitiam in bono, id eſt bonitate noſtra vincamus.

S A.

Verſ. 1. HOSTIAM; pro, velut hoſtiam. RATIONABILE OBSEQUIUM. Græc. λογικὴν λατρείαν, id eſt *Dei cultum ſecundum rationem*, ſeu mentem.

V. 2. IN NOVITATE, id eſt *renovatione*, *ἀνακαινώσει*. SENSUS, id eſt *mentis*: *νοός*. UT; pro, ſic ut. PROBETIS, id eſt approbando faciatis. BENEPLACENS; ſcilicet Deo, id eſt grata: *voluntas* autem, pro, id quod Deus vult a vobis.

V. 3. GRATIAM, ſcilicet docendi viam ſalutis. SAPERE, id eſt de ſe ſentire. AD SOBRIETATEM, id eſt modeſte. FIDES, ſcilicet ita ſe gerat, nec aggrediatur quæ vires ſuperant, ſeu talentum a Deo datum.

V. 4. ALTER ALTERIUS; pro, inter ſe.

V. 6. SECUNDUM RATIONEM, id eſt, convenienter, ſeu conformiter, ſcilicet ſic divina interpretanda: (id enim vocat *prophetiam*) ut fidei congruat interpretatio.

V. 7. MINISTERIUM, ſcilicet in rebus ſacris, quali funguntur diaconi. Græc. *διακονίαν*: vel etiam in temporalibus.

V. 8. TRIBUIT, ſcilicet auxilium, ſeu eleemoſynam. SIMPLICITATE, ſcilicet propter Deum, ſincereque & ex animo.

V. 11. SOLICITUDINE; id eſt ſedulitate operam bonorum.

V. 13. COMMUNICANTES, id eſt opem, ſeu res; quaſi dicat. Subvenientes.

V. 14. BENEDICITE, id eſt bene precamini. MALEDICERE, id eſt male precari.

V. 16. ALTA SAPIENTES, id id ſuperbientes. HUMILIBUS, id eſt abiectis. CONSENTIENTES, id eſt vos accommodantes. APUD VOSMETIPSOS. Syr. *veſtra opinione*.

V. 17. PROVIDENTES, id eſt provide curantes.

V. 19. DEFENDENTES, id eſt ulciſcentes. DATE LOCUM, id eſt ſinite abire, ſeu pellite a vobis: vel, vobis irato cedite: vel *iram* intelligit Dei punitionem; quaſi dicat. Puniendi curam Deo relinquite. MIHI, ſcilicet relinquatur, vel competit; quaſi dicat, Meum eſt ulciſci peccata.

V. 20. CARBONES, &c. quaſi dicat, Incendes illum, ut te amet talibus beneficiis excitatus.

V. 21. IN BONO, id eſt bonitate. MALUM id eſt malitiam.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. RATIONABILE OBSEQUIUM ſit veſtrum, λατρείαν λογικὴν, *cultum rationalem*, id eſt ſpiritualem, non ut ante ſacrificia corporalia pecudum. Aut ſic: prout ratio exigit, quod alii ſcilicet idolis, vos Deo; quod alii turpitudini dant, vos honeſtati. Sic Baſilius in Regul brev. num. 97.

V. 2. UT PROBETIS, id eſt agnoſcatis. QUAE SIT VOLUNTAS DEI BONA. Sic legunt Cyprianus Lib. III. epiſt. XXIII. Hieronymus I. contra Iovin. Alii, *ut probetis, quæ ſit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum*. Sic Auguſtinus Epiſt. LXXXV. & Lib. X. de Civit. cap. VI. Origenes & Ambroſius hic. Græca utroque modo verti poſſunt.

V. 3. DICO, id eſt exhortor. PER GRATIAM, pro ratione mei muneris, ne quis propter dona, quæ accepit, contra alium ſuperbiat, ſed ſitis ſobrii & modeſti.

V. 4. SICUT ENIM. Exemplo noſtri corporis, in quo ſingula membra ſuas functiones habent, docet fidelem debere ſua ſorte & miniſterio contentum eſſe.

V. 9. SECUNDUM RATIONEM FIDEI. Syr. *pro menſura fidei*, habentes ſcilicet Prophetiam.

V. 8.

Google

V. 8. QUI MISERETUR IN HILARITATE: ſupple, in eo maneat; quod verbum in membris ſuperioribus omnibus ſuppleri debet.

V. 9. DILECTIO SINE SIMULATIONE: ſupple, ſit.

V. 10. CARITATE FRATERNITATIS. Sic lege, non *caritatem*, ut Lovan. & Regia; ſic ut noſter Syr. & antiqui Patres: ſic etiam Græc. τῇ φιλαδελφίᾳ. INVICEM DILIGENTES, φιλόστοργοι, id eſt *vehementer amantes*, ut Baſilius in Reg. brev.

V. 10. DOMINO SERVIENTES. Sic Syr. Græci codices variant, quidam Κυρίῳ, alii καιρῷ δουλεύοντες legunt, *tempori ſervientes*, id eſt occaſionem arripiendam. Notum eſt illud Καιρῷ δουλεύειν καὶ Θεοὶ ἂν ἔμαθον. *Dii etiam tempori obediunt.* Verum noſtra lectio Patrum communis eſt. Varietas ex vocum affinitate Κυρίῳ & καιρῷ: orta eſt:

V. 13. NECESSITATIBUS SANCTORUM. Hilarius Lib. ad Conſtantium, Chryſologus Serm. CXX. Proſper de Promiſſ. dimidii tem cap. v. legunt: *memoriis Sanctorum communicantes*: quod Optatus Lib. II. videtur referre ad Reliquias & templa Sanctorum, ad memoriam defunctorum non nemo. Verum diverſa lectio, id eſt noſtra, communis Expoſitorum eſt. Syr. eam ſequitur. Varietas ex μνείαις, id eſt *memoriis*, & χρείαις, id eſt *neceſſitatibus* vicinitate orta eſt.

V. 15 GAUDERE, ſcilicet moneo.

V. 16. NON ALTA SAPIENTES: ne ſitis ambitioſi. NOLITE ESSE PRUDENTES APUD VOSMETIPSOS, ne vobis videamini prudentes, qui eſt ambitionis fons.

V. 19. NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES ἐκδικοῦντες, *ulciſcentes*: ſic Syr. & convenit cum eo quod ſequitur: *Mihi vindicta*. DATE LOCUM IRAE. Mora langueſcit ira dum fervet, malus conſultor. Notum eſt illud: *Iam te occidiſſem, niſi iratus eſſem*.

V. 20. CARBONES IGNIS CONGERES, ſi inimico bene facias, quibus mutua caritas accendatur.

V. 21. NOLI VINCI A MALO, ſcilicet vitio: in neutro genere eſt.

MENOCHII.

Verſ. 1. PER MISERICORDIAM Dei; quaſi dicat: Deus erga vos miſericordem ſe exhibuit; hæc ergo miſericordia vos inducat ad ea præſtanda, quæ Deus a vobis poſtulat. HOSTIAM VIVENTEM: ut ſcilicet ex corporibus veſtris non occiſis, ſed viventibus, hoſtiam Deo offeratis, ſenſus veſtros mortificando, & ſpiritui ſubiiciendo, quod eſt gratiſſimum Deo ſacrificium. SANCTAM, DEO PLACENTEM; ab omni immunditia, & inquinamento peccati immunem, & per hoc εὐάρεστον, *beneplacentem*, id eſt acceptam, & gratam Deo, cui exhibetur; *Rationabile obſequium veſtrum* id eſt non corporale, uti olim erat Iudæorum, ſed ſpirituale, quod in ratione, & mente ſitum eſt. Recta enim ratio dictat Deum magis interna fide, ſpe, amore, & pietate mentis, quam externis corporis ceremoniis colendum eſſe.

V. 2. NOLITE CONFORMARI HUIC SAECULO. In Græco eſt, μὴ συσχηματίζεσθε, *ne configuremini*, id eſt ne figuram mundi induatis, ut tales fiatis, qualis eſt mundus, & mundani; ſcilicet vani, ſuperbi ambitioſi, terrena tantum quærentes, non cæleſtia. SED REFORMAMINI: μεταμορφοῦσθε, *transformamini*, ut ſcilicet transeatis ex veteri figura in novam formam; quaſi dicat: Studete quotidianæ renovationi mentis veſtræ, per mortificationem malorum affectuum, & cupiditatum. IN NOVITATE SENSUS VESTRI: ita ut novitatem ſenſus, id eſt mentis, induatis. UT PROBETIS; hoc eſt, experiamini, & quodam iudicio, ac guſtu ſpirituali agnoſcatis quid a vobis requirat Deus. Quo enim magis reformamur ſpiritu mentis noſtræ, eo magis illuſtramur a Deo: & mente magis purgata probamus, & cognoſcimus quid ſit optimum, & divinæ voluntati maxime conſentaneum. VOLUNTAS DEI BONA, ET BENEPLACENS, ET PERFECTA, id eſt, voluntas, qua non præcipit niſi bona, ac ſibi, & omnibus recte ſentientibus placita, & perfecta, id eſt ſancta, & ſuæ ſapientiæ, & bonitati conſona.

V. 3. DICO ENIM PER GRATIAM, QUAE DATA EST MIHI, id eſt per Apoſtolatum, vel munus Apoſtolicum gratis mihi a Deo datum; quaſi dicat, Ex munere, officio, & auctoritate Apoſtolica dico, & edico

quæ ſequuntur. Omnibus qui sunt inter vos, id eſt omnibus fidelibus, qui Romæ eſtis. Non plus sapere quam oportet sapere; id eſt, ne ſupra modum de ſe ſentiat, neque plus quam par eſt ſibi tribuat. Sed sapere ad sobrietatem: ſed de ſe ſentire ſobrie, temperate, & modeſte. Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Dico unicuique veſtrum ſapere, id eſt ut ſapiat, ſicut Deus diviſit, ſeu partitus eſt ei menſuram fidei, id eſt ſentiat de ſe iuxta menſuram, ac modum doni in fide ſibi collati. Toletus putat per metonymiam functiones cuiuſque fidei commiſſas fidem vocari, ſive menſuram fidei.

V. 4. Actum, actionem, functionem, operationem.

V. 5. Ita multi; id eſt, omnes nos fideles, qui ſumus quaſi varia membra, varias gratias, & functiones habentia, unum corpus ſumus. Unum corpus sumus, &c. id eſt, una Eccleſia, cuius nexus interior eſt per fidem, & gratiam; exterior per ſacramenta a Chriſto inſtituta; per hæc enim omnes nectimur, & iungimur cum Chriſto, & in Chriſto, qui huius corporis, id eſt Eccleſiæ caput eſt.

V. 6. Habentes autem donationes, &c. id eſt, habentes dona diverſa, & varia, prout unicuique noſtrum per gratiam ſuam largitus eſt Deus. Sive prophetiam: prophetiæ nomine intelligit Paulus doctrinam, & ea quæ ad docendi munus pertinent. Secundum rationem fidei. Fides hic eſt intelligentia perfecta rerum divinarum, & ſcripturarum, quæ non tam humano ſtudio, & induſtria, quam Dei illuminantis operatione, & inſpiratione acquiritur. Senſus ergo eſt: Habentes prophetiam, hoc eſt, gratiam explicandi doctrinam, & ſcripturam ſacram ſecundum analogiam, id eſt ſecundum proportionem, & menſuram fidei, id eſt intelligentiæ, & ſapientiæ a Deo nobis conceſſæ.

V. 7. Sive ministerium in ministrando: ſive habentes gratiam alicuius miniſterii, aut functionis Eccleſiaſticæ verſantis circa res, & munia caritatis externa. Habenti igitur huiuſmodi donationes, & gratias edicit Apoſtolus ne ſibi placeat, aut ſuperbiat, ſed cum modeſtia, & humilitate exerceat ſe in munere ſuo. Sive qui docet in doctrina; id eſt, ſi quis habet gratiam docendi, ea facultate utatur ad docendum alios.

V. 8. Qui exhortatur in exhortando: *ἐν παρακλήσει*, *in exhortatione*; hoc eſt, in exhortationis talento, & gratia ſe exerceat, alios movendo; & incitando ad virtutem capeſſendam. Qui tribuit: qui habet officium eleemoſynas diſtribuendi. In simplicitate, id eſt bona fide, ſine perſonarum acceptione, ac ſine reſpectu proprii commodi id faciat. Qui praeest in solicitudine; id eſt, qui habet functionem in Eccleſia ut præſit, totus ſerio illi incumbat, & ſolicitus ſit, ſedulus, & diligens ut omnia bene procedant. Qui miseretur in hilaritate: qui miſericordiæ operibus ſe impendit, ut curæ ægrorum, aut hoſpitum, hic alacri animo, & hilari vultu partes ſuas impleat.

V. 9. Dilectio sine simulatione, id eſt proximus diligatur ſincere, & ex animo, non ſimulate. Odientes malum: abhorrentes a vitiis. Adhaerentes bono: quod iuſtum eſt, & honeſtum ſectantes.

V. 10. Caritate fraternitatis: amore fraterno.

V. 11. Honore invicem praevenientes: prævenit qui anteverit, id eſt qui primus honorat. Solicitudine non pigri: σπουδῇ, ſtudio, & diligentia ſoliciti, alacres & prompti, præſertim cum iuvandus eſt proximus. Spiritu ferventes: ardore quodam, impetu mentis ſuccenſi ad exequendum ea, quæ veſtri muneris ſunt. Domino servientes; ut in omni officio, & obſequio quod proximis impenditis, non quæ veſtra ſunt quæratis, ſed Domino ſerviatis, & eius gloriæ.

V. 12. Spe gaudentes: futuræ retributionis. In tribulatione patientes: eadem nimirum ſpe animati.

V. 13. Necessitatibus sanctorum communicantes, id eſt fratrum, ſeu Chriſtianorum indigentiæ veſtris facultatibus ſubvenientes, res veſtras in opibus communicantes.

V. 14. Benedicite: bene precamini.

V. 15. Gaudere cum gaudentibus; quaſi dicat: Ea ſit ſympathia inter vos, ut fratrum proſpera, vel adverſa æque vos, ac illos tangant.

V. 16. Idipsum invicem sentientes: ſitis eodem animo alius erga alium affecti. Non alta sapientes: non elate de

vo-

Digitized by Google

vobis ſentientes, ut velitis ſupra alios eminere. SED HUMILIBUS CONSENTIENTES: τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι, humilis conditionis hominibus vos accommodantes, & illis condeſcendentes, & obſecundantes: poteſt etiam ταπεινοῖς eſſe generis neutrius; quaſi dicat, Vilia ambite, non alta, fugite ſuperborum conſortia, &c. NOLITE ESSE PRUDENTES APUD VOSMETIPSOS, id eſt veſtra ipſorum opinione, in oculis veſtris; quaſi dicat: Ne puteris veſtra conſilia vobis ſufficere, quaſi aliorum conſilio non egeatis.

V. 17. PROVIDENTES BONA, &c. quaſi dicat: Ita honeſte, amice, iuſte, & ſancte vivite, ut vita veſtra, & converſatio bona, & amicabilis, non tantum Deo, ſed & hominibus probetur, nec a quoquam iure culpari poſſit, ſed ceteris luceat in virtutis exemplum.

V. 18. SI FIERI POTEST: ſalva iuſtitia, pietate, ac veritate. QUOD EX VOBIS EST: ne ſcilicet a vobis præbeatur ulla diſſenſionis occaſio.

V. 19. DEFENDENTES: ἐκδικοῦντες, *vindicantes*. Sic Iudith I. 12. dicitur Nabuchodonoſor iuraſſe *per thronum, & regnum ſuum quod ſe defenderet*, id eſt ulciſceretur. DATE LOCUM IRAE: vobis irato cedite; ne reſiſtatis illius iræ, non contradicendo, aut contra, quod ipſe vult repugnando.

V. 20. CARBONES IGNIS CONGERES SUPER CAPUT EIUS, id eſt ignotos non iræ, ſed caritatis, & amoris carbones, qui eum inflamment ad redamandum.

V. 21. NOLI VINCI A MALO, id eſt malitia inimici tui. SED VINCE IN BONO MALUM: ſed tua beneficentia vince illius malitiam.

T I R I N I.

Verſ. I. PER MISERICORDIAM DEI, qua ſe erga vos tam munificum (ut vidimus *a*) exhibuit, OBSECRO ut & vos viciſſim erga ipſum grati ſitis, & nutibus eius obſequamini. Cumque omnia ab ipſo *b* acceperitis, æquum eſt ut omnia, & præ omnibus UT CORPORA VESTRA, id eſt voſipſos, EXHIBEATIS DEO perpetuam HOSTIAM, ſeu victimam, non Aaronicam, cultro iugulatam (ut fit in templo Salomonico) ſed Chriſtianam, ſpirituali mortificationis gladio occiſam, ſed VIVENTEM viva fide, ſpe animatam, caritate vegetatam, ab omni ſcelerum inquinamento purgatam, SANCTAM, DEO bene PLACENTEM, ut eſt in Græco. RATIONABILE OBSEQUIUM Græce, λογικὴν λατρείαν, id eſt *cultum Dei*, non corporalem ſolum vel externum & ceremonialem, qualis eſt Iudæorum, qui pecudibus ſacrificant Deo; ſed internum, ſpiritualem & *conformem dictamini rectæ rationis*, quæ docet, Deum, uti ſpiritus eſt, ita ſpirituali quoque cultu colendum *c*: ita fere S. Chryſoſt. Photius & Theodoretus.

V. 2. REFORMAMINI; Græce, *transformamini*; quaſi dicat: Per ſedulam mortificationem pravorum affectuum & cupiditatum tranſite ex veteri mundana vivendi ratione, in *novam ſenſui* rationali, id eſt menti veſtræ per fidem & gratiam nunc illuminatæ, conformem; UT PROBETIS, id eſt experiamini, & quaſi guſtu quodam ſpirituali ſapientis, percipiatis ac dignoſcatis (inquit Toletus) QUAE SIT VOLUNTAS, & quis nutus *Dei*, non qualis, ſed quo optima quæque & maxime ſibi placentia ac perfectiſſima deſiderat.

V. 3. PER GRATIAM QUAE DATA EST MIHI, id eſt ex munere Apoſtolico mihi gratis dato a Chriſto, ex officio meo, & quanta poſſum auctoritate, DICO, ſeu edico, vobis Romanis, & per vos omnibus fidelibus, NON PLUS SAPERE QUAM OPORTET; id eſt, ne quis plus de ſe, quam par eſt exiſtimet aut præſumat; SED AD SOBRIETATEM, id eſt ſobrie, modeſte, & intra MENSURAM FIDEI, ſeu donorum unicuique cum fide donatorum a Spiritu ſancto, nec alieno talento, muneri vel officio quis ſe ingerat: ita S. Chryſoſt. Ambroſ. Baſilius & toletus.

V. 6. HABENTES; hebraiſmus eſt *d*, pro, *habemus*, quidam PROPHETIAM, id eſt futurorum prænotionem, vel, ſi mavis *e*, Scripturarum & myſteriorum fidei intelligentiam & gratiam explicandi, SECUNDUM RATIONEM; Græce, ἀναλογίαν, id eſt proportionem, ſeu *menſuram* FIDEI, de qua ſupra *f*. Quidam vero habemus

V. 7. MINISTERIUM, id eſt gratiam alicuius externi miniſterii aut functionis Eccleſiaſticæ, v. g. in ſacris Ordinibus exercendæ. Quidam talentum docendi, quidam

dam

dam alia. Quiſque conetur illa impendere, ſed cum omni modeſtia, humilitate & caritate.

V. 8. Qui exhortatur; id eſt, qui exhortandi talento & gratia valet, illo munere ſtrenue fungatur, exhortando alios & excitando ad vitia fugienda, ad virtutem capeſſendam. Qui tribuit; id eſt, cui ex officio incumbit diſtribuere eleemoſynas vel alia publica bona (quod erat diaconorum *g*;) faciat id in, ſeu cum, simplicitate, ſimplici & recta intentione, ac bona fide, ſine reſpectu proprii lucri vel commodi, ſine perſonarum acceptione, ſine fraude vel dolo. Qui miseretur, id eſt miſericordiæ operibus, ſeu ſpiritualibus, ſeu corporalibus, exercendis incumbit, v. g. curæ ægrorum vel hoſpitum, inſtructioni rudiorum, &c. hic ut alacri animo, ita & hilari vultu partes obeat ſuas.

V. 11. Κυρίῳ, id eſt, Domino, ſcilicet Deo & Chriſto, servientes, non mundo vel hominibus ad oculum, non idolis, &c. Et ita legunt paſſim Latini, Græci & Syrus. Sed Ambroſius & Eraſmus malunt legi, καιρῷ, id eſt *tempori*, id eſt temporis exigentiæ & oportunitati *ſervientes*, ut olim Pittacus monebat, γίνωσκε καιρόν, id eſt *noris tempus*, ſeu temporis oportunitatem, *captare*.

V. 12. Spe & certa expectatione bonorum in cælis paratorum gaudentes.

V. 15. Gaudere vos volo cum gaudentibus, & flere cum flentibus; quaſi dicat: Tantam opto inter vos Chriſtianos eſſe ſympathiam, ut ſingulorum bona vel mala, proſpera vel adverſa, æque vos atque illos tangant; quod ſecundum S. Baſilium & Bernardum *h* eximiæ perfectionis eſt & virtutis omnino completæ.

V. 16. Non alta sapientes; id eſt, non elate de vobiſmet aut veſtris talentis ſentientes, ut ſupra alios eminere velitis: sed humilibus consentientes; Græce, *vilibus*, ſeu vilioris conditionis, ſeu hominibus, ſeu officiis, *obſecundantes*, condeſcendentes, & illis vos accommodantes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: quaſi putetis, veſtra vobis ſufficere conſilia, nec alienis opus habere: ita S. Chryſoſt. & Theodoretus.

V. 19. Non vosmetipsos defendentes. Græce, ἐκδικοῦντες, id eſt *vindicantes*, ut etiam Tertullianus & Syrus legunt: nam olim *defendere* idem erat quod *ulciſci*, ſeu *vindicare*, ut recte annotavit Nonius Marcellus, Gellius, & alii, & nos alibi k docuimus. Porro pharmaca contra vindictam & ultionis appetitum præſtantiſſima nobis ſuggerit Tertullianus libro de Patientia *l*, & ex eo Corn. a Lapide. Sed date locum irae; id eſt, cedite iræ, ne repugnetis iræ illius contra iurgando vel repercutiendo. Sic Livius *m* monet, *date ſpatium iræ*. Ubi contra Manichæos, Anabaptiſtas, Eraſmum & Lutherum nota, non publicam, ſed ſolum privatam prohiberi vindictam. Nam quæ a principe vel alio magiſtratu fit, ea fit nomine & loco & iuſſu Dei, ſibi eam depoſcentis *n*. Mihi vindicta competit, & ego retribuam, ſeu per me, ſeu per vicarios meos. Ex tua vero parte

V. 20. Ciba esurientem inimicum tuum. Sic monet Sapiens *o*. Hac via congeres super caput eius carbones ignis, ſeu ignitos, non irarum vel rixarum, ſed contritionis, pœnitentiæ, amoris & caritatis, quibus accendetur cor eius & inflammabitur ad te redamandum.

(a) Rom. ix. 10. 11.
(b) Rom. xi. 36.
(c) Ioan. iv. 24.
(d) Proleg. de Idiotiſm. Hebr. num. 4.
(e) Ibid num. 11.
(f) Hic verſ. 3.
(g) Actor. vii. 3.
(h) Baſil. hom in Iulittam Martyrem. Bern. Serm. de B. Magdalena.
(i) Gellius Lib. I. cap. ix.
(k) Iudith 2. 12.
(l) Tertull. de Patien. cap. ix. & xi.
(m) Livius dec. 1. Lib. 1.
(n) Deut. xxxii. 31.
(o) Prov. xxv. 21.

GORDONI.

Verſ. 1. Obsecro itaque vos. Hoc totum ad mores pertinet. Hortatur eos ad quos ſcribit, ut ſe exhibeant hoſtiam Deo, ſed viventem, ſanctam, Deo placentem, obſequium rationabile. Obſecrat per miſericordiam Dei, quaſi diceret æquum eſſe, ut qui in hac veſtra vocatione tantam a Deo miſericordiam accepiſtis, memores tantæ benevolentiæ Dei prompti ſitis ad ea præſtanda quæ Deus a vobis exigit. Viventem vocat hoſtiam, ne quis fallatur putans corpora

pora oblata Deo, eſſe mactanda. Vivant porro in novitate ſpiritus. SANCTAM, ſeparatam ab inquinamento & terrenis maculis. PLACENTEM. Iudæi ſacrificia offerebant Deo, ſed non placebant, ut pote abſque ſincero animo &. obedientia. RATIONABILE OBSEQIUM: λατρεία λογική, ſecundum rationis legem; ubi nihil deſit ad perfectionem operis, nihil redundans per ſuperſtitionem; vel λογικὴ ſecundum mentem & ſpiritum. Ratio enim docet Deum qui ſpiritus eſt in ſpiritu adorandum.

Notent novi Sectarii Paulum hic hortari eos, quos putat poſſe ex libero arbitrio ſequi eius monita. Scit, inquam, eos ad hoc bonum eſſe liberos; aut certe inutiliter hæc proferret. Ex hoc capite exhortantis argumentatur etiam pro libero arbitrio Iuſtinus de grat. & correpr. cap. xi. Lege Auguſtinum Apologia ad Antoninum. Ceterum hoſtia quæ hic proponitur, maxime hoſtiam ſpiritualem refert & hoſtiam boni operis. Nec ideo caret Eccleſia alio vero, & tamen incruento ſacrificio.

V. 2. NOLITE CONFORMARI: *μὴ συσχηματίζεσθε:* nolite induere formam mundi, mundana ſectantes, non cæleſtia, ſed tranſite ad novitatem ſpiritus, ut videre poſſitis quid a vobis requirat Deus, & quæ ſit divina voluntas de vobis, quæ non eſt niſi bona, perfecta & placens divinæ maieſtati. Clarius vero ſi accipias voluntatem pro obiecto, ſeu eo quod Deus vult de nobis.

V. 3. DICO AUTEM. Senſus hic eſt: Hoc autem eſt quod ut Apoſtolus & munere non fungens, primum dico, ne quis plus efferatur & magnifice ſentiat, quam oportet; ſed ſobrie & modeſte ſapiat, pro menſura doni ſibi in fide collati, & intra doni illius terminos ſe contineat. Providendum vero eſt, iis qui magna dona acceperunt, ne alios turbent: eſt enim hæc ſapientium non rara amentia. Porro cum in aliis rebus, tum maxime in diſcutienda divina voluntate eſt adhibenda illa ſobrietas & temperantia.

V. 4. & 5. Explicat plenius quod dixit de modeſto, moderato & prudente exercitio functionum, ſecundum cuiuſque donum & gratiam quam accepit. Ait ergo primum membra varia Eccleſiæ uniri ſub uno capite, a quo diriguntur. Illi obtemperandum eſt: nullum membrum in aliud inſoleſcat: omnia ſe mutuo iuvent, ut in naturali, ita & in myſtico hoc corpore: nullum in functionem alterius ſe ingerat. Omnia corporis bonum tueantur uniti Chiſto.

V. 6. 7. & 8. HABENTES AUTEM. Quilibet ſortitur ſub Chriſto miniſterium ſuum, etiam in gratiam alterius prout accepit dona gratiæ. Quidam accipiunt donum prophetiæ, ſed ſecundum rationem fidei, & non in auguriis more gentium: alii accipiunt gradum miniſterii, Epiſcopi, ſacerdotis, diaconi, ut rite miniſtrent, & iuxta præſcriptum ordinem. Sunt porro alii doctores, nempe deſtinati ut alios inſtruant, doceantque quod ignorant. Aliis eſt conceſſa gratia exhortandi populum, ἐν παρακλήσει. In his omnibus nemo alteri moleſtus ſit. Qui denique præficiuntur facultatibus Eccleſiæ, & collectis quas offerunt fideles, horum eſt pauperibus has diſtribuere eleemoſynas bona fide, & ſine perſonarum acceptione. Qui præeſt & congregationis præfectus eſt conſtitutus, invigilet ſollicite gregi ſibi commiſſo. Qui hoſpitio excipit & ægrorum curam ſuſcepit, alacri animo omnia præſtet. Et hactenus de uſu & exercitio donorum & gratiarum: ſequuntur generalia quædam documenta. In hac autem data inſtructione de uſu donorum, τῶν χαρισμάτων, ſubintelligendum quod ſupra dixit verſ. 3. oportere ſapere ad ſobrietatem.

V. 9. uſque ad 16. DILECTIO SINE SIMULATIONE, Hæc, ut iam dicebam ad omnes: quiſque, inquit, ſe ita gerere debet, ut dilectio ſit ſincera *ἀνυπόκριτος*, *ſine fuco:* qui ſimulat amorem decipit proximum. Non ſit porro dilectio in malum, qualis eſt laſcivorum aut malefactorum: ſtet fraterna caritas. In Græco φιλόστοργος. Auget rem, ut ſit caritas quaſi conſanguineorum: honore ſe mutuo præveniant, & animo bene merendi de proximo, *προηγούμενοι*, antecedentes, & priores in honorando. Impigrum eſſe oportet, & accendi quodam impetu ac fervore ſpiritus ad benemerendum de aliis: quicquid oſtentanter fit, vitioſe fit. DOMINO SERVIENTES. Ratio eſt, cur abiicienda ſocordia, quia ut Domino ſervientes omnia vos agere oportet. SPE GAUDENTES; ex futura retributione. ORATIONI INSTANTES; perſeve-

tan-

Digitized by Google

rantes, προσκαρτεροῦντες, *perſequentes*. Sic mens fulcienda. NECESSITATIBUS SANCTORUM COMMUNICANTES, ſuccurrendum ut fratribus, ſic Chriſtianis ſuccurendum. HOSPITALITATEM SECTANTES, διώκοντες, *perſequentes*: certe invitantes, præoccupantes, ut olim Abraham. BENEDICITE, bene precamini. IDIPSUM INVICEM SENTIENTES. Hic & conſequenter proponit quæ faciunt ad concordiam. Æſtima de proximo, ut de teipſo; ſume a teipſo exemplum amoris in proximum. Alia ſubiungit quæ facilia ſunt.

V. 19. & 20. DATE LOCUM IRAE. Syrus, *ne ulciſcamini*. Non eſt quilibet iniuriæ ultor, ſed Deus. Privatus periculo ſuo petit vindictam. Locus porro datur iræ, dum aliorum in nos iram non accendimus contradicendo, maledicendo, &c. NON DEFENDENTES: *non vindicantes*, ἐκδικοῦντες. Idem quod Syrus. Carbones congerere eſt effectus caritatis, dum amando reddimus benevolum adverſarium: ſic beneficio vincitur, & optima arte cogitur odium deponere.

CAPUT XIII.

Hortatur ut ſuperioribus obtemperent inferiores, etiam propter conſcientiam, quamquam civilem tantum gerant magiſtratum, omnibuſque debita reddant: de proximi dilectione, ad quam univerſa lex reducitur: & de tempore gratiæ, ut tranſactis legis tenebris, relictis vitiis, amplectantur Chriſti virtutes.

1. OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: (*a*)
Non eſt enim poteſtas niſi a Deo: * quæ autem ſunt,
a Deo ordinatæ ſunt. 2. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei
ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi dam-
nationem acquirunt: 3. nam principes non ſunt timori
boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſta-
tem? Bonum fac; & habebis laudem ex illa: 4. Dei e-
nim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum fece-
ris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vin-
dex in iram ei, qui malum agit. 5. * Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non
ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. 6. Ideo enim & tribu-
ta præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. 7. (*b*) Red-
dite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal:
cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. 8. Nemini quidquam de-
beatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem imple-
vit. 9. Nam: (*c*) Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non fal-
ſum teſtimonium dices: Non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum,
in hoc verbo inſtauratur: (*d*) Diliges proximum tuum ſicut teipſum. 10. *
Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio. 11.
Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc e-
nim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. 12. * Nox præceſſit,
dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur
arma lucis. 13. Sicut in die honeſte ambulemus; (*e*) non in comeſſationibus,
& ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æ-
mulatione: 14. (*f*) ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis cu-
ram ne feceritis in deſideriis.

(a) Sap. vi. 4. I. Pet. ii. 13. (b) Matth. xxii. 21. (c) Exod. xx. 14. Deut. v. 18. (d) Levit. xix. 18. Matth. xxii. 39. Marc. xii. 39. Marc. xii. 31. Gal. v. 14. Iac. ii. 8. (e) Luc. xxi. 34. (f) Gal. v. 16. I. Pet. ii. 11.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 1. *Quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt.* Femininum *ordinatæ* non eſt commutandum cum neutro *ordinata*.

Verſ. 5. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote.* Præferendus eſt ablativus *neceſſitate* dativo *neceſſitati*.

Verſ. 10. *Dilectio proximi malum non operatur.* Et hic præferendus genitivus dativo *proximo*.

Verſ. 12. *Nox præceſſit.* Non mutes *præceſſit* in *proceſſit*, id eſt diphtongum *æ* in vocalem quartam.

NOTATIONES.

Verſ. 5. I*Deo (ideoque* O. *) neceſſitate ſubditi eſtote.* Multi codices *neceſſitati* legunt cum expoſitoribus Carenſi, Thoma, Lyrano, Brunone, Viguerio, ſed plures, melioreſque (inſignes noſtri Brug. Lob. Leod. Mal. ma. mi. T. O. E. L. antiqui Epanorthotæ.) cum Anſelmo, Gorran, & Richelio, *neceſſitate*: quo modo apud D. Auguſtinum libello in quaſdam huius epiſtolæ propoſitiones, expoſitione non diſſonante, & Primaſium legitur. Gloſſa, & Lombardi commentarius utrumque legendi modum explicant. Græci libri fere ſcribunt: *διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι*, quod eſt: *Ideo neceſſitas ſubdi*: cuius paraphraſim Syri dederunt hanc: *Et propter hoc neceſſitas nobis ut ſubdamur*. Interpres aut legit, aut intellexit *ἀνάγκῃ* (Complutenſis novi Teſtamenti editio impropriis diphtongis *ῃ* & *ῳ* numquam ſubſcribit iota) id quod tranſtulit *neceſſitate*, tametſi etiam *neceſſitati* transferri poſſit, & infinitivum imperativi loco accepit, vel *ὑποτάσσεσθε* habuit, ut eſt in Complutenſi (Anni 1514.) & Baſileenſi (Anni 1538.) editionibus. Auctor commentariorum Ambroſio attributorum contra alios omnes omittit *τὸ neceſſitate: Ideoque ſubditi eſtote non ſolum propter iram &c.* quomodo & apud Sedulium legitur huius commentarium referentem.

V. 12. *Nox præceſſit: dies autem appropinquavit* (*appropinquabit* O.) Exſtimant quidam *proceſſit* a librariis in *præceſſit* mutatum: eo quod vox Græca *προκόπτειν procedere, progredi, ad finem tendere* ſignificet. Sane hæc eſt vocis propria ſignificatio: ſecundum quam Chryſoſtomus, & clariſſime Theophylactus hunc Apoſtoli locum enarraverunt. Significat tamen eadem dictio & *præterire, tranſire, præcedere*. Unde veteres Latini aliquando *Nox præteriit* legunt, ut Hieronymus in caput XXVI. Matthæi, quandoque: *Nox tranſivit*, ut Cyprianus ſermone de zelo, & livore; alias: *Nox proceſſit*, ut Ambroſius manifeſte libri 5. de Sacramentis cap. IV. ſermoneque 52. & Auctor commentariorum Ambroſio adſcriptorum ſermone 52. B. Ambroſii verba ſunt: „ Præceſſit, inquit, nox, non ſequitur; ut intelligas fere perveniente Chriſti lumine, & diaboli tenebras effugari, & peccatorum obſcura non ſubſequi, & iugi ſplendore præteritas caligines depelli, ſurrepentia delicta prohiberi. „ Vox Syriaca *tranſire* ſignificat, eadem quæ Hebræis עֲבַר: *Nox nunc tranſivit*, Syriacum habet. Apud Hieronymum libro in Iovinianum primo, & Auguſtinum Epiſtola LXXX. legitur: *Nox præceſſit*: ſed Hieronymi locum conſtat a correctore mutatum, quem & Titelmannus pro *præceſſit* adfert, quod in aliis exemplaribus *præceſſit* legerit. In epitaphio Nepotiani manſit *præceſſit*: quamquam nec hanc conſtet genuinam eſſe Hieronymi ſcripturam. Libri noſtri novi Teſtamenti Latini, Latinique enarratores, Anſelmus, Auctor Gloſſæ, ac poſteriores *præceſſit* legunt. Ceterum agnoſcendum id eſt facilem eſſe lapſum ex *pro* in *præ* & & facilem temeritati mutandi anſam id quod minus intelligit, denique *præceſſit* belle congruere verbo *appropinquavit*, quamvis non abſurde dicatur nox præceſſiſſe dieſque appropinquaſſe, cum nox propinqua eſt fini; rurſum cum nox & tenebræ miſcentur in diluculo.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. OMNIS ANIMA, id eſt omnis homo, Hebræorum more, SUBDITA SIT POTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS, Græc. *ὑπερεχούσαις*, id eſt *præcellentibus*; intelligit autem magiſtratus publicos: QUAE AUTEM SUNT, Græci addunt *ἐξουσίαι*, id eſt *poteſtates*, a DEO ORDINATAE SUNT.

V. 3. TIMORI BONI OPERIS, Græce φόβος ἔργων ἀγαθῶν, ad verbum, non ſunt terror bonorum; id eſt, in terrorem bene operantium, ſed male.

V. 5. NECESSITATI SUBDITI. Græc. eſt: διὰ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, & ſenſus eſt, ideo neceſſitas eſt vos illis ſubiici. Noſter legit διὰ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, & tunc τὸ ἀνάγκη in ablativum neceſſitate verti poteſt, & ſenſus eſt: Subditi eſtote illis propter neceſſitatem parendi, & obligationem divinam. Si vertitur in dativum, neceſſitati, ſenſus eſt, ſubditi eſtote neceſſitati, id eſt auctoritati principum, & ſic interpretatur Auguſtinus. Vult autem nos ſubeſſe principibus, & poteſtatibus, NON SOLUM PROPTER IRAM, id eſt, propter divinam ultionem, SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM ad id nos exhortantem, ut conſcientia arguat ex ipſa tributorum penſio. ne parendum illis eſſe, unde ſubdit: *Ideo enim & tributa præſtatis*.

V. 9. IN HOC VERBO INSTAURATUR. ἀνακεφαλαιοῦται. Origenes legit *reſtauratur*, Ambroſius *conſummatur*, Auguſtinus *recapitulatur*: certe ἀνακεφαλαιοῦσθαι eſt ſummatim colligere, & in ſummam ſive ad caput vel capita redigere; ſenſus ergo eſt, Quod omnia alia præcepta rediguntur ad præceptum dilectionis, & in eo comprehenduntur.

V. 11. ET HOC SCIENTES. Eclipſis eſt, & referendum ad id quod longe ante præceſſit: *Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*, & hoc ſubaudi, facite, *ſcientes tempus τὸν καιρόν*, id eſt opportunitatem adeſſe id faciendi: ita Photius interpretatur. QUAM CUM CREDIDIMUS, id eſt credere incepimus.

V. 12. NOX PRAECESSIT: vel infidelitatis, peccati, & ignorantiæ, vel umbrarum Moſaicarum, dies autem gratiæ appropinquavit.

S A.

Verſ. 1. ANIMA, id eſt homo. SUBLIMIORIBUS, id eſt ſuperiorum ſuorum. A DEO, ſcilicet vel iubente, vel ſinente: Auguſt. XXII. cont. Fauſt. SUNT. Græc. & Syr. *ſunt poteſtates*. ORDINATAE, id eſt poſitæ, ſcilicet ad mundi ordinem conſervandum, quo alia per alia reguntur. Not. poteſtates legitimas a Deo dari, alias ab eo permitti, ut tyrannorum. Cur autem illas plerumque det improbis, non ſemper cognoſci poteſt ab hominibus.

V. 2. POTESTATI, ſcilicet legitimæ.

V. 3. TIMORI, &c. id eſt timendi bene agentibus, ſed malis. HABEBIS, ſcilicet merito, etſi non ſemper re.

V. 4. IN IRAM, id eſt ad puniendum, ſeu inferendum ſupplicium.

V. 5. NECESSITATE, id eſt omnino. IRAM, id eſt pœnam evadendam. CONSCIENTIAM, ſcilicet ne inobedientiæ peccato maculetur.

V. 6. IN HOC IPSUM, ſcilicet ut Deo miniſtrent.

V. 9. NON ADULTERABIS, &c. futura pro imperativis. INSTAURATUR: ἀνακεφαλαιοῦται, id eſt *recapitulatur*, ſeu *ſummatim comprehenditur*. Syr. *continetur*.

V. 10. MALUM, ſcilicet proximo. PLENITUDO, id eſt perfectio, ſeu impletio. DILECTIO, ſcilicet proximi, in qua Dei dilectio includitur.

V. 11. HOC, ſcilicet facite. HORA, id eſt tempus. SALUS, ſcilicet æterna. CREDIDIMUS, id eſt credebamus, ſcilicet Chriſtum venturum.

V. 12. PRAECESSIT. Syr. *præteriit*. DIES, ſcilicet lucis Evangelicæ. TENEBRARUM, ſcilicet peccata. ARMA, id eſt opera, quæ & arma ſunt, & veſtes, ſi lucis ſint, id eſt bona, ſcilicet a gratia profecta. Syr. *amictum*.

V. 13. SICUT, id eſt tamquam. HONESTE, id eſt modeſte, ſeu decenter. ET IMPUDICITIIS. *Et*, pro, id eſt. AEMULATIONE, id eſt invidia.

V. 14. ET CARNIS, &c. id eſt ne corpori curam impendatis. IN DESIDERIIS, id eſt obediendo concupiſcentiis eius.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. A DEO ORDINATAE SUNT. Sic lege, non *ordinata*, ut Regia & Lovan. Senſus: Poteſtates, quæ ſunt in mundo, a Deo ſunt ordinatæ.

V. 2. DAMNATIONEM ACQUIRUNT, non a Iudice tantum, ſed etiam a Deo, qui poteſtati reſiſtunt.

V. 4. VINDEX IN IRAM EI: ut puniat, miniſter habens poteſtatem.

V. 5. IDEO NECESSITATE SUBDITI ESTOTE,

τε, id eſt *neceſſum eſt ſubiici*, ut eſt Græc. Non solum propter iram, id eſt punitionem a Iudice, ſed quia ita conſcientia dictat, quia id iuſtum eſt.

V. 6. Ideo enim et tributa. Quia ſcilicet ſunt ſuperiores veſtri, & miniſtri Reipublicæ, tributa illis datis.

V. 8. Nemini quidquam debeatis; quaſi dicat, Debita præſtate omnibus; ſic mutua dilectio ſtabit. Nisi ut invicem diligatis. Hoc debitum perpetuum eſt; nemo ſe illo exolvere poteſt. Simul his verbis monere incipit, quomodo ſubditi inter ſe amare debeant. Qui enim diligit proximum, legem implevit, quæ de proximo mandat.

V. 9. Non falsum testimonium dices. Hoc Græce non eſt in Regiis, nec Syr. nec Goth. Robertus tamen in ſuo Græco Teſt. ponit, Οὐ ψευδομαρτυρήσεις. In hoc verbo instauratur omne mandatum: *ἀνακεφαλαιοῦται, recapitulatus*, comprehenditur, ſcilicet dilectionis.

V. 11. Et hoc scientes tempus; quaſi dicat: Tempus monet, ut quæ ſunt dicta faciatis. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus, id eſt quam cum cœpimus credere. Nimirum hora mortis propior eſt.

V. 12. Nox praecessit. Forte *proceſſit*, ut quidam ait, tum quia ſi nox præceſſit, iam dies non appropinquat, ſed adeſt; tum quia *προκόπτω*, quod Græce eſt, id proprie ſignificat. Sed ut noſter, legit Cyprianus Serm. de Zelo & livore, & Hieronymus Matth. cap. xxvi. Syr. etiam *nox præteriit* dixit: neque præcedendi ſignificatio eſt prorſus ab eo verbo Græco aliena. Dies autem appropinquavit. Finge in crepuſculo id dici. Induamur arma lucis, id eſt honeſtas actiones ſumamus.

V. 13. Honeste ambulemus, ut in die, εὐσχημόνως, id eſt *honeſto habitu*. Sic Ambroſius legit I. de Offic. cap. xlv. in honeſta veſte, non ut in nocte, veſte vulgari.

V. 14. Et carnis curam. Oportet corpus ita curare, ut; concupiſcentiis eius repugnemus, non illis ſerviamus.

MENOCHII.

Verſ. 1. Omnis anima: omnis homo. Potestatibus sublimioribus: principibus, & magiſtratibus. Non est enim potestas nisi a Deo. *Non tribuamus*, inquit Auguſtinus Lib. V. de Civitate Dei cap. xxi. *dandi regni, atque imperii poteſtatem niſi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum ſolis piis, regnum vero terrenum, & piis, & impiis, ſicut ei placet, cui nihil iniuſte placet*. Quae autem sunt, id eſt poteſtates. A Deo ordinatae sunt: *τεταγμέναι*, ordinatæ, inſtitutæ, decretæ.

V. 2. Sibi damnationem acquirunt: tum ab ipſa poteſtate temporariam, tum a Deo æternam in inferno.

V. 3. Nam principes non sunt timori, &c. id eſt, non intentant pœnas, & ſupplicia bonis, ſed malis. Habebis laudem ex illa: ſcilicet poteſtate.

V. 4. In bonum: in bonum tuum, ſcilicet ut iuſte, & tranquille vivas, immo laudem etiam, & præmia conſequaris. Non enim sine causa gladium portat: ſed ut eo utatur, ut eum ſtringat in malefactores. Vindex in iram: ad iram, hoc eſt ad ſupplicium ſumendum de malefactoribus.

V. 5. Necessitate subditi estote: propter neceſſitatem præcepti, & divinæ ordinationis poteſtates conſtituentis. Propter iram, id eſt punitionem. Propter conscientiam: ne ſcilicet ea fiat rea coram Deo: Dei enim miniſter eſt magiſtratus.

V. 6. Ideo enim et tributa praestatis: nam ſolutio tributorum ſubiectionis eſt profeſſio. In hoc ipsum servientes: in hoc ipſum incumbentes, ut Dei loco bonis ſint in tutelam, malis in ultionem.

V. 7. Cui tributum: ſcilicet debetis, tributum reddite. Tributum Græce eſt, φόρος, id eſt, tributum, vel cenſus facultatum, & perſonarum. Vectigal. Græc. τέλος, id eſt quod pro mercibus importatis, vel exportatis penditur. Cui testimonium: reverentialem, & obedientialem.

V. 8. Nisi ut invicem diligatis: debitum enim caritatis, & amoris proximi etiam poſtquam exſolveris adhuc debes,

ſemper enim diligendus eſt. LEGEM IMPLEVIT: omnia ſcilicet præcepta, quæ proximum ſpectant.

V. 9. IN HOC VERBO INSTAURATUR: ἀνακεφαλαιοῦται, id eſt *recapitulatur*, ſeu *ſummatim comprehenditur*.

V. 10. MALUM NON OPERATUR: non incitat ad malum aliquod proximo inferendum. PLENITUDO ENIM LEGIS EST DILECTIO; id eſt, dilectio ita nos diſponit, ut legem adimpleamus, nemini noceamus, ſed omnibus benefaciamus.

V. 11. ET HOC; ſcilicet quod iam dixi, præſtemus. HORA EST IAM NOS DE SOMNO SURGERE: cum viderimus lucem Evangelii, par eſt ut a ſomno negligentiæ, & peccatorum veterno evigilemus. PROPIOR EST NOSTRA SALUS, QUAM CUM CREDIDIMUS: Evangelio promulgato viciniorem habemus ſalutem, quam eo tempore haberemus, cum tantum credebamus, & nondum Chriſtus nobis fuerat exhibitus.

V. 12. NOX PRAECESSIT: προέκοψε, *proceſſit*. Nox huius ſæculi plena tenebris, errorum, & peccatorum, longe iam progreſſa eſt, ad finem iam properat, ac ferme iam præteriit. DIES AUTEM APPROPINQUAVIT: adeſt vobis tempus Evangelicæ lucis. OPERA TENEBRARUM: peccata, quæ lucem fugiunt. *Qui enim male agit, odit lucem*: Io. III: INDUAMUR ARMA LUCIS, id eſt opera bona, quæ clara luce ſine pudore exhiberi, & exerceri poſſunt. Hæc enim ſunt arma quibus nos munimus contra hoſtium aſſultus, & quibus illos vincimus.

V. 13. SICUT IN DIE HONESTE AMBULEMUS: honeſte, modeſte, compoſite, ut homines bene morati de die præſertim facere ſolent. AMBULEMUS: converſemur. NON IN COMESSATIONIBUS: comeſſationes ſunt convivia, quæ non honeſtatis, ſed gulæ cauſa fiunt. NON IN CUBILIBUS: hoc eſt, non in fornicationibus, quæ fiunt in cubilibus. IMPUDICITIIS: ἀσελγείαις, laſciviis, & libidinibus. NON IN CONTENTIONE, ET AEMULATIONE: contentio eſt quæ in honoribus aſſequendis, & in humana gloria obtinenda verſatur, dum alius ſuperare nititur, ex qua æmulationes, & invidiæ procedunt.

V. 14. SED INDUIMINI DOMINUM IESUM CHRISTUM: ita mores veſtros componentes, ut Ieſu Chriſti Spiritus, gratia, virtus in vobis eluceat. ET CARNIS CURAM NE FECERITIS IN DESIDERIIS: ne ita corpori veſtro ſerviatis, ut indulgeatis eis quæ concupiſcentia carnis inordinate deſiderat.

T I R I N I.

Verſ. 1. OMNIS ANIMA, (id eſt omnis homo *a*,) POTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS; Græce, *ſupereminentibus*, id eſt principibus & magiſtratibus, qui poteſtate regendi ſeu imperandi præditi ſunt; SUBDITA SIT in omnibus, in quibus illi poteſtatem ac iuriſdictionem habent: nempe politico magiſtratui in civilibus & temporalibus negotiis: Eccleſiaſtico in ſpiritualibus. Inculcat hoc S. Paulus occaſione calumniæ, quæ Chriſtianis paſſim tum temporis inurebatur, quaſi ſectatoribus Iudæ Galilæi, qui Iudæos olim ſolitarat ad defectionem a Romanis, dicens, populum Dei non debere ulli externo principi ſubeſſe. Et hanc hæreſin ita alte imbiberant plerique Iudæi, ut ne morte quidem propoſita poſſent ab ea divelli. Unde & Chriſtus *b*, & Apoſtoli, ut hanc notam a Chriſtianis (qui Iudæis adſcenſebantur) ſemoverent, paſſim inculcant, obediendum principibus etiam Ethnicis. Quod ſeptem argumentis hic probat S. Paulus. Primo, quia Deus ſic ordinavit, inſtituit & præcepit. NON EST ENIM POTESTAS, id eſt principatus ſeu magiſtratus, a diabolo vel a ſolis hominibus invectus, ſed A DEO, ſic ordinante & diſponente, ut homines hac ratione a multis ſceleribus coerceantur, iuſtitiam colant & pacem, nec ſe mutuo ut piſces devorent. Et quidem Eccleſiaſtica poteſtas immediate a Deo & Chriſto inſtituta eſt, ut conſtat: politica vero ſaltem mediate, quia natura & recta ratio, (quæ a Deo eſt) ita dictat & ſuadet. Et licet principes alioqui eſſent infideles aut tyranni, ſi tamen legitime creati ſunt, poteſtatem ſuam habent a Deo, ut expreſſe docet S. Auguſtinus *c* & alii patres. QUAE AUTEM SUNT, ſeu in orbe exiſtunt, etiam Gentiles poteſtates, A DEO ORDINATAE, decretæ, conſtitutæ & apto ordine diſtributæ SUNT, quibus omnes auſcultare & obedire debent, niſi velint ipſi Deo earum auctori rebelles eſſe,

V. 2.

V. 2. SIBIQUE DAMNATIONEM, tum ab ipſo magiſtratu temporariam, tum a Deo æternam, accerſere, Quod eſt ſecundum argumentum.

V. 4. DEI MINISTER EST. En tertium argumentum. Vices Dei gerit princeps: ergo illi quaſi Dei vicario reverentia & obedientia præſtanda. IN BONUM TIBI, ut poſſis pacate ac tranquille vivere, immo laudem & præmia nanciſci præclare factorum. VINDEX IN IRAM, id eſt, ad ſupplicium ſumendum de malefactoribus. Et hoc eſt quartum argumentum. Sequitur quintum:

V. 5. NECESSITATE tum divinæ, tum humanæ legis, SUBDITI ESTOTE, NON SOLUM PROPTER IRAM, ſeu punitionem alioquin infligendam, SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM. Ne fiat hæc rea violatæ legis, & læſæ maieſtatis, etiam divinæ.

V. 6. IDEO ENIM ET TRIBUTA illis PRAESTATIS. Solutio enim tributorum eſt profeſſio tum poteſtatis & dignitatis illorum, tum veſtræ ſubiectionis erga illos, tamquam *miniſtros* & vicarios Dei, IN HOC IPSUM SERVIENTES vobis, ut Dei loco bonis ſint in tutelam, malis in ultionem, toti reipublicæ in auxilium, præſidium & ſolatium. Et eſt hoc ſextum argumentum.

V. 7. CUI TIMOREM, id eſt reverentiam, & (quæ inde conſequitur) obedientiam debetis, REDDITE debitum TIMOREM: ita Chryſoſt. & Theophylactus.

V. 8. NEMINI QUIDQUAM DEBEATIS; id eſt, nemini manete debitores, ſed mature debita omnia veſtra exſolvite, omnibus debitis ſatisfacite, omnibus vos liberate, ſolo debito fraternæ caritatis excepto, quo nolo vos umquam exſolvi, ſed nec exſolvi poteſtis, ſeu erga pares, ſeu erga ſuperiores, parentes & magiſtratus. His enim amandis, honorandis & colendis numquam ita facietis ſatis, quin ſemper ulterius debitum reſtet, inquit S. Chryſoſt. Aug. & Fulgentius *d*. Eſtque hoc ſeptimum argumentum, nempe caritas Chriſtiana exigit, ut quemque in ſuo gradu, & pro gradu cuiuſque diligamus, pares amando ut tales; ſuperiores etiam reverendo, & eis obediendo ut vicariis Dei. QUI ENIM ſic DILIGIT PROXIMUM, LEGEM totam ſecundæ tabulæ, ut ſequitur, IMPLEVIT. *Omne* enim ſecundæ tabulæ

V. 9. MANDATUM IN HOC VERBO INSTAURATUR: *ἀνακεφαλαιοῦται*, id eſt *recapitulatur*, ſeu *ſummatim comprehenditur*: ita S. Auguſtinus *e*.

V. 10. PLENITUDO, id eſt plena conſummatio; Græce, *completio*, LEGIS EST DILECTIO.

V. 11. ET HOC quod hactenus dixi, ſtudete perficere, SCIENTES TEMPUS eſſe; Græce, *καιρὸν*, id eſt opportunitatem, nempe quam Chriſti adventus, & Evangelium nobis attulit, ad proximum diligendum, ad ſuperiores honorandos, ad obediendum magiſtratibus; denique ad tribuendum unicuique quod debemus, & ſic totam legem complendam. HORA EST IAM diei, lucis, fidei & gratiæ, qua decet NOS DE SOMNO negligentiæ, & peccatorum veterno evigilare & *exſurgere*. NUNC ENIM exorto ſole & luce Evangelii, SALUS NOSTRA tum iuſtitiæ, tum gloriæ æternæ, PROPIOR (quia præſens & ad manum) nobis EST QUAM CUM ſolum CREDIDIMUS; id eſt, cum Chriſtus & ſalus ac redemptio ſperata per Chriſtum, necdum nobis eſſent exhibita, ſed ſola fide crederentur & ſperarentur nobis obventura, inquit Toletus.

V. 12. NOX, id eſt tempus ante Chriſti adventum, tenebris infidelitatis, peccatorum & ignorantiæ plenum, iam PRAECESSIT, id eſt *præteriit*, ut legunt S. Cyprianus, Hieronymus *f* & Syrus. Græcum *προέκοψεν* ſignificat, *proceſſit* (ut legit S. Auguſtinus *g* & Chryſoſt. cum ſuo Theophyl.) id eſt, promovit, progreſſa eſt, ad finem tendit, ac ferme præteriit. DIES AUTEM, id eſt tempus Evangelii & legis gratiæ, quod *ſol* Chriſtus radios divinæ lucis ſuæ quaquaverſum ſpargit, iam APPROPINQUAVIT, immo præſens eſt: ita S. Cyprianus, Ambroſius *h*, Auguſtinus & Theodoretus. Tam clara *ergo* luce ſuborta, ABIICIAMUS OPERA TENEBRARUM, id eſt peccata quæ lucem fugiunt & tenebras amant *i*. ET INDUAMUR ARMA LUCIS; id eſt, comparemus nobis opera virtutum ex luce fidei & gratiæ Chriſti prognata: quæ etiam lucem & conſpectum Dei & hominum amat: quibus quaſi veſtibus commodiſſimis tecti, & velut nobiliſſimis armis protecti, contra mundum, carnem, dæmonem ſecure depugnemus pugna tam offenſiva, quam defenſiva.

V. 13. NON IN CUBILIBUS, id eſt non in fornicatione, quæ fit in cubilibus & fornicibus. Hæc Pauli verba caſu ab Auguſti-

Digitized by Google

no perlecta longam in eo litem & luctam caſtitatis cum libidine tandem aliquando diremerunt, ut ipſemet enarrat k.

V. 14. INDUIMINI IESUM; id eſt, ornate & armate vos iis maxime virtutibus quæ in Chriſto eluxerunt, ut ex his inſignibus omnes agnoſcant, vos eſſe domeſticos & ſervos, immo filios Chriſti: & qualem ipſe his armis victoriam ex hoſtibus retulit, etiam vos referatis: ita fere S. Chryſoſt. cum ſuis. ET CURAM CARNIS, mundi, dæmonum, IN DESIDERIIS, id eſt ad explenda eorum prava deſideria & ſtudia, NE FECERITIS; ſed hoſtes iſtos veſtros his armis configite, ſternite, calcate.

(a) Proleg. de Idiotiſmis. Hebr. num. 28 f. 34. Galat. v. 16. I. Petri. II. II. Ioſeph. Lib. XVIII. Antiq. cap. I.
(b) Matt. xxII. ſI.
(c) Auguſt. Lib. V. de Civ. cap. xxI.
(d) Auguſt. Epiſt. xcII. ad Cæleſtinum Fulgent. Serm. de Charitate.
(e) Auguſt. Lib. VIII. de Trinit. cap. VIII.
(f) Cypr. Lib. de Zelo & livore. Hieron. Matth. xxvI.
(g) Auguſt. epiſt. lxxx.
(h) Ambroſ. in Pſal. xlI.
(i) Iob xxIv. 15.
(k) Auguſt. Lib. VIII. Confeſſ. cap. ult.

GORDONI.

Verſ. I. OMNIS ANIMA. Homo omnis magiſtratui ſubditus eſſe debet & principibus: hæ enim poteſtates a Deo ordinatæ ſunt: & ſicut imperandi, ita & obtemperandi ordo eſt neceſſarius. Certe ubi omnium eſt idem ſtatus & honor, magna rerum confuſio eſt: a qua non valde abſunt novi Sectarii, qui nec caput in Eccleſia eſſe vellent, nec in civili poteſtate Imperatores aut Reges. Et quam puerile, quod in Summum Pontificem quidam eorum ex Paulo colligunt: Omnis anima ſubdita eſt: ergo etiam Papa. Cur non idem dicet de Imperatore & Regibus, ſi inſanæ mentis conſecutio illa locum ullum habet. Ceterum poteſtatem eſſe a Deo, eſt habere vim ab ipſo naturæ auctore, ut debeant homines ei obedire. Notat Vaſquez diſtingui hic poteſtatem & Principem: nulla ſane eſt poteſtas quæ non ſit a Deo.

V. 2. ITAQUE QUI RESISTIT. Honoratur Deus in Rege & Principe tamquam divinæ maieſtatis vicario: redundatque in Deum Magiſtratuum contemptio: I. Pet. cap. II. & reſiſtens damnationem ſibi acquirit. Græce κρίμα, *iudicium*; damnationem, inquam, apud ipſum Magiſtratum, quamvis aliqui per damnationem intelligant etiam ſupplicium: quod non reiicio.

V. 3. NAM PRINCIPES. Græce, ἄρχοντες. Principes non ſunt timor bonorum operum; ſeu non ſunt ad terrorem bene operantibus: ut ſit bonum opus pro operante bonum. Certe malus debet timere pœnam, bonus non habet unde timeat. Ergo, inquit, FAC BONUM, ET HABEBIS LAUDEM: *ex illa*, ſcilicet poteſtate: ut enim malorum pœna, ita laus bonorum expectatur a Magiſtratu. Ceterum quæ leges Magiſtratuum obligent conſcientias, & quæ tantum ad pœnam, dixi Lib. II. ubi de legibus.

V. 4. 5. 6. 7. DEI ENIM MINISTER EST. Scilicet in bonum tuum, portans gladium in malefactores. VINDEX IN IRAM, ira pro effectu, id eſt vindex in pœnam. NECESSITATE SUBDITI, neceſſitate præcepti, & ex Dei ordinatione. Tributa, φόρους vocant Græci, quia inferuntur: eſt enim hoc ſubiectionis profeſſio. τελεῖτε, DATE TRIBUTUM. IN HOC SERVIENTES. Dantur ſane tributa, ut coerceat Principes malos, & bonos promoveat. TRIBUTUM, φόρος, cenſus facultatum vel perſonarum. Vectigal, τέλος, datur pro mercibus exportatis vel importatis.

V. 8. 9. 10: NEMINI QUICQUAM. Hoc debitum eſt caritatis, & erga proximum ut diligatur. LEGEM IMPLEVIT. Saltem præcepta omnia erga proximum. Lex caritate inſtauratur, Græce ἀνακεφαλαιοῦται *compendio comprehenditur*: & in omnibus præceptis dilectio reperitur. Sic verſ. 10. præcepta in hoc conſiſtunt, ne in ulla re proximus lædatur. Ex his ſic ratiocinari licet: quicumque proximum ex vera caritate diligit, legem implevit; ſed qui legem implevit, iuſtus eſt: ergo qui proximum diligit, iuſtus eſt. In proximi dilectione Deus etiam diligitur. Sed quid de novis Sectariis, qui ut fatentur, legem ſervare non poſſunt? An non ex Paulo clarum eſt eos proximum non diligere? quæ etiam apud eos iuſtitia?

V. 11. 12. 13. & 14. ET HOC SCIENTES. Senſus eſt, cum hoc quod dixi, notum iam vobis ſit ex Evangelio vobis promulgato, tempus eſt ſurgere de ſomno negli-

gligentiæ & peccatorum: viciniorem nunc Chriſto revelato habetis ſalutem. Nox praecessit, nox errorum, προέκοψε *progreſſa eſt*, & ad finem properat, fere præteriit. Honeste ambulemus, εὐσχημόνως, *decenter*. Non in commessationibus, κώμοις deſignat luxurioſa convivia, κωμάζειν *petulans ſum*.

CAPUT XIV.

Fide firmiores debent eos qui adhuc infirmi ſunt fovere & non contemnere, & nec hi nec illi iudicare quemquam ob ciborum aut dierum diſcrimen, ſcientes quod omnes eumdem habeamus Dominum, cui & vivimus & morimur, cui etiam rationem quiſque pro ſe redditurus eſt: & quamquam nullus cibus iam ſit immundus, nemo tamen quidquam edere debet aut cum fratris offendiculo, aut contra ſuam conſcientiam.

1. INfirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum. 2. Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet. 3. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum aſſumpſit. 4. (*a*) Tu quis es, qui iudicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum. 5. Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. 6. Qui ſapit diem, Domino ſapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. 7. Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. 8. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. 9. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: * ut & mortuorum & vivorum dominetur. 10. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? (*b*) Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. 11. Scriptum eſt enim: (*c*) Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. 12. Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. 13. Non ergo amplius invicem iudicemus: ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. 14. Scio, & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. 15. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: iam non ſecundum charitatem ambulas. (*d*) Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. 16. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. 17. Non eſt enim regnum Dei, eſca & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto: 18. qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. 19. Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: * & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus. 20. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. (*e*) Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. 21. (*f*) Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. 22. Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo: Beatus, qui non iudicat ſemetipſum in

eo

eo quod probat. 23. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

(a) Iac. IV. 12. (b) II. Cor. v. 10. Iſa. xlv. 23. (c) Philip. II. 10. (d) I. Cor. VIII. 13. (e) Tit. I. 15. (f) I. Cor. VIII. 18.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 9. Ut Et mortuorum & vivorum dominetur. Non præponas vivos mortuis hoc quidem loco.

Verſ. 19. Et quæ ædificationis ſunt in invicem cuſtodiamus. Non omittas vel *in* præpoſitionem ante *invicem*, vel verbum *cuſtodiamus*.

Notatio.

Verſ. 9. IN *hoc enim* (*ergo* o.) *Chriſtus eſt & reſurrexit*, (1.MS.) *ut & mortuorum, & vivorum dominetur*. Duo Pariſienſium manuſcripta Paul. Ge. I. tria Hentenii, & quinque noſtra Leod. Mal. ma. So. la Pl. ang. Atr. conduplicant conjunctionem in priori, ut, in poſteriori parte: *Et mortuus eſt, & reſurrexit*: id quod Græcæ lectioni conſonat, multumque decoris ſententiæ adfert. Dein quædam manuſcripta pro *reſurrexit*, *revixit* habent. Porro Græci codices ſimul utrumque legunt hoc pacto: εἰς τοῦτο γὰρ χριστὸς καὶ ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, καὶ ἀνέζησεν: ſed in redundantiæ ſuſpicionem veniunt. Primum enim Complutenſis, omneſque ad quos ſuam Novi Teſtamenti Græcam editionem Pariſienſes contulerunt π littera ſignificati cum Græcis Chryſoſtomi, Theophylacti, & Oecumenii exemplaribus pro ἀνέζησεν, ἔζησεν, *vixit* pro *revixit* habent. Deinde Syri qui utrumque ſimiliter legunt, *ſurrexit* ponunt poſt *vixit*. *Mortuus eſt, & & vixit & ſurrexit*. Ad hæc apud Irenæum libri 3. cap. xx. & Auctorem commentariorum, quæ in Ambroſii ſunt operibus, *vixit* ponitur ante *mortuus eſt*: *Et vixit, & mortuus eſt, & reſurrexit*. Præterea Latini codices conſtanter alterum dumtaxat legunt, & pleraque quidem *reſurrexit*; quidam vero minime contemnendi, Pariſienſium Paul., noſtri E. Q. Pl. m. l. *revixit*; quibus Malmundarii minus exemplar antiquitate ſpectatiſſimum ſuffragatur: nam eraſæ prioris ſcripturæ loco minoribus, & coarctioribus litteris ſubſtitutum habet *reſurrexit*. Anacleti Papæ epiſtola prima tantum *revixit* ſcribit. Origenes, vel Hieronymus Origenis tranſlator, ſuppletorque *vixit*, idque ſolum legit: cui ea quæ in Ambroſii ſunt operibus commentaria concinere mihi certe videntur, tametſi quod dictum eſt, alio *vixit* loco habeant; atque ex Sedulio id manifeſtum poſſit evadere, qui dum horum commentariorum enarrationem adfert, dumtaxat legit: *In hoc enim vixit Chriſtus & mortuus eſt*. Ex his igitur videri poſſit redundare vel ἀνέστη *reſurrexit*: vel ἀνέζησεν, *revixit*, ſive ἔζησεν *vixit*, iis quibus utrumque legitur. Et quamquam judicare forte quis poſſet, ſuperfluum eſſe potius ἀνέζησεν *revixit*; ſive ἔζησεν *vixit*, quam ἀνέστη *reſurrexit*, quod illud aliter atque aliter, & alio atque alio loco legatur, ac minus frequens Latinis in Libris inveniatur, tamen hoc magis *reſurrexit*, addititium eſſe exiſtimarim in primis quod mox citati veteres id omittant, tum quod elegantius *vixit*, ſive *revixit* ei quod ſequitur: *Ut & mortuorum & vivorum dominetur* reſpondeat (mortuus eſt, ut mortuorum vixit, ſive revixit, ut vivorum dominetur) denique quod vocis ἔζησεν, vel ἀνέζησεν *vixit* vel *revixit* expoſitio fuiſſe videatur ἀνέστη *reſurrexit*, quæ ab aliquibus ad marginem adſcripta, cum in textum tandem irrepſiſſet, poſtea aliquando extruſerit id ad quod exponendum adhibita fuerat ut ſuperfluum, alias alium ad locum deturbarit quo ſuperfluum ſenſu haud eſſet. Quocirca & exiſtimant quidam germaniorem Latini Interpretis ſcripturam eſſe: *Et mortuus eſt & revixit*; altera: *& mortuus eſt & reſurrexit*, quæ vel ex alterius tranſlatione, vel ex alicujus explanatione ſumpta ſit. Porro horum duorum ἔζησεν, & ἀνέζησεν *vixit & revixit*, ἔζησεν *vixit* verius Græcis cenſuerim, quandoquidem in nobilioribus extet Græcis antigraphis, & celebrius ſit apud veteres, neque facile pro καὶ ἀπέθανε καὶ ἀνέζησεν, *& mortuus eſt, & revixit*, ſubſtituerit quiſquam καὶ ἀπέθανε, καὶ ἔζησεν, *Et mortuus eſt & vixit*. facilius longe e contra pro hoc illud. In poſteriori ſententiæ parte multi Latini codices præponunt *vivorum*, poſtponunt *mortuorum*: *Ut & vivorum & mortuorum dominetur*

Digitized by Google

netur; ſed ii ut alios multos ſibi adverſantes habent, ita Græcos, & Syrieos contrarios patiuntur, quin & rectum ordinem quo prioribus poſteriora reſpondent, niſi quis eum legendi modum, quem apud Irenæum, & Ambroſium eſſe diximus, ſequendum duceret.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. INFIRMUM AUTEM IN FIDE ASSUMITE. Græce pro aſſumite, eſt, προσλαμβάνεσθε, id eſt nolite abiicere quia infirmus eſt fide, id eſt cuius nondum plane confirmata eſt fides, idem enim valent infirmum in fide & infirmum fide, quomodo Græci legunt: vos ergo huiuſmodi infirmum nolite abiicere, ſed infirmitatem eius boni conſulite, & eum ſuſcipite, NON IN DISCEPTATIONIBUS COGITATIONUM, pro quo Græci legunt εἰς διακρίσεις λογισμῶν: quidam διαλογισμῶν legunt; ſed idem eſt ſenſus, ſcilicet non in altercationes diſputationum, hoc eſt ſupportate qui ſic in fide infirmus eſt, & nolite tempus terere in altercationibus diſputationum, an ſcilicet recte abſtinet a certis cibis, an recte dies aliquus feſtos obſervat. Ad huius enim loci & capitis explicationem notandum, in primitiva eccleſia fuiſſe inter Iudæos ad fidem converſos, qui diverſa ſentirent de lege, quidam plane aſſeverabant nullum faciendum eſſe ciborum delectum, nullamque dierum feſtorum obſervationem: erant contra, qui nondum plane confirmata fide contendebant certis cibis abſtinendum, & certos dies feſtos celebrandos: huiuſmodi ergo altercationes & contentioſas diſputationes fieri vetat apoſtolus, aſſerens ſupportandam eſſe magis fratris infirmitatem.

V. 2. CREDIT SE MANDUCARE. Perinde habent Græca: novus loquendi modus, pro eo quod eſt, credit licere ſibi, ut veſcatur omnibus. OLUS MANDUCET. Græci habent ἐσθίει, id eſt manducat: & ſenſus eſt, qui firmiores ſunt fide, paſſim ac temere veſcuntur cibis quibuslibet exiſtimantes id ſibi perquam licere. Contra qui infirmus fide ac debilis eſt, quia incertus eſt animi quid manducet propter tot ciborum genera in lege prohibita, ne conſcientiam quam ſibi parit, polluat, *olus manducat*, ſciens nihil illorum eſſe vetitum in lege. Interpres legit ἐσθιέτω, id eſt manducet, id eſt ſi exiſtimat periculum eſſe in carnibus edendis, veſcatur oleribus.

V. 3. ASSUMPSIT, id eſt non abiecit, ſed ad fidem etiam vocavit.

V. 4. DOMINO SUO STAT, AUT CADIT; id eſt, non debes tibi de eo iudicium uſurpare. Nam ſi in eo quod edit aut abſtinet, peccat, an non domino ſuo ſtat aut cadit? id eſt, domino curæ eſt, ſive ſtat, ſive cadit qui & ſi per infirmitatem fidei nunc cadit; STABIT *tamen*, Græce σταθήσεται, id eſt ſtabilietur a domino & confirmabitur. POTENS EST ENIM DEUS ILLUM STATUERE. Græce στῆσαι, id eſt erigere & ſtabilire.

V. 5. NAM ALIUS, ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν, ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν. Hieronymus vertit ἡμέραν παρ' ἡμέραν, *diem pluſquam diem*, ut ſic ſenſus, quod nonnulli exiſtimabant diſcrimen eſſe in diebus: alius autem iudicat omnem diem, id eſt perinde de diebus omnibus iudicat. Auguſtin. interpretatur ἡμέραν παρ' ἡμέραν, *alteros dies*: κρίνειν autem quod interpres vertit iudicat, ſignificat etiam diſcernere: quo ſignificato ſenſus eſſe poteſt: Alius quidem diſcernit & iudicat, & approbat ac cenſet eſſe dierum alternationem, ut quod uno die licet, alio non liceat, quomodo Iudæi, qui multa feſta multaſquæ ferias habebant: alius autem iudicat omnem diem, id eſt cenſet quamlibet diem cuilibet rei non male gerendæ aptam: ſicut veriſimile eſt in primitiva eccleſia multos ex Iudæis in fide debiles, & adhuc litteræ hærentes, feſta & calendas ſuperſtitioſe obſervaſſe: alios autem perfectiores, qui ceremonias ceſſaſſe intelligerent, nullam inter huiuſmodi legis veteris dies diſtinctionem poſuiſſe.

Non vult autem Paulus ea de re quempiam iudicari, ſed domini relinqui iudicio: tantum in his rebus unuſquiſque, inquit, ſuo ſenſu abundet, Græce ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω; id eſt unuſquiſque certus ſit ſuæ mentis, & compertum habeat quod mente concipit, ſeque ipſe conſulat, & agat quod ſibi conſcientia iudicat.

Chyſoſtomus interpretatur hæc loca de Iudæis, quorum nonnulli carne ſuilla, & ſi non perpetuo, ſtatis diebus abſtinerent, alii ſine diſcrimine quovis die comederent, de iis autem neutros iudicandos, ſed ſenſui ac conſcientiæ iudicio relinquendos.

Mihi videtur Paulus quum paulo ſupra de ciborum diſtinctione locutus eſſet, nunc de dierum obſervatione loqui, & in ſequentibus de duobus.

V. 6. Qui sapit: novum genus loquendi, pro eo quod eſt, qui rationem aliquam dierum habet, id vocat diem ſapere, domino sapit, id eſt ad honorem domini id facit, Græci hoc loco addunt, καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ οὐ φρονεῖ; ad verbum *& qui non ſapit diem, domino non ſapit*, id eſt, qui dierum diſtinctionem non facit, ad honorem domini id facit. Similiter & qui indifferenter quibuslibet cibis veſcitur, & qui certis abſtinet.

V. 7. Nemo enim nostrum. Probat his verbis ab uno domino nos pendere, vitamque, & mortem noſtram, quæ penes illum ſint: atque adeo ſive quis edit, ſive abſtinet, ſive dierum diſtinctionem aliquam facit, ſive nullam, non vult a fidelibus iudicari, ſed domini iudicio relinqui.

V. 13. Sed hoc iudicate. Gr. κρίνατε; id eſt, ſed hoc potius decernite & ſtatuite, ne fratri ſitis offendiculo.

V. 14. Commune per ipsum, id eſt immundum: ſic enim vocabant Iudæi quicquid aut edere aut attrectare illis non licebat. Nihil vero iam, inquit Paulus, commune, id eſt immundum *per ipſum*, ſcilicet dominum qui purificavit: ſicut dicitur Petro in Actis, *quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris*. Interpres legit, δι' αὐτοῦ, ſpiritu leni: quod ſi legimus aſpirato, ſenſus eſt, quod nihil per ſe ac ſua natura immundum eſt. Ceterum ſi quis exiſtimat cibum aliquem immundum eſſe & veſcitur, fit illi ob conſcientiam immundus. Græci utroque modo exponunt.

V. 16. & 17. Bonum nostrum; ſcilicet fides noſtra, ne propter huiuſmodi diſſenſiones infidelibus ſit opprobrium: quidam legunt bonum veſtrum, neque refert ad ſenſum: Non est enim regnum Dei esca et potus, id eſt non in cibi aut potus abſtinentia vel uſu, quæ externa ſunt, conſiſtit regnum Dei.

V. 22. Tu fidem habes. Hunc locum ſic exponunt Græca ſcholia: fidem hoc loco innuit circa dierum & ciborum delectum verſantem, non illam dogmata ſpectantem, quam palam confiteri & prædicare oportet: ſed perfectorum hoc loco inanem taxat gloriationem. Perfectus, inquit, es & conſummatus in fide? quid de hac virtute gloriaris? Quando vero ait: *Apud temetipſum fidem habe*, id ſibi vult: Quod ſi te omnes culpant, cum providentia quidpiam, aut fraternæ ſalutis gratia facientem, conſcientia autem non te reprehendit, beatus es. Arguit ergo perfectiores nonnullos Paulus, qui etiam cum offendiculo fratrum idolothytis aut cibis veſcerentur per legem impuris, aſſerentes pro fidei perfectione id ſe facere, ex qua intelligerent; iam per Chriſtum nullum cibum eſſe impurum, inquit ergo Paulus, *Tu fidem habes*, id eſt perfecte credis nihil eſſe impurum: bene eſt quod ita credis: eamque fidem habes, ſed penes temetipsum habe coram Deo, id eſt; ſufficiat tibi mentis tuæ ſynceritas, quodque ita credis, & quod fidei quæ integritatem novit Deus: ceterum noli illam iactare, eaque cum fratris tui offendiculo. Beatus enim qui non iudicat seipsum in eo quod probat, id eſt ut interpretatur Photius, cuius Græca ſi voles require ex codice Veronen. Beatus qui habet teſtificantem ſibi conſcientiam, non in eo ſolum quod ob fratris ſalutem cibis abſtinet in lege vetitis, ſed ab omni re etiam quam poſt diligentem explorationem bonam eſſe noverit.

V. 23. Qui autem discernit. Gr. διακρινόμενος, quod magis hoc loco ſignificat hæſitantem animique dubium, ut ſit ſenſus: Qui autem hæſitat, cum cibo aliquo ſibi veſci liceat, ſi comederit, damnatus eſt. Quia non ex fide, id eſt quia contra propriam conſcientiam, ſic enim Græca ſcholia explicant, ὁ δὲ γάρ ὅτι ἐπίστευσε ἀκάθαρτον εἶναι καὶ οὕτως ἔφαγεν; id eſt, credidit enim impurum eſſe huiuſmodi cibum, & cum ea perſuaſione comedit, quia Omne quod non est ex fide, peccatum est, id eſt quod contra conſcientiam propria fit: πίστις enim perſuaſionem ſignificat, atque ita ſenſus eſt, *quod non eſt ex fide*; id eſt, quod contra propriam perſuaſionem animique ſententiam,

ac

ac repugnante conſcientia fit, peccatum eſt. Neque enim putandum eſt omnes infidelium actiones in ſpeciem ſtudioſas, quas moraliter bonas vocant, ſtatim eſſe peccata, neque infidelem in eo quod naturali affectione eleemoſynam indigenti largitur peccare.

S A.

Verſ. 1. INFIRMUM, id eſt nondum ſatis firmum. FIDE, id eſt Chriſtiana religione. ASSUMITE, id eſt ſuſcipite iuvandum. COGITATIONUM. Græc. διαλογισμῶν, id eſt *diſputationum*; quaſi dicat, Non diſputando & contendendo, ſed ſublevando.

V. 2. SE, ſcilicet licite. MANDUCARE OMNIA, id eſt veſci poſſe quolibet cibo. MANDUCET. Græc. *manducat*, ſcilicet ne incidat in cibum lege vetitum.

V. 3. MANDUCAT, ſcilicet quidvis. ASSUMPSIT, ſcilicet ſibi in ſervum; quaſi dicat, Placet enim Deo eius factum.

V. 4. IUDICAS, id eſt condemnas. STAT, ſcilicet, cum bene agit. CADIT, ſcilicet cum peccat; quaſi dicat, Domini ſui iudicio relinquendus. STATUERE, id eſt facere ut ſtet.

V. 5. INTER DIEM. Græc. & Syr. *præ die*, ſcilicet eligendum ad opus aliquod; quaſi dicat, Habet delectum dierum iuxta legem veterem. Hieron. II. cont. Iovin. legit *pluſquam diem*. OMNEM DIEM, ſcilicet aptum ad opera bona, ſeu ieiunia. ABUNDET. Græc. πληροφορείσθω, id eſt *certus ſit*, ſeu *certificetur*; quaſi dicat, Nihil ſentiat, quod non habeat comperium Deo placere.

V. 6. SAPIT, id eſt obſervat. DOMINO, id eſt ut placeat Deo, ſeu ad Domini gloriam.

V. 8. DOMINI, ſcilicet ſervi.

V. 9. DOMINETUR, ſcilicet ut ſervis pretio ſanguinis emptis.

V. 10. TU, ſcilicet infirmior fide. AUT TU, ſcilicet fortior, ſeu peritior. STABIMUS, id eſt ſiſtemur.

V. 11. SCRIPTUM, ſcilicet Iſa. XLV. DEO, pro, Deum, ſcilicet iurando per Deum, ut illic dicitur. Eſt enim quædam Dei confeſſio, per ipſum iurare ut ſummam veritatem, ſupremumque Iudicem.

V. 13. IUDICATE, id eſt ſtatuite apud vos. VEL SCANDALUM. Repetitio.

V. 14. CONFIDO: πέπεισμαι, id eſt *perſuaſum habeo*. IN DOMINO, id eſt docente me Domino. COMMUNE PER IPSUM, id eſt immundum per ſe; ſeu apud Chriſtum, aut Chriſti beneficio. COMMUNE EST, ſcilicet propter eius conſcientiam erroneam.

V. 15. ENIM. Græc. *autem*. CIBUM, ſcilicet a ſe ſumptum, quem ille putat vetitum. PERDERE, ſcilicet ſcandalizando.

V. 16. BONUM, ſcilicet religio Chriſtiana.

V. 17. REGNUM, id eſt via ad regnum; quaſi dicat: Non eſt ſita religio in eſca, &c. ESCA, id eſt libertas veſcendi quovis cibo.

V. 18. IN HOC, ſcilicet iuſtitia, pace, &c. PROBATUS, id eſt gratus.

V. 20. ESCAM, ſcilicet quam ſumis cum ſcandalo. OPUS DEI, id eſt hominem, ſeu Dei gratiam. PER OFFENDICULUM, id eſt cum proximi ſcandalo.

V. 21. IN QUO, id eſt propter quod. INFIRMATUR, id eſt redditur debilior in rebus divinis.

V. 22. FIDEM, ſcilicet quod liceat veſci quolibet. IUDICAT, id eſt condemnat. PROBAT, id eſt faciendum cenſet; quaſi dicat, Qui ita cenſet, ut in eo non erret, ſeque condemnet.

V. 23. DISCERNIT, id eſt diſcrimen ponit inter cibos. MANDUCAVERIT, ſcilicet quod cenſet vetitum. NON EX FIDE, id eſt contra id quod eius fides dictat, ſeu erronea conſcientia.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. INFIRMUM AUTEM IN FIDE. Videbat eſſe quoſdam legis cæremoniis affectos, obſervare ciborum genera, dies feſtos Iudæorum. Hos vocat *infirmos in fide*, & tolerandos ait, cavendas diſceptationes de his rebus. ASSUMITE id eſt tolerate, eum amplectimini.

V. 2. ALIUS ENIM CREDIT SE MANDUCARE OMNIA, id eſt credit ſibi licere manducare omnia ſine ullo ciborum delectu. OLUS MANDUCET. Græc. *manducat*. Noſter non ἐσθίει legit, ſed ἐσθιέτω, id eſt non *manducat*, ſed *manducet* nec λάχανα, ut eſt Græc. id eſt *olera*: ſic Got-

th. ſed λάχανον, id eſt *olus*: Et per *olus* intelligit quod lege eſt conceſſum: id infirmus fide comedat.

V. 3 QUI NON MANDUCAT vetita. NON IUDICET; non condemnet comedentem vetita in lege. DEUS ENIM ILLUM ASSUMPSIT, id eſt Deo is placet, aut Deus illum non abiecit.

V. 4. DOMINO SUO STAT, AUT CADIT: non ad te id pertinet, ſi vetita comedit; ſi peccat, Deus illum convertet: quid ad te?

V. 5. NAM ALIUS. *Nam*, pro, præterea. Quod de cibis dictum eſt, idem in diebus contingit. Quidam inter dies diſtinguit; hunc feſtum, illum negotioſum iudicat, ſecundum Legem; alius exæquat omnes dies.

V. 6. QUI SAPIT DIEM, id eſt rationem dierum habet. DOMINO SAPIT, id eſt ad Dei honorem id refert. GRATIAS ENIM AGIT, ſe putat in eo ſervire Deo.

V. 7. SIBI VIVIT nemo. Si ergo Dei vivi & mortui ſumus, eius iudicio fratres relinquamus.

V. 9. IN HOC ENIM. Græc. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, & vixit, ut omnium dominetur*. Sic Irenæus Lib. III. cap. xx. & Græci Expoſitores. Verum illud *vixit* redundare videtur, & merito in noſtris codicibus non legitur. Si Chriſtus Dominus eſt, quare inter nos aut ſpernimus non manducantem, aut manducantem iudicamus & damnamus?

V. 14. NIHIL COMMUNE, id eſt immundum. Sic Act. cap. x. verſ. 15. *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. PER IPSUM, id eſt per ſeipſum, ex ſe nihil eſt immundum δι᾽ αὐτοῦ, cum ſpiritu craſſo, aut δι᾽ ἑαυτοῦ, ut alii legunt, id eſt *per ſeipſum*.

V 5. SI ENIM frater contriſtatur, pro, *ſi autem*, ut eſt Græce. Monet autem Chriſtiana libertate in his non utendum cum offenſione aliorum. Non ergo blaſphemetur

V. 6. BONUM NOSTRUM, id eſt fides ſeu libertas ne per has contentiones vituperetur ab infidelibus, providendum.

V. 17. ESCA, ET POTUS. Externas has obſervationes parum Deus curat præ pietatis ſtudio. Non tamen per hæc delectus ciborum reiicitur, quem tenet Eccleſia.

V. 22. TU FIDEM HABES, ſcilicet nullum cibum eſſe immundum: id ſerva apud te, ne alios offendas. BEATUS, QUI NON IUDICAT, id eſt condemnat ſeipſum: non operatur contra conſcientiam, faciens contra id quod iudicat.

V. 23. QUIA NON EX FIDE, id eſt qui contra conſcientiam comedit quæ vetita putat, damnatur. Hic *fides* pro conſcientia ſumitur.

MENOCHII.

Verſ. 1. INFIRMOS AUTEM IN FIDE. Eos Apoſtolus vocat infirmos, qui nondum erant in fide ſatis inſtructi, & qui a Iudaicis moribus, & veterum ceremoniarum conſuetudine ægre ſe abſtrahi patiebantur. ASSUMITE, id eſt fovete: ſic ſæpe in Pſalmis dicitur: *Dominus ſuſcepit*, vel *aſſumpſit me*, & *Dominus eſt ſuſceptor meus*, id eſt adiutor, fautor, & protector meus. NON IN DISCEPTATIONIBUS COGITATIONUM; id eſt, non eos recipiatis, nec aſſumatis, ut cum ipſis contendatis, & diſceptetis, utri bene, aut male ſentiant, & ut veſtras partes defendatis contentioſe. In Græco eſt, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, *non in altereationibus diſputationum*.

V. 2 ALIUS ENIM CREDIT SE MANDUCARE OMNIA; quaſi dicat: Alius putat ſibi licere omnibus veſci, quaſi mundis, eo quod in lege Evangelica nihil legaliter ſit immundum. QUI AUTEM INFIRMUS EST, &c. quaſi dicat: Iudæus, qui infirmus eſt in fide, & libertate Evangelica, putatque cibis lege veteri vetitis adhuc abſtinendum eſſe, ille iis abſtineat, & olera aliaque lege permiſſa comedat.

V. 3. IS, QUI MANDUCAT: gentilis, aut quivis alius qui delectum ciborum non ſervat. NON MANDUCANTEM: certos cibos leges vetitos. NON SPERNAT: quaſi ſuperſtitioſum. Vel, non habeat vilem eius ſalutem, ſcandalum ei obiiciendo, dum exemplo ſuo facit eum comedere contra conſcientiæ dictamen. MANDUCANTEM NON IUDICET, id eſt non condemnet, tamquam legis tranſgreſſorem, aut immundo cibo ſe contaminantem. DEUS ENIM ILLUM ASSUMPSIT: in ſervum, & cultorem ſuum; quaſi dicat. Quis ergo eum iudicet,

cet, & damnet, quem Deus probavit, & advocavit?

V. 4. DOMINO SUO STAT, AUT CADIT; hoc eſt, apud Dominum ſuum cauſa cadet, & condemnabitur; vel ſtabit, id eſt abſolvetur. STABIT AUTEM; quaſi dicat, Immo tibi affirmo non caſurum, non condemnandum, ſed abſolvendum. STATUERE ILLUM: efficere ut ſtet.

V. 5. NAM ALIUS, id eſt Iudæus in fide infirmus. IUDICAT DIEM INTER DIEM: certis diebus iuxta præſcriptum veteris legis ieiunat, & a quibuſdam cibis abſtinet; aliis vero diebus non abſtinet: itaque diem a die diſtinguit. ALIUS AUTEM IUDICAT OMNEM DIEM: diem ſcilicet eſſe æqualem, nec unum ab altero diſtinguit ieiuniis, abſtinentiis, aut Iudaico ciborum delectu. UNUSQUISQUE IN SUO SENSU ABUNDET: *πληροφορείσθω*, *certus eſt*, id eſt perſuaſus, id quod facit, ſive manducando, ſive a cibis quibuſdam abſtinendo, licitum eſſe, ne aliquid admittat repugnante conſcientia, & ideo peccet. Syrus habet: *Quiſque in ſcientia animæ ſuæ confirmetur*, eodem ſenſu.

V. 6. QUI SAPIT DIEM; hoc eſt, qui iudicat, & diſcernit diem abſtinentiæ, a die quo non eſt abſtinendum. Eſt metalepſis. Sapore enim diſcernimus cibos: hinc ſapere hoc loco ſignificat diſcernere, & diſcernendo obſervare diem abſtinentiæ. DOMINO SAPIT: hoc eſt, ad Dei legislatoris obſequium id facere, & cibos ita diſcernere exiſtimandus eſt. ET QUI MANDUCAT, cibos vetitos. DOMINO MANDUCAT, id eſt ad Domini honorem. GRATIAS ENIM AGIT DEO; ſcilicet manducaturus. QUI NON MANDUCAT: cibos lege vetitos. DOMINO NON MANDUCAT: ad Dei honorem illis abſtinet. ET GRATIAS AGIT DEO: non tam quia lege vetitis abſtinet, quam quia lege conceſſis utitur.

V. 7. NEMO ENIM NOSTRUM SIBI VIVIT, &c. quaſi dicat: Non ad noſtrum uſum, ac commodum præcipue, ſed ad Dei obſequium vivimus, & morimur: ille enim Dominus eſt noſtræ vitæ, & mortis, in cuius uſum, & laudem omnia noſtra, ac conſequenter omnis tam abſtinentia, quam manducatio noſtra tendere debent. Sicut ſervi omnia ſua in dominorum uſum, & commodum referre debent.

V. 8. SIVE ERGO VIVIMUS, &c quaſi dicat, Totum quod ſumus, quod agimus, quod vivimus, quod morimur, eſt domini, cuius ſervi ſumus.

V. 9. IN HOC ENIM, &c. id eſt, hac enim de cauſa Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut ex morte, & reſurrectione ſua dominium in vivos, & mortuos, vel potius dominii huius ſui uſum, & exercitium adipiſceretur, atque omnibus dominaretur; licet enim Chriſtus a primo inſtanti ſuæ conceptionis ratione unionis hypoſtaticæ fuerit omnium Dominus, tamen ſolum poſt mortem huius dominii plenum exercitium accepit.

V. 10. TU AUTEM: qui non manducas. FRATREM TUUM: manducantem. Vide ſupra verſ. 3. AUT TU: qui manducas. QUARE SPERNIS FRATREM TUUM: vide dicta eorum verſ. 3. OMNES ENIM STABIMUS ANTE TRIBUNAL CHRISTI; quaſi dicat: Ille unus erit Iudex, ergo invicem non iudicemus.

V. 11. SCRIPTUM EST ENIM: Iſai. XLV. 23. VIVO EGO, iuro per vitam meam. MIHI FLECTETUR OMNE GENU: omnes gentes colent me, adorabunt, & ſupremum iudicem agnoſcent. OMNIS LINGUA CONFITEBITUR DEO: laudabit clementiam, & iuſtitiam meam; ſed voluntarie, mali invite, & coacte.

V. 12. PRO SE RATIONEM REDDET: de ſe ipſo, non de aliis. Itaque nemo alium iudicet, ſed ſe ipſum examinet.

V. 13. IUDICATE: decernite, ſtatuite. NE PONATIS OFFENDICULUM, VEL SCANDALUM: *offendiculum* Grece eſt, *πρόσκομμα*, *ſcandalum* vero vox ipſa Græca eſt, quæ quamvis Latine *offendiculum* ſonet, utraque tamen vox addita ab Apoſtolo præcepti gravitatem exaggerat. Syr. etiam hæc duo pro eodem accipit.

V. 14. SCIO, ET CONFIDO: *confido* in Græco eſt *πέπεισμαι*, id eſt *perſuaſus ſum*. compertum habeo. IN DOMINO IESU: a quo didici, & ſcio id quod dico, & doceo. QUIA: quod. NIHIL COMMUNE PER IPSUM: nullus cibus per Chriſti legem immundus eſt. Vide dicta Act. X. 14. NISI EI QUI EXISTIMAT, &c. ſcilicet, per conſcientiam erroneam. COMMUNE: immundum, & vetitum.

V. 15. SI ENIM PROPTER CIBUM, &c. quaſi

quaſi dicat: Si frater tuus exiſtimat cibum eſſe immundum, & ab illo abſtinendum, & tu tamen eum comedis, atque ita fratrem contriſtas, & ſcandalizas, peccas contra caritatem; provocas enim illum ut contra conſcientiam eundem cibum comedat, vel ut hoc tuo ſcandalo offenſus, a te, & tua fide, ac religione reſiliat, & ad Iudaiſmum redeat.

V. 16. NON ERGO BLASPHEMETUR, &c. id eſt, ne ſitis cauſa ut propter diſcordiam noſtram male loquantur de nobis Gentiles. BONUM NOSTRUM: Chriſtiana religio, cum qua omne bonum habemus.

V. 17. NON EST ENIM REGNUM DEI ESCA, ET POTUS; quaſi dicat, Pietas, fides, ac gratia, quibus Deus regnat in nobis, non conſiſtunt per ſe in certo cibo, & potu, quaſi hæc per ſe ſint neceſſaria ad gratiam, & beatitudinem aſſequendam. Dixi *per ſe*, nam ſecus ſentiendum eſt ſi præceptum Eccleſiæ accedat.

V. 18. IN HOC SERVIT CHRISTO; in his quæ dixi, ſcilicet, pace, iuſtitia, & gaudio ſpiritus ſancti, in quibus conſiſtit regnum Dei.

V. 19. QUAE AEDIFICATIONIS SUNT INVICEM CUSTODIAMUS; ſcilicet præbentes invicem bona exempla, quibus ædificentur, & confirmentur proximi in fide, & pietate.

V. 20. OPUS DEI; ſcilicet fidem, caritatem, & religionem Chriſtianam in proximo. Vel, *opus Dei*, hoc eſt proximum ipſum, quem Deus fecit Chriſtianum, fidelem, pium, immo domum, & templum ſuum. OMNIA SUNT MUNDA: omnes cibi mundi ſunt. MALUM EST HOMINI, id eſt peccatum. QUI PER OFFENDICULUM MANDUCAT: qui ita manducat, ut proximus ſcandalum patiatur.

V. 21. NEQUE IN QUO FRATER TUUS OFFENDITUR, id eſt, neque aliquid ſimile facere, quo proximus offenditur, & ſcandalizatur.

V. 22. TU FIDEM HABES? qua ſcilicet, tibi perſuaſum eſt omnia eſſe munda, & legem veterem per Chriſtum ceſſaſſe? PENES TEMETIPSUM HABE; quaſi dicat: Noli illum iactare, & illa uti cum fratris ſcandalo. BEATUS QUI NON IUDICAT SEMETIPSUM: qui nihil agit contra conſcientiam, qui cum aliquid agit non pronuntiat contra ſe ſententiam, quod male agat. IN EO QUOD PROBAT: in eo quod facit; quod eligit facere; quod amplectitur.

V. 23. QUI AUTEM DISCERNIT: cibum a cibo, quaſi illicitum, & vetitum a licito, & permiſſo. SI MANDUCAVERIT, DAMNATUS EST, id eſt peccati, & damnationis reatum incurrit. QUIA NON EX FIDE; hoc eſt, quia non ex conſcientiæ dictamine, & credulitate, qua credit licere hoc cibo veſci, illum manducat. OMNE AUTEM QUOD NON EST EX FIDE, &c. id eſt, Quicquid fit contra dictamen conſcientiæ, cum ſcilicet quis perſuaſus non eſt id licere, peccatum eſt. Apoſtolus enim hic per fidem non intelligit fidem Chriſtianam, ſed credulitatem, perſuaſionem, & dictamen conſcientiæ.

T I R I N I.

Verſ. 1. INFIRMUM Chriſtianum IN FIDE necdum ſat inſtructum, vos qui fortiores eſtis ASSUMITE, inſtruendum, iuvandum, fovendum, NON IN DISCEPTATIONIBUS COGITATIONUM, Græce, διαλογισμῶν, id eſt diſputationum; quaſi dicat: Non diſceptando, litigando vel contendendo cum ipſis, utri bene vel male ſentiant aut agant. Hoc punctum fraternæ dilectionis, de qua ſub finem cap. præced. ante omnia omnibus commendo.

V. 2. ALIUS ENIM CREDIT SE licite poſſe MANDUCARE ſuillam & alia edulia OMNIA, eo quod in lege Evangelica nullum genus ciborum cenſeatur immundum aut vetitum; & hi recte ſentiunt & faciunt. QUI AUTEM adeo adhuc INFIRMUS EST, & parum in fidei myſteriis inſtructus, ut putet id non licere Chriſtianis, ſed cibis olim lege vetitis credit etiam nunc abſtinendum eſſe; omnino illis abſtineat, ne contra propriam peccet conſcientiam, & OLUS MANDUCET aut alios eiuſmodi cibos, quos conſtat lege Moſaica permiſſos: ita S. Baſilius; Clemens Alexandrinus & Auguſtin. *a* qui (ut etiam in Græco eſt,) legit, *olus manducat*. Et tum ſubintelligendum: Per me licet: Solum caveat

V. 3. NON IUDICET, neque condemnet promiſcue quidvis MANDUCANTEM, tamquam legis tranſgreſſorem, aut quaſi im-

Digitized by Google

mundis & vetitis cibis ſe contaminantem: DEUS ENIM ILLUM ſibi in ſervum, in domeſticum, in filium ASSUMPSIT, cum ad fidem & gratiam Evangelii ipſum vocavit & admiſit, & per Spiritus ſancti chariſmata etiam ſenſibilia, toti mundo id declaravit *b*. Iam vero quis factum illius damnet, quem Deus publice probat ſibique placere oſtendit?

V. 4. DOMINO SUO STAT AUT CADIT; id eſt, ſive bene, ſive male agat ſervus, cauſa illius a domini ſui iudicio pendet, ubi vel cauſa cadet, vel abſolvetur. Tu ergo Domini ipſius iudicio ac tribunali ipſum relinque: tua nihil intereſt. Simile, habes infra verſ. 8. STABIT AUTEM, id eſt abſolvetur omnino, nec cauſa cadet: nec enim violavit legem Domini ſui, quam ſcit iam abolitam eſſe. POTENS EST ENIM DEUS legem quam pro tempore fixit, pro ſuo beneplacito refigere, & conſequenter, ſervum ſuum, cibos olim ſed iam non amplius vetitos manducantem, STATUERE, id eſt ſtare facere in iudicio, ne cauſa ibi cadat vel condemnetur.

V. 5. ALIUS, v. g. Iudæus in fide infirmus, IUDICAT DIEM INTER DIEM, id eſt unum diem præ alio, ſupple, ſanctiorem, v. g. eſſe ſabbatum, neomenias, &c. vel certo ciborum delectu, præ aliis diebus colendum, v. g. abſtinentia panis fermentati in hebdomada paſchali. Neque enim hic agi de feſtis aut ieiuniis Chriſtianorum, quorum pauca tunc in uſu erant, fatetur etiam Melanchthon, Bucerus & Beza. ALIUS AUTEM, v. g. Gentilis in fide plene inſtructus, & Chriſtianæ libertatis ſat gnarus, IUDICAT OMNEM DIEM eſſe æque ſanctum, & omni die indifferenter utitur quovis cibo. In eiuſmodi rebus per ſe non malis, non vetitis, ſed indifferentibus, UNUSQUISQUE IN SUO SENSU & opinione ABUNDET, id eſt ſententiam animi ſui pro libito expleat, ſequatur libere ſuum iudicium. Procul autem eſt a mente Apoſtoli, libertatem indulgere non ieiunandi, vel in ieiuniis carnes comedendi: cum hæc repugnent præceptis Eccleſiæ, quibus, ut conſtat ex cap. præced. iubet Paulus obediri etiam ſub pœna damnationis *c*. Multo minus indulget Libertinis facultatem credendi quid & quantum cuique libuerit: quia fidei myſteria divinis legibus firmata ſunt, a quibus nulla exceptio eſt. Paulus autem ſolum loquitur de rebus indifferentibus nulla lege apud Chriſtianos perceptis.

V. 6. QUI SAPIT, id eſt diſcernit, vel, ut in Syriaca eſt, *diiudicat*, DIEM abſtinentiæ ab alio vulgari die, DOMINO SAPIT, id eſt ad Dei legislatoris honorem & obſequium id facit, intendens præceptis illius olim latis obedire. ET QUI promiſcue quidvis quovis die MANDUCAT, etiam DOMINO MANDUCAT, ad eius honorem & obſequium utens libertate ſibi ab ipſo conceſſa. ET uterque GRATIAS AGIT DEO: hic pro omnibus cibis, ille ſaltem pro iis quos lex Moſaica Deus indulſit. Unde neuter peccat, ſed neque debet ab altero damnari peccati: cum uterque ſuo facto glorificet Deum, uterque tamquam fidelis ſervus obſequatur legibus Domini ſui.

V. 7. NEMO ENIM NOSTRUM, aut omnium creaturarum, SIBI VIVIT aut MORITUR, ſed Deo & Chriſto tamquam *Domino* & hero ſuo, in cuius uſum, commodum & honorem omnia ſua debent ſervi referre.

V. 9. IN HOC ENIM, ſeu in hunc finem, MORTUUS EST, ET RESURREXIT CHRISTUS, UT ET MORTUORUM ET VIVORUM omnium DOMINETUR. Etſi enim a primo conceptus ſui inſtanti fuerit omnium dominus, ratione unionis hypoſtaticæ; tamen exercitium plenum huius dominii non accepit niſi poſt mortem. Cum ergo ſolius Chriſti & Dei ſervi ſimus, eiuſque unius iudicio, ſeu damnandi, ſeu abſolvendi;

V. 10. Ut *quid tu* Iudæe *iudicas* & condemnas FRATREM TUUM Gentilem libertate ſibi ab hero ſuo conceſſa libere utentem, & quidvis quovis die manducantem? AUT TU Gentilis QUARE SPERNIS & vilipendis FRATREM TUUM, Iudæum, ex teneritudine animi & ſcrupulo legem Moſaicam, & feſta ac ieiunia lege præſcripta, obſervare etiamnum volentem?

V. 13. HOC MAGIS IUDICATE, id eſt potius decernite, ſtatuite, proponite, NE SCANDALUM, id eſt *offendiculum*, vel occaſionem ruinæ, ex inceps FRATRI PONATIS. Græci enim σκάνδαλον, ἀπὸ τῦ σκαμβῦ, id eſt *obliquo*, vocant obliquum illum bacillum quo muſcipula aperta detinetur, & cui eſca alligatur, ut mus eam arrodens,

mu.

muſcipulam everſam in ſe trahat. Hinc tranſlata eſt hæc vox ad ſignificandum omne id quod alteri eſt cauſa lapſus & peccati, ut hic, comedere cibos lege Moſaica vetitos, coram iis qui id putant non licere.

V. 14. CONFIDO, id eſt fidenter teneo & aſſevero, IN DOMINO IESU; græce, *per Dominum Ieſum*, a quo id didici, QUOD NIHIL iam ſit COMMUNA [d] PER IPSUM; id eſt, quod nulla eſca ſit immunda per legem ſeu voluntatem Chriſti. Per accidens tamen ratione ignorantiæ alicuius, immunda eſt eſca *illi* QUI EXISTIMAT hanc vel illam lege adhuc prohibitam, & ideo immundam ESSE. Unde nolim coram tali vos uti libertate per Chriſtum conceſſa, comedendi cibos lege vetitos; Tunc enim utere hac libertate: noli iam in publico iactare, vel uti cum aliorum offendiculo. Sed & tu qui adhuc in fide & doctrina Chriſtiana infirmus es, & putas non licere veſci veſcentium exemplo etiam tu iiſdem veſcaris. BEATUS, QUI IN EO QUOD practice PROBAT, id eſt in eo quod de facto eligit & facit, NON IUDICAT erronee SEMETIPSUM, id eſt, non putat ſcrupuloſe ſe peccare. Qui enim aliquid agit contra ſuam conſcientiam, is ſuomet calculo ſeu iudicio ſe damnat, pronuntians ſententiam contra ſemetipſum, licet ſpeculative erroneam, quod practice male agat. Unde

V. 15. FRATER TUUS PROPTER CIBUM illum ſic a te libere ſumptum CONTRISTATUR & ſcandalizatur: atque ita peccas contra CARITATEM fraternam.

V. 16. NON ERGO BLASPHEMETUR, ſeu a Iudæia, ſeu a Gentilibus aliis, BONUM NOSTRUM: nempe religio & libertas Chriſtiana, inquit S. Anſelmus & S. Thomas. Contentiones enim illæ de cibis & ciborum delectu multos offendebant.

V. 17. NON EST REGNUM DEI ESCA ET POTUS; id eſt, religio, pietas & iuſtitia (per quam Deus ſpecialiter regnat in nobis) per ſe non conſiſtit, nec dependet a delectu cibi vel potus, cum hoc ſit adiaphorum; ſed conſiſtit in ſtudio *iuſtitiæ*, *pacis*, ceterarumque virtutum, & in *gaudio Spiritus ſancti*, id eſt perpetua lætitia in omnibus & de omnibus, quæ & qualiter diſponit Deus. Dixi, *per ſe*: quia per accidens, v. g. ex obligatione vel præcepti, vel temperantiæ, vel voti, poſſunt eſſe neceſſaria: ut patuit in pomo Adami, & quotidie patet in ieiunii Eccleſiæ.

V. 20. NOLI PROPTER vilem ESCAM DESTRUERE OPUS DEI; id eſt, noli offendere & evertere proximum tuum [e], quem Deus per Chriſtum [f] fecit ſibi ſervum & filium.

V. 22. TU FIDEM HABES; nempe qua tibi perſuaſum eſt & credis, nullum amplius cibum eſſe immundum. Recte credis: ſed PENES TEMETIPSUM HABE, &

V. 23. QUI propria conſcientia DISCERNIT cibum a cibo, SI MANDUCAVERIT cibum quem credit immundum & illicitum eſſe, DAMNATUS EST peccati, etiam proprio iudicio, (cui conformabitur iudicium divinum:) QUIA NON manducavit EX FIDE, id eſt ex dictamine conſcientiæ quo credit, ſeu iudicat licere ſibi veſci tali cibo. OMNE AUTEM QUOD NON EST profectum EX FIDE, id eſt ex dictamine conſcientiæ, quo quis cenſeat tale quid ſibi hic, nunc, & ſic licere, PECCATUM EST. Neque enim agit hic Apoſtolus de fide Chriſtiana, ſupernaturali, generali & ſpeculativa (ut volunt hæretici, & nonnulli Catholici) ſed de fide naturali, morali, particulari & practica, quæ nil aliud eſt quam dictamen conſcientiæ, ſeu iudicium rationis, quo iudico, mihique perſuadeo, me (v. g. dum comedo ſuillam) recte agere, nec Deum offendere: ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Ambroſius & Theodoretus.

(a) Baſil. in Brevior. regulis reg. lxiv. Clemen. Lib. II. Pædag. 1. Auguſt. hic.
(b) Actor. x. 47.
(c) Rom. xiii. 2.
(d) Actor. x. 14. & Marc. vii. 18.
(e) Epheſ. 19. 10.
(f) Hic verſ. 15.

GORDONI.

Verſ. 1. INFIRMUM AUTEM. Infirmos hic vocat Apoſtolus, non ſatis instructos in fide, & qui ægre adhuc abduci poterant a quibuſdam Iudaicis cæremoniis. Hos, inquit, fovete & promovete: & nolite per altercationes abiicere; quam-

Digitized by Google

quamvis in parte aliqua adhæreant in cibis legis Moſaicæ. Huic diſſenſionis malo ut occurrat, proponit de victu commune præceptum legis naturalis, donec intelligant in qua ſint libertate per Chriſtum, & deponant timorem ceſſantis veteris legis.

V. 2. & 3. ALIUS ENIM CREDIT. Sunt, inquit, qui magis inſtructi in rebus fidei, putant ſe poſſe veſci cibis omnibus: alii a pleriſque abſtinentes, oleribus veſcuntur: curandum ne ille, hos non manducantes ſpernat. Qui vero putat ſe non poſſe veſci omnibus ſine diſcrimine, & timet adhuc tranſgreſſionem legis antiquæ, non temere iudicet, nec indigne ferat manducantem. Nam Deus illum aſſumpſit in partem ſuam per gratiam Evangelii: ac proinde iudicari & damnari non debet. At cur aliqui ad olera ſe aſtringebant? Forte abſtinentes ab omni carne, ne ullis ex utraque parte viderentur eſſe ſcandolo. Mirum eſt quam audenter Novatores interpretentur hunc locum ad libertatem carnis, & ut tollant e medio ſolemne & antiquiſſimum præceptum ieiunii in Eccleſia. Eſt hæc eorum inſcitia, dum non vident Paulum nihil ſtatuere de ieiunio, nec de ciborum delectu, niſi quod doceat ad tempus aliquod, & donec coaleſcat Eccleſia, eſſe liberum uſum ciborum, ne inde naſcatur offenſio. Et ſi quid poſtea ſublatum eſt, illud fuit Iudæorum abſtinentia a cibis: non vero Chriſtianorum ieiunium. Sane abrogata vetere lege non ideo cenſetur abrogata nova. Ieiunium iuſſu Chriſti inſtitutum fuiſſe ab Apoſtolis teſtatur Clemens Roman. libro quinto Conſtitut. Apoſtol. cap. XVII. Et quod fecerunt Apoſtoli, potuerunt etiam eorum ſucceſſores. Immo & cum delectu ciborum ex eodem Clemente p. 71. Præcipiens legitime ieiunium poteſt & modum eius præcipere. De Quadrageſima lege Auguſtinum Serm. LXII. Sed de his alibi egi ex profeſſo.

V. 5. & 6. NAM ALIUS IUDICAT DIEM, &c. Aliter iudicat & ieiunat Iudæus infirmior, aliter qui in fide provectior eſt. Permittitur quidem ut quiſque abundet in ſuo ſenſu, & curet ne aliquid faciat repugnante conſcientia, & ſic peccet. IUDICAT DIEM INTER DIEM, id eſt abſtinet cibis uno die, alio non abſtinet ex lege Iudaica. ALIUS IUDICAT OMNEM DIEM, ſibi æqualem, nec diſcernit ieiuniis unum ab alio. QUI SAPIT, id eſt, qui diem diſcernit abſtinentiæ, DOMINO SAPIT, in obſequium legiſlatoris. Et qui non manducat, Domino non manducat; id eſt, qui non manducat cibos lege vetitos, abſtinet ab illis in Dei honorem. Et ſic in hoc eſu omnes vivunt in obſequium Dei.

Feſtorum dierum obſervationem criminantur Novatores poſt Calvinum, qui in hoc conſentiunt Anabaptiſtis. Sunt ſane valde moroſi, ne dicam eſſe Deo iniurioſos, qui Chriſtianis negant diſtinctos dies ad divinum cultum. Nos non tempora obſervamus, ſed quæ illis ſignificantur, & acta ſunt temporibus, inquit Auguſtinus XVI. contra Adimantum. Lege eundem Serm. XXV. de tempore. Immo & de feſtis Sanctorum ad Pſal. LXXXVIII.

V. 8. & 9. SIVE ENIM VIVIMUS. Gratiæ Deo in omnibus agendæ ex verſu 7. Nam non ſibi præcipue vivit homo, ſed Deo, vitæ & mortis Domino. Ideo etiam Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut in de dominio ſuo pleno in nos uteretur, & omnibus dominaretur. Sed quæſtio eſt cum hæreticis, an Chriſtus hunc dominatum meruerit; de qua re dixi ſuo loco ex profeſſo. Reſpondeo obiter Chriſtum moriendo meruiſſe dominatum hunc, & multa alia; non tamen meruit reſurgendo: morte enim Chriſti finitum eſt meritum. At quomodo ergo reſurrectio refertur hic ad dominatum? quia dominari viventis eſt: & ſine reſurrectione non habebatur uſus dominii. Nec dubium eſſe debet, quin vere meruerit Chriſtus in cruce hoc dominium, quod alibi probatum eſt.

V. 10. 11. 12. & 13. TU AUTEM. Reprimit temeritatem iudicandi contra manducantem, aut non manducantem, ut ſupra. OMNES ENIM, Chriſtus eſt iudex, nos invicem non iudicemus: SCRIPTUM EST ENIM. Ita Iſai. XLV. 23. qui locus docet omnes adoraturos Deum, & agnituros ut ſupremum iudicem. Relinquendum ergo iudicium Deo, & nos illud agamus, ut quiſque ſeipſum diſcutiat, & nulli det offenſionem vel offendiculum, πρόσκομμα Apoſtolus tribunal Dei minatur. Calvinus hic tantum vult proponi reverentiam erga iudicem. Voluit ſic ſuos quamvis in maximis ſint flagitiis, ſemper eſſe ſine timore

Digitized by Google

re Dei. Diabolica corruptela eſt. Locus hic Iſaiæ, quem Paulus applicat Chriſto, probat Chriſti divinitatem.

V. 14. SCIO ET CONFIDO. Perſuaſus ſum, πέπεισμαι, apud Chryſoſtomum πληροφορία. NIHIL COMMUNE. Nullus cibus per Chriſti legem immundus eſt, NISI QUI EXISTIMAT eſſe immundum errore conſcientiæ: ἀκάθαρτον eſt commune hic: tales immundos cibos, nullos agnoſcit Eccleſia Catholica. Sublatus eſt Iudaicus ciborum delectus: nec abſtinet a cibis quibuſdam ne illi polluant, ſed ne inobedientia animam lædat.

V. 15. SI ENIM. Suadet ex offenſione & ſcandalo circa hos cibos ne ullus fratrem ſuum perdat: nam pro illo Chriſtus mortuus eſt. Quæret hic aliquis, an ille pro quo Chriſtus mortuus eſt, poſſit perire. Negat Novator Calvinianus; docetque Chriſtum tantum mortuum eſſe pro electis, id eſt pro ſolis Calvinianis. Sed hic damnatur a Paulo. Sane pro omnibus mortuus eſt, Ioan. III. *Sic Deus dilexit mundum*, &. II. Tim. II.

V. 16. NON ERGO BLASPHEMETUR. Ne ergo ſitis cauſa, cur Gentiles male de vobis loquantur & blaſphement noſtrum bonum, & vocationem: non enim gratia & dona per quæ Deus regnat in Sanctis ſuis, conſiſtunt in cibo & potu, ſed in obedientia, & ſancto virtutum reliquarum exercitio.

V. 18. 19. 20. 21. Perſiſtit in exhortatione ad ea quæ Deo placent, præſertim ad ea quæ pacis ſunt & ædificationis, ne deſtruatur opus Dei, nempe proximus in quo Deus operatur fidem & caritatem. Et licet omnia ſint munda, cibique omnes liciti, malum tamen eſt & peccatum homini, qui manducat cum hac offenſione qua læditur cum proximo pax, gaudium, & iuſtitia.

V. 22. & 23. TU FIDEM HABES. Tu qui tibi perſuades omnia eſſe munda, & licitos omnes cibos, habe hoc tibi; nec affundas quod ſentis cum offenſione. BEATUS QUI NON IUDICAT SEMETIPSUM; hoc eſt, qui cum ſua facta & dicta expendit, non invenit quod iudicet & damnet. QUI AUTEM DISCERNIT. Ille qui ſtatuit apud ſe ſervandam eſſe diſtinctionem ciborum, & tamen tranſgreditur hoc dictamen rationis, peccat operans contra legem & fidelitatem conſcientiæ: nam non eſt ex fide operatio, dum perſuaſus eam non eſſe licitam operatur. Non eſt hic ſermo de fide Chriſtiana: non ergo facit hic locus quin gentes nondum imbutæ fide Chriſtiana poſſint aliqua opera bona facere, ut alibi probavi. Sed nec Auguſtinus ullibi dixit omnia opera infidelium eſſe mala; tantum voluit non eſſe bona & fructuoſa in ordine ad vitam æternam: nam a fide eſt initium ſalutis. Lege eundem Auguſtinum de patientia, cap. XXVI.

CA-

CAPUT XV.

Firmiores debent infirmorum ferre & ſublevare imperfectiones, non ſuæ ſed proximorum utilitati ac mutuæ paci ſtudentes : Chriſtus iuxta factas patribus promiſſiones prædicavit Iudæis ; Gentibus vero ex miſericordia Apoſtoli, non prævijs promiſſionibus. Excuſat ſe Paulus quod liberius Romanis ſcripſerit, tamquam Gentium Apoſtolus, oſtendens quomodo ſit hoc munus executus ; dicens quod ad ipſos quoque ſit venturus, ubi datam a Macedonibus eleemoſynam elargitus fuerit Ieroſolymitanæ Eccleſiæ, petens ut pro ſe interim orent.

1. DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere
& non nobis placere. 2. Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo
placeat in bonum, ad ædificationem. 3. Etenim Chriſtus non
ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt : (*a*) Improperia impropeverantium tibi ceciderunt ſuper me. 4. Quæcumque enim ſcripta
ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt : ut per patientiam, &
conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus. 5. Deus autem patientiæ & ſolatii, (*b*) det vobis idipſum ſapere in
alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum : 6. ut unanimes, uno ore honorificetis
Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. 7. Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. 8. Dico enim Chriſtum
Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas
promiſſiones patrum : 9. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt : (*c*) Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. 10. Et iterum dicit : Lætamini Gentes cum plebe eius. 11.
Et iterum : (*d*) Laudate omnes Gentes Dominum : & magnificate eum omnes
populi. 12. Et rurſus Iſaias ait : (*e*) Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere
Gentes, in eum Gentes ſperabunt. 13. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo : ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. 14.
Certus ſum autem fratres mei & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita ut poſſitis alterutrum monere. 15.
Audacius autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens : propter gratiam, quæ data eſt mihi a Deo, 16. ut ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gentibus, ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium
accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto. 17. Habeo igitur gloriam in Chriſto
Ieſu ad Deum. 18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non
efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo & factis : 19. in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti : ita ut ab Ieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti. 20. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum
fundamentum ædificarem : ſed ſicut ſcriptum eſt : 21. (*f*) Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt : & qui non audierunt, intelligent. 22. Propter
quod & impediebar plurimum venire ad vos, † & prohibitus ſum uſque adhuc. 23. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis : 24.
cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos, &
a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero. 25. Nunc igi-

tur proficiſcar in Ieruſalam miniſtrare ſanctis. 26. Probaverunt enim Macedo-
nia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt
in Ieruſalem. 27. Placuit enim eis: & debitores ſunt eorum. (g) Nam
ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: debent & in carnalibus
miniſtrare illis. 28. Hoc igitur cum conſummavero, & aſſignavero eis fructum
hunc: per vos proficiſcar in Hiſpaniam. 29. Scio autem quoniam veniens ad
vos, * in abundantia benedictionis Evangelii Chriſti veniam. 30. Obſecro er-
go vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſan-
cti Spiritus, * ut adiuveris me in orationibus veſtris pro me ad Deum, 31.
ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa, * & obſequii mei oblatio accepta
fiat in Ieruſalem ſanctis, 32. ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei,
* & refrigerer vobiſcum. 33. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

(a) Pſal. lxviii. 10. (b) I. Cor. i. 10. (c) Pſalm. xvii. 50. II. Reg. xxii 50. (d) Pſ. cxvi. 1. (e) Iſa. xi. 10. (f) Iſa. lii. 15. (g) I. Cor. ix. 11.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 29. In abundantia benedictionis Evangelii Chriſti veniam. Hic addiderunt Patres vocem Evangelii, quæ & græce additur.

Verſ. 30. Ut adiuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum. Non auferas aut veſtri, aut pro me.

Verſ. 32. Et refrigerer vobiſcum. Retinendum eſt & copulativum, non ſubſtituendum *ut* cauſativum.

Lectionum Varietas.

Verſ. 22. ET *prohibitus ſum uſque adhuc.* Multi boni libri omittunt hæc verba, Græco & Syro conſentanea, quæ & lecta fuerunt ſupra 1. 13.

Notatio.

Verſ. 31. ET *obſequii mei oblatio accepta fiat* (*fuit* o.) *in Ieruſalem ſanctis*. Manuſcriptum Buſſidiani Collegii habet: *Et oblatio obſequii mei accepta*: alterum G littera inſignitum legit: *Et obſequium & oblatio accepta*. Unde videri poſſit addititia eſſe vox *oblatio* ex 16. fortaſſis huius capitis verſu, ubi legitur, (ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος.) *Ut fiat oblatio gentium accepta*, commentatu hunc in locum per illum exponentis occaſione adiecta: quia Græce non aliud eſt, quam καὶ ἵνα ἡ διακονία μου: *Et ut miniſterium meum*, id quod vertere Interpres ſubaudienda relicta ex priori parte *ut* coniunctione: *Et obſequium meum*; niſi forte quod alii coniecerunt (habent enim plerique omnes libri concorditer: *Et obſequii mei oblatio* cum Haymone, Anſelmo, & poſterioribus expoſitoribus) legerit καὶ ἵνα ἡ διακονίας μου προσφορὰ, vel explicationis ergo id addiderit, intelligens per obſequium, oblationem quam adfert vel collegit obſequium, ſive miniſterium. Apud auctorem commentariorum Ambroſii nomine legitur: *Et munerum meorum oblatio accepta fiat in Ieroſolymam ſanctis*; commentarius eſt: „ Etiam „ hoc orandum dicit, ut miniſtratio mune- „ tum eius accepta fiat ſanctis in Ieruſalem " &c. Duo ex noſtris ſcriptis codicibus pro *in Ieruſalem*, legunt *in Ieroſolymis*; tredecim (Lob. Leod. So. Ia. O. E. L. Pl. m.) *in Ieroſolyma*; quatuordecim, inter quos ſunt Brug. & Q. *in Ieroſolymam*. Ex quo videri poſſit, ſi rurſus divinare fas eſt, vertiſſe Interpretem: *Et obſequium meum in Ieroſolymam acceptum fiat ſanctis*, vel: *Et obſequii mei oblatio in Ieroſolymam, accepta fiat ſanctis*, quo modo atque ordine, Græce legitur: καὶ ἵνα ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ, εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις: neque enim εἰς motum in loco ſignificat, ut intelligi ex hoc Græco legendi modo poſſit: *Accepta fiat in Ieroſolyma*, aut *Sanctis qui ſunt in Ieroſolyma*; neque ἡ articulus patitur id ſequentibus iungi. *Obſequium* autem ſive miniſterium *in Ieroſolymam* intelligitur, quo proficiſcor Ieroſolymam collationem quam ei curavi perferens; vel: *Obſequii mei oblatio in Ieroſolymam*, quam collegit obſequium meum pro Ieroſolyma, eoque defert; quod quia intellectum non eſt, mutatus videtur accuſandi caſus in auferendi, *Ieroſolymam*, in *Ieroſolymam*, & *Ieroſolymis*: vel quod ambiguum erat, *in Ieruſalem*, id quod paucos ſcriptos, pleroſque impreſſos libros.

bros occupat, & tranſlata pars eo quo pertinere cenſebatur ad orationis finem, ubi retentus a multis accuſandi caſus loco non convenit. Duo pervetuſta ſcripta T, & Malmundarienſe maius perfectiſſime ad Græcam ſcripturam reſpondentia habent: *Et miniſterium meum*, (*ἡ εἰς ἱερουσαλήμ, quod in Ieruſalem*) *quod Ieroſolymam defertur, acceptabile ſanctis fiat;* ſed ea ab editione noſtra recedere nonnumquam obſervavi. Huic vero interpretationi perſimilis eſt iſta Syrorum: *Et miniſterium quod defero ſanctis in Ieruſalem bene ſuſcipiatur*. Porro Græci quidam codices omittunt *εἰς* præpoſitionem *ἡ διακονία μου ἡ ἱερουσαλήμ*. Sic enim Aldina editio ſcribit. Itaque Caietanus ſe legiſſe oſtendit. Chryſoſtomus vero, & Theophylactus nec in *ἱερουσαλήμ*, ſive legentes, ſive interpretantes agnoſcunt: dumtaxat habent, *καὶ ἵνα ἡ διακονία μου εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 3. SED SICUT SCRIPTUM EST, eclipſis eſt. Chriſtus non placuit ſibi, ſed patri, ſicut ſcriptum eſt: *Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me*; id eſt, impiorum contumelias in te meas ducebam, iis utebar non ſecus ac meis: ſunt autem verba filii ad patrem, ex quibus probat Paulus Chriſtum non ſua ſpectaſſe commoda, qui paternas iniurias, ſuas duxerit: placere autem ſibi hoc loco ſumit Paulus pro eo quod eſt, uni ſuo commodo ſtudere, ſicut paulo ante duobus locis: nam & Græc ſcholia *ἀρέσκειν ἑαυτῷ* interpretantur *τὰ ἑαυτοῦ σκοπεῖν*, id eſt ſibi proſpicere, & commodis ſuis ſervire.

V. 4. QUAECUMQUE ENIM SCRIPTA; id eſt, & ſi locus allegatus de Chriſto ſonare videtur, nolite tamen arbitrari propterea nihil ad nos pertinere: quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam & inſtructionem ſcripta ſunt.

V. 5. IDIPSUM SAPERE; id eſt, idem mutuo inter vos & unanimiter ſentire, neque de ciborum dierumque obſervatione digladiari.

V 7. 8. & 9 SUSCIPITE INVICEM. Græc. *προσλαμβάνεσθε*, id eſt, ſupportate (ut vulgo loquuntur) invicem, & adiuvate ſicut & Chriſtus ſuſcepit, & ſupportate vos in honorem Dei: hæc autem noviſſima verba referri poſſunt ad *τὸ* ſuſcipite, ut ſit ſenſus, ſuſcipite invicem ad honorem & gloriam Dei; vel referuntur ad ſuſcepit, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos ad honorem Dei patris, & ſic commodior erit connexio ſequentis ſententiæ: DICO ENIM, &c. hoc eſt, hinc perſpicuum eſt Chriſtum vos ſuſcepiſſe, quia utrique populo miniſtravit & proſpexit. *Dico enim* eum MINISTRUM FUISSE CIRCUMCISIONIS, id eſt Iudæorum, quibus evangelium miniſtravit. Propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum, id eſt ut veracem Deum oſtenderet in confirmatione promiſſionum, quas Deus patribus Iudæorum fecerat, ſcilicet de danda in cordibus eorum lege nova: quomodo autem ſuſceperit gentes, probat Paulus, dicens: GENTES AUTEM, ſubaudi, dico, SUPER MISERICORDIA HONORARE DEUM: quod ſi gentes Deum honorant, & glorificant Deum ſuper miſericordia ſibi facta, manifeſtum eſt quod Deus eas aſſumpſit & ſuſcepit. Itaque hoc loco ſublaturus Paulus diſſenſiones quæ inter Iudæos & gentes oriri poterant, ne quid alteri adverſus alteros inſoleſcant, oſtendit utrumque populum a Deo privilegiis affectum, & a Chriſto ſuſceptum, qui Iudæis promiſſiones factas impleverit, & gentes miſericordia affecerit.

V. 15. & 16. AUDACIUS Græce *τολμηρότερον*, id eſt audacius vel confidentius, audacius ergo ſcripſi vobis ex parte, id eſt paulo audacius ac liberius, tamquam in memoriam vos reducens: Græce *ἐπαναμιμνήσκων*, id eſt recordans ac memor priſtinæ vitæ veſtræ, & hoc eſt quod interpres vertit, vos reducens in memoriam, ſignificat etiam *ἐπαναμιμνήσκω*, *commonefacere*, & hoc modo ſenſus eſt: ſcripſi vobis ex parte, paulo audacius, non increpandi vos gratia, ſed commonefaciendi: PROPTER, id eſt, iuxta GRATIAM QUAE MIHI DATA EST A DEO, UT SIM MINISTER CHRISTI IESU IN GENTIBUS; id eſt, ut illi miniſtrem inter gentes ipſum prædicans & ſanctificans, id eſt ſanctum prædicans eſſe evangelium.

V. 17. HABEO GLORIAM Græce *ἔχω οὖν καύχησιν ἐν χριστῷ τὰ, πρὸς τὸν θεόν.* Interpres vero

vero non legit τὰ, inſolenſque eſt Græcis lectio niſi dicamus ἑστὰ: ſenſus ergo eſt, ut interpres legit, habeo quod glorier in Chriſto apud Deum, vel ſenſus eſt legendo τὰ, habeo quod in Chriſto glorier in his quæ ad Deum pertinent.

V. 18. & 19. NON ENIM AUDEO. Præmiſit Paulus: habeo quod glorier in Chriſto de his quæ ad Deum pertinent, *non enim audeo aliquid loqui*, &c. id eſt non audeo gloriari, neque iactare me, niſi de factis meis, aut potius non meis, ſed eis quæ per me Chriſtus effecit IN OBEDIENTIAM GENTIUM, id eſt ut per me gentes evangelio obedientes redderet: quæ quidem Chriſtus effecit & operatus eſt in me, verbo prædicationis, in virtute ſignorum & prodigiorum ita ut EVANGELIUM REPLEVERIM, ſive conſummaverim, hoc eſt, nihil eorum quæ ad veritatem ſpectant evangelicam ob miſerim, prædicando ab Ieruſalem uſque ad Illyricum. Eſt autem Illyricum, ut Græca ſcholia aiunt, in finibus eius quæ nunc Bulgaria vocatur.

V. 20. SIC AUTEM PRAEDICAVI. Græc. paulo amplius ſignificatur, φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, id eſt anniſus ſum prædicare. Significat enim φιλοτιμοῦμαι magno ſtudio aliquid conari. Laboravi, inquit, ego ut evangelium prædicarem, non iis in locis ubi iam nominatus & annunciatus erat Chriſtus, NE SUPER ALIENUM FUNDAMENTUM AEDIFICAREM, id eſt ne aliorum Apoſtolorum laboribus ac prædicationibus mei ſermonis additamentum miſcens, viderer eorum gloriam ſurripere, SED SICUT SCRIPTUM EST, &c. & hic eclipſis eſt, ſuppiendumque: ſed iis in locis prædicavi, ubi non erat Chriſtus annunciatus, ſicut olim id ſcriptum eſt futurum iis verbis: *Quibus non eſt*, &c.

V. 26. PROBAVERUNT, id eſt approbaverunt, vel viſum eſt eis facere collationem κοινωνίαν, id eſt communicationem, hoc eſt de bonis ſuis impartiri.

V. 29. IN ABUNDANTIA BENEDICTIONIS. Gr. εὐλογίας; εὐλογία autem non benedictionem modo prout ea utimur, ſed munificentiam & largitatem ſignificat. Et Chriſtianis εὐλογίαι dicebantur munera a micis caritatis affectu miſſa, unde & ἀπὸ τοῦ λέγειν, id eſt colligendo λογίας vocat Paulus collectiones & eleemoſynas. Senſus ergo Pauli poteſt eſſe, prout εὐλογία diverſa ſignificat, varius: uno modo, ſpero quod veniens ad vos, in abundantia benedictionis veniam, id eſt abunde vobis benedicam: vel ſpero quod veniens inveniam vos in eleemoſynis erogandis, ac præſtita in omnes humanitate ad perfectionis apicem evaſiſſe: inveniam ſcilicet vos erga fratres fuiſſe beneficentiſſimos: & benedictione ac beneficentia erga ſanctos uſos eſſe.

S A.

Verſ. 1. FIRMIORES, id eſt fortiores. SUSTINERE. Græc. *portare*, id eſt ſublevare. NOBIS, ſcilicet ſolis. PLACERE, id eſt ſatisfacere.

V. 2. IN BONUM; pro, in rebus bonis, ſeu promovendo bonum. AD AEDIFICATIONEM, id eſt ut proximus ædificetur, ſcilicet in bono promoveat.

V. 3. SIBI PLACUIT, id eſt propria commoda quæſivit. CECIDERUNT SUPER ME, id eſt me cruciarunt.

V. 4. ENIM; pro, autem. DOCTRINAM, id eſt inſtitutionem.

V. 5. PATIENTIAE, ſcilicet donator. IN ALTERUTRUM, id eſt inter vos mutuo. IESUM CHRISTUM, id eſt Ieſu Chriſti voluntatem.

V. 6. HONORIFICETIS. Græc. *glorificetis*.

V. 7. SUSCIPITE, ſcilicet ad adiuvandum. HONOREM. Græc. *gloriam*.

V. 8. CIRCUMCISIONIS Iudæorum; quaſi dicat, Iudæis prædicaſſe. VERITATEM, id eſt fidem in promiſſis. PATRUM, id eſt patribus factas.

V. 9. SUPER MISERICORDIA, id eſt ob miſericordiam. HONORARE. Græc. *glorificare*, ſcilicet debere. CONFITEBOR. Vox Eccleſiæ, vel Chriſti. IN GENTIBUS, id eſt Gentium voce. NOMINI TUO, id eſt tibi; quaſi dicat, Te celebrabo.

V. 10. ITERUM, ſcilicet Deut. XXXII. ſecundum LXX. ubi nos legimus, *Laudate Gentes populum eius*. PLEBE EIUS, ſcilicet Iudæis, qui Dei populus.

V. 11. MAGNIFICATE, id eſt celebrate laudibus.

V. 12. RADIX, id eſt e radice ortus, ſcilicet Chriſtus. ET. Iunge cum *in eum*.

V. 13. SPEI, ſcilicet dator, ſeu obiectum, ſcilicet in quem ſperatur. VIRTU-

TE.

Digitized by Google

TE, id eſt potentia, ſcilicet caritate, quæ per illam in cordibus diffunditur.

V. 14. CERTUS, pro, *perſuaſus*, πέπεισμαι. DILECTIONE. Græc. *bonitate*. SCIENTIA, ſcilicet rerum divinarum.

V. 15. AUDACIUS, id eſt confidentius, ſeu liberius. EX PARTE, id eſt aliquantulum. IN MEMORIAM, &c. quaſi dicat, Commonefaciens. GRATIAM, id eſt munus prædicandi; vel quaſi dicat, Iuxta facultatem mihi a Deo datam.

V. 16. UT SIM, &c. explicatio præcedentis. SANCTIFICANS, id eſt ſancte tractans. IN SPIRITU, pro, per Spiritum, ſcilicet per Spiritus ſancti gratiam.

V. 17. GLORIAM, id eſt unde poſſimus gloriari. IN CHRISTO, id eſt per Chriſtum. AD DEUM, id eſt apud Deum.

V. 18. AUDEO; pro, auſim. IN OBEDIENTIAM, ſcilicet præſtandam Evangelio.

V. 19. IN VIRTUTE, id eſt per potentiam. PER CIRCUITUM, id eſt & vicinis regionibus, vel circumeundo. REPLEVERIM, id eſt plene annuntiaverim; vel quaſi dicat, Orbem repleverim Evangelio.

V. 20. ALIENUM, id eſt ab alio iactum.

V. 22. PROPTER QUOD, id eſt ob occupationem prædicationis. PLURIMUM. Græc. πολλά, ſæpe.

V. 23. LOCUM, ſcilicet vacuum prædicatione; quaſi dicat, Neceſſitatem manendi hic.

V. 24. FRUITUS. Græc. *expletus*, id eſt conſolatus.

V. 25. MINISTRARE, ſcilicet eleemoſynam. SANCTIS, id eſt Chriſtianis. Vide cap. I.

V. 26. PROBAVERUNT, id eſt decreverunt approbando; quaſi dicat, Placuit, ſeu viſum eſt. COLLATIONEM, ſcilicet eleemoſynæ. SANCTORUM; pro, ſanctos, ſeu qui ſunt de numero ſanctorum, id eſt fidelium.

V. 27. CARNALIBUS, id eſt temporalibus bonis.

V. 28. ASSIGNAVERO, ſcilicet obſignatam pecuniam reddidero.

V. 29. BENEDICTIONIS, id eſt donorum ſpiritualium.

V. 31. OBSEQUII, ſcilicet eleemoſynæ quam deſero.

V. 32. REFRIGERER, id eſt recreer.

V. 33. PACIS, ſcilicet dator, & amator.

MARIANAE.

Verſ. 3. CHRISTUS NON SIBI PLACUIT; SED SICUT SCRIPTUM EST; quaſi dicat: Non ſibi placuit, ſed Patri, ſicut ſcriptum eſt: IMPROPERIA, tuas contumelias, o Pater, meas ducebam: ſic nos aliis placere debemus.

V. 4. QUAECUMQUE ENIM SCRIPTA SUNT, id eſt non puteis id ad ſolum Chriſtum pertinere, ut non ſibi placeat: nos etiam in eo inſtruimur. UT PER PATIENTIAM, quæ in Scriptura laudatur. ET CONSOLATIONEM, ſive *exhortationem*, qua nos monet, bene ſperemus. I. Machab. XII. 9. *Habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris*.

V. 5. IDIPSUM SAPERE: idem ſentire, eſſe concordes, det vobis Deus.

V. 7. SUSCIPITE INVICEM, ſuſtinete, tolerate Græ. προσλαμβάνεσθε. SICUT ET CHRISTUS SUSCEPIT, ſuſtinuit vos propter Deum; quem conſtat.

V. 8. MINISTRUM FUISSE CIRCUMCISIONIS. Iudæis miniſtravit, ut implerentur promiſſiones Patribus factæ.

V. 9. GENTES AUTEM, id eſt fuit miniſter, ut Gentes non ex promiſſione, ſed ex miſericordia accepti in Eccleſiam Deum colerent. Itaque non ſua quæſivit.

V. 12. QUI EXURGET, ſcilicet ex hac radice Ieſſe, IN EUM GENTES SPERABUNT. Probat teſtimoniis, Chriſtum in ſalutem Gentium veniſſe.

V. 15. SCRIPSI VOBIS, ſcilicet hanc epiſtolam. IN MEMORIAM VOS REDUCENS: vel commonefaciens; quæ facto opus eſt. PROPTER GRATIAM, id eſt ut meo muneri ſatisfaciam.

V. 16. SANCTIFICANS EVANGELIUM DEI, id eſt ſerviens Evangelio, aut ſacrificans per Evangelium, ſcilicet Gentes. UT FIAT OBLATIO, ut hoc ſacrificium, quo Gentes offero, Deo placeat.

V. 17. HABEO, id eſt habeo quod glorier in Chriſto, id eſt per Chriſtum apud Deum, ſcilicet ob multa quæ feci inter Gentes.

V. 18. NON ENIM AUDEO, non ex alio-

rum

Digitized by Google

rum operibus glorior, ſed ex meis. Ita me geſti, ut

V. 19. Usque ad Illyricum. Sclavonia adiacet mari Adriatico ſupra Epirum. Repleverim, id eſt plene annuntiaverim Evangelium, & cum fructu.

V. 20. Praedicavi. Græce *ſtudui*, conatus ſum prædicare. Non ubi nominatus, id eſt annuntiatus eſt Chriſtus, ſed locis aliis.

V. 22. Plurimum venire ad vos impediebar his, ſcilicet curis diſtrictus: τὰ πολλά. Syr. *pluries ſum impeditus*. Et prohibitus sum usque adhuc. Hæc verba, neque Græce, neque Syr. neque in Goth. ac ne in Vulgata Regia ſunt. Nunc autem

V. 23. Locum non habens, ſcilicet vacuum, quia omnia Evangelio replevi.

V. 24. Cum in Hispaniam. Veniſſe, ut optabat, Hieronymus ait Iſai. xi. Amos v. Chryſoſtomus Homil. i. in Epiſt. ad Rom. Epiphanius Hær. xxvii. Sophronius de Viris, Dorotheus, Iſidorus, & Luc. Tudenſis in Chronico. Contra Gelaſius xxii. quæſt. ii. cap. Beatus Ergo cum eo ibo, videbo vos.

V. 26. Collationem. Κοινωνίαν, *communicationem*, id eſt de ſuo largiri aliquid. Hanc collationem cum Ieruſalem detulero, per vos iter faciam in Hiſpaniam.

V. 29. In abundantia benedictionis veniam ad vos. Εὐλογία hic *munificentiam* ſignificat. Inſinuat velle, ut ipſi etiam ſubſidium in pauperes Ieruſalem aliquod conferrent. Orate ergo,

V. 31 Ut.... obsequii mei oblatio Græc. *& ut miniſterium meum, quod in in Ieruſalem, acceptum ſit ſanctis*. Syr. *ut miniſterium, quod perfero ſanctis qui in Ieruſalem, bene accipiatur*. Ambroſius hic: *Munerum meorum oblatio accepta fiat in Ieroſolyma ſanctis*. Quidam codices *Ieruſalem* nullam mentionem faciunt, tantum habent, *ut obſequii mei oblatio accepta ſit ſanctis*, id eſt fidelibus.

MENOCHII.

Verſ. 1. Sustinere: βαστάζειν, *ferre*; portare tamquam onus: ſic ad Gal. ix. 2. ait: *Alter alterius onera portate*. Per imbecillitates infirmorum intelligit eorum, qui minus in fide inſtructi ſunt, ignorantiam, & ea quæ ex ignorantia faciunt. Et non nobis placere: non noſtro animo morem gerere, ut quæ grata nobis ſunt, & utilia ſectemur, cum proximi ſcandalo, vel incommodo, ut ſi verbi gratia eſcas lege vetitas comedamus cum offendiculo infirmorum.

V. 2. Proximo suo placeat: condeſcendat, morem gerat, obſecundet, illi ſe accommodet. Ad aedificationem: ut ſcilicet illum ſua caritate, ſua continentia, & modeſtia ædificet, & pelliciat ad omne bonum.

V. 3. Etenim Christus non sibi placuit; quaſi dicat: Imitamini Chriſtum, nam Chriſtus ſuæ voluntati, quieti & commodis non ſervivit. Sed: ſupple, noſtris commodis ſervivit. Sicut scriptum est: Pſal. lxviii. 10. Improperia improperantium tibi, &c. quaſi dicat, Improperia, opprobria, & peccata contra te, o Deus, facta, ita me Chriſtum afflixerunt, atque ſi in me facta fuiſſent; & ſic ob ea indolui, ut ad placandam iram tuam me uſque ad mortem crucis humiliaverim.

V. 4. Quaecumque enim scripta sunt, &c. Cauſam reddit cur loco ſcripturæ, qui non de nobis, ſed de Chriſto loquitur, uſus ſit ad perſuadendum aliis, ut infirmitates proximorum ſuſtineant. Senſus ergo eſt: Licet verba allegata de Chriſto ſint, tamen utiliter ad rem noſtram afferuntur, quia quæcumque ſcripta ſunt, propter noſtram eruditionem, & inſtitutionem ſcripta ſunt, etiamſi non de nobis tractent. Ut per patientiam scripturarum: patientia ſcripturarum eſt illa, quam nos ſcripturæ docent. Per consolationem. In Græco eſt, διὰ παρακλήσεως, *per exhortationem*, ſcilicet ad bona opera.

V. 5. Deus autem patientiae, et solatii, ſcilicet auctor, & dator. Idipsum sapere in alterutrum: idem ſentire vobis det. Secundum Iesum Christum, id eſt ſecundum doctrinam, quam Chriſtus docuit, vel quam tradit religio Chriſtiana.

V. 7. Suscipite invicem: τὸ προσλαμβάνεσθε; hoc eſt, ultro excipite invicem, mutuo vos iuvate, & fovete, firmus infirmum, doctus rudem, &c. In honorem Dei, ſcilicet ſuſcipite invicem; mutua

enim

enim concordia, & ſuſceptio Chriſtianorum facit ad honorem Dei. Vel τὸ *in honorem Dei*, refer ad illud, *Chriſtus ſuſcepit vos*, nam Chtiſti redemptio ceſſit in maximum honorem Dei.

V. 8. DICO ENIM, &c. Explicat qua ratione Chriſtus omnes ſuſceperit, & id in honorem Dei ceſſerit. MINISTRUM FUISSE CIRCUMCISIONIS, id eſt circumciſorum prædicatorem, doctorem, & operatorem ſalutis fuiſſe. PROPTER VERITATEM DEI: nimirum ut Deus oſtenderet ſe veracem eſſe in promiſſis factis Patribus de Meſſia mittendo populo ſuo.

V. 9. GENTES AUTEM SUPER MISERICORDIA HONORARE DEUM. Senſus eſt, Dico Gentes, quibus nulla facta eſt promiſſio, debere Deum glorificare, & laudibus celebrare pro miſericordia ſibi præſtita. SICUT SCRIPTUM EST: Pſalm. XVII. 50. PROPTEREA: propter vocationem, gratiam, aliaque beneficia Gentibus præſtita. CONFITEBOR TIBI IN GENTIBUS: inter Gentes aperte profitebor, & celebrabo nomen tuum, miſericordiam, & beneficia eis exhibita. ET NOMINI TUO CANTABO, id eſt laudabo nomen tuum.

V. 10. ET ITERUM DICIT: Deuter. XXXII. 43. iuxta Septuaginta. LAETAMINI GENTES CUM PLEBE EIUS, id eſt cum Iudæis converſis lætamini, o Gentiles, & Deum laudatè.

V. 11. LAUDATE OMNES GENTES DOMINUM, &c. invitantur omnes gentes, & populi ad laudandum Deum pro miſericordia confirmata & veritate promiſſorum exhibita populo Iſraelitico.

V. 12 ET RURSUS ISAIAS AIT: cap. XI. 10. RADIX IESSE; Chriſtus ſcilicet qui eſt ſurculus ex radice Ieſſe, id eſt ex ſtirpe Ieſſe Davidis patris ſecundum carnem prognatus. ET QUI EXURGET: coniunctio, *&*, ponitur hoc loco pro *id eſt*; quaſi dicat: Radix ſive ſurculus de quo loquor Chriſtus eſt, qui Gentes ſubiiciet ſuo imperio, & illas reget, ſuæ adiunctas Eccleſiæ. IN EUM GENTES SPERABUNT: tamquam in redemptorem ſuum.

V. 13. DEUS AUTEM SPEI, ſcilicet auctor, cuius gratia factum eſt, ut in eum ſperetis. REPLEAT VOS OMNI GAUDIO, *& pace in credendo:* ut nimirum in fide ſuſcepta nullas contentiones cum fratribus habeatis, ſed perennem concordiam, & pacem. UT ABUNDETIS IN SPE; id eſt, ut ſpes in vobis ſemper magis, ac magis augeatur. ET VIRTUTE SPIRITUS SANCTI: ſpes inquam augeatur per virtutem, id eſt efficacem operationem ſpiritus ſancti. Vel, *in virtute*, (Græce ἐν δυνάμει) in fortitudine accepta a Spiritu ſancto.

V. 14. CERTUS SUM AUTEM, &c. quaſi dicat: Ego vos hac Epiſtola, o Romani, doceo, & moneo, non quaſi ignaros; certus enim ſum vos plenos eſſe dilectione, & ſcientia; ſed ut oſtendam animi affectum erga vos, & ut memoriam eorum, quæ ſcitis refricem, tamquam Apoſtolus veſter.

V. 15. AUDACIUS EX PARTE: aliquantulum audacius paulo liberius. PROPTER GRATIAM: Apoſtolatus.

V. 16. MINISTER: prædicando, & docendo. SANCTIFICANS EVANGELIUM DEI: ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ: quod ſanctus Auguſtinus vertit, *conſecrans Evangelium*, id eſt Evangelii prædicationem. Sanctificare ergo hic, eſt ſacrificare, ſive ſanctam victimam facere Gentes quodammodo, vel potius Gentiliſmum in iis mactando, ad eum modum, quo Petro dictum eſt, *Occide & manduca*, Act. X. OBLATIO GENTIUM: ſacrificium Gentium modo explicato mactatarum. SANCTIFICATA IN SPIRITU SANCTO: quo velut igne hæc victima incendatur, & ſancta reddatur.

V. 17. HABEO IGITUR GLORIAM: habeo quod glorier, quod ſim miniſter Chriſti. IN CHRISTO IESU: non in me, ſed in Chriſto, qui in me operatur ſalutem Gentium. AD DEUM, id eſt in iis rebus, quæ ad Deum pertinent.

V. 18. NON ENIM AUDEO ALIQUID LOQUI EORUM, QUAE PER ME NON EFFICIT CHRISTUS; quaſi dicat, Non auſim alienorum factorum mihi laudem arrogare, eorum ſcilicet quæ per me non efficit Chriſtus; ſatis multa habeo in quibus glorier, quæ per me Dominus operatus eſt *in obedientiam Gentium*, hoc eſt circa converſionem Gentium, ad obedientiam Evangelii redactarum. VERBO: Evangelicæ prædicationis. ET FACTIS: perpetratione miraculorum.

V. 19. IN VIRTUTE SIGNORUM, ET PRODIGIORUM, id eſt per potentiam declaratam ſignis, & prodigiis. IN VIRTUTE SPIRITUS SANCTI: ἐν δυνάμει, hoc eſt, *in* po-

potentia, robore, efficacia, ſcilicet potenti, & efficaci operatione Spiritus ſancti, quam explicat dum ſubdit: ITA UT AB IERUSALEM, &c. REPLEVERIM EVANGELIUM CHRISTI, id eſt diffuderim, dilataverim, propagaverim Evangelium.

V. 20. NON UBI NOMINATUS EST CHRISTUS, id eſt non in iis locis, ad quæ Evangelica prædicatio iam pervenerat. NE SUPER ALIENUM FUNDAMENTUM AEDIFICAREM: intellige Paulum ut plurimum iis Gentibus prædicaſſe, quibus Evangelium nondum annuntiatum fuerat; nam alioqui Damaſci prædicavit ubi iam erant aliqui fideles, & Romanos hac Epiſtola inſtituit, & poſtea etiam præſens docuit, ubi multi erant in Chriſtum credentes.

V. 21. SED SICUT SCRIPTUM EST: Iſai. LII. 15. ANNUNCIATUM NON EST DE EO, ſcilicet de Chriſto. VIDEBUNT: cognoſcent eundem.

V. 22. PLURIMUM: τὰ πολλὰ, pluries, ſæpius.

V. 23. LOCUM NON HABENS IN HIS REGIONIBUS: *locum* ſcilicet vacuum, cum in eis repleverim Evangelium, ubique fundatis Eccleſiis, ubique conſtitutis, & ordinatis Epiſcopis, & presbyteris, qui a me cœpta promoveant. IN HIS REGIONIBUS: Achaiam, & Macedoniam intelligit, eas enim paulo poſt nominabit, & in Achaia erat Corinthus, ubi hanc ſcribit Epiſtolam.

V. 24. CUM IN HISPANIAM PROFICISCI COEPERO. In Græco eſt, ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν σπανίαν, *ſi proficiſcar in Hiſpaniam*, vel, *quandocumque proficiſcar*, &c. A VOBIS DEDUCAR; id eſt, ſpero me aliquos ex vobis ſocios habiturum itineris in Hiſpaniam. SI VOBIS PRIMUM EX PARTE FRUITUS FUERO, id eſt veſtra conſuetudine ad aliquod tempus fuero recreatus.

V. 25 MINISTRARE SANCTIS: ut Iudæis Chriſtianis in paupertate conſtitutis deferam collectam eleemoſynarum, quam pro eis feci in Macedonia, & in Achaia.

V. 26. PROBAVERUNT: ηὐδόκησαν, *voluerunt*, *viſum eſt*. Italice diceremus: *E' paruto bene*, *è piaciuto*.

V. 27. ET DEBITORES SUNT EORUM: nempe ſanctorum Ieroſolymis agentium. NAM SI SPIRITUALIUM, &c. quoniam ſi gentes ſpiritualium bonorum ipſorum participes factæ ſunt, ſane & ipſæ debent in iis quæ ad corpus tuendum, & fovendum ſpectant, illis opem ferre, & eorum indigentiam ſublevare.

V. 28. HOC IGITUR CUM CONSUMMAVERO: cum hoc munere perfunctus fuero. ET ASSIGNAVERO EIS FRUCTUM HUNC; pro *aſſignavero* in Græco, σφραγισάμενος, *obſignavero*, id eſt pecuniam obſignatam tradidero. FRUCTUM: eleemoſynam. PER VOS: iſthac; Roma ſcilicet tranſiens.

V. 28. IN ABUNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII; quaſi dicat, Deus per meum adventum, prædicationem, & converſationem, copioſam vobis impertietur Evangeliorum myſteriorum cognitionem, amorem, conſolationem, gratiam, & fructum ſpiritualem.

V. 31. OBSEQUII MEI OBLATIO: miniſterii eleemoſynarum, quas defero Chriſtianis pauperibus Ieroſolymis degentibus. SANCTIS: fidelibus, Chriſtianis.

V. 32. UT VENIAM AD VOS IN GAUDIO: ex quo fiat ut lætus, & gaudens veniam ad vos. PER VOLUNTATEM DEI: Deo bene iuvante. ET REFRIGERER VOBISCUM: & ſimul mutua conſuetudine recreemur.

V. 33. DEUS AUTEM PACIS: amator, & auctor.

T I R I N I.

Verſ. 2. UNUSQUISQUE PROXIMO SUO PLACEAT: eius infirmitati ſuccurrendo, commodis & neceſſitatibus ſerviendo, petitionibus obſecundando, voluntati morem gerendo, exemplo *Chriſti*, qui

V. 3. NON SIBI PLACUIT, id eſt non ſtuduit propriis commodis, quieti, voluntati; ſed nutui & honori divino, ſimul & ſaluti generis humani. Sic ore Davidis teſtatur *a:* IMPROPERIA, opprobria, ſceleratа facta nequiſſimorum hominum, TIBI, o Deus, IMPROPERANTIUM, teque offendentium, CECIDERUNT SUPER ME, id eſt eruciarunt & afflixerunt me, perinde ac ſi in me iacta eſſent; unde & ſuſcepi illa omnia in me luenda & expianda, ut ſic honorem debitum tibi, o Deus, redderem, & miſeros homines tibi morte mea reconciliarem. Hoc, inquam, Chriſti exemplo debemus & nos proximorum infirmitatibus ſuccurrere, & quoad poſſumus occurrere

tere ac mederi intuitu amoris & honoris Dei.

V. 4. QUAECUMQUE ENIM inſtinctu Spiritus ſancti ab hagiographis SCRIPTA SUNT, ſive Chriſtum, ſive nos, ſive alias perſonas tangant; SCRIPTA SUNT AD NOSTRAM DOCTRINAM, ſeu inſtructionem, UT PER PATIENTIAM quam nos docent Scripturæ, ET per CONSOLATIONEM quam tot exhortationibus (græce enim eſt παράκλησις) & tam egregiis exemplis ſuggerit, SPEM HABEAMUS eiuſdem cum illis heroibus, quorum exempla recenſent, mercedis, præmii & bravii, ſi illos imitemur, certo obtinendi. Quia vero hoc ex nobis, ſoliuſque naturæ noſtræ viribus nec habemus, nec poſſumus, rogo ut

V. 5. DEUS omnis PATIENTIAE ET SOLATII (ſic infra *b*, *Deus ſpei*, *Deus pacis*) ſupple, auctor ac donator, DET VOBIS IDIPSUM SAPERE IN ALTERUTRUM, id eſt ſimilem affectum, benevolentiam ac beneficentiam invicem exhibere, SECUNDUM exemplum, monitum & præceptum *Ieſu Chriſti*.

V. 8. DICO ENIM CHRISTUM FUISSE MINISTRUM *c* CIRCUMCISIONIS, id eſt circumciſorum, ſeu Iudæorum, prædicatorem, doctorem & ſalvatorem miſſum *d* a Deo, PROPTER VERITATEM, id eſt ad explendam veritatem DEI in promiſſis ſuis, qui bus olim promiſerat Iudæis eorumque patribus, ſe miſſurum ipſis Meſſiam: ita Anſelmus.

V. 9. GENTES AUTEM dico debere nihilominus HONORARE DEUM, eique gratias habere SUPER MISERICORDIA, id eſt propter gratuitum beneficium donati ipſis Meſſiæ, non ex promiſſo (ut Iudæis) ſed ex mera miſericordia.

V. 13. DEUS AUTEM dator & auctor omnis SPEI, omniumque bonorum, REPLEAT VOS OMNI GAUDIO ET PACE IN CREDENDO, ut læti, hilares & concordes creſcatis quotidie, & magis magiſque in dies ABUNDETIS IN SPE, & in omnibus bonis ſpei ratis, ET VIRTUTE: græce, δυνάμει, id eſt, fortitudine, robore, gratia & donis SPIRITUS SANCTI.

V. 14. CERTUS SUM; Græce, πέπεισμαι, id eſt, certo mihi perſuadeo, quod vos, o Romani, non egeatis (quaſi ignari, torpidi, vel ſocordes) mea inſtructione vel commonitione, cum *ſitis* PLENI DILECTIONE & OMNI SCIENTIA: quod ergo

V. 15. SCRIPSI VOBIS hanc Epiſtolam, & quidem AUDACIUS EX PARTE, id eſt aliquantulum ſeu paulo liberius; id ſolum feci ut animi mei erga vos affectum demonſtrarem, memoriam vobis refricando eorum quæ probe noſtis: PROPTER GRATIAM QUAE DATA EST MIHI A DEO, id eſt, ut muneri Apoſtolico mihi a Deo impoſito faciam ſatis.

V. 16. UT SIM MINISTER, Græcum λειτουργός ſignificat miniſtrum ſacrorum, qualis eſt ſacerdos SANCTIFICANS, id eſt ſacrificans *e*, vel ut S. Auguſt. legit, conſecrans, EVANGELIUM, ſeu prædicationem Evangelii, DEI; Apoſtolus enim hic inducit metaphoricum ſacrificium, puta converſionem Gentium, & earumdem oblationem ac conſecrationem Deo factam, in quo ſacrificio ſacerdos eſt Paulus: victima ipſæ Gentes, vel potius gentiliſmus in ipſis mactatus, ſicut Petro dicebatur *f*, *Occide & manduca*: conſecratio eſt prædicatio Evangelii, & adminiſtratio Sacramentorum, qua Gentes ex profano populo convertuntur in populum ſanctum & Deo dicatum: ignis quo victima comburitur, eſt *Spiritus ſanctus*, eiuſque chariſmata & gratiæ, inquit S. Chryſoſt. Theophyl. & alii. Simili metaphora verſ. 25. ut & II. Cor. IX 12. *eleemoſynas dare*, vocat λειτουργῆσαι, ut ſupra *g* vocavit *corpora noſtra hoſtiam*, ſeu victimam. Sed hæc metaphorica ſacrificia nihil præiudicant vero ac proprie dicto ſacrificio Euchariſtico, de quo alibi Scriptura *h*.

V. 17. HABEO IGITUR GLORIAM, ſeu occaſionem gloriandi, non in me, vel ex me, ſed IN CHRISTO, primario hic ſacrificante, & per me iamquam ſuum miniſtrum, ſalutem Gentium operante & AD DEUM tranſmittente.

V. 18. NON ENIM AUDEO, neque opus habeo ad laudem vel gloriam mihi conciliandam, ALIQUID LOQUI, ſeu in medium afferre, EORUM QUAE NON PER ME, ſed per collegas meos, EFFICIT CHRISTUS IN traductione GENTIUM ad OBEDIENTIAM Evangelii, partim VERBO prædicationis, partim FACTIS & geſtis: adde, & laboribus exantlatis *i*, & tot adverſis toleratis pro earundem converſione.

V. 19. IN, ſeu cum VIRTUTE & efficacia SIGNORUM, id eſt miraculorum, ET PRODIGIORUM, potentia SPIRITUS SANCTI per me patratorum; ITA UT AB JERUSA-

LEM USQUE AD ILLYRICUM (nunc *Sclavonia* vocatur, vel *Boſnia*) REPLEVERIM, id eſt plene ubique evulgarim & ſparſerim, EVANGELIUM CHRISTI.

V. 23. & 24. NUNC VERO ULTERIUS LOCUM NON HABENS IN HIS Græciæ, Macedoniæ & Achaiæ REGIONIBUS, qui vacuus ſit, nec repletus k Evangelio, ubique fundatis Eccleſiis, ubique conſtitutis Epiſcopis ac Presbyteris, qui, quæ cœpi promoveant; CUPIDITATEM *habeo* viſendi vos Romanos ex itinere quod IN HISPANIAM adorno. Nempe ampliſſimæ virtuti Pauli parum videbatur, repleſſe Evangelio *Arabiam*, *Damaſcum*, *Antiochiam*, *Seleuciam*, *Cyprum*, *Pamphyliam*, *Piſidiam*, *Lycaoniam*, *Ciliciam*, *Phrygiam*, *Galatiam*, *Myſiam*, *Troadem*, *Achaiam*, *Macedoniam*, & tot alias regiones *Ieruſalem* inter & *Illyricum* ſitas; etiam *Italiam*, *Galliam*, *Hiſpaniam* ambit. Et vero etiam de facto adiiſſe (etſi S. Lucas, qui octo poſtremos vitæ Pauli annos intactos reliquit, non meminerit,) diſerte docent S. Hippolytus, Athanaſ. Cyrillus, Sophronius, Epiphanius, Chryſoſt. Theodor. Hieron. Gregor. Iſidorus, Metaphraſtes, Beda, Ado, & alii quos citant Baronius *m*, Pererius & Ioan. Vaſæus *n*.

V. 29. VENIAM AUTEM AD VOS IN, ſeu cum, ABUNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII, id eſt gratiarum & chariſmatum Evangelicorum (v. g. amplioris cognitionis myſteriorum fidei, uberioris amoris & conſolationis ſpiritualis, &c. quæ Deus per meum adventum copioſe vobis elargietur, inquit Origenes, & Anſelmus: interim, pro incolumitate mea orate Deum,

V. 31. UT OBSEQUII MEI OBLATIO ACCEPTA FIAT IN IERUSALEM SANCTIS; id eſt, ut eleemoſynæ quas e Græcia defero Chriſtianis pauperibus Ieroſolymæ degentibus, integræ ad manus deveniant ſimul & UT LIBERER AB INFIDELIBUS ſeu Iudæis, ſeu Gentilibus iudaizantibus, QUI SUNT IN IUDAEA iurati mihi hoſtes. Præſagiebat Paulus imminens ſibi Ieroſolymis certamen & vitæ diſcrimen, quod incurrit primo ſtatim adventu, ut vidimus in Actis Apoſtolorum *o*. Ad quod evadendum ſi licuit Paulo ſine ulla Dei vel Chriſti iniuria opem & preces implorare Romanorum tam procul abſentium, quidni liceat etiam implorare opem & preces Sanctorum cum Chriſto regnantium in cælis?

(a) Pſal. lxviii. 10.
(b) Hic verſ. 13. & xvi. 20.
(c) Matt. xx. 28.
(d) Matt. xv. 24.
(e) Ioan. xvii. 19.
(f) Actor. x. 13.
(g) Rom. xii. 1.
(h) Matt. xxvi. 26. Lucæ xxii. 19. Act. iii. 1. & I. Cor. x. 20. & 21. & Hebr. vii. 17. & xiii. 10. &c.
(i) II. Cor. vi. 23. & ſeq.
(k) Hic. verſ. 10.
(l) Galat. 1. 17. Ibidem. Actor. xiii. 1. Ibid. verſ. 4. Ibidem. Ibid. verſ. 13 Ibid. verſ. 14. Actor. xv. 6. Actor. xv. ult. cap. vi. 6. Ibid. verſ. 8. Ibid. Actor. xviii. 27. Actor. xvi. 10.
(m) Baron. anno Chriſti lxi.
(n) Vaſæus in Chron. Hiſpan.
(o) Actor. xxi. 27. &c.

GORDONI.

Verſ. 1. DEBEMUS AUTEM. Infirmitatem & infirmorum mores ſuſtinere, βαστάζειν, oportet, & non ſolum noſtra, aut quæ nobis utilia ſint, curare: ἑαυτοῖς, & in fide potentiores alloquitur. In hoc præſtando auxilio ſtat fortiorum inſigne decus: dedecus vero ſi ſe circumſpiciant contemptis aliis. Eſt ſane quod hic obſervare oporter de prudenti zelo Pauli pro varia temporum ratione. Nam hic quidem lege Moſaica in feriis & cibis nondum mortifera, recte compatitur debiliores, & indulget infirmis; ſimul movens, eos eſſe infirmos. 2. Petrum iure reprehendit, quod ſine ulla neceſſitate etiam cogeret gentes Iudaizare: hæc diſſimulatio gentium libertatem minuebat: agendo quidem, non tamen docendo; ſic oriebatur diſſenſio in Eccleſia. 3 Paulus denique ex nata intra cauſa Timotheum circumcidit, ne inducendo non circumciſum in templum, (quod non licebat) daret cauſam tumultus. Itaque in re adhuc libera licet infirmis indulgere interdum? at fovere errorem numquam licet.

V. 2. UNUSQUISQUE VESTRUM. Caritatis eſt placere proximo in his quæ ad bonum ſpectant; (numquam in malis: nam pernicioſum eſt.) Immo ut habet verſ. 3. danda opera eſt exemplo Chriſti, ut proximo placeamus. Citat Pſal. LXVIII. 10. non ſuis commodis, ſed nobis ſervivit.

V. 4. QUAECUMQUE ENIM. Quamvis citatus Scripturæ locus eſt de Chriſto; tamen

Digitized by Google

men cum quæcumque ſcripta ſunt, conſerant ad noſtram aliquam eruditionem, certe non potuit melius oſtendi Chriſtum ſibi non placuiſſe, quam ex ſacro codice, ubi revelantur nobis divina decreta: προέγραφη, quaſi ad monendum nos ante ſcriptum. Poſt hanc quaſi parentheſin redibit ad exhortationem, ubi de concordia. Ceterum quamvis Scriptura data ſit ad ſalutem, non tamen ſequitur nihil eſſe credendum, quod non ſit in Scriptura. Lege de hoc Auguſtinum de fide & oper. cap. IX. ubi belle tuetur auctoritatem traditionum. Porro eſt utilis Scriptura ad formandam fidem, dummodo ſano ſenſu explicetur, & non ut faciunt hæretici. Adverte hoc verſ. 4. aperte diſtingui fidem a ſpe & fiducia.

V. 5. & 6. Deus autem patientiae. Concordiam iam iterum commendat, neceſſariam in Eccleſia, ac præſertim in doctrina fidei; a qua conſenſione ſemper abſunt inter ſe hæretici: teſtis eſt inter novos Sectarios diſcordia incredibilis de rebus fidei, & prodigioſus ſectarum numerus poſt unius Lutheri perfidiam.

V. 7 Propter quod suscipite: προσλαμβάνεσθε. In honorem Dei cedit mutua Chriſtianorum concordia: τὸ *ſicut*, non dat ſimilitudinem in omnibus; ſed in patientia, concordia & amore ſyncero.

V. 8. Dico autem Christum. Suſcipite vos. Et eo modum quo Chriſtus omnes ſuſcepit: fuit enim ex amore miniſter circumciſionis, &c. nempe doctor in his quæ ad ſalutem pertinebant; immo & ſalutis operator. Propter veritatem; hoc eſt, ut Deus oſtenderet ſe veracem, qui talem promiſit Meſſiam. At quomodo Chriſtus miniſter circumciſionis? Certe quatenus miniſtravit circumciſis, cum quibus & ipſe ut legi ſubiectus, voluit circumcidi.

V. 9. Gentes autem super misericordia. Hic de modo quo gentes aſſumptæ ſunt. Senſus eſt: Dico etiam gentes debere Deum glorificare non propter miſericordiam illis promiſſam (nam promiſſio facta eſt Iudæis) ſed datam; ſicut ſcriptum eſt Pſal. XVII. 50. Ad hunc locum pſalterii, quamvis ad litteram ſit de Davide, dixi poſſe etiam de Chriſti exponi. Et cum hoc etiam dicat nunc Paulus, non licet de hoc ſenſu dubitare. Ergo coniungens Paulus utrumque populum docet agi merito gratias Deo propter tantam miſericordiam, uni gratis promiſſam; alteri non promiſſam, ſed gratis datam.

V. 10. 11. & 12. Et iterum dicit: Deuter. XXXII. 43. Lætamini gentes cum plebe eius Iudæis, & gratias agite. Laudate omnes gentes. Et rurſus Iſa. cap. XI. 10. quem locum vide ibidem explicatum de Chriſti regno in gentibus; & apud quas iam toto orbe Chriſtiani notiſſimi ſunt.

V. 13. Deus autem spei. Paulus optat credentibus gratiarum abundantiam. Fallitur hic Novator: hæc abundantia ſpei non eſt certitudo fidei de propria ſalute: ſed nec preces Pauli in hac vita pro Chriſtianis dant illis hanc certitudinem: alioqui nemo eorum periret.

V. 14. 15. & 16. Certus sum. Moneo, inquit, vos Romanos per hanc Epiſtolam, non quod diffidam de innata veſtra bonitate & benignitate mutua, & laudabili propenſione ad concordiam, ſi perorando laudat, ut efficacius poſſit impellere ad virtutem; ſed quod ago eſt, ut oſtendam animi mei erga vos affectionem, & quæ mei muneris ſunt, exequar, qui ſum veſter a Deo deſignatus Apoſtolus, sanctificans, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, *conſecrans evangelium*, vel ſacrificans, ita ut Evangelium ſit ſacrificium ſpirituale, quo præparabantur gentes, ut redderentur victima Deo grata.

V. 18. & 19. Non enim audeo. Dixit verſ. 17. habere ſe unde glorietur, quod ſit miniſter Chriſti: nunc addit ad illud duo: unum eſt in hac gloriandi materia nolle ſe proferre quæ non a ſe, ſed per alios Apoſtolos fiunt paſſim ad Dei gloriam: alterum, ſibi quoque non deeſſe quæ per Spiritum Sanctum in virtute ſignorum geſta ſunt ad converſionem gentium, ita ut repletum ſit Evangelium; & publicatum uſque ad Illyricum. Evangelium eſt velut ſagena, aut ovile; & impleri Evangelium eſt multiplicari Eccleſiam. Tractus hic terrarum, quem obiter attingit Paulus, putatur eſſe 400. milliarium Germanicorum. Totam hanc gloriam refundit in Chriſtum Paulus; & merito ſe audiendum ait, quem Deus per ſigna & tantam converſionem gentium ad hanc gloriam evexit.

V. 20. & 21. Sic autem praedicavi. Paulus ut plurimum prædicavit Evange-

gelium, ubi nondum fuerat annunciatum: Et ſic aliis Apoſtolis locum fecit, ſua iacientibus fundamenta. Citatur locus Iſaiæ LII. 15. quem ibidem expoſui: hoc profert impedimentum, verſ. 22.

V. 22. & 23. PROPTER QUOD. Hæc impedimenta Tertullianus non tempora, ſed negotia interpretantur, & ſolicitudinem novarum Eccleſiarum. At quomodo non amplius locum habet in illis regionibus? Certe quod ubique iam conſtituiſſet ibi Epiſcopos & Sacerdotes, qui gentibus illis præeſſent.

V. 24. CUM IN HISPANIAM. Certatur, an tandem in Hiſpaniam iverit Paulus; quamvis id neget poſt Gelaſium S. Thomas, affirmant tamen Epiphanius, Cyrillus, Theodoretus, Beda, & alii. Sane anno Chriſti 61. liber abire Roma permiſſus eſt, exacto biennio in cuſtodia: a quo tempore uſque ad martyrium (quod accidit anno 69.) acta Pauli incerta ſunt. Valde eſt probabile non abieciſſe iter in Hiſpaniam. A VOBIS DEDUCAR: ſpero me aliquos ex vobis habiturum ſocios.

V. 25. *uſque ad finem.* IN IERUSALEM MINISTRARE SANCTIS. Chriſtianis pauperibus, quibus daturus erat collectam eleemoſynarum factam in Græcia. DEBITORES non ſtricti iuris, ſed honeſtatis, gratitudinis & amoris. Per FRUCTUM HUNC intelligit eleemoſynam. Et certe ſi gentes ſpiritualia bona acceperunt a Iudæis Ieroſolymitanis, cur non rependent temporalia? *Obſignavero*; id eſt, cum obſignatam pecuniam tradidero. Videtur pecuniam obſignatam accepiſſe & tradidiſſe, & hoc ne ſuſpicio de illo aut comitibus orietur; σφραγισάμενος. ABUNDANTIA BENEDICTIONIS, in magna per Evangelii prædicationem cognitione myſteriorum, & gratia: concludit, ut ſolet in epiſtolis plerumque, cum precatione pacis & felicitatis.

C A P U T XVI.

Commendat Apoſtolus quoſdam apud Romanos, propter nonnullas eorum præeminentias nominatim ſalutandos; quoſdam vero vitandos hortatur, & de aliis dicit quod ſalutant Romanos.

1. COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt
in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris: 2. ut eam
ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis: & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque
aſtitit multis, & mihi ipſi. 3. Salutate (*a*) Priſcam & A-
quilam adiutores meos in Chriſto Ieſu; (4. qui pro anima mea ſuas cervices ſuppoſuerunt: quibus non ſolus ego
gratias ago, ſed & cunctæ eccleſiæ Gentium) 5. & do-
meſticam Eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, * qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto. 6. * Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vo-
bis. 7. * Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos & concaptivos meos: qui
ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto. 8. Salutate Am-
pliatum dilectiſſimum mihi in Domino. 9. Salutate Urbanum adiutorem no-
ſtrum in Chriſto Ieſu, & Stachyn dilectum meum. 10. Salutate Apellen pro-
bum in Chriſto. 11. * Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate
Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui
ſunt in Domino. 12. Salutate Tryphænam & Tryphoſam, quæ laborant in
Domino. Salutate Perſidem chariſſimam, quæ multum laboravit in Domino.
13. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam. 14. Sa-
lutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen; & qui cum

cis

eis ſunt, fratres. 15. Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & ſororem eius, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos. 16. Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Ecleſiæ Chriſti. 17. Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis. 18. Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones, & benedictiones, ſeducunt corda innocentium. 19. Veſtra enim obedientia in omnem locum divulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. 20. Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. 21. (*b*) Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iaſon, & Soſipater, cognati mei. 22. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam, in Domino. 23. Salutat vos Caius hoſpes meus, & univerſa Eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius civitatis, & Qartus, frater. 24. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen. 25. Ei autem, qui potens eſt vos confirmare iuxta Evangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundum revelationem myſterii temporibus æternis taciti, (26. quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti: 27. ſoli ſapienti Deo, per Ieſum Chriſtum; * cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

(a) Act. 11. 11. 26. (b) Act. xvi. 1.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 5. Qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto. Cave mutes *Aſiæ* in *Achaiæ*, *ſigma* in *chi*.

Verſ. 6. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Pronomen ſecundæ perſonæ *vobis* non eſt mutandum in primæ *nobis*.

Verſ. 7. Salutate Andronicum & Iuniam. Legendum eſt *Iuniam*, ita ut tertia dictionis littera ſit, tertia liquidarum, non prima *Iulia*.

Verſ. 11. Salutate eos qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Alii libri non addunt, ſed ſubaudiunt *domo*.

Verſ. 27. Cui honor & gloria. Non omittas *τὸ cui*.

Notationes.

Verſ. 1. S*Alutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitivus Eccleſiæ o.) Aſiæ in Chriſto (Ieſu o)* Plerique Græcorum & codicum, & (Chryſoſt. Theophylact.) Interpretum, ſuffragantibus Syris, legunt *Achaiæ* pro Aſiæ: ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς ἀχαΐας (εἰς χριστὸν) ἐν χρῷ. *Qui eſt primitiæ Achaiæ in Chriſto (in Chriſtum.)* Verum Latini libri conſtanter *Aſiæ* ſervant, conſentientibus Latinis Tractatoribus præter noſtræ ætatis aliquot, qui & textus ſuos ex Græco *Acabiæ* emendarunt. *Aſiæ* ſe legiſſe declarat B. Hieronymus ennarrans caput Ezechielis lxiii. Porro & inter Græcos auctores Origenes non ſolum in huius loci commentario, ſed etiam Homilia in Numeros undecima diſerte Aſiæ legit: & inter Græcos libros Pariſienſium quintus ἀσίας *Aſiæ* non ἀχαΐας ſcribit. Quamobrem vulgata Græcorum lectio depravata a (Titelmannus, Soto Zegerus.) quibuſdam exiſtimatur ſimilis loci occaſione, qui eſt prioris ad Corinth. xvi. οἴδατε τὴν οἰκίαν στεφανᾶ, ὅτι ἐστὶν ἀπαρχὴ τῆς ἀχαΐας.

V. 25. 26. 27. Ei autem qui potens eſt vos confirmare (&c. *ſoli* (*ſolo* 4 MS.) *ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum, cui* (eſt 1 MS.) *honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.* τὸ *cui* ab emendatiſſimo exemplari, quod M. N. Hunnæus inter alia contribuit, Q notato, tollitur: a Complutenſium, & Regiorum Bibliorum Latinis, & Græcis textibus non agnoſcitur. Plurimum certe lucis orationi adferat eius omiſſio: verum in aliis omnibus quotquot vidimus Græcis, Latiniſque libris reperitur (unum duntaxat Græcum vidimus Pariſiis a Simone Colinæo impreſſum, qui ᾧ *cui* cum αὐτῷ *ipſi* commuta-

tavit) atque ab Enarratoribus, quos conſuluimus, pleriſque omnibus veteribus , & recentioribus manifeſte legitur (fere enim eos torque:) quamquam Carenſis , & Gorran locum & iuxta eum modum explicent , quo eſt ſine *cui* , ſecuti opinor id quod auctor Gloſſæ annotavit : „ Si auſeras *cui* abſoluta „ eſt lectio . „ Græci id parelcon ſenſui ſuperfluum eſſe docent , quod repetitione opus eſſet aſſumptum ; quibus B. Auguſtinus libri adverſus Maximinum 3. cap. XIII. accedit : „ Quod vero additum eſt *cui* , inquit, ut diceretur *cui gloria* , cum ſufficeret , ſi dictum eſſet *ei autem gloria*, inuſitatam noſtræ linguæ indicat locutionem , non ſenſum, quem requiramus , vel de quo ambigamus, inſinuat : „ Syri illo pretermiſſo, & vocibus quibuſdam tranſpoſitis clare interpretati ſunt : *Deo autem ipſi qui potens eſt confirmare vos* (&c.) qui eſt ſapiens ſolus ipſe , gloria per Ieſum Chriſtum in ſæcula ſæculorum , Amen.

Circa eumdem hunc locum advertimus eam ut Græcorum , & Syricorum codicum , ita veterum Auctorum iam Latinorum , quam Græcorum eſſe lectionem, *cui gloria in* , ſublato *honor &* : quomodo eſt & in Latino ſcripto *Cui* (*eſt* Pl. ang.) *honor in*, ſublato *& gloria*. Vulgatæ noſtræ lectioni alterum fortaſſis eſt additum ex loco primi capitis prioris epiſtolæ ad Timotheum , 1. 17. qui celebris eſt in precibus horariis ad primam : *Soli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. C*Enchree:* huius nominis oppidum eſt in Troade , ſimiliter & in Italia , tamen hoc loco eſt portus & ſtatio navalis Corinthiorum.

V. 2. DIGNE SANCTIS , id eſt pro dignitate ſanctorum , & quemadmodum ſanctos ſuſcipere par eſt.

V. 18. BENEDICTIONES , id eſt adulationes ; id enim ſignificat Græcum εὐλογία.

V. 20 SATANAM : non dæmonem tantum, ſed omnem adverſarium ; id enim ſignificat vox Hebræa Sathana, unde Chriſtus Petro, vade retro me Sathanas.

V. 22. TERTIUS: non ordinis nomen , ſed viri.

V. 23. UNIVERSA ECCLESIA . Græci nune habent ἡ τῆς ἐκκλησίας ὅλης, id eſt *& univerſa Eccleſiæ* : referturque ad τὸ hoſpes, ſcilicet meus & univerſæ Eccleſiæ hoſpe . ARCARIUS . Græce diſpenſator & quæſtor dicitur, qui univerſam domus curam habet.

V. 25. EI AUTEM . Hic locus propter longum hyperbaton & eclipſin aut παρέλκον aliquid, ad finem ſubobſcurus eſt, mihi ſic videtur reddi poſſe: Ei autem qui poteſt vos confirmare iuxta Evangelium meum & prædicationem Ieſu Chriſti , id eſt de Chriſto Ieſu, per revelationem myſterii ab æterno taciti , nunc autem patefacti, & per ſcripturas propheticas iuxta æterni Dei diſpoſitionem a cunctis gentibus , ut fides obediatur, cogniti: ei , inquam , ſoli ſapienti Deo per Chriſtum Ieſum , ſit honor & gloria : & hoc modo τὸ cui , [& Græce ὃ iuxta Photii ſententiam παρέλκει, & ſuperflui: quod ſi non vis tollere, ſic ordina: Ei qui potens eſt, &c. ſoli ſapienti Deo, ſub. gratias agite per Ieſum Chriſtum, cui honor & gloria , &c. Modus autem quo confirmare ac ſtabiles in fide Deus poteſt reddere, eſt per REVELATIONEM MYSTERII TACITI, myſterii, inquam , de vocatione gentium ad fidem ; quid enim confirmare magis poterat gentes, quam quod hactenus tacitum & occultum fuerat myſterium , nunc intelligere patefactum, & ex ſcripturis prophetarum a cunctis gentibus cognitum ; prout fieri æternus Deus ordinaverat ad obeditionem fidei ; ut ſcilicet fidei ab omnibus obediretur.

Scripta fuit e Corintho Epiſtola per Phæben Cenchreenſis Eccleſiæ miniſtram.

S A.

Verſ. 1. PHOEBEN , per hanc miſit Paulus epiſtolam. QUAE EST, &c. id eſt quæ ſua diſtribuit : vel erat Diaconiſſa, ſcilicet præfecta feminis quæ alebantur ab Eccleſia. CENCHRIS . Portus erat Corinthi.

V. 2. IN DOMINO, id eſt propter Dominum. DIGNE SANCTIS , id eſt ut decet Chriſtianos.

V. 3. SALUTATE . Syr. *poſtulate pacem.*

In-

Interdum autem vertit, *date pacem*, ſcilicet qui ſalutat, dat, id eſt precatur pacem, & petit, ſcilicet, An pax ſit, id eſt an alter valeat. Nota, omiſſam ſalutationem Petri Apoſtoli, quod eo tempore abſens eſſet. PRISCAM. Græc. & Syr. *Priſcillam*. Vide Act. XVIII. IN CHRISTO, id eſt Chriſti negotio, ſeu fidei.

V. 4. ANIMA, id eſt vita, ſcilicet tuenda.

V. 5. ECCLESIAM, ſcilicet familiam Chriſtianam. PRIMITIVUS. Græc. *primitiæ*, ſcilicet primus, ſeu inter primos converſus. ASIAE, ſcilicet minoris, ubi Epheſus. IN CHRISTO. Poteſt iungi cum *ſalutate*, vel cum *Eccleſiæ*.

V. 6. IN VOBIS. Græc. *in nos*, id eſt erga nos.

V. 7. CONCAPTIVOS, ſcilicet olim in carcere aliquo. NOBILES, id eſt inſignes. IN APOSTOLIS, id eſt inter Apoſtolos, ſcilicet Evangelii prædicatores. IN CHRISTO, id eſt Chriſtiani.

V. 9. CHRISTO, id eſt Chriſti negotio.

V. 10. PROBUM, id eſt probatum.

V. 11. DOMO, id eſt familia. SUNT IN DOMINO, id eſt Chriſto credunt, ſeu ſerviunt.

V. 12. IN DOMINO, id eſt propter Dominum.

V. 13. ELECTUM IN DOMINO; quaſi dicat, Inſignem Chriſtianum. MEAM, quaſi dicat, Quam ut matrem veneror.

V. 15. SANCTOS, id eſt Chriſtianos.

V. 16. IN; pro, cum.

V. 17. OBSERVETIS, id eſt caveatis, PRAETER, id eſt contra.

V. 18. BENEDICTIONES, id eſt laudes, ſeu adulationes. INNOCENTIUM, id eſt bonorum.

V. 19. IN VOBIS, id eſt de vobis. SIMPLICES, id eſt ſinceros. MALO, ſcilicet vitando.

V. 20. PACIS, ſcilicet dator. VOBISCUM, ſcilicet ſit.

V. 21. LUCIUS. Quidam putant, Lucam ſignificari.

V. 22. IN DOMINO: iunge cum *ſaluto*.

V. 23. ARCARIUS. Græc. *œconomus*. ſcilicet quæſtor ærarius Corinthi.

V. 25. IUXTA, &c. id eſt negotio Evangelii. MEUM, id eſt quod prædico. AETERNIS, id eſt omnibus retroactis. TACITI, id eſt abſconditi.

V. 26. SCRIPTURAS, ſcilicet nunc declaratas, ſeu impletas.

V. 27. SOLI, ſcilicet ex ſe, ſeu per naturam. CUI HONOR ET. Hæc non ſunt Græc. AMEN. Hic Syr. additur, *Gratia Domini noſtri* IESU *Chriſti ſit cum omnibus vobis*, *Amen*. Additur etiam in fine Græc. & Syr. *Scripta e Corintho*, *& per Phœben miſſa*.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN CENCHRIS. Urbs hoc nomine Troade erat, altera in Italia: hic tamen eſt Corinthiorum portus. Ibi erat Phœbe, quam cum Romam iret, commendat, ut eam accipiant.

V. 2. DIGNE SANCTIS. Ut ſancti debent facere, ſeu ut ſanctos ſuſcipere æquum eſt.

V. 3. SALUTATE PRISCAM. Aquilæ uxor erat, Act. XVIII. 2. Epænetum etiam,

V. 5. QUI EST PRIMITIVUS ASIAE IN CHRISTO, id eſt primus ibi Evangelium accepit. Græce, *primitiæ Achaiæ in Chriſtum*. Ceterum aliqui Græci codices *Aſiæ* habent: ſic Hieronymus Ezech. XLIV. Origenes hic, & Homil. XI. in Num. Quare Græci codices, qui ſecus habent, vitiati videntur, ex eo quod dicit I. Cor. XVI. 15.

V. 7. ANDRONICUM ET IUNIAM. Hos putant eſſe ex numero ſeptuaginta diſcipulorum, de quibus Luc. X. cap. verſ. 1.

V. 14. HERMAM. An hic eſt qui ſcripſit librum Paſtoris?

V. 16. IN OSCULO SANCTO, id eſt non impudico. Sic Iudæi inter ſe ſalutabant. Cavete tamen eos qui per

V. 18. DULCES SERMONES, ET BENEDICTIONES, id eſt adulationes ſeducunt

V. 19. SIMPLICES: ἀκεραίους, *innocentes*, perinde eſt.

V. 20. SATANAM, Deus conterat omnem adverſarium. *Vade poſt me ſatana*.

V. 21. LUCIUS ſalutat vos. An hic eſt qui aliis locis *Lucas* vocatur? Aiunt quidam, negant alii.

V. 22. EGO TERTIUS. Viri nomen. Theodulus Cœleſyriæ presbyter legit *Terentius*. Diodorus Tarſenſis, fuiſſe amanuenſem Pauli, & ob eius imperitiam quædam in hac epiſtola plena myſteriis eſſe perturbata & confuſa. Affert Sixtus Senenſis Biblioth. Lib. II. in dictione *Tertius*,

rius, nec reprobat. Hunc *Tertium* factum Iconii Epiſcopum, Diodorus Tarſenſis hic & Dorotheus in Synopſi aiunt.

V. 23 Caius, ſeu *Gaius*, ut eſt Græc. Syr. & Gotth. Universa Ecclesia. Græc. Syr. & Gotth. *univerſæ Eccleſiæ*, ſcilicet hoſpes. Arcarius, id eſt theſaurarius ſeu quæſtor, vos hi ſalutant.

V. 24. Gratia. Hunc verſum ſua manu ſcripſit Paulus loco ſubſcriptionis hic, & I. ad Corinthios, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes ſecunda: nam nomen proprium initio epiſtolæ poſuit. Aut ut alii *Vale* dicunt, vel ἔῤῥωσο, ſic ipſe his verbis concludebat epiſtolas. Ei autem, qui poteſt vos confirmare

V. 25. Secundum revelationem. Evangelii cognitio non paratur ingenii viribus; quominus eſt mirum, viros ſcientia inflatos in hæreſes labi. Ei, inquam,

V. 27. Cui honor. *Cui* Græce non eſt, nec Syr. nec in Vul. Regia, & perturbat ſententiam, ſeu conſtructionem. Ita videtur redundare. Sic etiam relativum ᾧ, quod in quibuſdam Græc. cod. eſt, ſed obelo notatum. Honor et gloria. Illud *honor*, & in Gothico non eſt, nec Græc. & Syr. Hoc tantum, *Cui gloria in ſæcula ſæculorum*.

MENOCHII.

Verſ. 1. Sororem nostram: ſororem religione, id eſt Chriſtianam. Quae est in ministerio: οὖσαν διάκονον, *quæ eſt diaconiſſa*; erant enim mulieres quædam, quæ ita dicebantur, quibuſdam Eccleſiæ miniſteriis addictæ. Quae est in Cenchris: Cenchri erat portus, & pagus Corinthi.

V. 2. Ut eam suscipiatis in Domino, id eſt ut cum venerit ad vos eam recipiatis, humaniter tractetis, opem, & auxilium in negotiis feratis. Digne sanctis, ſcilicet ut decet Chriſtianos excipere alios Chriſtianos. Astitit multis: προστάτις ἐγενήθη, *patrona*, ſeu *ſuffragatrix* fuit. Ex quo colligitur Phœben non contemnendæ auctoritatis fuiſſe in patria ſua, cuius rei etiam ex eo capi poteſt conjectura, quod negotiorum cauſa Romam proficiſceretur; hoc enim maius videtur quam ut humili feminæ conveniat. Aliqui docent προστάτας olim dictos fuiſſe eos, qui deligebantur, ut hoſpites domi ſuæ, & in fidem ſuam reciperent, eoſdemque etiam προξένους appellatos, quales olim apud Chriſtianos fuiſſe eſt valde probabile. Ex horum numero fuerit Phœbe, in quam conveniat illud Apoſtoli, *ſi hoſpitio receperit, ſi pedes ſanctorum lavit* I. ad Tim. v. 10.

V. 3. Priscam, et Aquilam. Iudæos tentoriorum artifices, qui Roma a Claudio eiecti, iterum Romam fuerant reverſi. Vide dicta Act. xviii. 3. Adiutores meos in Christo, id eſt in iis, quæ ad Chriſti fidem provehendam pertinent.

V. 4. Pro anima mea, pro vita mea. Cervices supposuerunt: mortis periculo obiecerunt. Id ab illis factum vel in ſeditione Epheſi per Demetrium excitata, de qua Act. xix. vel in Corinthiaca, de qua Act. xviii. vel in aliqua alia huiuſmodi. Gratias ago: gratias habeo.

V. 5. Domesticam Ecclesiam eorum: familiam Chriſtianam. Primitivus Asiae: primus, qui in Aſia ad Chriſtum converſus eſt. In Græco eſt ἀπαρχὴ, *primitiæ*.

V. 6. Mariam. Quænam fuerit hæc Maria non conſtat. Quidam eam eſſe putant ad quam ſcribit S. Ignatius, & Mariam Caſſoboliten vocat. Quae multum laboravit in vobis. Quis hic labor, vel quod opus fuerit, non exprimit Apoſtolus; quamquam credendum eſt tale fuiſſe, quod ad Evangelii negotium promovendum pertineret.

V. 7. Cognatos, concaptivos meos: qui ſcilicet mecum eiuſdem ſunt generis, & gentis, ſcilicet Iudæi, vel ſanguine propinqui, quod etiam ſignificat vos συγγενεῖς, *concaptivos* vocat, quod aliquando communia cum Paulo vincula pro Chriſto paſſi fuiſſent. Ubi tamen, aut quando factum ſit, ignoratur. Qui sunt nobiles in Apostolis; quaſi dicat; Qui inter Apoſtolos, & doctores ſunt inſignes, & illuſtres: non enim ſoli illi duodecim vocati a Chriſto, ſed & Paulus, Silas, Barnabas, aliique ſimiles apud Ethnicos, & infideles evangelizantes, fuerunt, & etiamnum ſunt Apoſtoli. Ante me fuerunt in Christo; id eſt, qui ante me crediderunt, & Chriſtiani fuerunt.

V. 8. Ampliatum. In Græco eſt, ἀμπλίαν *ampliam*. In Domino, id eſt in Chriſto, ut Chriſtianam declaret dilectionem.

V. 9.

V. 9. IN CHRISTO; hoc eſt, in iis, quæ ad fidem Chriſti propagandam pertinent. STACHYN DILECTUM MEUM. Hic Stachys a B. Andrea Apoſt. primus Byzantinæ civitatis Epiſcopus creatus eſt ut legitur in Rom. Martyrologio.

V. 10. PROBUM IN CHRISTO: *δόκιμον ἐν χριστῷ*, probatum & ſincerum Chriſti diſcipulum, hoc enim ſignificat vox Græca *δόκιμος*.

V. 11. QUI SUNT EX ARISTOBOLI DOMO: huius tamquam Apoſtolorum diſcipuli, & Martyris dies natalis notatur in Romano Martyrologio Idibus Martii. Vide ibi notas Baronii. COGNATUM MEUM: vide dicta verſ. 7. QUI SUNT IN DOMINO, id eſt eos qui in Chriſtum Dominum credunt, unde videntur in eadem domo aliqui fuiſſe infideles, quos ſalutari non iubet. Non eſt improbabile Narciſſum hunc fuiſſe Claudii Imperatoris libertum, cuius mentio apud Tacitum, Suetonium, & alios. Vide Benedictum Iuſtinianum in hunc locum.

V. 12. QUAE LABORANT IN DOMINO, id eſt quæ collaborant Evangelio Chriſti Domini, nimirum eo labore, qui ſexui illi conveniat. Fuerunt Tryphæna, & Tryphoſa mulieres Iconienſes nobiles, quas Paulus Iconii ad Chriſtum convertit.

V. 13. ELECTUM IN DOMINO: electum vocat, quod pietate eſſet inſignis inter Chriſti Domini fideles. ET MATREM EIUS, ET MEAM: eam quæ ſecundum carnem Rufi mater erat, honoris cauſa matrem ſuam nominat. Ex hoc colligitur fuiſſe venerabilem feminam, & de re Chriſtiana, & Paulo bene meritam.

V. 14. ASYNCRITUM, PHLEGONTEM: hi duo ſimul cum Herodione, cuius mentio verſ. 11. tamquam Apoſtolorum diſcipuli recitantur in Martyrologio Romano. SALUTATE HERMAM. Hic Hermas auctor fuit libri qui dicitur Paſtor, de quo libro, & eius auctore vide multa apud Bellarm. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. ET QUI CUM EIS SUNT FRATRES, id eſt Chriſtianos eorum domeſticos.

V. 15. SANCTOS, id eſt fideles

V. 16. IN OSCULO SANCTO, id eſt cum oſculo, quale decet ſanctos, quodque ſymbolum ſit amoris caſti, ſinceri, & ſpiritualis, quem caritatem vocamus. SALUTANT VOS OMNES ECCLESIAE CHRISTI: non quod ab eis ſalutandi Romanos Paulus mandatum accepiſſet, longe enim aberant, ſed quia earum caritatem & affectum noverat, quo Romanos ſalutare, & proſpere agere cupiebant.

V. 17. OBSERVETIS, Syrus, *caveatis*. PROPTER DOCTRINAM, id eſt contra doctrinam. ET DECLINATE AB ILLIS; quaſi dicat: Ideo obſervate, ut ab iis declinetis, id eſt eorum conſortium fugiatis.

V. 28. SED SUO VENTRI, id eſt quærent unde laute vivant, & gulam expleant. PER DULCES SERMONES: *διὰ τῆς χρηστολογίας*, *per blandiloquentiam*: blando ſermone. ET BENEDICTIONES: *καὶ εὐλογίας*, *& benedicentiam*, id eſt aſſentationes. INNOCENTIUM: ſimplicium.

V. 19. VESTRA ENIM OBEDIENTIA, qua ſcilicet prompte, & perfecte Evangelio credidiſtis, IN OMNEM LOCUM VULGATA EST: eius fama late regiones omnes pervaſit; quaſi dicat, Ergo o Romani, ut cœpiſtis, ita pergite tueri hanc fidem, & obedientiam. IN VOBIS: propter vos, ac tantum veſtrum bonum. VOLO VOS SAPIENTES ESSE IN BONO, id eſt prudentes, & cautos, ne a bono quod accepiſtis, ſeductorum illorum dulcibus, & blandis perſuaſionibus excidatis; ET SIMPLICES IN MALO, id eſt rudes quaſi neſcientes male agere qui nullam nocendi artem teneatis.

V. 20. DEUS AUTEM PACIS: auctor, & amator. CONTERAT SATANAM: qui magiſter, & incentor eſt diſſenſionum. SUB PEDIBUS VESTRIS VELOCITER: ita ut eos comprimatis, & obmuteſcere faciatis, qui dæmone inſtigante bonum pacis, caritatis, & unionis corrumpere ſtudent. VOBISCUM; ſcilicet, ſit.

V. 21. TIMOTHEUS ADIUTOR MEUS; ſcilicet, in negotio propagationis Evangelii. Hic eſt Timotheus ad quem duæ extant Pauli Epiſtolæ. ET LUCIUS: hunc aliqui exiſtimant eſſe Lucam Evangeliſtam. COGNATI MEI: vide dicta ſupra verſ. 7.

V. 22. SALUTO VOS EGO TERTIUS: fuit hic Pauli ſaltem in hac Epiſtola amanuenſis, poſtmodum vero Iconii Epiſcopus, teſte Amphylochio.

V. 23. SALUTAT VOS CAIUS: hic Corinthius erat, quem a ſe baptizatum fuiſ-

Digitized by Google

ſe teſtatur I. Cor. 1. 14. Ad hunc Caium ſcripſit ſanctus Ioannes tertiam ſuam Epiſtolam Catholicam, in qua eum ab hoſpitalitate, & miſericordia in pauperes dilaudat. Et universa Ecclesia: quæ ſcilicet eſt Corinthi. Arcarius civitatis: Græce οἰκονόμος, œconomus, quæſtor, cui ſcilicet commiſſa erat cura publici ærarii. Hic poſtea Philippenſium fuit Epiſcopus, & martyrio vitam finivit. Et Quartus frater. Ex nomine nonnulla eſt conjectura hunc Tertii, qui ſcripſit Epiſtolam, fratrem dici ſecundum carnem: vel, *frater*, idem eſt quod fidelis; omnes enim Chriſtiani tunc temporis fratres dicebantur.

V. 24. Cum omnibus vobis; ſcilicet, ſit.

V. 25. Ei autem, &c. ſupple, ſit honor, & gloria, ut patebit verſu ultimo in fine. Confirmare: ſtabilire in fide ſuſcepta, quod dicit propter multos infirmos in fide, de quibus ſupra. Iuxta Evangelium meum; id eſt in fide, qua nimirum adhæretis doctrinæ Evangelii mei, quo vobis prædicavi Ieſum Chriſtum: ſuum ergo vocat Evangelium, id eſt a ſe prædicatum. Et praedicationem Iesu Christi: quod Evangelium meum eſt prædicatio Ieſu Chriſti. Secundum revelationem mysterii, &c. ſenſus eſt; Qua Evangelii prædicatione revelatur, & manifeſtatur myſterium omnibus retro ſæculis mundo occultatum, & paucis cognitum.

V. 26. Quod; ſcilicet, myſterium. Nunc patefactum est: per Evangelii prædicationem. Per scripturas prophetarum: qui Chriſtum, & eius Evangelium prædixerunt. Secundum praeceptum aeterni Dei, id eſt ex mandato ſeu delegatione æterni Dei, facta videlicet Apoſtolis. Ab obeditionem fidei: ut nimirum omnes Gentes Evangelium, & Chriſti fidem audiant, illique credant, & obediant. In cunctis Gentibus cogniti, ſcilicet myſterii: clarius ita diceretur: Myſterii, quod nunc patefactum eſt, & in cunctis Gentibus cognitum.

V. 27 Soli sapienti Deo. Reſpiciunt hæc, & nectuntur cum dictis verſ. 25. & ſenſus integer eſt: Ei, qui potens eſt vos confirmare in hoc Evangelio, & prædicatione talis, ac tanti myſterii qui ſolus eſt ſapiens, ſit honor, & gloria, &c. Per Iesum Christum: gloriam, & honorem Deo optare per Ieſum Chriſtum, idem ſignificat ac optare Deum agnoſci, & coli ab hominibus ſecundum Evangelium Chriſti, id eſt fide Chriſti ſuſcepta, & Chriſtianiſmum profitendo.

TIRINI.

Verſ. 1. P*Hæbe ſoror*. Vocatur non natura, ſed religione, quia Chriſtiana, in ministerio Ecclesiae *Cenchrenſis*; Græce, *diaconiſſa*. Sic tum vocabantur quæ præerant, ſeu virginibus, ſeu viduis Deo dicatis, vel etiam aliis pauperioribus feminis quæ publico Eccleſiæ ſumptu alebantur. Hæc *Cenchris* Corinthiorum portu, negotiorum, ſeu privatorum, ſeu publicorum cauſa Romam excurrebat, eademque opera hanc a Paulo ad Romanos Chriſtianos epiſtolam deferebat, ut patet ex Græco, Syro & Latino textu Regio in fine Epiſtolæ.

V. 3. *Priſca & Aquila* Iudæi erant *ſcenopegi*, ſeu tentoriorum opifices, qui nuper Roma per Claudium eiecti *a* iam ſub Nerone Romam redierant; adiutores in Christo, id eſt in negotio fidei promovendo, qui cervices suas pro anima, ſeu vita, mea supposuerunt, evidenti mortis periculo, mei cauſa ſeſe obiicientes, veriſimiliter in illa Corinthiaca ſeditione Actorum XVIII. 12. vel Epheſina Actor. XIX. 24.

V. 5. Primitivus Asiae. Græce, ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, id eſt primitiæ Achaiæ, id eſt primus ex Achaia (Aſiæ regione) ad fidem Chriſti converſus.

V. 7 Andronicum et Iuniam vocat cognatos *b*, quia contribules erant Paulo, puta Iudæi, forſan & Beniaminitæ *c*: *concaptivi* olim in aliquo carcere: Nobiles in Apostolis, id eſt illuſtres inter Evangelii præcones: qui et ante me fuerunt in Christo, id eſt Chriſtiani, ſeu converſi ad fidem Chriſti.

V. 9. *Stachys* iſte (ut eſt in Martyrologio Romano *d*) primus Byzantinæ urbis Epiſcopus a B. Andrea Apoſtolo creatus fuit. Et idem teſtatur Nicephorus, Hippolytus & Dorotheus *e*.

V. 10.

V. 10. Probum in Christo. Græce, δόκιμον, id eſt probatum & ſincerum Chriſti diſcipulum.

V. 11. Aristoboli, tamquam Apoſtolorum diſcipuli & Martyris dies natalis notatur in Romano Martyrologio Idibus Martii. Porro *Narciſſum*, cuius hic fit mentio, putat Benedictus Iuſtinianus & Menochius fuiſſe Claudii Imperatoris libertum, de quo multa Tacitus & Svetonius. Qui sunt in Domino, id eſt quotquot ex eius familia credunt in Chriſtum; nam in amplis familiis ſæpe aderant multi infideles.

V. 12. *Tryphæna & Thryphoſa* mulieres erant Iconienſes nobiles, quos Paulus Iconii ad Chriſtum convertit *f*, ſed iam Romam demigrant: laborantes in Domino, id eſt collaborantes promotioni Evangelii pro ratione illius ſexus.

V. 13. *Rufi Electi* in Domino, id eſt pietate inſignis inter Chriſtianos, matrem vocat honoris cauſa iam ſuam *matrem*, quod expertus eſſet illam tam de ſe, quam de tota re Chriſtiana præclare meritam.

V. 14. De *Aſyncrito* Hyrcaniæ, *Phlegonte* Maratoniæ, *Herodione* (cuius meminit verſ. 11.) Patrarum Epiſcopis, & aliis hic nominatis vide Martyrol Rom num *g*, & notas Baronii ibidem. *Hermas* a auctor eſt libri qui inſcribitur *Paſtor*, de quo vide Bellarminum *h*.

V. 16. Salutate invicem in, ſeu cum, osculo sancto, id eſt non profano, non laſcivo, non ficto, ſed ſincero, caſto, Chriſtiano, religioſo: quale olim ex veteri tam Gentilium (teſte Svetonio) quam Iudæorum ritu (teſte *Amaſa* k,) etiam uſurpabant, primi Chriſtiani, præſertim in ſacris conventibus ante ſumptionem S. Euchariſtiæ, dicentes, *Pax tecum*: eratque hoc ſinceræ reconciliationis, & ſolidæ caritatis ſymbolum. Sed fraude poſtmodum ſubrepente, loco huius oſculi ſucceſſit oſculum tabellæ, cuius etiamnum uſus pluribus locis in Miſſa. Porro quia Paulus hic inter alios non iubet ſalutari *Petrum*, volunt Novantes deduci, Petrum numquam Romæ fuiſſe. Sed quam facile contingit, aliquem urbem nonnumquam abeſſe? Nominatim vero Petrum tum temporis in Britanniam, Hiſpaniam & Africam, ad Eccleſias iſtic fundandas & firmandas excurriſſe: docet Innocentius primus *l*, & alii, & ex iis Baronius, & Bellarminus. Quod ſi Romæ tum adfuit, peculiares ad eum litteras (ut moris eſt,) dederit Paulus, ut neceſſe non fuerit in publicis eumdem rurſus ſalutare. Ceterum Romæ non fuiſſe modo, ſed & mortem oppetiiſſe Petrum una cum S. Paulo, ex innumeris pene totius orbis teſtibus docui in Chronico *m* ſub finem imperii Neronis.

V. 18. Benedictiones; Græce, *benedicentiam* pſeudodoctorum vocat adulationes, ſeu aſſentationes, inquit Theophyl.

V. 19. Vestra obedientia, qua promte & perfecte credidiſtis Evangelio, in omnem univerſi locum divulgata est. Sed volo vos sapientes esse in bono, id eſt prudentes & cautos, ne tanto bono blandis ſeductorum perſuaſionibus excidatis, ceteroqui simplices & quaſi rudes in malo, ut qui nocendi vel male agendi artem non teneatis.

V. 20. Deus autem pacis amator, auctor, donator, Satanam, magiſtrum & incentorem diſſenſionum, conterat velociter sub pedibus vestris, ut conculcetis & comprimatis quotquot dæmone inſtigante diſſidia invehere conantur: ita S. Chryſoſt. & Theodoretus. At S. Anſelmus, & Toletus id etiam extendunt ad idololatras & tyrannos qui Evangelio adverſabantur.

V. 21. Timotheus Epheſi fuit Epiſcopus, ad quem duæ exſtant Pauli epiſtolæ. Lucius aliquibus videtur eſſe *Lucas* Evangeliſta.

V. 22. Tertius Pauli (ſaltem in hac epiſtola conſcribenda, forſan & ex Græco in Latinum tranferenda) amanuenſis, poſtea *Iconii* Epiſcopus & Martyr. teſte Amphilochio, Dorotheo *n*, Diodoro Tarſenſis, & ex eo, Sixto Senenſi & Martyrologio *o*.

V. 23. Caius Corinthi hospes *Pauli*, ab ipſo converſus & baptizatus *p*, is eſt ad quem S. Ioannes tertiam ſuam epiſt. dedit, in qua eum ab hoſpitalitate & miſericordia in pauperes mire commendat. Erastus arcarius, ſeu quæſtor publicus Corinthiorum, poſtea Philippenſium Epiſcopus fuit, & martyrio vitam finivit *q*.

V. 25. 26. & 27. Evangelium meum: eſt

eſt *prædicatio* ſeu annuntiatio œconomiæ JESU CHRISTI, qua continetur non res aliqua vulgaris naturali lumine inventa, ſed a ſolo Deo *revelata*, res maximi momenti, nempe *myſterium* redemptionis & ſalvationis omnium Gentium per Chriſtum. Quod tamen non eſt recens a Deo decretum, ſed ab æterno excogitatum ac ab ipſo definitum, licet in ipſius ſinu perpetuo reſervatum ac *tacitum*, ſed NUNC eodem iubente, *per Prophetas* oportuna PATEFACTUM hominibus, AD OBEDITIONEM FIDEI; id eſt, ut homines illud credant eique obediant, ac nominatim GENTIBUS ubique *cognitum*; græce, *notificatum* eſt. CUI tam provido, tam liberali, verſ. 27. DEO SOLI ex ſe & natura ſua, ſeu eſſentialiter, SAPIENTI, HONOR omnis ET GLORIA perpetuo deferatur PER CHRISTUM & Chriſtianam religionem, providentia ipſius tam ubique propagatam, ſecundum quam ut agnoſcitur, ita & colatur Deus, laudetur, benedicatur, glorificetur, eique ſerviatur a toto univerſo IN SAECULA SAECULORUM, AMEN.

(a) Actor. XXVIII. 3.
(b) Rom. II. 1.
(c) Hic verſ. 21.
(d) Martyrol. Rom. XXXI. Octobr.
(e) Nicephor. Caliſt. Lib. VIII. hiſt. cap. vel. II. Hippolyt. libello de 72. diſcipulis. Doroth. in Synopſi.
(f) Actor. XIX. 2. & Martyrol. Roman. XII. Novembris.
(g) Martyrol. Roman. VIII. April.
(h) Bellarm. de verbo Dei Lib. I. de Apocryphis. Item lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt.
(i) Sveton. in Tiberio.
(k) II. Reg. X. 6.
(l) Innoc. I. epiſt. ad Decentium.
(m) Chron. cap. ult. Neronis anno ult.
(n) Doroth. in Synopſi.
(o) Sixt. Sen. Lib. II. in Tertio Martyrol. XXI. Iunii.
(p) I. Cor. I. 14.
(q) Martyrol. Roman. XII. Iulii. Actor. XIX. 22. & II. Tim. IV. 20.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. COMMENDO VOBIS PHOEBEN. Hanc vocat ſororem, hoc eſt, religione Chriſtianam. IN MINISTERIO. Diaconiſſa, quales erant quædam mulieres miniſteriis Eccleſiæ quibuſdam addictæ. Cenchreæ: navale erat Corinthiorum. ASTITIT, affuit multis, hoſpitio & aliter. Romam ibat negotiorum cauſa.

V. 3. PRISCAM. Coniuges ſunt. Aquila erat genere Ponticus Act. XVIII. 2. Priſca vocatur Priſcilla, II. Timoth. IV. 19. Paulo ὁμότεχνοι, & factores tabernaculorum. Hi Roma ſub Claudio eiecti, iterum Romam redierunt.

V. 5. & 6. SALUTATE. Epænetus, laudabilem ſonat. PRIMITIVUS ASIAE, id eſt primus in Aſia ad Chriſti fidem converſus eſt. Aliqui putant hanc Mariam eſſe illam Caſſololiten apud ſanctum Ignatium.

V. 7. ANDRONICUM. Hi communia cum Paulo vincula ſuſtinuerunt. NOBILES, inſignes inter Apoſtolos, & ante Paulum Chriſtiani. Latius accipit nomen Apoſtoli.

V. 8. *& deinceps.* SALUTATE AMPLIATUM. Græce Ἀμπλίαν. Inſequuntur alii; & aliquorum nomina ſunt in Martyrologio. STACHYN, hic ab Andrea Apoſtolo creatus Byzantii primus Epiſcopus ex Rom. Martyrologio: probum vocat, ſeu virum probatum, δόκιμον. EX ARISTOBOLI DOMO: recitatur in Martyrologio Ibid. Martii. *Narciſſum*, aliqui putant fuiſſe Claudii Imperatoris libertum, aut certe alius eſt Narciſſus qui fuit Athenarum Epiſcopus. De Herodiano vide Martyrologium 8. April. De Triphenna & Tryphoſa, Martyrol. 10. Novemb. *Rufus*, hoc loco eſt ille de quo Martyrol. 18. Decemb. *Hermes*, putatur auctor libri qui inſcribitur Paſtor, ex Hieronymo de Script. Eccleſ. Patrobas & Philologus notantur in Martyrol. 4. Novemb. Nereus, notatur 12. Maii. De Iulia nihil certum. Olympias ſeu Olympas quis ſit, aliud non habeo niſi quod hic inter ſanctos viros primæ illius Eccleſiæ receuſeatur: quod magnum ſane eſt teſtimonium.

V. 16. SALUTATE INVICEM IN OSCULO PACIS. Poſt brevem ſanctorum ac fidelium virorum catalogum, ſalutat comitum nomine Eccleſiam. Erat olim in ſalutationibus oſculorum uſus, ſed ut amicitiæ & pacis ſymbolum. Poſtea cum multi abuterentur hac conſuetudine, primum Tiberianis edictis; deinde etiam aliis modis mutari cœpit uſus oſculi. Et iam inter viros penitus exolevit.

V. 17. ROGO AUTEM VOS. Coniunctio animorum retinenda. Fugere eos oportet qui diſſentiones nectunt præter ſeu contra

cta-

doctrinam quam accepiſtis bonam. Ideo obſervate ut declinetis ab illis.

V. 19. VESTRA AUTEM OBEDIENTIA: qua credidiſtis Chriſto & Evangelio, auditur paſſim & laudatur. Vult autem eos eſſe ſapientes in bono, ne decepti ab his qui ventri tantum ſerviunt, amittant quod acceperunt: at SIMPLICES IN MALO, quaſi infantes, & neſcientes male agere, aut ignorantes nocendi artem.

V. 21. uſque ad 24. Prior verſus habet ſalutationes; alter precationem ſanctam, in qua claudit epiſtolam, cum exaltatione divini nominis. Qui ſalutant ſunt TIMOTHEUS, ad quem Paulus ſcripſit duas epiſtolas. LUCIUS eſt quem aliqui putant eſſe Lucam Evangeliſtam: probabilius eſſe Lucium, de quo fit mentio 22. Aprilis in Martyrol. COGNATI, vel ſanguine propinqui, vel cognatione gentis. TERTIUS eſt Paul amanuenſis, & poſtea Epiſcopus Iconii, ut ait Amphilochius. CAIUS hoſpes Pauli. ERASTUS arcarius & quæſtor, vel ærarius civitatis, poſtea Philippis Epiſcopus. Vide Martyrologium. De *Quarto*, Martyrolog. 3. Novembris.

FINIS TOMI VIGESIMI QUINTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google